SC.14.Pl.5

37
20 C
11

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HIERONYMI

# OSORII LVSITANI

EPISCOPI ALGARBIENSIS

Operum

Tomus Quartus.

---

AD

## PHILIPPVM I. PORTVGALIAE

REGEM INVICTISSIMVM.



ROMÆ,

Ex Bibliotheca Georgij Ferrarij, M.D.XCII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

ILLVSTRISS. ET SAPIENTISS. VIRO

# PETRO DECIO

## S. R. E. CARDINALI

Hieronymus Oſorius Nepos Luſitanus
Canonicus Eborenſis

*S. P. D.*

*PRaclare quidem Salomon, Principium, inquit, ſapientię eſt, ſapientiam poſsidere. ille enim animi ſenſus, quo ſapientiam omnibus rebus pręferimus, & in illius ſtudio factę progreſsiones; quaſi quidam ſunt gradus, quibus ad ſapientiam nitimur: vt, quidquid in ſcientiarum diſciplina eximium ſimus aſsecuti, ſapientię ſit adipiſcendę principium. in nullo enim ſapientię gradu debet animus inſiſtere. nam hoc eſset hominis deſidię pleni, quem aut deſperatio occuparit, aut ignoratio in tantum errorem induxerit; vt, cum ſapientiam non guſtauerit, ſapientiſsimum ſe eſse putet. Eſt igitur nobis in vita perpetuo philoſophandum, maxime vero in ſenectute, quę, cum vitę curſum laudabiliter confecerit, animum a ſenſuum conſuetudine ad rerum Diuinarum contemplationem auocat. animus enim, propediem in locum ſuum immigraturus, in luce clariori verſatur; multa percipit, quę ab illius intelligentia longe aberant: ad eorum hominum, qui hinc ſingulari cum laude diſceſserunt, cupiditatem*

*exar-*

Digitized by Google

exardeſcit. Sapientiæ vero lux Diuina in Prophetarum ſcriptis mirabiliter lucet. illi enim Sapientiæ magiſtrum Deum habuerunt, a quo maximis fuerunt ſapientiæ muneribus cumulati. Eorum ſententias nobis inquirentibus, primum oblatus ſapientiæ ſplendor ingenij aciem perſtringit; Deinde mentem, dum eam a conſuetudine oculorum abducimus, luce Diuina complet, vt, tenebris quas ſenſus offendunt, expulſis, ſapientiæ decus poſſimus clarius intueri. Cum ergo ſimus non ad otium, & deſidiam facti, ſed ad grauiſſimum, & omnium maximum ſapientiæ ſtudium; illud ſi aliquando deponamus, non mediocre in nos crimen admittemus. eſt enim omnis animi adhibenda contentio, vt illud in dies creſcat, & augeatur; ſapientiæ vero laude cum valde vehementer excellas, ſemper homini ſapienti eſſe aliquid addiſcendum explorate cognoſces. Quare non immerito animum induxi, Tibi Oſorij Commentarios in Oſeam, & Zachariam fore gratiſſimos, quos poſt Iſaiæ Paraphraſim, in hunc librum coniecimus, & Tibi, Vir ſapientiſſime dicauimus. Horum enim conſuetudine nihil poterit Tibi eſſe iucundius, in quorum mentibus ſpiritus Diuinus inſidebat; & debitum ſapientiæ officium, in hoc, quod numquam intermittis, ſtudio, ſolues. Vale, & meum erga Te animum, qua ſoles benignitate amplectere. Romæ. Idib. Septembris. Anno M. D. XCII.

Digitized by Google

# HIERONYMI OSORII LVSITANI PARAPHRASIS IN ISAIAM

*Ad Henricum, Regis Emmanuelis Filium, S.R.E. Tit. SS. Quattuor Coronatorum Cardinalem,*

## LIBER PRIMVS.

### *PROOEMIVM.*

QVANTIS obſcuritatibus inuoluta ſint prophetarum monumenta, quibus Chriſti myſteria continentur, eſt explicatu difficillimum: quod quidẽ minime mirandũ eſt. Sunt enim prius multa cognitione comprehendenda, ſine quibus haud facile quiſquam poterit ad illorum cognitionem peruenire. Vt enim a minimis ordiamur, eſt primum vis Hebreæ linguæ perdiſcenda: quæ, cum plurimum a Græca, atque Latina diſsideat, peculiarem quandam loquendi conſuetudinem, noſtris incognitam, ſeruat; eamq. ſpeciẽ, atque figuram dicendi, quam nemo, niſi eam vſu, & exercitatione contriuerit, facile conſequetur. Sunt præterea omnes gentis antiqui mores cognoſcendi; leges, atque iudicia mente complectenda; religionis ſanctitas, qua olim Iudæi tenebantur, aſsidue retractanda; &, ad quem finem omnia legis inſtituta referantur, ſæpe numero cogitandum. Adde nunc hiſtoriæ cognitionem, & totius antiquitatis memoriam, quæ non ſolum ex ſanctis litteris, verum etiam ex Græcis ſcriptoribus eſt diligentiſſime repetenda. Nec interim diſſerendi facultas negligenda eſt; vt implicita, definiendo, explicare valeamus; & ambigua diſtinguere, & argumentum ratione concludere; & vera denique a falſis internoſcere; ne videlicet veritatis locum vanitas fucata inani quadam ſpecie veritatis obtineat. Accedat deinde opus eſt, ars illa latius, & vberius diſſerendi; vt facilius intelligi poſsit, quantis luminibus illuſtrata ſint ſcripta diuinorum hominum; atque plane percipi, illis, quorum animi diuinis opibus ſplendebant, opes etiam ſplendidæ orationis minime defuiſſe. Quod quidem non ſolum ad animi oblectationem, ſed etiam ad rerum cognitionem eſt interdum valde neceſſarium. Huius enim artis ignoratione Iudæi

ſæpe numero turpiſsime labuntur; &, dum orationis figuratæ, & expolitæ ſenſum percipere nequeunt, vt ſe expediant, imniania quædam portenta confingunt. Sed hæc omnia, quæ retulimus, eiuſmodi ſunt, quæ poſſint humano ſtudio, & induſtria comparari. Ad illud autem, quod eſt præcipue curandum, nullum humanum ingenium, quãuis excellens exſtiterit, omniumq. bonarũ artium diſciplinis excultum, adſpirare vnquam potuit. Sunt enim reſecandæ libidines; coercenda cupiditatis immanitas; repellenda cuncta flagitia; totus denique animus a contagio corporis auocandus illi, qui Diuinas opes, in ſanctis litteris abditas, atque reconditas, velit inſpicere. Vt enim, qui multos annos tenebris incluſi iacuerunt, nullo modo poſſunt Solis aduerſi ſplendorem ſuſtinere; ita, qui terrenis opibus addicti ſunt, atque denſa flagitiorum caligine circumfuſi, numquam Diuinæ diſciplinæ lucem intueri poterunt; immo, quo acrius voluerint mentis aciem in tam inſolita claritate defigere, eo miſerabilius adſpectum mentis ipſius amittent. Eſt igitur neceſſe omnibus, qui cupiunt in ſacratum litterarum ſtudio proficere, Diuinaq. luce frui; vt e vitiorum tenebris emergant, & ſeſe, quoad fieri poterit, e flagitioſa conſuetudine corporis abducant; vt ita liberi, atque ſoluti valeant in cæleſtem ſplendorẽ aciem mentis intendere, & arcana cæleſtia contemplari. Quod quoniam humanis viribus fieri nequit, (artius enim vinculũ eſt, quo eſt animus adſtrictus corpori, quam vt ex eo noſtris opibus laxari aliqua ex partẽ queamus) eſt in primis nobis Chriſti Opt. Max. numen pijs votis, & precibus implorandum; vt mentes noſtras a corporis conſuetudine diuellat; & ex omnium vitiorũ laqueis exſutas, ſuæ ſapiẽtiæ compotes tãdem efficiat. Vtrumque igitur opus eſt ijs, qui ſtudium ſuum ad ſacras litteras adiungunt, vt & litteris eruditi ſint, & Chriſti numen propitium habeant. Sic enim eſt apud Iſaiam: *Et erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati, quem cum dederint ſciẽti litteris, diceat: Lege iſtum; & reſpõdebit, Non poſſum: ſignatus eſt enim & dabitur liber neſcienti litteras, diceturq. ei, Lege, & reſpondebit, Neſcio litteras.* Ex quo quidem loco planiſsime liquet; nec ſine litteris, nec ſine pietatis ſtudio, aditum patere ad ſanctarum litterarum intelligentiam. Quamuis tamẽ vtrumque neceſſarium ſit; magnum eſt inter vtrumque diſcrimen. Vt enim aliquis, ſine varia litterarum diſciplina, ſingulari quodam Diuini ſpiritus afflatu, ſcripturæ Diuinæ intelligentiam conſequatur; vt illi fuere, quemadmodum eſt apud Lucam, quibus dedit Chriſtus mentem, vt intelligerent ſcripturas; id tamen accidere nulla ratione poteſt, vt, ſine ſpiritu Chriſti, quiſquam eas intelligat; quãuis ſit omnibus diſciplinis in primis eruditus. Niſi enim is, qui librum obſignauit, eundem aperiat; nemo illum vmquam explicare poterit, atque ſapienter euoluerẽ. Hæc cum ita ſint, imperite certe faciũt quidam homines minime mali, qui ſic in ſanctarum litterarum explicatione Iudæorum ſenſibus addicti ſunt, vt ab illorum ſententia, & auctoritate, diſcrepare non audeant. In quo quidẽ libenter ab illis quæſierim, quid eos impulerit, ad tantum honorem genti, & Deo, & cunctis mortalibus inuiſæ, deferendum. Num litterarum elegantia, & reconditæ cuiuſdam artis eruditio? At conſtat, Iudæos eſſe barbaros, & incultos, humanitatiſque totius expertes. Num pietatis, atque religionis ſtudium? At ſunt eo ſcelere adſtricti, quo nullum immanius, atque deteſtabilius excogitari poteſt. Quid igitur amentius, quam illorum diſciplinis excoli velle, qui ſunt agreſtes, & barbari; & ſapientiæ magiſtros adſciſcere, qui mentem gerunt infandis ſceleribus excæcatam? Ego ne gentem, omnium bonarum artium rudem, & ſumma quadã ſtultitia præditam, mihi magiſtram præclariſſimæ eruditionis adhibeam? illiuſque ineptias, atque fabulas, cum incredibili inſulſitate confictas, approbem? &, qui Chriſti ſacris ſanctiſſimis initiatus ſum, hoſtes Chriſti perditiſſimos mihi audiendos exiſtimem? Rectè, inquiunt, vbi de Chriſto nulla mentio fit. Quaſi vero, non eodẽ furore, atque cæcitate; qua Chriſti numen oppugnant, quamplurimis in locis abutantur; aut parum conſtet, id eos agere, atque moliri, vt ab eo loco, in quo myſterium aliquod ſanctius verborũ inuolucris, quaſi velis, obtenditur, imperitos abducant; atq. perſuadeant, nullam ibi fieri Chriſti mentionẽ. Nec tamen nego illos cõmode interdum loqui. Tanta enim eſt vis veritatis, vt illius hoſtes ei ſæpe teſtimonium inuiti dare com-

re com-

re compellantur. Sed, vt plurimum, ſi Iudæorum commentaria peruolutes, nihil aliud offendes, quam meras ineptias, quam fabulas commenticias, quam intoleranda flagitia; quam nefariam, & impiā ſceleris immaniſſimi diſciplinam: & tamen audent homines impudentiſſimi ſe venditare, ſcripturæq. Diuinæ ſcientiam profiteri: quam dum a veriſſimo ſenſu detorquere conantur, multo planius eorum amentia ipſius ſcripturæ teſtimonio redarguta conuincitur. Quod cum in alijs auctoribus explicandis, tum vel maxime in commentarijs, quos in Iſaiam edidere, perſpicitur. In quo quidē, viro ſanctiſſimo labem adſpergunt, ſi labes Diuinæ virtuti adſpergi poteſt, cum eum exponēdum ſuſcipiunt. Sed, quo modo tandem id aſſequuntur? Num poſſunt eloquentiam illius admirari, & ornameota, quibus Diuini hominis oratio illumioata eſt, ratione perſpicere, qui ſunt infantiſſimi? Num ſacroſancta Chriſti myſteria, virtutumque omnium maximarum præcepta mente complecti, qui ſunt in Deū ſceleſtiſſimi; Sed, quorſum iſta? inquies. Primum quidem; vt eos admoneam, qui ſe ſanctarum litterarum ſtudio cōſecrant, ne oimium Iudæorum commentis adhæreſcant. Deinde; vt ijs reſpondeam, qui quibuſdam in locis, fortaſſe volent ad futilem, & inanem Iudæorum diſciplinam, fallaciſſimumq. iudicium, quaſi ad quandam trutinam, hæc ſcripta mea perpendere. Hoc enim ſuſcepi, vt Iſaiam eo genere orationis, quod Græci παράφρασιν appellant, cum videlicet eadem ſententia verbis alijs exprimitur, explaoarem. In quo quidem munere profiteor me ab eorum ſenſibus ſæpenumero valde refugiſſe. Admodum enim pauca in eorum commentarijs reperi, propter quæ mihi legeodi videātur. Sed vereor, ne, dū paucos reprehēſores repellere conor, io multo plures incidā: quorum alij me vituperabunt, quod arrogantiæ crimen mioime pertimeſcam; alij, quod longior fortaſſe ſim, quam inſtituta ratio poſtulabat. Inquient enim quidam: Ergo tu tibi omnes illas artes arrogas, quibus inſtructos eſſe debere confirmas omnes, qui Prophetas attingunt? Aliter enim nūquam rem tantam ſuſcipere auſus eſſes. Equidem nihil a me magis alienum puto, quam temeritatem, & inſolentiam. Video enim, quā longe abſim ab illarū diſciplinarū perfectione, quas ſemꝑ admiratus ſum: Attamen, cum a me non ſit mediocriter elaboratum, vt eas aſſequerer; multumq. operæ, & ſtudij in ſanctarum litterarum cōmentatione conſumpſerim; veoia certe dignus ſum, cum, optimo animo, & ſtudio communis vtilitatis incenſo, non tam perficiendi fiducia, quam experiendi, quid in eo genere poſsim, cupiditate, hoc opus aggreſſus ſum; maxime cum non tam ingenio, & litteris, quam Chriſti gratia, & benignitate, mihi oitendum exiſtimē. Qui vero breuitatem a me requirunt, cogitare debent, hoc orationis genus eſſe lege illa ſolutum, qua ij, qui interpretis tantū munere fungūtur, adſtricti ſunt; ita, vt liceat vagari libere, & rationes annectere; & alia multa, explicandi, & ornandi cauſſa, frequenter adiungere; quæ tamen non ſiot ab illius ſcriptoris mente, quem illuſtrandum ſuſcipis, aliena. Quod cum in alijs iure cooceſſum ſit; tū in Iſaiæ ſenſibus explicandis eſt valde neceſſarium. Multa namq. breuiter, & circūſcripte dicit; multa conſulto, ne peruulgentur, obſcurat; multa denique Chriſti myſteria, ad legis, & antiquitatis imagines reſpiciens, ſtrictim attingit; quæ ſunt omnino vberius explananda. Sunt præterea apud illum frequentes oumerorum, & temporū, & perſonarum mutationes; habet multas, nimis abditas, & obſcuras, ſententias; vtitur crebris tranſlationibus, & allegorijs; dialogos, ſioe vlla perſonarum deſignatione, mirificos interponit; multa ſubito tranſilit; vt ea, quæ ſunt valde diſiuncta tēporibus, oratione perſequatur; & alia quā plurima molitur, & efficit, quæ quidem, iſta breuitate, quam delicati homines requirunt, explicari oullo modo poſſunt. Sed nolo in repellendis vituperatoribus meis diutius immorari, ne in illud idem vitium delabi videar, cuius ſuſpicionem vitare ſtudeo. Sed, antequam ad ſuſceptum munus aggrediar, admonendi mihi videntur omnes, qui præclaris artibus dediti ſunt; vt huius ſanctiſsimi viri non modo Diuinas virtutes, ſed etiam amplitudinem orationis, admirētur. Nam, vt omittam ſermonis puritatem, & elegantiam, aptiſsimamq. verborum cōſtructionem vinctam numeris, & ſingulari concinnitate multis in locis egregie perpolitam, genus orationis ſequitur vehemēs, incenſum, & incitatum, tantisq. dicendi virtutibus exaggeratum, vt nihil neque ve

hementius, nec grandius, & magnificētius, animo cogitari poſſit. Sed tunc vel maxime illius exſultat oratio, cum de Chriſto loquitur; &, maximo quodam gaudio elatus, orbi terrarum, de ſalute, illius meritis, atque ſanctitate parta, gratulatur. In illum enim, tamquam in vltimum finem ſui operis, intuetur; illius numen ſanctiſſime veneratur; illius laudes luculenter exornat; illius ſtudio, & amore totus incēditur. Quin etiam, cum de rebus ſui temporis ſcribit, ex medio curſu orationis identidem ſe ad Chriſtnm reuocat; vt vel illius numen imploret, vel omnia, quæ proſtrata fuerant, illius beneficio reficienda demonſtret; vel vt regnū illius florentiſsimum laudibus in cælum extollat. In multis autem locis, cum de Chriſto, aut de illius Eccleſia differit, non ramquam vates futura prenuntiat; ſed, tamquā rerum geſtarum prudens explicator, de futuris rebus, perinde atque de præteritis, hiſtoriam ſcribit. Sic igitur in tota oratione præſentibus futura copulat, & cum acerbis iucunda coniungit; & horribilibus, atque valde metnendis rebus ſpem ſempiternæ felicitatis admiſcet, vt nihil dici poſſit, vel ad animos erigendos vehementius, vel ad mala præcauenda prouidentius, vel ad piorum hominum mentes ingenti gaudio cumulandas efficacius. Hoc autem opus, Princeps Ampliſſime, volui vt in lucem ſub nomine tno prodiret; partim, vt animum meum in ſtudium tui nominis Inciratum, inſigni aliqua meæ volunratis teſtificatione demonſtrarem; partim, vt me, virtutis, & auctoritatis tuæ præſidio, conrra omniū improborum calumnias, atque tela munirem. Accidit, quod nihil magis aptum, & conſentaneum meis cogitarionibus arbitrabar, quam vr opus, quod Diuini hominis ſententias litreris Latinis explanandas ſuſcepi, tibi dicarem, quem Diuinis virtutibus excultum eſſe ſentiebam. Neque enim Regij generis ſplendor, neque ſummæ dignitaris amplitudo, neque honoris, & imperij faſtigium animos tibi extulit, atque a ſtudio modeſtiæ, & moderationis abduxit: immo, ſic cum modeſtiæ commoditate reliquarum omnium virtutū officia coniunxiſti, vt nullum hoc tempore clarius Regiæ probitatis ſpecimen habeamus. Nam, vt laudes integritatis, & continentiæ, quibus tu mirabiliter excellis, oratione non perſequar; vt lenitatis & māſuetudinis ſuauiratem, qua tuorum animos tibi arctiſſime deuincis, omittam; quāram operam, & ſtudium, in reſecandis flagitijs, & in conſtituēda religione, conſumas, explicare non poſſum. Illa vero benignitas tua, quanra eſt? Nec enim ſolum viduarum, & pupillorum orbitatem, opibus tuis ſubleuandam curas; & omnibus miſeris, & afflictis clementiæ tuæ lumen porrigis; ſed eriam, quod multo eſt ad laudē præſtantius, diligentia rua perfeciſti, vt multi, e flagitiorū tenebris emerſi, honeſtatis lucem reſpicerent; totosq. ſe ad ſtudium religionis, atque pietatis, applicarent. Nec ſolum, dum manes in vita, beneficus eſſe voluiſti; verum etiam in mulra ſæcula prouidiſti, vt veris opibus animi bonam Luſitaniæ partem locupletares. Gymnaſium enim maximis ſumptibus ædificaſti, in quo iuuentus non modo artium maximarū diſciplinis inſtitui, verū etiā omniū virtutum ornamentis excoli poſſet; atque tandem ſtudio, & cupidirare viræ cæleſtis inflammari. Quid dicam de labore immenſo, quem, poſt obitum fratris tui, Regis omnibus rebus ornatiſsimi, in huius Regni procuratione perfers, atque toleras? Omnis igitur Luſitania te intuetur; a te opē ef flagitat; in tua virtute conquieſcit; ſeq. contra improborum hominum iniurias, ius ſuū retenturam eſſe, confidit. Quare non dubito, quin, pro ranris in patriam meritis, ampliſſimum illud immorralis gloriæ præmiū conſequare: quod eſt oprimis rectoribus, qui plurimum operæ, & ſtudij in communē vtilitatem contulerint, in cælo conſtitutū. Sed de tuis laudibus plura modo nō dicā. Illud autem a te, pro tna ſingulari humanitate, petere minime verebor, vt aliquod tēpus, e tuis ſummis occupationibus ereptū, in huius ſanctiſſimi viri mente penitus cognoſcēda ponendū exiſtimes. Nam, præter alios fructus, qui ex illo percipi poſſunt, ad incrementum totius virrutis, atque pietatis; intelliges plane, omnem Reip. gerendæ ſcientiam, illius litteris, atque diſciplina, contineri. In eo enim videmns, quibus artibus imperia parta, & amplificata ſint; quibus rurſus peccatis, atque flagitijs, prolapſa, & bonis omnibus funditus euerſa corruerint.

HIERO-

# HIERONYMI OSORII LVSITANI PARAPHRASIS IN ISAIAM

## LIBER PRIMVS.

CAP. I.

1 ISAIAS, 1. filius A-
mos, floruit Ieroſo-
lymis, regnante Ho-
zia,& Ioatham, & A-
chaz, & Ezechia, qui
deinceps Iudæorum
imperiũ tenuerunt.
Cum autem eſſet Di-
uina mente prȩditus,
multa in poſterum euentura prouidit, partim
triſtia, funeſta, & luctuoſa; partim iucunda,
læta, atque ſalutaria. quæ omnia litteris
conſignauit, ad memoriam hominum ſem-
piternam. Sed, quia timor Dei, eſt totius pie-
tatis, veriſsimæq. ſapientiæ fundamentum; nec
fieri poteſt, vt quiſquam animis recte pietatis
ſemina committat, niſi prius, minis Diuini iu-
dicij propoſitis, omnia cupiditatis flagitia ra-
dicitus euȩllat; commodum illi fuit, vt opus
hoc a propoſitis minis inchoaret; maxime, cũ
eſſet in Iudæorum, atque Iſraelis vniuerſi ſcele
ra admodum vehemẽter inflammatus. Et, quia
diuturna peccandi conſuetudo eorum animis
callum impietatis obduxerat, & ſenſus cupidi-
tati penitus addictos immanitate quadam ſtu-
poris oppreſſerat, ita, vt ad tam ſalutarem ora-
tionem aures illorum minime paterent; cælũ,
atque terram inuocat; vniuerſamq. naturam,
quæ numquam a Domini imperio diſceſsit, ob
teſtatur, vt contra illos teſtimonium proferat,
qui ſcelere immaniſsimo ſummi Domini impe
rium, qui ad eorum vtilitatem naturam condi-
dit, legiſq. ſanctiſsimæ diſciplinam ſanxit, con-
tumaciter, & obſtinate repudiant. Vt autem
homines in maiorem admirationem traducat,
& orationis amplitudine vehementius exter-
reat, ipſum Deum loquentem inducit, & acer-
rime cum populo ſuo commiſſum facinus ex-
poſtulantem. 2. Audi, inquit, cælum, audi
terra, & omnia, quæ complexu, & gremio ve-
ſtro continentur, hanc orationem auribus, &
attentiſsima conſideratione percipiant. Non
enim hominis oratio eſt; ſed illius Domini,
qui cæleſtem naturam nutu conuertit, qui ter-
ræ fundamenta tremefacit; cuius vocem, & im
perium, montes, & ſaxa, atque rupes accipiũt.
Ex omnibus terrarum cultoribus, eos, qui Iſ-
raelis ſemine propagati ſunt, elegi, quos mihi
filios adoptarem, & ampliſsimis muneribus, at-
que donis afficerem. Illos enim ȩ duriſsima ſer
uitute liberaui; illos ſanctiſsimis legibus, & in
ſtitutis informaui; illos ampliſsimis honoribus
honeſtaui, ad ſummamque dignitatem perdu-
xi; ipſi vero, per ſummam ſceleris improbita-
tem, a me deſciuerunt. 3. Sic autem ſenſibus
orbati ſunt, vt neque ſint quidem cum brutis
animantibus comparandi. Nam, & boues ſuum
Dominum agnoſcunt, impoſitumq. ab illo iu-
gum ſponte ſubeunt. Aſini vero, dum præſepia
Domini frequentant, plane ſentiunt ſe Domini
ſui prouidentia ſuſtẽtari. At populus hic meus,
quem ego, vt inter omnes nationes ſapientia
præcelleret, cæleſtibus diſciplinis inſtruxi, cui
etiam Iſraelis nomen, quod virtutis Diuinæ
vim aperte deſignat, indidi; imperium nefarie
detrectauit, & beneficiorum meorum memo-
riam prorſus abiecit. 4. O gentem ſceleratam, 4
& impiam: o populum pondere iniquitatis op-
preſſum: o ſtirpem maleficam, & iniuſtam: o ſo
bolem peſtiferam, atque pernicioſam. Summi
Domini imperium repudiauerunt, optimum
parentem, firmiſsimumq. Iſraelis præſidium in
ſe concitauerunt, illiuſq. ſanctiſsimũ numẽ prȩ
ſuis flagitijs, & effrenata libidine contẽpſerũt.
5. &, quod eſt omniũ malorũ grauiſsimum, cum
mortiferis morbis oppreſsi ſint, nõ modo medi
cinam omnem aſpernantur, & reſpuũt; verum
etiam curatione ipſa malum eorum quotidie
magis ingraueſcit. Mea namq. benignitate ad
ſuam perniciem abutuntur. Cum enim benefi-
cijs ad officium allici nequiuiſſent, dedi operã,
vt eos plagis a flagitio deterrerem. At ipſi non
modo plagis deterriti non ſunt; verum etiã ad
priſtinum ſcelus magnum impietatis cumulũ

2. Audite cęli.

3. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum.

5. Super quo percutiam vos vltra.

addiderunt. Quouſque tandem meritis adeo
in prauitate ſceleris obfirmati, vt, plagis etiam
contuſi, atque debilitati, ſceleribus veſtris in-
credibilem acceſsionem in dies ſingulos affera
tis? Ita ne obſtinate pugnabit cum mea beni-
gnitate immanitas, atque pertinacia veſtra;
vt, quo magis vos pœnis a furore reuocare cō-
tendo, eo grauioribus vos criminibus allige-
tis? Iam non eſt in toto Reip. corpore vlla pars
Omne caput languidum. à calamitate incolumis. Principes omni digni
tate ſpoliati iacent; homines conſilio præſtan-
tes tantorum malorum cogitatione mærent,
& anguntur; vniuerſa multitudo vulneribus
6. A planta pedis. ſauciata, & conciſa, procumbit. 6. Ab infima
igitur plebe, vſque ad Rectores, & Principes,
nihil eſt in tota ciuitate ſanum, nihil integrū,
nihil non perculſum, & abiectum. Omne ſiqui-
dem Reip. corpus eſt vulneribus deformatum,
& plagis contuſum, multaque ſanie, atque tabe
purulentum. Nec eſt interim, qui ſaniem abſ-
tergat, qui vulnus obliget, qui ſalutare medi-
camentum adhibeat. Cum enim nec in viam
redire, neque monitoribus aures dare velint,
numenque meum, in quo tota eorum ſalus con
ſiſtit, a ſe abalienent; fit, vt non modo eos deſe-
ram, ſed etiam, vt quamplurimas nationes in
illos incitem; ita, vt nequeant ſibi in tantis ma-
lis, vllam opem, aut Diuinam, aut humanam,
polliceri. 7. Agri veſtri deuaſtati ſunt; veſtræ
7. Terra veſtra deſerta. ciuitates exuſtæ; hoſtes in oculis veſtris præ-
dia veſtra diripiunt, bonisque veſtris impune
fruuntur; tantaq. vaſtitas regioni iſti illata eſt,
vt cum ea vaſtitate, & exitio conferenda ſit,
qua regiones olim infideliſsimæ exſtinctæ pror
8. ſus, atque deletæ ſunt. 8. Relinquetur enim Ie-
roſolyma, quaſi tabernaculum in vinea poſt fa-
ctam vindemiam a cuſtode neglectum; & quaſi
tugurium in agro poſt cucumerum collectionē
derelictum; & tamquam ciuitas diuturna ob-
ſidione vexata, & exinanita; in cuius cuſtodia,
tamquam in vaſtæ ſolitudinis præſidio, nemo
ſapiens exiſtimat ſibi diutius eſſe manendum.
9. Niſi Dominus Sabaoth. 9. His quidem verbis Dominus duriſsimum
hominibus impijs exitium denuntiat: quod
quidem tantum erit, vt, niſi idem cælitum im-
perator, & dominus, paucos ex nobis fidei
munere conſeruatos patriæ ſuperſtites in ſe-
men relinquere ſtatuiſſet, non minus dirum
exitium, quam habuit Sodoma, atque Gomor-
rha, nomen noſtrum habuiſſet; ſimiliterq. fuiſ-
ſet vniuerſum noſtrum genus exſtinctum. Cum
enim vniuerſa propemodum ciuitas non mino
re ſcelere obligata ſit; par erat, vt eundem om-
10. Audite verbum Domini principes Sodomorum. nino caſum ſubiret. 10. Et tamen audetis, ho-
mines impuriſsimi, veſtrum genus extollere;
diſciplinamque legis oſtentare; cum a parente
Sanctiſsimo turpiſsime degeneretis, omniaq.
repagula Diuini iuris effringatis? Non illi qui-
dem parentes veſtri numerandi ſunt, a quibus
generati eſtis? ſed ad quorum vos exemplum,
atque morem effingitis. Nec legis illius intel-
ligentiam habetis, quam irritam facitis; ſed
ad quam omnia officia vitæ dirigitis. Adeſte
igitur animis vos, qui ciuitatis huius Princi-
pes haberi vultis; quos ego Sodomæ Princi-
pes appellandos exiſtimo; vosq. populares,
qui ciues Gomorrhæ, propter flagitiorum ſi-
militudinem, eſtis cenſendi, diligenter atten-
dite; & opinionem iſtam deponite, qua vobis
perſuadetis, omnes ſcelerum maculas ſacris
legis cærimonijs expiari. Adeo ne mentis ex-
pertes eſtis, vt in vmbris, & imaginibus, & in
adumbratæ religionis oſtentatione, iuſtitiæ
ſplendorem ſitum arbitremini? Et, cum legis
ipſius vim, atque ſententiam nefarie conuel-
latis, illi a vobis egregie ſatisfactum putatis,
cum in ſanctitatis imagine conſectanda mul-
tum operæ, & ſtudij conſumitis? Diſcite iam
tandem, diſcite, quæ ſit legis mens, & ſenten-
tia; ipſumque Dominum, qui legem tulit, eam
explicantem, & de ſenſu illius grauiſsime diſſe
rentem, audite. Sic enim vobiſcum agit. 11. 11. Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum.
Quem tandem fructum ex ſacrorum iſtorum
multitudine percipio, vt illorum cauſſa me vo
bis obligatum fore confidatis? Iam enim mihi
faſtidio ſunt; nec holocauſtum arietum, nec
adeps opimarum hoſtiarum, nec ſanguis vitu-
lorum, aut agnorum, aut hircorum, mihi iu-
cundus eſſe poteſt. Nec enim ſigna, ſed res,
quas inſtituta ſigna deſignant, efflagito; nec ſa-
crificia pecudū, ſed puri animi fidem, atque pie
tatem, requiro. 12. Quis enim vmquam a vo- 12.
bis meo nomine poſtulauit, vt pietatis ſummā,
in iſtis ſacris conſtitutam eſſe putaretis, illo-
rumq. fiducia, quaſi iam eſſet officium veſtrū
cumulate perfectum, animiq. veſtri omni reli-
gione ſoluti, intrepide coram me in atrio meo
veſtigia poneretis? 13. Ne deinceps ſine fru- 13.
ctu vllum mihi huiuſmodi munus offeratis. Suf
fimenta veſtra mihi vehementer inuiſa ſunt;
neque ſabbatum religionis gratia otio conſe-
cratum, neque conuentum, & celebritatem,
ferre poſſum; cum, maxime in iſta multitudine
religionis ſtudio congregata, emineat iniqui-
tatis ſcelerata conſenſio. 14. Kalendas veſtras, 14.
diesq. feſtos, ſtatis temporibus ſollemni ritu
cultos, odi. Plurimum enim mihi moleſtiæ, &
grauiſsimæ offenſionis attulerunt, eosque ſuſ-
tinere nequeo. 15. Nec precibus quidem ve- 15.
ſtris inflectar. Cum enim ad me manus inten-
deritis, auertam oculos meos a vobis; &,
quamuis aſsiduis precibus opem a me flagite-
tis, & in orandi ſtudio multi ſitis, non tamen
exaudiam. Manus enim veſtræ ſanguine imbu-
tæ ſunt, animique veſtri immanitate crudeli-
tatis efferati. 16. Si vultis igitur in gratiam 16 Lauamini, mundi eſtote.
meam reſtitui; animi puritatem, & hominum
caritatem ſummo ſtudio retinete. Nec enim
pecudum ſtrage, ſed interitu nequitiæ dele-
ctor; neque poteſt numen meum hoſtiarum
ſanguine, ſed clementia, & benignitate pla-
cari. Date igitur operam, vt omnes flagitio-
rum veſtrorum ſordes eluantur; partam de-
inde puritatem ſummo ſtudio, & ſolicitudine
conſer-

Digitized by Google

Auferte malum cogitationum veſtrarũ ab oculis meis.

conſeruate. Neque tam vobis corporis munditia curæ ſit,quam animi ſanctitas,& caſtimonia. Vt enim mihi placeatis, qui mentem perſcrutor,& omnes animi latebras, & intimos receſſus excutio, neque laboro, quali cultu corpus exornetur,ſed quali ornatu animus excolatur; omne vobis ſtudium eſt in animi decore,& elegantia,conſumendum. Prouidete igitur,ne poſthac quidquam inquinatum, atque ſordidum,in ſtudijs veſtris adſpiciam.Illa vero ſanctiſsima piacula reputate, quæ Diuini iuris cultu,& hominum caritate,& beneuolentia conti
17. nentur. 17. Itaque benigne faciendi diſciplinã
colite;iudiciorum æquitatem conſeruate; iniuria oppreſſum ſubleuate; pupillis opem affer-
18. te; viduarum cauſſam ſuſcipite. 18. Tum de-
mum,ſi hæc omnia officia præſtiteritis; & ego vobis auxilium in rebus afflictis non attulero; non recuſabo,quo minus me, quod officio meo defuerim,in crimen vocetis. Profecto, ſi vos in hæc ſtudia contuleritis, ipſe ſemper vobis adero.Erit enim id ſublatum penitus, quod noſtrã coniunctionem dirimit; nempe ſcelus, atque flagitium. Quamuis enim ſitis, quaſi coccineo colore,ſumma improbitate ſceleris imbuti,niueum candorem recipietis; &, ſi fueritis,quaſi oſtro,& murice,ſumma atrocitate immanitatis infecti, ad candidiſsimæ lanæ puritatem re-
19. dibitis. 19.Si mihi dicto audientes eſſe volueri-
tis,vitam,ſecuri, in omnium bonorum affluen-
20. tia traducetis. 20. Sin autem in me rebelles ex-
ſtiteritis,duriſsimum vos bellum cõficiet.Hæc enim non homo,qui in ſumma imbecillitate,& inconſtantia verſatur; ſed præpotẽs ipſe Deus, cuius eſt fixum,& immutabile decretum,vobis
21. futura prænunciat. 21. O variam,& inſtabilem
rerum humanarum condicionem; & lubricum naturæ ſtatum, inſita turpitudine, & flagitio præcipitantem,& in peſtem cæco impetu ruentem;quam breui omnia commutata ſunt?Ciuitas illa,quę quondam fuit fidei religione,& pietatis egregio cultu ſanctiſsima, nunc, tamquã meretrix impudentiſsima,omni nefanda libidine ſe contaminauit, & exterarum nationum religionibus per ſummum ſcelus implicuit; quæ domicilium iuſtitiæ, & æquitatis exſtiterat; nunc, ab homicidis culta, multo innocentium
22. ſanguine redundat. 22.Argentum tuũ eſt adul-
teratum;vinum tuum eſt aqua multa dilutum. Nihil eſt in te purum, nihil ſincerũ,& ſimplex; nihil non fallax, & ſubdolum, omnibusq. flagitiorum ſordibus inquinatum. Diſciplina namque tua deprauata eſt; mores corrupti; iudicia conſtuprata;omnia denique labuntur, & in per
23. niciem totius ciuitatis incumbunt. 23.Princi-
pes fidem, & officium produnt, & cum furibus ſceleris ſocietatem ineunt.Nec enim in iudicãdo ius,& fas,ſed munera,atque dona reſpiciũt; & iniuriæ conflatæ præmium, & emolumentũ, ſequuntur.A pupillis,contra fas,cauſſas omnes abiudicant; viduas, eorum fidem implorantes, non audiunt; officia vitæ pecuniæ cupiditate
metiuntur.24. Icciirco ſummus cælitum impe-
rator, cuius eſt immenſa poteſtas,his verbis in ciuitatem inuehitur: Heu gentem impiam, & exſecrandam,quas mihi tandem pœnas exſolnes? offenſionem enim,quam mihi hoſtes attu-
lerunt, vindicta leniam: 25. Ita tamen iraſcar, 25.
vt maximas clementiæ partes in ipſa vltione ſuſcipiam.Te namque diræ calamitatis incendio ita cõflabo, vt nihil in te, niſi purum, & ab omni flagitiorum contagione, quaſi a ſcoria, purgatum remaneat.Omnes enim,quorum inſanabiles morbi ſunt,ipſa clade conficiam;reliquos autem plagis erudiam, omnesq. flagitiorum maculas, quibus inuſti fuerant, abſtergã.
26.Tum demum,poſtquam ad hunc modum ca 26.
lamitatibus expurgata fueris, iudicia tibi reſtituam;& iudices præficiam,qui priſcorum iudicum ſeueritatem, & antiquos mores, imitentur; ſenatus etiam grauitate,vt olim,atque auctoritate,fulcieris.Tunc igitur appellaberis Ciuitas iuſta, & vrbs fide conſtabilita. 27. Vt autem ciues propter ius Diuinum violatũ libertate ſpoliati,boniſq. omnibus euerſi, & in exſilium pulſi ſunt; ita, poſtquam ad iuſtitiæ cultũ toto animo conuerſi fuerint,& ad officium redierint,& libertatem & amiſſas opes, & patriã denique,cum amplificata dignitate,recupera-
bunt. 28. Qui vero in impietate perſeuraue- 28.
rint, malis fracti, funditus interibunt. 29. Pu- 29.
debit tunc illos amentiæ; extremaq. ignominia deformabuntur;cum animaduerterint,habuiſſe ſe in mendacio,& inaneitate,hoc eſt religionis impuriſsimæ cultu,vitæ præſidia conſtituta. Nullam enim vobis, homines perditiſsimi,opem afferent ſimulacra, ad quorum cupiditatem incredibiliter exarſiſtis; nec horti illi nefarie conſecrati, quos vobis ipſi delegiſtis. Vt enim,qui verum Deum rite colunt,ſimilitudinem illius arripiunt; ita, qui ſimulacra venerantur,amentia,& ſtupore ſimillimi ſimulacris
euadunt: 30. Vos igitur,qui arbores, quaſi ali- 30.
quid Diuinũ in illis lateret, ſupplieiter, atque demiſſe, coluiſtis; qui hortos, falſis nominibus dedicatos,in honore habuiſtis;eritis ſicut quercus omni fronde ſpoliatæ; & ſicut horti extre-
ma ſiccitate conſumpti. 31. Illaq. veſtra numi- 31.
na, atque ſimulacra, quorum præſidio nitebamini, erunt inſtar ſtupæ; ſtudiumq. veſtrum in eorum cultu poſitum ſcintillas excitabit; e quibus flammæ, quæ vos abſumant, exſiſtent. Sic igitur,& ſimulacra, & eorum cultores, cum illius impuriſsimæ religionis vanitate,ſubito incendio conflagrabunt.

24. Heu ego conſolabor.

27. Si in iudicio redimetur.

CAP. II.

Hæc quidem contra impios habita oratio,magnam vim habebat ad impios exterrendos: ea vero, quæ ſequitur, multo maiorem, ad piorum animos inſigni gaudio cumulandos. Sic enim ait: 1.Maximũ quidem myſterium ad piorum hominum ſalutem explicandam pertinens, Iſaiæ filio Amos diui-
nitus enunciatum fuit. 2. Extremo enim tem-
pore,

2. Erit in nouiſſimis diebus.

pore,quo legis occaſus appropinquauerit,cum videlicet ſacrorum religio,cærimoniæ, ſacrificia,rerumq. Diuinarum imagines, interuentu veritatis ipſius, euanuerint; erit mons ille editus, & excelſus, in quo ſempiternum Dei templum, non operis hominum, ſed Dei manibus ædificandum eſt; omnibus montibus religione aliqua conſecratis longe anteponendus. Cum igitur Dominus in illo templo ſanctiſsimo ſtabilem ſibi ſedem, atque ſempiternum domicilium collocauerit;non erit illius notitia anguſtis Iudæę finibus circumſcripta; ſed in omnes orbis terrarum partes ſeſe Diuinæ lucis ſplendor effundet. Confluent ad eum omnes gentes: 3. Et populi innumerabiles vndique ſumma animorum alacritate concurrent; & mutuis cohortationibus ſeipſos ad ardentiſsimum ſtudium pietatis excitabunt; atque dicent: Agite;conſcendamus omnes in montem Domini; tẽplumq. ſummi Dei, in cuius tutela eſt Iacob, ſanctiſsime veneremur. Non enim nos terrebit tonitruis;non fulgure,non horrifico tubæ clangore,non terræmotu,atque fremitu, nõ deniq. totius montis incendio,nos exanimabit;aut,ne in montis faſtigium ſubeamus,interdicet;quin ipſe nos ad ſe inuitat,& allicit, manumq. porrigit, ſeq. nobis iuſtitiæ diſciplinam traditurum profitetur. Ad illum igitur inflammatis animis adſpiremus, vt ipſe nos cæleſtibus diſciplinis erudiat; viamq. monſtret,qua ad immortalem gloriam peruenire queamus. Nõ enim ſine fructu nos ad ſtudium illius adiungemus. Nec enim ſolum mentes noſtras nouo,& inſolito ſplẽdore ſapientiæ cæleſtis illuſtrabit;verum etiam animos noſtros inuicto præſidio confirmabit: quo facillime viam illius ineamus,& pręceptis ipſius obtemperemus. Nec enim tunc noſtra in nobis cupiditas,ſed illius gratia, regnũ poſſidebit. His quidem verbis gentes ſe mutuo cohortabuntur. Lex enim illa vitalis,atque ſalutaris,cuius ſtudio gentes alliciendæ,& incitandę ſunt, non eſt ea, quæ quondam in Sinai monte promulgata, lapideisq. tabulis inciſa fuit; ſed illa, quæ in Sione, cæleſtiq. Ieroſolyma ſpiritu Chriſti ſancietur. Hæc enim,qua nunc adſtricti ſumus,acerbo dominatu premit; illa, libertatẽ conſtituet: hæc,mortis formidine perterret; illa,immortalitatem donabit: hæc, imagines, & vmbras continet;illa,ſolidam,& expreſſam rerum Diuinarum ſpeciem,in oculis, & adſpectu proponet: hæc,tabulis inſculpta eſt;illa,animis inſcribetur: hæc poſtremo,terrorem incutit; illa vero, mentes clariſsima luce perfundet, & eximia voluptate complebit. Vt igitur hæc gentes externas alienat; ita illa, gentes ad ſe colendam acriter inflammabit. 4. Sic igitur Dominus quam plurimas nationes ſub imperium, ditionemque ſuam ſubiunget, ſpirituque ſuo populis innumerabilibus iura deſcribet, lumenq. præferet: quo humanos animos, flagitijs antea coopertos, erroris, & amentiæ coarguat,& criminibus infinitis euincat: ita,vt

Et ambulabunt in ſemitis eius.

Quia de Sion exibit lex.

4. Et iudicabit gẽtes,& arguet populos multos.

quilibet a ſe commiſſa flagitia deteſtetur,& ad iuſtitiæ ſtudium inflammato animo rapiatur. Erit enim ſubito admirabilis quædam animorum conuerſio; tantaq. morum, ac vitæ commutatio, vt in ea facile cerni poſsit, Diuinæ gratiæ,atque benignitatis amplitudo. Nã, qui fuerant olim in genus humanum teterrimi, dum libido,& auaritia,& reliquæ peſtes animorum eos exagitabant; qui bella peſtifera comparabant, & omnes animi conatus in hominũ perniciem conferebant; vbi primum eis Chriſti lumen afulſerit, Diuiniq. ſpiritus appulſu fuerit in illis regnum cupiditatis exſtinctum, ita commutabuntur animis, vt omnia ſtudia vitæ conferenda putent in communis vtilitatis ſtudium; in eoq. elaborabunt, vt humanam ſocietatem ſanctiſsime colant; ſempiternoq. fœdere pacem tueantur; &,artibus pernicioſis abiectis, illis ſe dent, quibus reliquos mortales alant,& eſſe poſsint in vniuerſum genus humanum ſalutares,atque benefici. 5. Sed quid nam id, quæſo, eſt, quod tantum languorem, atque deſidiam hominibus noſtris attulit? proſpicio namque futurum, vt nationes innumerabiles, apud quas ne fando quidem auditum fuerat humanum genus eſſe Chriſti numine liberãdum, vbi primum ad eas illius fama peruaſerit, nullis terrenis opibus impediantur,quo minus ſtatim alacres,& expeditæ ſeſe ad illum conferãt; ſolaq. Iacobi, ſanctiſsimi viri,progenies,in Diuina lege nutrita, myſterijs Chriſtum adumbrantibus initiata, ad ſpem tanti beneficij Diuinis promiſsis erecta,adeo torpore,deſidiaq. langueſcat,vt nec Diuinis inſtitutis, nec domeſticis exemplis, nec exterarum quidem gentiũ æmulatione prouocetur,ad tam claram lucem gratis animis accipiendam? Quid agitis, o ciues mei?cur ſalutem veſtrã proditis? cur oblatam lucem repellitis? vos oro, & obteſtor, ne, vmbris infecti,veritatem reſpuatis. Concedat vmbra corpori;caligo luci;imago veritati. Expergiſcamur tandem aliquando,vt luce Domini perfruamur, vitamq. noſtram Diuini ſpiritus lumine moderemur. 6. Sed fruſtra ſtudium meum in gente mea exhortanda conſumo. Iam pridem enim ad diſciplinam legis obduruit. Nec enim ſolum eo tempore facinus infandum in ſe concipiet,cum tantum beneficium ingratis animis aſpernabitur;ſed iampridem eſt,propter perfidiæ illius ſimilitudinem, a Diuina tutela, & patrocinio derelicta. Deſeruiſti enim, Domine, & abieciſti populum tuum, Iacobi famuli ſtirpe propagatum. Vniuerſi namque Hebræi iampridem a te nefarie, & impie deſciuerunt. Legis namque tuæ ſtudio derelicto,maleficarum ſibi artium præſidia comparauerunt. Magicarum enim artium ſtudio, ſiderumq. ad euentus rerum humanarum prædicendos animaduerſione, iam Aſſyrios, & Chaldæos, ſuperant;nec minorem operam,quam Palæſtini, augurijs dant;totoque pectore exterarum nationum puerilibus diſciplinis, atque deliramen-

5. Domus Iacob venite,& ambulemus in lumine Domini.

6. Proieciſti enim populum tuũ.

tis,

tis,incumbunt. 7. Et,cum iam fides eorum con
ciderit,nec Dei clementia, & benignitate nitã
tur, magna ſollicitudine alia ſibi vitæ ſubſidia
comparant; ita tamen,vt in nullo eorum peni-
Repleta eſt terra argento. tus acquieſcãt. Itaq. auaritia immani ſunt,ma
gnãq. vim auri, & argenti coaceruant;non ta-
men vllis opibus eorum infinita pecuniæ cupi-
ditas expleri, & ſatiari poteſt: Ingentem ſibi
ad belli pericula depellenda equitatum parãt;
nec vllum compingendis curribus finem ſta-
8 tuunt. 8 Religione etiam vitam muniendam
exiſtimant; &, cum veram impie ſuſtulerint,
falſam admodum furenter adſciſcunt.Omnem
igitur pietatis cultum ad fictos, commenti-
ciosq. Deos trãſtulerunt; totamq. terram, mu
nere, atque beneficio Diuino tributam, ſimu-
lacris impie, ac nefarie dedicatis, compleue-
runt; multaq. ſigna,quæ ipſi manibus ſuis effe-
cerunt, digitisq. ſuis expolierunt, humiliter,
9 atque demiſſe venerati ſunt. 9 Sceleſtum, &
immane facinus;dirum ſcelus,& exſecrandum;
effrenata, & præceps amentia. Hominem, men
te, & ratione præditum, ad imperium, & glo-
riam natum, Diuinæq. formæ ſpeciem, Regiæ
virtutis indole, referentem, adeo eſſe ſuæ di-
gnitatis oblitum, vt ſe coram ſimulacris abii-
ciat? Et excellens viri præſtantia mutas ima-
Ne ergo dimittas eis. gines deprecetur? &, qui ſummi Dei opem im-
plorare neglexit, ſignis ſupplex ſit, illisq. litan
dum exiſtimet? Vindica,Domine, tantum ſce-
lus; exerce ſumma cum ſeueritate iudicium;
ne tam immane facinus diu inultum patiaris.
10 10 Dabunt quidem homines amentes, & per-
diti, pœnas ſceleris deteſtandi. Dira enim cala
mitas impendet vniuerſis; & funeſtum immi-
net communibus rebus exitium. Quid facies
tandem, homo? quibus opibus vitam tuebere?
cuius auxilio Dei manus effugies? Abde te in
concauam exciſæ rupis altitudinem: perfice,ſi
potes, vt Domini metu in terram deprimaris;
ne illius irati vultum ſubeas,dum impiorum e-
uerſione gloriam ſuam inſignem reddiderit.
11 Oculi ſublimes hominum. 11 Omnis tunc inanis hominum elatio, & inſo
lens oſtentatio deprimetur;& humani ſplendo
ris excellentia ſtrata iacebit; ſolumq. Domini
numen erit in omnium oculis clarum,& excel-
12 ſum, eximiaq. gloria cumulatum. 12 Acerri-
mum namq. iudicium ſummus cælitum impera
tor,illa die,contra omnes homines opibus ela-
tos, & inflatos ſeuere conſtituet; eorumq. ar-
rogantiam, & elationẽ de omni ſtatu deiiciet;
&, quidquid in opibus humanis excellere, & e-
minere videbitur,proſternet,atque diſsipabit.
13 13 Iudicium enim illud, quaſi quædam tempe-
ſtas; atque procella, altiſsimas cedros Libani
perſtringet; ſiluas, & denſa nemora peruertet;
14 14 ſumma montium cacumina, & colles nimis
15 editos,ingenti motu cõcutiet; 15 Turres excel
16 ſas, & mœnia turbine diruet; 16 ingentesq. na
ues, fluctibus obruet; omnesq. tandem opes,
ad immoderatum cultum, & luxum hominum
pertinentes, quorũ cupiditate flagrant pleriq.
mortales,exſcindet. Nihil enim erit in Iudæa,
nihil in Samaria, nihil in Syria, aut Phœnicia,
aut Cilicia, aut aliis circumquaq. regionibus;
tantis opibus munitum, aut tantis honoribus
amplificatũ, aut tantis ornamentis excultum,
quod non illius tempeſtatis turbo, atque pro-
cella deiiciat. 17 Erunt igitur tunc omnes prin 17 Et incuruabitur ſublimitas hominum.
cipum opes afflictæ; humanaq. arrogantia de
ſtatu ſuo concidet; ſolumq. numẽ Domini erit
in omnium oculis excelſum,inſigniq. gloria cu
mulatum; 18 ſimulacrorum autem cultus fundi 18
tus interibit. 19 homines autem, qui illa co- 19
lebant, ſcelerum conſcientia perterriti,& exa-
nimati, ſeſe in omnes latebras fruſtra conii-
cient. Tantus autem metus erit animis eorum
incuſſus, vt cupiant in rupium altiſsimas ſpe-
luncas includi,& immanibus terræ hiatibus oc
cultari; ne irati Domini vultum ſubeant, dum
ſeipſum excitauerit, ad numinis ſui maieſtatẽ,
& gloriam illuſtrandam, & impios funditus e-
uertendos. 20 Tunc igitur abiiciet homo ſimu 20
lacra facta ex auro ſuo,quod cura ſumma coa-
ceruauerat,quæ cæcus ſcelere, & amentia con
ſeruauerat, honoribusq. Diuinis affecerat,ea-
que in locis, quibus talpæ ſub terram occulun-
tur, aut in parietum foraminibus, in quibus ve
ſpertiliones latitant, occultare conabitur. 21 21
Optabunt enim tunc homines, omnia monu-
menta ſui ſceleris abolere; vt liberius queant
in petrarũ cauernas penetrare, aut in rupium
cacumina ſeſe fuga proripere,ne irati Domini
vultum ſubeant, dum ſeipſum excitauerit, ad
numinis ſui maieſtatem,& gloriã illuſtrandam,
& impios funditus euertendos. In hanc quidẽ
ſententiam, prædicit Iſaias illam cladem fune
ſtiſsimam a Chaldæis illatam; quæ ſic Iudæos
afflixit,vt,tum demũ,victi plagis, intelligerẽt,
quã immane ſcelus in ſe cõcepiſſent,cũ,relicto
vero Deo,ſe nefandis ſacris alligauerint; & ita
factũ eſt,vt poſt illud tẽpus nũquam ad ſimula
crorũ cultum redirent. 22 Si ita eſt,inquies,po 22
tuiſſet deinceps Iudæorum natio perpetuã ſibi
incolumitatem polliceri. Nam, ſi,propter nefa
riam illam ſuperſtitionẽ, omnibus bonis euer-
ſa, & in vltimas terras abducta fuit; reliquum
erat, vt, cum primum hoc tantum ſcelus dete-
ſtata fuiſſet, minime formidare deberet,tãtam
ſupplicij magnitudinẽ. Non ita eſt, inquit Pro-
pheta. Immo multo maior poſt illud tempus il
li ſollicitudo ſuſtinenda eſt, ne multo deteſtabi
lius in ſe crimen admittat.Longe namque gra-
uius eſt, in ipſum numen inuehi, filiumq. Dei
immani atrocitate ſceleris inſectari, quam ſi-
mulacris Diuinitatem tribuere. Cauete igitur,
homines amentiſsimi, ne in offenſionem illius
incidatis, cuius ſpeciem imbecillam, quaſi ſpi
rantis hominis, & breui ſpatio interituri,furen
ter, & flagitioſe contemnitis. Eſt enim ille,
ſummæ dignitatis, & amplitudinis a Deo, qui
in illius mente inſidet, teſtimonium conſe-
cutus.

CAP. III.

1 Ecce.n. dominator Dominus exercituũ.

1 ILLE ſiquidem ipſe, cum cæleſtes exer-

citus

citus imperio ſuo contineat, pœnas ſceleris im
maniſsimi, quod in illum ſuſcipiet Ieroſoly-
ma, grauiſsimas expetet; omneſq. Iudæo-
rum opes exſcindet, atque delebit. Quod ta-
men ſenſim faciet. Non enim totam iram ſuam
repente profundit; ſed primum leuiores pla-
gas imponit; deinde eis, qui ne percuſsi qui-
dem ſe corrigere voluerunt, grauiores infli-
git; & euerſionis cauſſas ex cauſsis innectit;
vſque eo, dum homines in ſcelere contumaces
multis ſuppliciis excruciatos exſtinguat. Ita-
que primum Ieroſolymam, & Iudæam vniuer-
ſam, non modo annonæ caritate, ſed etiam gra
2 uiſsima ſame, atque ſiti, vexabit; 2 deinde nu-
dabit Remp. propugnatoribus; omneſq. viros
acres in bello, & animoſos ad hoſtium impe-
tum a patriæ finibus reprimendum, de medio
tollet. Tum omnis iuuentus, abiectis militiæ
diſciplinis, effeminabitur, & otio, mollitieq.
diffluet, diuturnaq. deſidia langueſcet. Nec
ſolum diſciplina militaris obſoleſcet; verume-
tiam pacis artes omnino ſilebunt. Iudicum e-
nim ſeueritas, ſenatus auctoritas, atque pru-
dentia e ciuitatis finibus exterminabitur. Nul-
lus erit Propheta, qui Dei mentem interprete
tur; nullus ſapiens, qui in poſterum multo an-
te prouideat; nullus, denique, qui longo re-
rum vſu Reip. regendæ ſcientiam aſſecutus ſit.
3 3 Omnis item ordo perturbabitur. Illa enim
multitudinis vniuerſæ in certos manipulos de-
ſcriptio ita veniet in obliuionem, vt ne Prin-
ceps quidem vllus, hominibus quinquagin-
ta, antiquo more, & inſtituto, præpoſitus, in
vrbe remaneat: Nulla grauitas erit in ſenibus;
nullum conſilium in rectoribus; nulla in popu-
lo ad vrbis cuſtodiam fabrilis ars, & diſcipli-
na; nulla denique, ad multitudinem flecten-
dam, & moderandam, dicendi facultas, atque
prudentia. Omnia enim belli ſubſidia, & pacis
ornamenta, labefactabit Dominus, atque con-
4 uellet. 4 Fiet igitur id, quod conſequens eſt, vt
Remp. propugnatoribus nudatam, & omnibus
bonis artibus deſtitutam, homines indigniſsi-
mi capeſſant; & iuuenili quadam temeritate,
& amentia perturbent. Adoleſcētes, inquit Do

Dabo pueros principes eorum.

minus, illis præficiam; pueriq. principatum ci-
uitatis obtinebunt, qui, libidine dominandi
5 præcipites, Remp. euertant. 5 Hanc igitur re-
rum conuerſionem, Dei rectiſsimo iudicio fa-
ctam, magna quædam perturbatio conſeque-
tur; & ex eo inteſtinæ ſeditiones excitabuntur.
Nec enim plebs effrenatam ſuam libidinem, &
inconſideratam temeritatem, a nobilitate co-
hibebit; nec nobilitas a plebe impotentiam ani
mi continebit; nec iuuentus ſenilem ætatē ve-

Tumultuabitur puer contra ſenem.

rebitur; neque ſenes iuuentuti proſpicient; ſed
pueri ſenibus erunt infeſti; & plebs nobilitati
peſtem, & exitium, machinabitur; omniſq.
ciuitas, peſtiferarum partium contentione di-
6 uulſa, atq. diſsipata, corruet. 6 Hinc autē, quod
magnū ſignum eſt cōmunis exitij, ſumma impe
rij vilitas exſiſtet; & honores ampliſsimi, ad in-
dignisſimos quoſque e vulgo deferentur. Qui-
uis enim e plebe, quem viderit e propinquis, &
familiaribus ſuis paullo elegantiore veſtitum,

Apprehendet enim vir fratrem ſuum.

aut aliqua dignitatis ſpecie, quamtumuis ina-
ni, commendatum, ſtatim arripiet, in quē ſum-
mos honores, & imperia deferat. Sic enim in-
quiet, Quando cultu, & ornatu corporis ante-
cellis, princeps eſto noſter; ruentiq. Reip. ope
tua ſubueni: ſolus enim poteris, in tanta orbi-
tate, bonorumq. penuria, prouidere, ne ruina,
quæ nunc vniuerſis impendet, opprimamur.
7 Tanta autē communis ſalutis deſperatio om 7
nium animos occupabit, vt homo, etiam ambi
tioſus, honores vltro oblatos obſtinate repu-
diet: Nolitote, inquiet, me in Reip. principatu
locare: nec enim iis opibus abundo, quibus in-
ſtructiſsimum eſſe oportet, qui ad Remp. tra-
ctandam acceſſerit, in hac præſertim commu-
nium rerum tempeſtate. Nec enim artem vl-
lam teneo, qua Reip. vulnera ſanem; nec mi-
hi ſuppellex domi eſt, qua ciues meos, ab om-
nibus rebus inopes, atque nudos, veſtiam; nec
frumentum habeo, quo poſsim vrbis famem ali
qua ex parte ſubleuare, Cum igitur Principis
officium ſit, & mederi vulneribus, & ciuiū ino-
piæ, & egeſtati ſubuenire; ego autem nec re-
gendi ſcientia, nec opibus illis inſtructus ſim,
quibus, & publicis malis medicinam adhibere,
& ciuium inopiam ſuſtentare poſsim; quo tan-
dem modo hoc onus, mihi a vobis inconſulte,
& temere impoſitum, ſuſtinebo? His quidem
verbis, multi honores ſibi delatos reiicient.
8 In perniciem enim incurrit Ieroſolyma; vni- 8

Ruit enim Ieruſalem.

uerſaque Iudæa ſe ſe in exitium ſempiternum
præcipitat; nec vlla ſpes eſt, eam, prolapſam,
atque per præcipitia ruentem, ab extrema rui-
na, & interitu, ſuſtineri poſſe. Iam enim ad illud
extremum ſcelus, quo nullum deteſtabilius ex-
cogitari poteſt, gradibus peruenerunt; vt non
ſatis haberent humanam ſocietatem violare,
niſi etiam omnes animi conatus contra Domi
num ipſum compararent. In illum enim conui
cia nefanda contulerunt; humaniq. generis li-
beratorem immani ſcelere perſecuti ſunt, vt
maieſtatem illius offenderent, ſanctiſsimumq.
illius numen in ſe acerrime concitarent. 9. Eo- 9
que tandem progreſsi ſunt, vt nullo pudore im
pediantur, quo minus ſcelera ſua in hominum
luce, & celebritate, conſtituant: &, tanquam
Sodomitæ, nefanda flagitia, & vultu, & oratio-
ne, publice profiteri minime vereantur; atque
adeo in ſuſcepto facinore glorientur. Væ il-
lis, quibus in pœnam ſceleris acerbiſsima tan-
dem ſupplicia ſubeunda ſunt. 10. Vos autem, 10

Dicite iuſto, quoniā bene.

o Diuini viri, in illa communi clade iuſtis ſum-
mam felicitatem denuntiate. Pietatis enim,
atque iuſtitiæ ſummam mercedem recipient;
ampliſsimoque virtutis fructu æuo ſempiter-
no perfruentur. 11 Impijs vero ſupplicia, qui- 11
bus ſunt mactandi, prædicite. Flagitiorum e-
nim, & ſcelerum, quæ commiſere, grauiſsimas
pœnas exſoluent. 12. O Ciuitas mea, quis pote- 12
rit

rit omnia mala, quæ te vndique premunt, enu-
merando percenſere? Principes tui, quibus pa-
triæ ſalus propoſita eſſe debet, tuæ ſalutis curã
abijciunt; potentiaq. ſua ad ſuum emolumen-
tum, & quæſtum abutuntur; &, acerbiſsima ty-
rannide conſtituta, te bonis omnibus euertūt.
Tu feminarum, in quarum poteſtate principes
ipſi ſunt, infinitæ cupiditati ſeruire cogeris; ea
rumq. luxui, atque libidini, quæ nullis finibus
coerceri poteſt, immania tributa pendis; &,
quod eſt maxime deplorandum, cum tantam
vim malorum, propter flagitia tua, ſuſtineas;
nemo eſt, qui te a flagitijs tuis auocare conten
dat; & in viam, a qua nefarie deflexiſti, reduce-
re conetur. Quin ipſi Doctores tui, dum, ſuppli
citer adulando, gratiam ab vniuerſis inire ſtu-
dent, te multo magis deprauant, & a ſalutis via
13. longius abducunt. 13. Conſiſtet in iudicio Do-
minus, vt litem multis intendat, atque de popu
lis ſententiam proferat, & vnicuique, pro vitæ
actæ ratione, præmium, vel pœnam conſtituat.
Stat ad iudicãdum Dominus.
Nec ſolum crimen illud, quo in ipſum Dominũ
inuecti ſunt, in iudicium vocabitur; ſed reliqua
omnia, quibus corrupti, & efferati, illud tandē
in ſe omnium ſceleſtiſsimum facinus admiſe-
runt. 14. Veniet igitur Dominus in iudicium,
14. vt lege agat cum ſenioribus, atque principi-
bus populi ſui, eoſque ſcelere cõdemnet. Vos,
inquiet, populati eſtis, atq. vexauiſtis plebem
meam, quam olim, vt vberem vineam, ſumma
diligentia, & cura conſeueram: vos prædæ loco
15. pauperum fortunas eripuiſtis. 15. Quis tantus
vos furor exagitat, vt populum, qui in mea tu-
tela eſt, tantis iniurijs oneretis, hominumq. te-
16. nuiorum facies acerrime contundatis? 16. Et,
quia Principium iniuriæ, quibus plebem oppri-
munt, ſunt plerumq. libidinis gratia conſtitu-
tæ, (illorum enim rapinæ maxima ex parte ad
muliebrē cultum, & elegantiam conferuntur)
poſtquam Dominus aſperis verbis Principes
inſectatur, vt de illis debitas tandem pœnas
expetat, orationem ſuam ad mulieres conuer-
tit, diraq. earum laſciuiæ, atque luxui ſuppli-
Pro eo q eleuatę ſunt filię Sion.
cia proponit. Quando, inquit, in hac ciuitate,
in qua ſeueritatis, & continentiæ diſciplina,
mores omnium deuincire debuiſſet; libido vi-
ctrix exſultat, atque de pudicitia victa trium-
phum ducit; (mulieres enim celſæ, & erectæ,
huc & illuc intuentes, & laſciuis oculorum nu-
tibus iuuenum amores petulanter allicientes,
incedunt; ingreſſumq. ſuum, ad certum nu-
merum, vt venuſtiores appareant, inſigni quo-
dam faſtu, illuſtriq. pedum cultu, & elaborata
concinnitate, modulantur) non tantum pedi-
17. bus earum calciamenta detraham; 17. verum
etiam e ſummis earum capitibus cincinnos
euellam; illarumq. fœditatem nudabo, & in
18. omnium oculis, & adſpectu conſtituam. 18. Adi
met igitur illis ea tempeſtate Dominus crepi-
das, fibulis elegantiſſimis reuinctas, & orbi-
19. culatas, atque lunatas; 19. & torques gemmis
diſtinctos; & armillas, & cultū capitis, bracteis
aureis crepitantē, & inſignes mitras; 20. & pe- 20.
riſcelidas, & e varijs locis appenſa monilia; &
odoramenta, vaſculis aureis, gratia exquiſitæ
voluptatis, incluſa; & lenem inaurium ſuſur-
rum; 21. & anulos; & pretioſum frontis orna- 21.
tum; 22. & pepla, & pallia, & veſtes, ad modum 22.
corporis aptas, & habiles; & acus; 23. & ſpe- 23.
cula; & lineas veſtes, atque velamina; & deni-
que, ne plura ſingulatim perſequar, omnē mun
dum muliebrem, gemmis, & auro fulgentem.
24. Erit tunc, pro ſuauitate odoris, fœtida quæ- 24.
dam tabes; pro cinctura, diſſolutio; pro capil-
lo compoſito, & delibuto, caluitium; pro ſtro-
phio, cilicium; pro venuſtate, deformitas. 25. 25.
Viri, gladio cæſi, atque trucidati, concident;
omnemq. iuuentutis florem, & robur, vis acer-
ba belli conficiet. 26. Vrbis publica loca, in 26.
quibus maxima ciuium pars congregari ſolet,
acerbiſſime communium rerum interitum de-
plorabunt; flebilibuſq. modis, & clamoribus
miſerabiliter editis, perſonabunt; eiulatuq.
lugubri, patriæ ruentis occaſum lamentabun-
tur. ipſaq. tandem ciuitas, bonis omnibus euer
ſa, in terram proſternetur, &, mortiferis con-
ciſa vulneribus, occumbet.

CAP. IV.

1. Et apprehendent ſeptem mulieres virum vnum.

1 In ea igitur tanta ciuitatis, atque regio-
nis euerſione, & vaſtitate, hominumq. ſtrage,
& interitu, tanta erit virorum pęnuria, vt mu-
lieres, quæ quondam ſingulæ fuerant a multis
expetitæ, eaq. de cauſa nimis inſolenter elatæ
laſciuiebãt, tunc, commutata ratione, multæ
ſimul virum vnum vndique circumſiſtant, vt
illi matrimonio copulentur. Non tibi, in-
quient, erimus oneri: nos victum, & veſtitum,
nobis ipſæ parabimus. Hoc vnum a te conten-
dimus, vt vxores tuæ nominemur; & hoc viri
nomine dedecus noſtrum tollas: noſq. a ſolitu-
dine vindices, ne omnino deſertæ, atque dere-
lictæ videamur. 2. Eo vero tempore, quo ſic 2.
In die illa erit germē Domini.
Iudæa ſceleris nefandi pœnas dederit, & ab ho
ſtibus exciſa corruerit, Dei filius, ſecundum
humanam naturam Diuino ſatu in terris exor-
tus, in ſumma gloria, ampliſſimiq. decoris
ſplendore, & magnificentia vigebit; & fructus,
quos illius gratia, & benignitate Euangelij di-
ſciplina præbuerit, erunt illuſtres, & clari: quos
tamen non omnes Iſraelitæ percipient; ſed illi
tantum, quos fides ſancte culta ſeruauerit, &
a communi peſte ſeduxerit. 3. In his enim gē- 3.
tis vniuerſæ reliquijs, e communi naufragio,
Chriſti numine, & beneficio, collectis, lumen
ſanctitatis elucebit. Omnes igitur, quos ad
hunc modum funeſta patriæ calamitas reli-
quos fecerit, nec eodem impetu turbidæ tem-
peſtatis obruerit, erunt ſacroſancti, & ab illo
vniuerſæ gentis exitio conſeruati; nempe,
quos in cælum Chriſtus ciues adſcripſerit, im-
mortalitateq. donauerit: 4. Poſtquam videli-
4 Si abluerit Dominus ſordes filiarũ Siõ.
cet idem Dominus populi ſui ſordes eluerit, &
cædis, atque ſanguinis maculas omnes abſter-
ſerit. Hoc autem non legis piaculis, ſed lumi-
ne ſui ſpiritus, efficiet, quo quidem homines,
a libidi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Num vos ſoli terras vniuerſas occupabitis?
9 9 Non me latet, inquit Dominus, tantæ cupi-
ditatis immanitas; & clamor eorum, qui iniu-
ria pelluntur, ad aures meas peruenit. Sanctiſ-
ſimo itaque iureiurando meã adſtringo fidem,
fore, vt domorum multitudo corruat, ædesq.
magnificæ, atque pulcherrimæ deſerantur, ne-
10 que in eis habitator vllus remaneat. 10 Agro-
rum namq. ſterilitas cultores omnes conficiet.
Decem enim iugera vineæ, batum vnum effi-
cient; &, qui ſementem fecerit, vix decimam
partem ſeminis exarabit. Sic enim Diuini iu-
ris ratio flagitat; vt opes, per ſcelus, & iniuriã
partæ, dilabantur; &, qui omnium fortunas li-
gurriebant, extrema quadam inopia crucien-
11 tur. 11 Porro autem, cum auaritiam luxuria
conſequatur, & ex magnis opibus infinita fla-
gitia oriantur; conſequens eſt, vt, qui ſeſe, pro-
pter cupiditatem diuitiarum, a Deo ſeiunxe-
runt, non auaritiæ tantum pœnas, ſed etiam ne-
quitiæ, perferant. O intolerandum flagitium,
minimeq. ferendum dedecus, atque turpitudi-
nem: homines, inertiæ, ſomniq. pleniſſimos,
& languoris effeminatiſſimi, ita acres, atque
vigilantes ad bibendum eſſe, vt mane ſeſe ad ſu
merſdum vinum expergefaciant, & perpotent
ad veſperum, vinoq. multo confecti, & langui-
di, ebrietatiſq. incendio combuſti, iaceant.
12 12. Conuiuia perſonant cytharis, & tympanis,
& tibijs; totoſq. ſe flagitioſiſſimæ voluptati
conſtringendos dant; cum interim illam exi-
miam voluptatem, quæ percipitur ex conſide-
ratione rerum cæleſtium, guſtare non poſſint;
nec Diuina iudicia, quibus Dominus impro-
bos euertit, mente recolere. Ingluuies enim,
atque temulentia, mentis aciem obſcurauit;
animiq. fracta, atque debilitata vis, haud qua-
13 quam poteſt opera Diuina contemplari. 13.
Gradibus itaque mens humana in miſeriam
ſummam deuoluitur. Ex auaritia namque o-
pes immanes oriuntur, quæ materiam ingen-
tem libidini infinitæ ſubijciunt. Libido autem,
materiam nacta, metuq. ſoluta, in omne ſe fla-
gitium incitat. Flagitia porro mentem excæ-
cant, ne poſsit opera Diuinæ mentis intueri,
atque ad decus, & gloriam adſpirare. Lumine
vero mentis, & rationis exſtincto, cum in cupi
ditate ſit totius animi dominatus, libertas con
feſtim amittitur, omneſq. ſimul malorum tem
peſtates erumpunt. Ideo namq. populus meus
libertate ſpoliatus, & e patriis ſedibus expul-
ſus, & eiectus fuit, quia Dei cognitionem non
habuit, rerumque Diuinarum ſcientiam aſper
natus eſt. Nec ſolum libertate priuatus fuit,
verum etiam omnibus bonis funditus euerſus,
& extrema inopia, & egeſtate conſumptus.
Principes enim fame interierunt; multitudo,
ſiti enecta, contabuit. 14 Iccirco Erebus im-
manes fauces ſolito magis aperuit; amplio-
remq. animam, crebrius, & vehementius re-
ſpirando, duxit, & præter modum guttur in-
flauit; vt, horrendo oris hiatu, multitudinem

Væh, qui cõſurgitis.

Propterea captiuus ductus eſt populus meus.

14 Propterea dilatauit infernus animã ſuam.

infinitam inſatiabili auiditate deuoraret. De-
trudetur illuc, & nobilitatis claritas, & ho-
minum infimorũ multitudo, & opulentiæ prin
cipatus. 15 Hominum faſtus concidet; & omnis 15
virorum inſolentia deprimetur; oculi ſuper-
borum, grauiſsima clade percuſsi, terram mæ-
rentes intuebuntur. 16 Rectiſsimum vero Do 16
mini iudicium ſummis in cælum laudibus ef-
feretur; & illius ſanctiſsimi Rectoris æquitas
omnium prædicatione celebrabitur. 17 Tum 17
pauperes, in quibus fides inerit, qui poten-
tium iniuria pulſi fuerant, in agros, ab illis re-
lictos, impune remigrabunt; & paſcuis pin-
guibus aduenæ, qui ſeſe ad religionis cultum
fide contulerint, potientur. Sic enim Dei iu-
dicium impios peruertere ſolet, vt tum vel
maxime piorum hominum ſaluti proſpiciat.
18 Væh hominibus perditiſsimis, qui, cum ſe-
mel peccati iugum ſubierint, illud, quaſi plau-
ſtrum inanitatis, funibus alligatum trahunt,
& ſcelera ſceleribus annectunt; &, tamquam
loris validiſsimis, ſponte ſua vincti, quacum-
que eos cupiditas impellit, ita gradiuntur, vt
iniquitatis, & iniuriæ materiam infinitam con
nehant. 19 Væh iis, qui nullo iam Diuini iu-
dicij metu cohiberi poſſunt, quo minus omnia
tætra, atque deteſtanda facinora machinen-
tur; quin etiam Diuinos homines, qui eos im-
pendentis calamitatis prædicatione ab impro-
bitate reuocare contendunt, contumelioſiſsi-
me vexant, & oraculis Diuinis impie, atque
petulanter illudunt. Acceleret iam, inquiunt;
operiſq. ſui Prophetarum omnium ſermone,
atque prædicatione peruagati, iam tandem e-
xitum feſtinanter expediat, vt tum demum
oraculi veritatem rerum euentu comprobe-
mus, & conſilium, quod (vt aiunt) iampri-
dem cœpit, ipſe Dominus, quem colit Iſrael,
ad effectum perducat; vt tunc, quanta ſit Pro-
phetis habenda fides, explorate cognoſcamus.
20 Væh iis, qui adeo mentis expertes, rectiſq.
ſenſibus orbati ſunt, vt nihil vere, & incorru-
pte iudicent, ſed, turbulentis erroribus obcæ-
cati, longe ſecus de rebus omnibus, quam ve
ritas poſtulat, exiſtiment; totamq. rerum na-
turam inuertant, & vocabula penitus immu-
tent. Bonum enim, malum nominant; ma-
lum vero, bonum; ſapientiam, amentiam eſ-
ſe ſtatuunt; amentiam vero, ſapientiam; a-
marum, dulce iudicant; dulce vero, amarum.
Cum enim bonum in eo poſitum ſit, vt, ſpre-
tis ſenſibus, a quibus pernicioſæ inſidiæ animis
intenduntur, Deo, qui eſt ſummum, & ex-
tremum bonorum omnium, artiſsime coniun-
gamur; illi, contra, ſeſe a Dei coniunctione
diuellunt, vt ſenſibus addicantur. Similiter,
cum omnis lux mentis, & orationis in eo ſit
poſita, vt vitam, non iudicio noſtro, ſed Dei
præſcriptione, moderemur, fideque, non in-
genio, nitamur; illi, ingenij acumine freti, fi-
dem deſpiciunt, erroriſq. ſui tenebras ſplendo
ri Diuinæ mentis anteponunt. Poſtremo, cum

18 Væh, q trahitis iniquitatem.

19 Qui dicitis, feſtinet.

20 Væh, q dicitis malum bonũ.



Digitized by Google

omnis vitæ iucunditas e iuſtitiæ tranquillita-
te, & conſtantia, & Diuini ſpiritus ſuauitate
petenda ſit; ipſi, contempta, & ſpreta iuſtitia,
infinitam cupiditatem, quæ totius acerbitatis,
& angoris cauſſam continet, tota mente ſe-
quuntur. Sic autem fit, vt, dum bonum adſci-
ſcunt, malis omnibus opprimantur; dum ſa-
pientiam aſſumunt, peſtiferis erroribus im-
buantur; dum voluptates exquirunt, acerbiſ-
21 Veh, q. ſapiente e-ſtis in oculis veſtris. ſime crucientur. 21 Væh, perditis, & profli-
gatis hominibus; qui, eum ſint amentiſsimi,
ſibi tamen peracuti videntur; & , prudentiæ
opinione ſubnixi, paſsim vagantur. 22 Væh iis,
22 quorum tota animi vis, & induſtria, in nimio
potu conſumitur; & tunc ſibi viri fortes, & ſtre-
nui videntur, eum multum vinum hauriunt,
& in hoc flagitioſo certamine multis palmam
23 viuendi præripiunt. 23 Væh poſtremo illis, qui,
corrupti muneribus, nocentes abſoluunt, &
innocentes ſcelere condemnant, omnemq. iu-
diciorum rationem non æquitate cauſſæ, ſed
24 magnitudine pecuniæ, metiuntur. 24 Quo-
circa, ſicut flamma ſtipulam conficit, atque
conſumit, & culmus ſubito deflagrat incen-
dio; ſic eorum ſtatus, qui altiſſimis radicibus
innixus eſſe videbatur; iniecta clade conſump-
tus, euaneſcet, & omnis eorum dignitas, &
ſplendor interibit. Opes attritæ, comminuen-
tur, & a vento diſſipabuntur. Spreuerunt enim
legem ſummi illius Imperatoris, & Domini; &
maledictis omnibus illius vnici liberatoris
imperium, in quo ſalus Iſraelis eſt poſita, con-
25 ſciderunt; 25. & ideo incenſa eſt ira Domini
vehementer in populum ſuum; intentaq. ma-
nu grauiſſimum ei vulnus impoſuit; ita, vt
montes contremiſcerent, & horribiles homi-
num strages ederentur, & cadauerum multi-
tudo, fœdis vulneribus conciſa, in medio pla-
tearum iaceret; & tamen neq. poſt tam diram
cladem ira Domini tantulum repreſſa eſt; ſed
adhuc manus illius eſt, ad inferendum vulnus
intenta. Nec enim ad illius cultum redire vo-
lunt; ſed, quo, magis ab eo vulnerantur, eo
26 Et eleuauit ſignũ in nationibus procul. pertinacius inſtitutum ſcelus accumulant. 26,
Ea de cauſſa Dominus ſignum tollet longiu-
quis gentibus, & , quaſi quodam ſibilo, popu-
los ſitu, atque regione diſiunctiſſimos excita-
bit. Ad nutum igitur illius, in cuius poteſtate
omnia ſunt, hoſtis acer, & immanis, ab vltimis
27 oris, admirabili celeritate, contendet. 27. Non
defatigatione frangetur, nec vſquam offendet;
ſed alacritate incredibili properabit. Non
erit deditus ſomno, nec langueſcet deſidia; nec
illa vis acris animi frangi, aut ardens ſtudium
28 reſtingui poterit. 28. Sagitæ namq. illius acutæ
ſunt; & omnes arcus illius intenti. Vngues
equorum illius inſtar ſunt duræ ſilicis; & rotæ
curruum illius, quaſi vehementes turbines,
cum ingenti fremitu, diſcurrent, &, quacum-
que tulerint impetum, omnia peruertent. 29.
Rugiet tamquam leo; frendet, & clamo-
rem tollet; prædamque violenter arripiet;
& artiſsime comprehenſam continebit; eaq.
inuitiſſimis aduerſarijs potietur. Nec erit
quiſquam, qui illam eripere conetur, impe-
tumq. victoris aliqua ex parte ſuſtineat. 30.
Populus miſerijs vndique circumuentus ob-
ruetur fluctibus maris infeſti, turbulentiſſi-
miſq. tempeſtatibus agitati; oculos in terram
conijciet, quam videbit caligine circumfu-
ſam. Omnis enim lux in cælo, vnde in terras
effunditur, illis eripietur. Nec enim in homi-
nibus illis, qui in tam grauem Dei offenſionem
inciderint, auxilij Diuini ſpes vlla reſidebit,
nec vllum habebunt in rebus perditis alleua-
mentum.

His quidem verbis Iſaias funeſtam cladem a Romanis prænuntiat ijs, qui Dei maieſtatem perfidia ſua lædebant; & Religionem immaniſſimi ſceleris contumacia violabant: quos quidem vt magis exterreat, ſpeciem ipſius ſummi Iudicis, quã ipſe oculis adſpexit, oratione deſcribit; & ſupplicium illud omnium maximũ, quod in mentis extrema cæcitate cõſiſtit, quo erat Iudæa funditus euertenda, commemorat. Sic enim ait:

1. Anno, quo Rex Ozias exceſſit e vita, vidi 1 CAP. VI.
dominum in regia, & excelſa ſede locatũ. Ex-
tremi veſtium limbi totum templum occupa-
bant. Nec enim vniuerſi mundi fabrica, quod
templũ quoddam illius ſumma religione dedi-
catum exiſtimandum eſt, totũ numen illius in-
tra ſe continet; ſed Diuini cultus, & decoris
oræ, extremæ, atque quaſi fimbria ſunt, quæ cõ-
plent naturæ totius amplitudinem. 2. Innume- 2
rabiles autem cælites amore illius acriter in-
flammati ſolium circumſiſtebant. Quilibet ſe-
nas alas habebat. Binis ſinguli velabant facies
ſuas. Tantus enim e facie Domini fulgor emica
bat, vt ne mẽtes quidem ipſæ puriſſimæ, atque
beatiſſimæ, illã contra intueri poſſent; niſi, quẽ-
admodum nos, cum volumus intueri Solem,
oculis manũ opponimus, ita & illæ oculos ſuos,
binis alis vtrimque ſublatis, hoc eſt, pio metu,
& verecundia immenſæ maieſtatis, obumbra-
rent. Binis deinde alis pedes ſuos tegebant;
partim, vt oſtenderent illorum naturam eſſe
ab humana cognitione remotiſſimam, tan-
tumq. abeſſe, vt homines, qui humi ſtrati ſunt,
poſſint Domini faciem mente comprehende-
re, vt ne Angelorum quidem extrema pedum
lineamenta queant vllo modo perſpicere;
partim, ne homines Dei miniſtris Diuinita-
tem tribuerent, ſi illorum ingreſſum, & incre-
dibilem pulcherrimorum ſtudiorum celerita-
tem oculis notare poſſent. Nec enim ſibi, ſed
Domino, gloriam tribui concupiſcunt. Bi-
nis poſtremo interiectis alis volabant, vt, in
Dei voluntatem acriter intuentes, quidquid
ille præciperet, protinus exſequerentur; nec
vllam

nec vllam moram interponerent, quin ſtatim
3 imperata perficerent. 3 Eorum autem ſinguli,
minime contenti eo ſtudio, quo Domini laudes
perpetuo concinebant, alios ad eaſdem lau-
des prædicandas excitabant; vt ſumma ani-
morum conſpiratione, atq. conſenſu, totum ſtu
dium ſuum, in Conditoris ſui gloriam conſer-
rēt. Alij igitur alios ſummis clamoribus exhor
tantur. Sanctus, inquiunt, ſanctus, ſanctus,
in omni ſæculorum æternitate ſummis laudi-
bus prædicandus eſt ſummus hic Dominus, cui,
ſine recuſatione cuncti exercitus, cæleſtes ob-
temperant. Is enim a principio naturam vni-
uerſam finxit, & informauit. Illius nomine, &
imperio, omnium rerum omnium naturæ fultæ
ſuſtinentur; in illum inſita naturæ cupiditate
referuntur: is eſt, qui rerum initium, medium,
& extremum ſapientiſsima moderatione com
plectitur. Sanctus pater ille ſummus, a quo ſine
illius ætatis principio genitus eſt. Sanctus & ip
ſe Dominus, qui omnia, quæ ſuper ſubterq.
ſunt, ſapientiſsime ad voluntatem patris ad-
miniſtrat. Sanctus & ſpiritus illius, quo na-
turam vniuerſam continet, atque modera-
tur, & ad gloriam patris reducit. Nec enim
ſolum cælum, ſed etiam terram vniuerſam

4 Et commota ſunt ſuperliminaria templi.

nomen illius, atque gloria complebit. 4 Hæc
illi cum maxima voce dixiſſent, poſtes, at-
que limina templi magno quodam motu con-
cuſſa, horrendum ſtrepitum ediderunt; & den
ſa fumi nebula totam domum repleuit: quæ
omnia præſentiam illius declarabant, cuius
etiam leniſsimo tactu montium fundamenta
quatiuntur; & cacumina flammarum incen-
dio coruſcant; & craſſæ, & caliginoſæ fumi
nubes excitantur; quæ ſimul, & quam metuen
da ſint illius iudicia, deſignant, eiusq. maie-
ſtatem oculis humanis minime conſpici poſſe

5 Et dixi, Vah mihi, quoniam tacui?

demonſtrant. 5 Cum autem hoc tam inſo-
litum, & admirandum ſpectaculum oculis v-
ſurparem, ingenti metu cohorrui. Nec enim
ſolum ipſius iudicis ſummi maieſtas mihi hor-
rorem incuſsit; verum etiam illa cogitatio
animum meum incredibiliter afflixit, qua pro-
tinus meum flagitium, atque ſcelus agnoui.
Intellexi enim ſubito, nihil eſſe, nec ad officium
honeſtius, nec ad gloriam amplius, nec ad vo
luptatem iucundius, quam ſocietatem illius
tam præclari muneris cum ſanctis Angelis ini
re; & laudes illius optimi parentis, qui nos
ſingulis horis, atque adeo momentis, mune-
ribus aget, & beneficiis in ore ſemper habere.
& ſimul venit mihi tunc in mentem cogitare,
quanto me crimine alligaſſem, quod non om-
nem vitam in Domini gloriā contuliſſem. Tūc
vero, Angelorum æmulatione incenſus, flagra
re cœpi ſtudio Diuinæ gloriæ celebrandæ: quod
quidem ſtatim effeciſſem, niſi me mei flagitij
conſcientia de tam præclaro conatu depuliſ-
ſet. Cogitabam enim, quantum ſcelus eſſet, ali
quod munus impurum illi ſummæ puritati, ob-
tentu religionis, offerre. Nihil enim ei place-
re poteſt, quod ſit aliqua ſordium contagione
maculatum, & notis ſceleris, & improbitatis
adſperſum. Cum vero omnia, quæ maculis inu-
ſta ſunt, illi ſint vehementer inuiſa, tum vel ma
xime lingua ſermonibus impuris aſſuefacta,
maledicentiæq. veneno corrupta, & infecta.
Hac igitur religione tactus, me continebam,
ne lingua mea, quam impuris ſermonibus in-
quinaram, Dei laudes prædicarem; miſeriamq.
interim meam, qua impediebar, ne tam præcla
rum munus obirem, flebilibus modis lamenta-
tus ſum. Hei, inquam, mihi miſero, qui non Do-
mini laudes in ore, atque ſermone ſemper ha-
bui: quin etiam, nunc, cum Regiam illius ma-
gnificentiam adſpexi oculis meis, ingenti ſtu-
pore perculſus, obmutui. Linguam enim pollu-
tam habeo: Nam cum hominibus impuris, at-
que flagitioſis, viuo, qui linguas habent ad ma-
ledicendum audaces, & liberas; & ex eorum fa-
miliaritate, & conſuetudine, maledicentiæ
morbum contraxi; ita, vt mihi licere minime
putem, impuro ore Domini magnificentiam
laudare. 6. Hanc autem ſceleris mei confeſ- 6
ſionem fuit ſtatim ſalutaris admodum medi-
cina conſecuta. Vnus enim ex Angelis illis
prunam forcipe ex altari corripuit, & ad me
confeſtim aduolanit; 7. linguamque meam ea- 7
dem pruna contigit; cuius ardore omnis meæ
orationis impuritas exterſa eſt. Gerebat e-
nim illa pruna imaginem Diuini verbi, quod
totum eſt igneum, intimosque animi ſenſus
exurit; cæleſtiumque rerum cupiditate mira-
biliter inflammat. Ecce, inquit, verbi Diui-
ni contactu tota iniquitas tua oblitterata eſt,
& euanuit; nullumque reſidet in te impurita-
tis antiquæ veſtigium. His quidem ille ver-
bis, omnem mihi metum abſterſit. 8. Conti- 8
nuo igitur erectus, integritatis, & innocen-
tiæ conſcientia mihi Diuinitus attributa, ſum-
pſi animum, maximorumque munerum cupi-
ditate flagraui. Qui igitur paullo antea ocu-
los in cælum tollere non audebam, nec me di-
gnum reputabam, qui ſermone meo conta-
minato ſanctiſsimum Domini nomen vſurpa-
rem, omnia mihi ſumma repente propoſui,
maximaque facinora ſuſcipere gratia illius ar-
dentiſsime concupiui. Cum igitur Dominus,
quaſi conſultans, diceret, Quem ex omnibus
huic tanto muneri præficiemus? cuius fidei
hanc legationem committemus? opus eſt enim
nobis homine fideli, & impigro, qui nullo me-
tu impediatur eo proficiſci, quo illum legaue-
rimus; non exſpectaui, dum me nominatim
appellaret, ſed vltro me ipſum obtuli; operam-
que meam ſum voluntate ſumma pollicitus.
Promptus, inquam, atque paratus ſum, ad
omnia, quæ imperaueris, exſequenda. Me
igitur mitte; nullum erit negotium tam ar-
duum, quod recuſem; nullum periculum, quod
adire, gloriæ tuæ cauſſa, reformidem. 9. Hic ille 9
operam meam minime aſpernatus eſt. Vade in
quit, & hæc nomine meo dices populo huic.

Diſciplinam quidem Diuinam auribus acci-
pietis; non tamen intelligetis, & in rebus etiam
clariſsimis, & in omnium conſpectu poſitis, ni-
10 hil omnino videbitis. 10 Denuntia igitur illis
ſummam animi tarditatem, obſtinatæq. men-
tis ſtupiditatem, & oculorum deteſtabilem, &
exſecrandã cæcitatem, ne videant oculis ſuis,
auribusq. ſalutarem diſciplinam accipiant, Di
uinumq. legis ſenſum animo comprehendant;
&, hac ratione, ab inſita penitus improbitate
conuerſi, ſanitatem a me conſequantur. Par
enim eſt, vt, qui lucem oderunt, tenebris dam
nentur; &, qui veritatem repulerunt, ſomnia
conſectentur; &, qui ſalutem ſuam prodide-
runt, in peſtem, & exitium ſempiternum præci
pites exturbẽtur; omnisq. ſalutis ſpes illis præ-
ciſa ſit, qui ſalutis auctorem immani odio per-
11 ſequuntur. 11 Hic ego, cum intellexiſſem, gen
tem meam eſſe, propter ſceleris immanita-
tem, à Deo deſerendam, valde perturbatus
ſum. Volui tamen ſcire, an eſſet aliquis tandem
modus tantæ cladi ſtatuendus, & miſeria ali-
quo fine terminanda. Itaque dixi: Vſque-
quo, Domine, gens hæc miſerrima, propter
ſuum ſcelus, ope tua nudata, iacebit? Vſque
eo, inquit, dum Iudææ ciuitatibus extremum
exitium, & vaſtitas inſeratur; neque ciuis vl-
lus reliquus a tanta calamitate fiat; & domus
ab omni cultore deſerantur; omnisq. regio in
12 ſummam ſolitudinem redigatur. 12 Homines
autem Deus in longinquas terras expellet, mul
tisq. ſæculis Iudæa erit in medio orbe terrarũ
14 Diuino præſidio deſtituta. 13 Non tamen in
omnes ira Domini ſæuiet. Reliquiæ enim, qua-
ſi quædam decimæ Dei numini conſecratæ, ad
Deum conuertentur. Gens tamen ipſa maxi-
ma ex parte hoſtibus diripienda relinquetur.
& erit quaſi robur, & quercus, cuius glandes
vndique greges immiſsi depaſcantur, eo tem-
pore, quo illis folia decidunt, vt tandem non
fructu tantum, ſed foliis etiam, ſpolietur: quæ
tamen licet aruiſſe videatur, ſtirpe, atque trun
co nixa ſuſtinebitur, vt aliquando tandem fru
ctum ſanctitatis, atque Iuſtitiæ profundat. Se-
men enim ſanctum, quod ex eadem gente orie
tur ad omnes gentes liberandas, illa ſtabilita-
tem dabit, vt ſoboles innumerabilis ſanctitate
præcellens ex ea propagetur.

CAP. VII. Hactenus vir Diuinus Domini maieſta-
tem recenſuit, & illius ſententiam contra
Iudæos prolatam expoſuit. Huic autem
loco hiſtoriam ſui temporis, ſatis materiæ,
quam præcipue tractat, congruentem, at-
1 texuit. Sic enim ſubiungit: 1 Cum regna-
ret Achaz, filius Ioathan, nepos Oziæ in Iuda,
Rezim, Rex Syriæ, & Pecah, filius Romeliæ,
Rex Iſrael, bellum mouerunt contra Ieroſoly-
mam, vt eam armis exſcinderent; non tamen
2 illam expugnare potuerunt. 2 Cum autem de
belli maximi apparatu fuiſſet in principio nun
tius in domum Dauidis allatus, magna quæ-
dam fuit in Regia perturbatio, cum percrebuiſ
ſet, duos Reges maximos in excidium Ieroſo-
lymæ coniuraſſe, iunctisq. viribus ingentes ar-
matorum copias eduxiſſe, & iam iam, vt vr-
bem obſidione cingerent, affuturos. Rex igi-
tur, & vniuerſus populus, trepidare, & paue-
re, & triſtiſsimis curis agitari, & in varias par
tes impelli, vt impellitur folium arboris, cum
auræ flatu concutitur. 3 Dixit autem Dominus 3
Iſaiæ: Egredere tu, & filius tuus Seariaſub,
quod nomẽ deſignat reliquias Iſraelis ad Deũ
conuertendas; atque portendit, omnes pios,
qui Diuini verbi ſatu generandi ſunt, ſaluos, &
incolumes fore, Diuinisq. muneribus exorna-
tos. Ambo igitur, inquit, egredimini in ex-
tremum cliuum piſcinæ ſuperioris, in viam a-
gri fullonis, obuiam Regi Achaz, qui, belli im-
prouiſo nuntio perturbatus, ſeſe in vrbem re-
cipit, vt vitam ſuam non fide meæ clementiæ,
ſed mœnium præſidio tueatur. Intelligat tan-
dem, ex occurſu tuo, quam ſecuri, atque con
fidentes ſint ij, qui ſe mihi commiſerunt, at-
que tradiderunt; nec humanis armis, ſed ope
mea, contra omnes hoſtiles impetus muniun-
tur. Ille namque metu hoſtium, cum extra vr
bem eſſet, ſeſe trepidanter in vrbem recipit:
Tu vero, contra, cum intra vrbis mœnia ſis,
cum fueris egreſsus, oſtendes, quam pro nihi-
lo putes omnes hoſtium conatus. 4 Regem au 4
tem, vt bono animo ſit, huiuſmodi verbis ex-
hortabere: Caue, ne in perfidiæ ſcelus incur-
ras, ſi te metus ab his Regibus aliqua ratione
perculerit. Excita igitur fidem, quæ animos
quietos, & confidentes efficit; Deiq. inuicto
præſidio nitere; Regumque omnium minas
contemne. His enim duobus Regibus, quos
audis contra te bellum moliri, exitialis exitus
appropinquat: nec ſunt magis metuendi,
quam extrema pars aduſti ligni, atque fuman
tis, cum ignis illius exſtinguitur. Breui ſiqui-
dem eorum vis, & impetus frangetur; & im-
manis furor temporis momento deflagrabit.
5 Tu quidẽ ideo metuis, quod audieris hos duos 5
Reges fœdus contra te percuſsiſſe, exitiumq.
tibi machinari. 6 Statuerunt enim inſtructis 6
copiis ad te adſcendere, vt te bello fatiga-
rent, & opes tuas euerterent, Regemque in
Iudæa conſtituerent filium Tobal. 7 Hæc au- 7
tem dicit Dominus; nec conſilium eorum con
ſiſtet; nec conatus exitum vllum reperiet.
8 quin potius imperium Damaſci cum Rezim 8
Rege funditus interibit, & intra ſexageſimum
quinctum annum ab Amos, Diuini viri, præ-
dictione, 9 Regnum etiam Iſraelis cum fi- 9
lio Romeliæ concidet, eruntq. Samariæ opes
euerſæ. Hæc omnia cum Iſaias, vt ſibi a
Deo fuerat imperatum, feciſſet, Regemque,
ne metueret, admonuiſſet, Rex tamen nuta-
bat, atque vacillabat, neque fidem Diuinis
promiſsis adiungebat. Mirum non eſt, inquit
Iſaias, ſi Deo fidem non habetis: nec enim
vmquam fide muniti fuiſtis. 10 Hæc deinde, a 10

Deo

Deo admonitus, adiunxit, Vt in certiſsimam ſpem ſalutis erigi poſsis, ne vlla in te diffidentia reſideat, quæ animum tuum timore debilitet, 11 pete a Deo tuo ſignum, quod habeas quaſi tanti promiſsi pignus, per quod certus eſſe poſsis, auxilium tibi Diuinitus affuturum. Sit ſignum admirandum, & obſtupendum, & ante hunc diem prorſus inauditum, atque contra totius naturæ ordinem, ſiue in profundiſſima terræ totius altitudine, ſiue in ſupremo

*11 Pete ſignum a Domino Deo tuo.*

12 cæli faſtigio datum. 12 Rex, cum eſſet impius, ne ſignum illud Dei gloriam illuſtraret, & Iudæos a cultu nefariæ ſuperſtitionis auerteret, ſignum poſcere noluit. & interim, in ſcelere pietatem ſimulauit, vt ſpecioſam cauſſam perfidiæ, atque rebellioni prætenderet. Non pe-

13 tam, inquit, nec tentabo Dominum. 13 Hoc audito, Iſaias excandnit; nec ſolum in Regem, ſed in totam Dauidis familiam, atque in totam Regni illius poſteritatem, quæ maxima ex parte erat ſceleribus nefandis alliganda, aſperis verbis inuectus eſt. Audite, inquit, omnes, qui genus a Dauide ducitis, & ad illius Regnum pertinetis, adeo ne iuuat a parente ſanctiſsimo, & optimo Principe degenerare, vt non ſolum iniuriis homines quamplurimis oneretis, verum etiam Deo meo grauiſsimam moleſtiam inferatis? Parum ne eſt vobis humanam ſocietatem violare? etiam ne obſtinate operam dabitis, vt Dei gloriam ob-

14 ſcuretis? 14 Longe vos fallit opinio, ſi vel Dei gloriam veſtris ſceleribus obterendam, vel veſtrum ſcelus impunitum fore ſuſpicamini. Illuſtrabit ille quidem gloriam ſuam, ſignumq. tandem edet, omnium, quæ vmquam fuere, maximum, quod vniuerſum orbem terrarum nouo, & inſolito ſplendore commoueat: veſtrum autem genus, quod parentum ſcelus imitabitur, atque adeo ſuperabit, ſempiterna peſte conficiet. Nomen enim Domini erit apud omnes gentes clarum, & excelſum, & honoribus eximiis amplificatum: vos autem, qui gloriam illius oppugnatis, tum vel maxime, cum reliquæ gentes exſtiterint lucis Diuinæ participes, in grauiſsimam offenſionem illius incidetis. Nam virgo abſque labis impuritate, & abſque vlla viri coniunctione, concipiet, filiumq. pariet, cuius nomen, illius numen facile declarabit. Vocabitur enim Emmanuel, id eſt, Nobiſcum Deus: quod quidem ſignificat, Deum, cum natura humana admirabili fœdere coniungendum. Deus enim humanum corpus induet; ſanctiſsimumq. illius numen in habitu, atque figura hominis deliteſcet: vt ſimul & imbecillitatis humanæ particeps fiat, & homines ſecū Diuinorū bonorum

*Ecce Virgo concipiet.*

15 communione, & ſocietate coniungat. 15 Neque enim ſolum ſibi naturam humanam, ſed imbecillitatem etiam, quæ mortalem naturam generis humani conſequitur, clementiſſime copulabit; ita, vt ſit in tenera ætate butyro, atque melle ſuſtentandus, vt, cum experiundo didicerit, quæ ſit noſtri generis infirmitas, &, tamquam verus homo, naturæ contraria repulerit, &, ſalutaria prudenter adſciuerit, a ſuis malum arceat; & bonis omnibus eos augeat, atque locupletet. 16 Non tamen 16

hoc ſtatim futurum exiſtimes. Antequā enim Diuinus hic puer e virgine in terris oriatur, vt imperium ſuum, atque Regium munus exerceat, maloſq. repellat, & debitis pœnis excruciet, & bonos ſibi coniungat, muneribuſq. Diuinis afficiat, numinis illius vi, atque poteſtate erit regio illa, quam deteſtaris, a duobus Regibus, qui de tua pernicie cogitant, qui tibi moliuntur exitium, deſerta, atque derelicta; vt intelligi poſsit, quam recte Emmanuelis nomen illi conueniat. 17 Nec tamen, cum illo- 17

*17 Adducet Dominus ſuper te.*

rum opes eneruæ, & exciſæ fuerint, erit tibi otium ab illis hoſtibus, per quos Syria, atque Samaria vaſtanda eſt. Iſtius enim perfidiæ pœnas dabis. Tanta enim tibi, & populo tuo, & vniuerſæ familiæ tuæ a Domino tempeſtas impendet, tantaque tibi mala ſubeunda ſunt, quanta numquam Regno tuo inciderunt, poſt illud diſsidium, quo Regnum Ephraim a Iuda diuulſum fuit. Rex enim Aſſyriæ in opes tuas inuadet. 18 Tunc enim excitabit, quaſi 18

quodam ſibilo, Dominus eos, qui ripas Nili accolunt, qui repente, quaſi muſcæ, turmatim congregabuntur; & Aſsyrios item, 19 qui, tam- 19

quam apes, denſis examinibus, glomerati, confeſtim aduolabunt, & conſident in vallibus hominum fuga deſertis, & rupium hiatus, & aſperitates occupabunt, & omnes frutices, & arbuſta complebunt. 20 Eo autem tempore Do- 20

minus, conductis operis, eorum, qui trans flumen habitant, & ſub Aſsyrio Rege militant, principes euertet, plebem exſcindet, & ſenum etiam auctoritatem franget, omniaq. ſalutis præſidia demolietur. 21 Illorum porro, qui ho 21

ſtium manus euaſerint, erunt opes tenuiſsimæ, ita, vt ſinguli homines buculam nutriant, & duas oues. 22 Erit tamen, propter inculturam, 22

atque relictarum poſſeſsionum vaſtitatem, tanta paſcuorum vbertas, vt, qui lac emulſerit, butyri magnam vim ad comedendum exprimat. Omnis enim, qui in medio terræ relictus a tanta clade fuerit, butyro, atque melle vitam ſuſtentabit. 23 Agri vero, quondam vitibus ſum- 23

ma impenſa conſiti, erunt obſiti vepribus, & dumetis denſiſsimis hirſuti; 24 nemoq. illuc 24

ſine arcu, & ſagittis penetrare audebit, eo quod omnia futura ſint vepribus, & ſpinis obducta, &, propter denſa ferarum luſtra, hominibus infeſta. 25 Loca autem in mōtibus amœniſsimis, 25

quæ olim agricolæ ſarculo fodiebant, & ſpinis diligentiſsime ſæpiebant, vt illarū metu armenta, atque pecudum greges, arcerent, ſæpibus omnino reuulſis, erunt gregibus, & armentis expoſita. Itaq. agros cultiſsimos, atque nitidiſſimos, hortos amœniſsimos, oues, & armenta proculcabunt, & abſque vllo metu gramina in illis ſponte naſcentia decerpent.

CAP. VIII.

His explicatis, vir ſanctus exponit ma-
gnum quoddã Diuinæ clemẽtiæ myſteriũ,
quod ſibi ſecundũ quietem enuntiatũ fuit.
1 Ait igitur, 1 Et dixit Dominus mihi: Sume tibi
grande volumen, vt ſcribas in eo orationem,
non quidem verborũ copia, ſed ſententiæ pon
dere, & magnitudine, ſatis amplam, & copio-
ſam. Stylo autem humano, figurataq. dicendi

*Et ſcribe in eo ſtylo hominis.*

ratione, vt facilius animis inſculpi poſsit, in il
lo Diuina myſteria deſigna. Sic enim ſcribes,
vt feſtinet ſpolia detrahere, ad prædandum ce
2 leritatem adhibeat. 2 Duobus autem grauiſ-
ſimis hominibus teſtimonium denuntiaui, qui,
eodem ſpiritu afflati, hanc eandem Diuini pue
ti vim, & celeritatẽ teſtificabuntur. Vnus qui-
dem erit Vrias Sacerdos, alter vero Zacharias
3 filius Barachiæ. 3 Videbar autem mihi ad ſemi
nam numine Diuini ſpiritus inſtinctam, & in-
flatam, accedere, quæ, Dei verbo grauida re-
pente facta, filium peperit, & dixit Dominus
mihi: Impone illi nomen, quod fuit a te in vo-
lumine ſcriptum: nempe, feſtina ad diripien-
4 da ſpolia, & ad prædandum accelera. 4 Tantam
enim puer ille celeritatem ſuſcipiet, vt, ante-
quam ſecundum originis humanæ rationem pa
trem, atque matrem agnoſcat, & humanam ſe-
cum naturam inexplicabili ratione deuinciat,
Damaſci potentiam exſcindat, & Samariæ ſpo
lia Regi Aſſyriorum diripienda concedat. His
quidem verbis virginis ſanctiſsimæ, cuius paul
lo ante mentio facta eſt, fuit ab Iſaia prænun-
tiata fecunditas, quæ Dei verbo concepit, &
peperit filium, qui tyrannum immaniſsimum,
cuius impotenti dominatu erat oppreſſum v-
niuerſum genus humanum euertit, admiran-
daque celeritate prædam illius abſtulit, no-
ſtramq. in perpetuum libertatem conſtituit.
Hic idem ſalutis, atque humanæ libertatis vin
dex, multis ante ſæculis, quam ſub humano
habitu, figuraque, terras luſtraret, hoſtium
impetus a ſuis reprimebat; maximaque impe-
ria conuellebat, numenq. ſuum, quo erat dæ-
monis infeſtiſsimi impetium exſtinguendum,
admirandis operibus indicabat. Et, quia ſic
futurum erat, vt in Chriſti Regno nihil eſſec
tumidum, & inflatum, nihil arrogans, & am-
bitioſum, nihil inquietum, & turbidum; ſed
Diuino quodam modo, ſingulariq. ratione,
humilitate, & conſtantia moderandum; iam
eo tempore cerni poterat, qui tandem ad
Chriſti Regnum pertinerent; qui rurſus a ſan
ctiſsimis illius inſtitutis, & placitis, odio a-
cerbo diſsiderent. Qui enim, propter cupi-
ditatem immanium diuitiarum, quietem, &
otium pati non poterant; qui, dum ſibi opes
ingentes pararent, omnia perturbare, atque
commiſcere cupiebant; hi minime quidem
erant in Regno Chriſti cenſendi; ſed in ho-
ſtibus illius numerandi. Erat autem eo tem-
pore, quo Iſaias hæc mandabat litteris, in-
gens horum hominum multitudo. Nam, cum
viderent, quam tenues eſſent opes Regum Iu-
da, & potentiam Regum Iſrael, & Regum Sy-
riæ ſecum animis reputarent, Regnum illud
Ieroſolymæ quietum, & humile, nec tam hu-
manis opibus, quam fide, atque religione mu-
nitum ſpernebant; optabiliusque cenſebant,
ſub Regibus illis eſſe, quamuis eorum fortu-
næ multis fluctibus obiectæ fuiſſent, quam Ie-
roſolymis vitam quiete in mediocri fortu-
na traducere; inanemq. ſpem ingentium di-
uitiarum ſequi malebant, quam opibus me-
diocribus animo tranquillo frui. Neque enim
intelligebant, veras, & ſummas diuitias eſſe
in bonis animi collocandas, omnemq. beatæ
vitæ rationem ad animi tranquillitatem, &
conſtantiam referendam. Horum igitur fu-
rorem, & inſaniam conſiderans Iſaias, & ſi-
mul in illis cernens expreſſam imaginem il-
lorum, qui Regnum Chriſti, propter ſpe-
ciem humilitatis, eorum temeritati contra-
riam contemnunt, & deſpiciunt, eorum a-
mentiam, atque ſcelus exagitat, & illis exi-
tium comminatur. Ait igitur: 5 Hæc etiam 5
dixit mihi Dominus: 6 Quando populus hic

*6 Et adiecit Dominus loqui ad me?*

contemnit Regnum Ieroſolymæ, quod eſt in-
ſtar Siloe, quæ vox Miſſum ſignificat, parui
cuiuſdam fluminis, quod fluit ſenſim, atque
leniter, illiusq. ſummi Regis, qui eſt in ter-
ras mittendus, lenitate, & nomine, & æqua-
bilitate ſui curſus adumbrata, & anteponit
huic Regno imperium Rezim, & imperium
filij Romeliæ, illorumque opes augeri, & am-
plificari deſiderat, 7 ingentem vim in illum 7
incitabo. Influent enim in illius regionem
ingentes Regis Aſſyriorum copiæ fortiſsimæ,
rebusq. omnibus inſtructiſsimæ, quæ, inſtar
maximi fluminis, immodicis imbribus aucti,
non poterunt alueo contineri; ſed, ſuper ri-
pas effuſæ, in omnes circumquaque regiones
redundabunt, 8 eaſque maxima ex parte flu- 8
ctibus ſuis operient, vſque eo, dum e ſum-
ma aqua collum tantum emineat. Ieroſoly-
ma enim tantum, & ea multis incommodis,
atque periculis cincta, remanebit; parumq.
aberit, quin vniuerſus Iudæorum ſtatus flu-
minis vehementer incitati vorticibus obrua-
tur. Exercitus enim Aſſyrius occupabit la-
titudinem terræ tuæ. O Emmanuel, Indi-
gnum, acerbum, luctuoſum. Tantum animi
hoſtibus noſtris additum, vt in terram tutelæ,
atque patrocinio Regis ſempiterni commiſ-
ſam armis inuadant? vicos incendant? vr-
bes occupent? hominibus vitam, & liberta-
tem eripiant. Et tu hæc pateris, o Emma-
nuel? Nec te tui nominis amplitudo, nec
ſummi imperatoris officium, nec eorum fi-
des, qui tibi vitam crediderunt, nec gloriæ
tuæ cauſſa ad impiorum hominum audaciam
comprimendam, populumq. tuum præſenti o-
pe liberandum, excitabit? Nam, ſi vis huius
ſanctiſsimi nominis vere ſignificat in te numẽ
habitare, idq. nobiſcum ſemper fore: &c. ſi

qui Dei præſidio tecti ſunt, nullis opibus op-
primi poſſunt, aut de ſtatus gradu aliqua ex
parte dimoueri; quid magis indignũ eſt, quam
regionem tuam vaſtari, ſupplicesq. tuos aut
crudeliſſime necari, aut in miſeram ſeruitutẽ
9. abduci? 9. Sed nulla cauſſa eſt, cur hanc que-
rimoniam diutius habeamus. Numquam enim
Rex hic noſter nos ope ſua nudabit, numenq.
ſuum ludibrio hoſtibus eſſe patietur. Quamuis
enim eorum ſceleribus offenſus, qui ſummam
contumaciam adhibent in improbitate reti-
nenda, nec ad officium reuerti volunt, hoſtes
in eorum fines immittat; non tamen ita, vt eos,
qui in fide permanent, euertat; Immo tunc
vel maxime, cum impiorum opes comminuũ-
tur, ſuorum dignitatem, & opes amplificat.
Quocirca nullæ ſunt copiæ nobis extimeſcen-
dæ; nulli motus bellorum metuendi; nulla Re-
gum maximorum conſpiratio formidanda. Cõ
iurate in noſtrum exitium, o populi; & tamen,
fracti, atque debilitati, concidetis. Audite om-
nes, qui extremas terras incolitis; ſumma di-
ligentia bellum comparate, vos ipſos, inquam,
ad perniciem nobis inferendam omnibus ar-
mis inſtruite; & tamen, fracti, atque debilita-
10. ti, concidetis: 10. inite conſilium, & irritum
fiet; minas proponite, & erunt inanes: quia
nobiſcum Deus. Hæc enim eſt Emmanueli no-
11. Sicut in manu forti erudiuit me. mini ſubiecta ſententia. 11. Huius enim fidu-
cia Dominus animum meum confirmauit, &
ſpiritus inuicto robore ſtabiliuit, ne populi hu-
ius imbecillitatem imitarer, & mores, & nefa-
12. ria inſtituta ſequerer. 12. Ne vos, inquit, ſocie-
tatis a Regibus initæ fama conturbet, ne vt cõ
iurationis nomen ad timoris indicium in ore
Omnia, q̃ loquitur populus iſte, coniuratio eſt. veſtro, atque ſermone verſetur. Nunc enim
vnus hic populi ſermo eſt, & omnes de hac vna
re loquũtur, &, nimia formidine perterriti, hoc
vnum inter ſe conferunt: quo modo videlicet
duo Reges ſocietatem coiuerint, & de ſtatu Iu
dæorum funditus euertendo coniurauerint, &,
coniunctis copijs, bellum propediem mœnibus
illaturi ſint. Qui enim mea iudicia non timent,
hominum minas extimeſcunt, &, cum primum
aliquis armorum tumultus exſiſtit, ingenti for-
midine quatiuntur, vehementerq. ſunt de vita
ſua, atque de omni rerum ſuarum ſtatu ſollici-
13. ti. 13. Vos vero, qui vitam veſtram pietati con-
ſecrauiſtis, cautionem adhibete, ne metum hu-
iuſmodi metuatis, neque animos veſtros ſimi-
lis terror infringat. Veniat vobis in mentem,
quantum ſit ſummi, atque præpotentis Dei nu
men. Illum ſolum ſumma religione colite; illũ
reueremini; iudiciorum illius metu, contremi-
ſcite. Hic enim metus, atque religio cupidita-
tem refrenat, & libidinem comprimit, animũ-
que egregio cultu, totius decoris, & honeſtatis
exornat; Deumq. hominibus amore deuincit;
Sic autem fit, vt expellat omnes timores, & ani
mos ſollicitudine liberet, atque excelſos, & in-
uictos efficiat. Numquam enim pauebit, quem
Dei metus, atque religio numinis illius, obſtri-
xerit. Non igitur Reges mortales, & interitu-
ros, inanesq. hominum minas, ſed ſempiternũ
cæli dominatorem metuite, ſi vultis ſtatum ve-
ſtrum eſſe firmiſsimo præſidio tectum, ipſiusq.
Dei præſenti ope ſtabilitum. 14. Is enim nobis 14.
ſalutem afferet, magnamq. Diuinæ laudis per-
petuo celebrandæ materiam dabit: At illis, qui
hominum inanem potentiam pertimeſcunt,
exitiũ feret. Erit enim duabus domibus Iſrae- Et erit vobis in ſanctificationem.
lis inſtar lapidis oppoſiti in media via, & inſtar
laquei, atque tendiculæ, ad offenſionis, & ruinę
periculum. Beneficijs enim Diuinis ad ſuam ip
ſorum perniciem abutuntur; &, quo maius, &
clarius eſt Diuinæ bonitatis argumentum, eo
grauius in ſe numen illius incendunt; dum op-
timi parentis bonitatem aſpernantur; &, quo
maioribus beneficijs alliciuntur, eo ſceleratius
in officio delinquunt, grauioremq. in ſe numi-
nis offenſionem concitant. 15. Sic autem fiet, vt 15.
tum præcipue in illis hæreat hoc ingrati animi
ſcelus, & immanis perfidia, cum Dominus ma-
ximam ſuæ benignitatis, & clementiæ ſignifi-
cationem dederit, ſempiternamq. ſalutem per
ſe terris vniuerſis attulerit. Tunc enim quam-
plurimi ex illis, & lucem fugient, & ruent in te-
nebris, & in lapidem offenſionis incurrent; &
interim nec oſtenſi pedem referent; nec, cum
ceciderint, erigentur; nec in ruina leuiter ſau-
ciabuntur; nec, vbi in hoſtium manus incide-
rint, illorum crudelitatem effugiẽt; ſed, vbi pri
mum in lapidem inciderint, titubabunt, & cor-
ruent, &, grauiter alliſi, conterentur, & laqueis
impedientur, & ab hoſtibus in inſidijs poſitis
immaniſsime capientur. Quod non ob ſcelus
gens hæc in tantam miſeriam detrudenda eſt?
Quia Dei cognitionem repulit, inquit Domi-
nus, legisq. diſciplinam aſpernata eſt. Nam, cu-
piditate cæca, ſe totam rebus terrenis addixit,
nec fide mentem ad rerum Diuinarum intelli-
gentiam excitauit. 16. Prænũtia igitur, inquit 16.
ipſe Dominus, huic populo diram cæcitatem,
& amentiam, qua vexandus eſt, ne myſteria Di
uina percipiat. Lex enim erit illis obſignata, Liga teſtimoniũ, & ſigna legem in diſcipulis meis.
Diuinorumq. teſtimoniorum cognitio multis
difficultatibus obſtructa, ne poſsint vllo mo-
do, quamdiu fuerint a mea voluntate abhor-
rentes, Diuinæ ſcripturæ ſenſum percipere.
Nec enim quiſquam poterit arcana legis inſpi
cere, niſi ſe mihi in diſciplinam tradiderit. 17. 17.
At, cum nemo mentem ſuam ad diſciplinæ meę
ſtudium applicare poſsit, niſi pater meus cæle-
ſtis illum ſpiritu ſuo pellexerit, in illũ, qui nunc
ab Iſraelis ſalute eſt auerſus, intuebor; ſum-
mumq. illum Dominum pro meorum ſalute ve
nerabor, vt eorum animos luce ſua compleat,
quãfacillime queant legis, atque prophetarũ
ſenſus mente complecti. 18. Vos igitur, quos 18. Ecce ego, & pueri mei.
moneo, & inſtituo, quos ad fidem, & officium
voco, & ab impiorum imitatione deterreo, ſi
vultis ſimilem caſum declinare, ſalutemq. ve-
ſtram tueri, me intuemini, diſcipulosq. meos,
quos mihi filios adoptaui, patrimonijq. cęleſtis

heredes

heredes inſtitui. Hoc enim pater ille ſummus
edidit eximium io Iſraele, virtutis,& potentiæ
ſuæ miraculum;hoc vnum iuſtitiæ,atque ſancti
tatis ſpecimẽ, ſummumq. bonitatis, & benefi-
centiæ documentum.Qui igitur veram ſapien-
tiam conſequi, ſummumq. cæli rectorem pie,
& caſte veocrari cupit, numqoam a me, nec a
filijs meis, quos dedit mihi Dominus, ( nec e-
nim ſecundum carnem,ſed ſecũdum ſpiritum
illius in lucem ſuſcepti ſuot ) oculos deijciat;
hoc vnum ſapientiæ exemplum conſulat; hanc
vnam iuſtitiæ regulam tam admirandis ſignis
egregie comprobatam ſummo ſtudio ſequa-
tur.19.Nec vllius impuræ,& oefariæ diſciplinæ
dolis, atque præſtigijs, a ſtudio veræ ſapientiæ
diſcedat.Si igitur homioes impij voluerint vos
contagione peſtileoti ſuæ prauitatis inficere,
atque perſuadere,vt in rebus iocertis eos de vi
tæ veſtræ rationibus conſulatis, quos infeſtiſsi
mi dæmonis ſpiritus incitat,qui necromantijs,
& magicarum artium diſciplinis hominibus
imperitis illudunt,qui, ſumma garriendi impu
nitate propoſita, quidquid ſomniant,impuden
ter effutiunt, illorum impiam, & exſecrandam
orationem deteſtamini. Sic autem dicetis: Nũ
populus,qui in ſummi Dei tutela eſt, tanta fla-
grabit ameotia,vt in aliquo alio ſuæ ſalutis ſpẽ
collocandam arbitretur? vt Deum ſnum in re-
bus turbidis, & afflictis non conſulat? vt opem
illius non fidenter imploret? vt ad falſa numi-
na ſupplicitet adeat? vt mortuos pro viuentiũ
20. incolumitate veneretur? 20.Non eſt is mos no
bis, non ratio, non diſciplina. Sic enim ſumus
inſtituti, vt, quamuis omnia bellis ardere vi-
deamus,non demittamus animos,nec inani ſol
licitudine conturbemor.Exploratum enim ha-
bemus, fieri nullo modo poſſe, vt ſummus Do-
minus eos, qui ſeſe ad ſtudium legis illius adiũ
gunt, & fidem vnice colunt, ope ſua deſtituat,
& calamitatibus opprimi patiatur. Vna igitur
tantum nobis cura eſt, atque ſollicitudo, vt le-
gem illius,atque teſtimonium, conſulamus, &
ad illius voluntatem omnia vitæ officia diriga-
mus,noſtroſq. animos ſpiritu illius,atque ſao-
ctiſsima præſcriptione, conformeonus. Quod
quidem ſi, illius ſpiritu confirmati, præſtiteri-
mus,oihil interueoire poterit,quod vitæ noſtrę
ſtatum aliqua ex parte labefactet.Nullis igitur
terroribus,aut periculis addncti, tantum faci-
nus concipiemus. Ad hunc igitur modum per-
ditæ gentis orationem refutabitis. Qui vero
non a ſe hac ſententia impiorum hominum im
portunitatem repulerint,magnum profecto da
bunt ſuæ cæcitatis indicium. In tenebris enim
verſantur, nec matutina vmquam lux illis exo
ritur, qui ſeſe tantæ impietatis ſocietate con-
21. taminant.21. Ergo,inquit Propheta, cum gra-
uior aliquis caſus inciderit,e luce,quam dete-
ſtantur,longius emigrabunt;& huc,& illuc,ani
mo ſuſpenſo,atque ſollicito vagabuntur,nec il
lud vnicum ſubſidium, quod in ſceleris admiſ-
ſi deteſtatione conſiſtit,ſibi parabunt;vt a Deo,

19. Et cum dixerint ad vos: quærite a Pythonibus.

* Numquid nõ populus a Deo ſuam requiret viſionem?

Ad legem magis, & ad teſtimonium.

Quod ſi nõ dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.

à quo ſunt afflicti, remedium conſequantur;
ſed, quod fieri ſolet, cum ſcelos ad ſummum
peruenit, & eſt multis iam acceſsionibus am-
plificatum,quo maioribus malis opprimentur,
eo magis cootra omnem rationem pietatis ob
dureſcent. Cum igitur in eum ſtatum impulſi
fuerint,vt ſint extrema clade conficiendi,qui-
libet eorum, enectus fame, ita concurſabit in
terra malis omnibus oppreſſa,vt nihil omnino
de ſceleris immanitate remittat;ſed tunc & in
Regem ſuum,quem pietate placare debuiſſet,
maledicta congeret, quaſi tantorum malorum
cauſſam attulerit; & in Deum ſuum conuicia
impudenter ingeret,eo quod tantam vim cala
mitatis inuexerit. Cernet enim ſe malis vndi-
que circumueotum,nec vllam ſibi auram affla-
ri conſpiciet. Cum oculos io cælum ſuſtulerit,
illud ſibi grauiter infenſum ſentiet. 22. Cum 22.
rurſus adſpectum in terram demiſerit, illam
tætra clamitate vaſtari, cæciſq. tenebris de-
mergi videbit. Erit enim illis lux Solis erepta,
& caligo tæterrimæ noctis offuſa,denſaq. nebu
la impetu vehementiſsimo concitata magnũ
illis terrorem inijciet; 23. nec vllum poterunt 23.
habere miſeriæ perfugium.

Et iraſcetur,& maledicet regi ſuo.

CAP.IX.

Nec enim mediocre ſcelus ſuſcipient,ſed il-
lud,quo nullum tætrius,atque deteſtabilius co
gitatione fingi poteſt. In maximum enim Dei
ſummi beneficium ſic ingrati erunt, vt ipſum
immortalis beneficij, atque ſempiternæ ſalutis
auctorem immani odio perſequantur.Sub id e-
nim tempus,quo extrema calamitas,quæ vita-
ri oon poterit, Iudæorum rebus imminebit,
ipſe Domious in terris illis verſabitur.

1. Et primum quidem terram Zabulon, & 1.
terrã Neptalim magnis beneficijs afficiet. Pec-
cati enim iugum ab eorum ceruice,qui fuerint
illum ſecuti, depellet. deinde maritimas oras,
& Galilæam, & omnes illas regiones, quæ ſunt
inter mare, & Iordanem interiectæ, docendo
peragrabit; & Iordanem etiam tranſmittet,vt
vniuerſam Iudęam oon ſolum peccato liberet,
ſed maioribus in dies, & amplioribus donis, &
ornamentis afficiat. In iiſdem igitur ipſis lo-
cis,quæ hoſtili impetu vexata, populata,cladi-
bus innumerabilibus afflicta ſunt,quæ impoten
ti dominatu miſerabiliter oppreſſa multos an-
nos iacuerunt; &, quod caput eſt omnium ma-
lorum, peccati iugum acerbiſsimum pertule-
runt;erit ſpes certiſsima ſalutis,atqoe liberta-
tis oſtenſa diuinitus;& clariſsima lux in regio-
nibus illis mortis tæterrima caligine circum-
fuſis orietur.2. Poſtremo Ieroſolyma, & popu- 2.
lus, qui verſabatur in tenebris, & erat peccati
vinculis alligatus, & tyrannidi mortis addi-
ctus,e tenebris emerſus, in lucem Diuinam re-
ſpiciet, ipſumq. Dei filium in illis locis omnia
ſpleudore diſciplinæ ſuæ multo clarius illuſtrã
tem oculis intuebitur, &,peccati dominatu li-
beratus,& e mortis vinculis emiſſus, incredibi
liter exſultabit. 3. Nec gentem, in quam tanta 3.
dona, atque munera coogeſsiſti, Domine, exi-

2. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.

guo

**Multiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiam.**

**guo numero definitam eſſe voluiſti, ne lætitiã quidem mediocrem cunctis gentibus attuliſti; ſed, vt populi tui numerum amplificaſti, ita om**nes, qui tantæ lucis compotes effecti ſunt, magnitudine lætitiæ, atque iucunditatis extuliſti. Lætabuntur in conſpectu tuo, ſicut lætantur agricolæ, cum magnam frugum vbertatem in meſſe percipiunt; & ſicut exſultant victores, cum hoſtibus ſpolia diripiunt.

4 Iugum enim cupiditatis, quod illos grauabat, ab eorum ceruice depuliſti; immaniſſimumq. imperium peccati, quod mortis tributum imperabat, exſtinxiſti; & potentiam hoſtis immanis, qua pœnas grauiſſimas expetebat, perfregiſti; quemadmodum olim, cum Madianitas opera Gedeonis primo impetu profligaſti.

**Sicut in die Madian.**

Non enim armatorum numero, non imperatoris ipſius vſu, atque diſciplina, non deniq. acerrima belli contentione hoſtes in fugam conieciſti; ſed, numine tantum tuo perculſi, & abiecti, cum primum in eos Gedeon trecentis tantum hominibus, ijsq. inermibus, conſtipatus inuaſit, ſubito conciderunt. Quænam tandem fuit illa tanta vis lampadum laternis fictilibus incluſarum, vt, cum primum, fractis laternis, incluſum lumen emicuit, ingens repente pauor hoſtes, & multitudine, & armatorum genere, & immani audacia feroces, & infeſtos opprimeret? Quisnam ille tam horrificus tubarum clãgor exſtitit, vt, cum primum intonuit, hoſtium copias exanimarit, &, mutua inter ſe facta cæde, confecerit? An non ille præclarus, & admirãdus exitus prœlij luculenter expreſsit victoriã inſignem, quam viri Diuini, Chriſti ſpiritu, atque numine confirmati, ſumma cum gloria cõſecuti ſunt? Homines enim pauciſsimi, neque genere clari, nec opibus opulenti, nec litteris eruditi, nec armis inſtructi contra nequitiam, & improbitatem, contra pernicioſos mores, & inſtituta nefaria, contra ſceleratam, & impiam ſuperſtitionem temporis longinquitate corroboratam, contra tyrannorum immanem potẽtiam imperij legitimi opinione confirmatam, atque poſtremo contra Satanæ opes, quæ vniuerſum genus humanum obſeſſum, & vinculis adſtrictum tenebant, bellum animo maximo ſuſceperunt, clariſsimamq. victoriam de omnibus his monſtris, atque portẽtis adepti ſunt. At quibus armis hoc tantum facinus aggreſsi ſunt? Diuinæ lucis ſplendore, qui ex eorum vita, atque moribus eminebat; &, fracta quaſi quadam laterna fictili, carnis cupiditate, & corporis compreſſa libidine, præfulgebat; & Euangelij claſsico, quod omnes inferorum manium copias exterrebat, orbem terrarum a duriſsima ſeruitute in libertatem vindicatũ ſub DEI imperium, ditionemq. ſubiunxerunt. Horum igitur opera fuit hoſtis abiectus, exſuuiæ detractæ, tyrannis deleta, libertas egregie conſtituta.

**5. Quia omnis violenta prædatio.**

5. Illa ſiquidem omnia crudeliſsimæ victoriæ trophæa, quæ ſibi hoſtis ad ſui nominis, & gloriæ monumentum ſuperbe defixerat, illi cla**mores inſani, quibus in acie terrorem imperitis inijciebat, illæ veſtes, imbutæ ſanguine, quibus crudelitatem, & ſæuitiam miſeris oſtenta**bat, ſubito flammis vltricibus aſſumptæ ſunt.

6.

6. Sed, vnde, quæſo, tam Diuina virtus ad homines peruenit, vt omnes hoſtium copias impetu peruerterent, & orbem terrarum Dei imperio ſubiugarent? Totum id quidem potentia, numine, & imperio Diuini pueri geſtum fuit, ad humani generis ſalutem in terris exorti.

**Paruulus enim natus eſt nobis.**

Puer enim natus eſt nobis, patriſq. ſempiterni filius nobis ab ipſo Deo donatus eſt, qui terras vniuerſas imperio reget, atque moderabitur; nec ad ſuum emolumẽtum, & quæſtum, opibus Regijs abutetur; ſed ipſum imperium, quaſi onus ſibi impoſitum, humeris ſuſtinebit, ſummoq. labore, & induſtria iuriſdictionem conficiet, Regnumq. totum ex voluntate patris adminiſtrabit, omnibusq. rationibus, vt ſuos florentes, atque beatos efficiat, elaborabit. Vocabitur admirabilis, Cõſiliarius, Deus, Fortis, Pater ſobolis ſempiternę, Princeps pacis. Admirabilis quidem; partim, quia virginis aluo mirabiliter includi voluit, vt inde ſub hominis forma latenter exſiſteret, ad tenebras exortu luminis ſui diſpellendas; partim, quia admiranda ratione perfecit, vt imbecillitas potentiam euerteret, humilitas amplitudinem de gradu deijceret, ignobilitas claritatem obrueret, ignominia gloriam, & decus obſcuraret; atque poſtremo mors aditum ad immortalitatem cunctis mortalibus aperiret. Conſiliarius; non ſolum, quia diuinorum omnium conſiliorum ſemper particeps, & adminiſter exſtitit; verum etiam, quia ſalutaribus monitis, atque conſilijs ſuos inſtruit, & ad cognitionem Diuinæ voluntatis frequenter erudit. Deus; quia æquali cum patre, a quo ex omni æternitate genitus eſt, Diuinitatis gloria circumfluit, & omnis bonorum complexio, beatæq. vitæ ratio illius munere, & beneficio continetur. Fortis; quia immanes vires hoſtis antiqui perfringet, & de omnibus inimicis clariſsimum triumphum ducet, & in cælum tãdem ſumma cum gloria bellorum omnium victor adſcendet. Pater ſobolis ſempiternæ; quia ſpiritu ſuo genus florentiſsimum nullis vmquam ſæculis interiturum generabit. Princeps vero pacis appellabitur; quia genus hominum in gratiam Patris ſummi reſtituet. Id enim tollet omnino, quod Dei cum hominibus coniunctionem dirimebat, nempe peccatum; quod quidem ſanctiſsimis ſacris expiabit, & cupiditatis immanitatẽ profligabit, & mortalium animos quietos, & tranquillos efficiet.

7.

7. Imperium ſuum latiſsime propagabit, & opibus ſummis augebit, eamq. pacem ſanciet, quæ nullum finem ſit habitura. In Dauidis Regali ſolio ſedebit, Regnumq. illius obtinebit, veroſque Iudæos, qui non corpus inciſione cutis inſignitum, ſed animum fide purgatum gerunt, ſalutari lege deuinciet, vt totum Regni ſtatũ & ſapientia dirigat, & opibus illuſtret, & vir-

tute

tute confirmet; neque Regium ius, & imperiũ
definito temporis ſpatio, ſed in omnium ſæcu-
lorum æternitate, Diuinis legibus, & inſtitutis
adminiſtret. Hoc autem tantum beneficium
non erit vllis hominum meritis, atque virtuti
tributum, ſed ab immenſa Dei benignitate, ſe-
ueriſsimiq. iudicij ſanctitate profectũ, vt eos,
in quibus fides exſtiterit, clementer in fidem
recipiat, & ad ſuum nomen adiungat; eos vero,
qui placitis illius obſtinate reſiſtunt, opera hu-
ius Regis ſanctiſsimi ſeuerius vlciſcatur. Hac
quidem oratione Iſaias Regnum Chriſti florẽ-
tiſsimum deſcribit, & in tantorum bonorum at
tentiſsima conſideratione mirandum in modũ
exſultat. Deinde redit ad Iſraelis inſectatio-
nem; vt doceat, quam ſe indignam præbuerit
gens illa omnibus Diuinis beneficijs. Tanta e-
nim perfidia prædita erat, vt, quaſi hoc vnum
haberet in vita propoſitum, vt vſque ad extre-
mum vitæ ſpiritum cum Diuina benignitate
certaret, ita ſemper Dei ſpiritui repugnabat;
&, quo vehementius aliqua ærumna premeba-
tur, eo impudẽtius in ſcelere perſiſtebat. Cum
enim vel bellum, vel morbus, vel fames, vel gra
uius aliquod malum illis hominibus accide-
bat, non ad Dei numen offenſum eas calamita-
tes, quibus vexabantur, ſed ad fortunam refe-
rebant. Eorum igitur amentiam propheta re-
8. Verbum miſit Dominus in Iacob.
darguit. Sic enim ait: 8. Dominus quidem per
prophetas ſuos prænuntiauit Iſraeli graues
ærumnas, & cladem funeſtiſsimam. quæ omnia
9. ſic euenerunt, vt prædictum fuerat. 9. Hoc au-
tem minime obſcurum fuit. Nam Diuinorum
hominum prædicta ſatis illuſtria fuerunt; & e-
uentus horribiles neminem eorum, qui ad Iſ-
raelis Regnum pertinebant, & Samariam inco
lebant, latere potuerunt; & tamẽ nec ſic ſuper-
bia Samariæ deprimi, & arrogantia ſedari po-
tuit. Sic enim animati ſunt homines illi perdi-
tiſsimi, quaſi clades illas, quibus ſunt afflicti,
fortuna, & caſus inuexerit, non cæleſte numen
importarit. Nihilo igitur meliores plagis fiũt,
ſed deteriores in dies euadunt. Interim vero,
inaniſsimis opinionibus inflati, ſummam ſibi
bonorum omnium affluentiam confidenter, &
10. Lateres ceciderũt, ſed quadris lapidibus ædificabimus.
temere pollicentur. 10. Mediocres, inquiunt,
opes amiſimus; ſed multo maiores adipiſce-
mur. E mediocri ſtatu deiecti ſumus; ſed multo
maiorem, & ampliorem recuperabimus. 11. Do
minus igitur in tantã ſuperbiam multo acrius
11. animaduertet. Hoſtes enim Rezim corrobora
bit; opibusq. ſummis ornatos, & inſtructos, cõ-
tra eos incitabit; & eorum copias vndique co-
12. get, vt illos ſummis viribus oppugnent: 12. fa-
ciet denique, vt ancipiti bello diſtrictus Iſrael
omnibus ſimul bonis euertatur. Syrij ab ortu
Solis eius fines adorientur; Palæſtini ab Occa-
ſu in eum inuadent; & omnia, quacumque fe-
rent impetũ, ferro, & flamma populabuntur; &
tamẽ ira Domini non eſt auerſa, ſed adhuc ma
nus illius eſt ad eos multo acrius vulnerandos
13. intenta. 13. Nec enim voluit populus iſte ad

Deum, a quo eſt clementiſsime percuſſus, con-
uerti; nec illius opem implorauit; nec inflictis
vulneribus remedium requiſiuit. 14. Dominus 14. Et diſperdet Deus ab Iſrael caput, & caudam.
igitur in Iſraelem, quaſi in quoddam animal
ferum, & indomitum, impetũ faciet, & ab illo
caput, & caudam exſcindet, omniaq. nemora,
in quibus latitabat, ferro demetet; ita, vt nec
arborum frondes, nec iunci a vaſtitate intacti
remaneant. 15. Homines quidem, qui ſenili qua 15.
dam auctoritate ſuſpiciendi ſunt, populi Ca-
put appello. Pſeudoprophetas autem, qui prin-
cipibus adulantur, & turpiſsimi lucri gratia
populo blandiuntur, Caudam nomino. Quid e-
nim contemptius, & abiectius animo fingi po-
teſt, quam aſſentari diuitibus, & populi cupidi-
tatibus inſeruire, linguamq. venalem habere,
& ſub ficta ſpecie religionis e mendacijs perni
cioſiſsimis victum comparare? Ergo, & homi-
nes primarij ſuperbiæ, & falſi prophetæ vanita
tis pœnas dabunt, omnesq. illorum opes diriſ-
ſimæ cladis impetu vaſtabuntur. 16. Qui popu- 16.
lum hunc regendum ſuſcipiunt, eum in peſtife-
ros errores adducent; &, qui ſeſe ad eorum du-
ctum, & imperium applicant, principumq. ne-
faria iuſſa Dei præceptis antoponunt, eorum
tyrannide, & immanitate deuorandi ſunt. 17. 17. Propter hoc ſuper adoleſcentulis eius non lætabitur Dominus.
Propterea Dominus, cuius beneficio in ætatis
flore, atque robore vigent adoleſcentes, qui pu
pillorum pater, & viduarum patronus haberi
vult, vniuerſam hanc gentem ita præſidio ſuo
nudabit, vt nec adoleſcentes robore fulciat,
aut vlla iucunditate voluptatis alliciat, nec po
pulis opem vllam afferat, nec viduarum miſe-
riam vllo ſolatio ſubleuandam curet. Omnes Omnis enim hypocrita eſt, & nequam.
enim iuſtitiam nefarie ſimulant, cum ſint crimi
nibus infinitis alligati, & ad inferendam perni-
ciem prompti ſunt, linguamq. ad maledicen-
dum celerem, & exercitatam habent. Ideo nõ
eſt auerſa ira Domini; ſed adhuc manus illius
eſt ad eos multo altius vulnerandos intenta.
18. Ipſi enim ſibi materiam exitij præbent. Ex- 18.
citat enim impietas incendium; & primũ qui-
dem ſpinas, atque vepres exurit; deinde, vbi
paullatim vires colligit, in denſa, & opaca ſilua
ignem implicat, & arbores altiſsimas inflam-
mat; fumus denſus, & ater in ſublime fertur; vt
ijs etiam, qui procul habitant, horribili ſpecie
terrorem incutiat. 19. Propter iram ſummi il- 19.
lius Imperatoris tætra quædam nox, & caligo
terris offuſa eſt, vniuerſusq. populus, quaſi quæ
dam ſilua, ignem concipiet, qua tandem ſubito
conflagrabit. Primum igitur inteſtinis bellis
ardebit, peſtiferaq. ciuium inter ciues diſſen-
ſione diſsipabitur. Omnes in mutuam cædem Vir fratri ſuo nõ parcet.
ruent; nec eos naturæ communio, aut ſangui-
nis propinquitas a tanta ſceleris immanitate
reuocabit. 20. Impetum quiſque faciet huc & 20.
illuc, & e bonis fratrum ſuorum prædabitur;
nullis tamen ſpolijs poterit auaritia expleri;
nullo ſuorum ſanguine crudelitas importuna
ſatiari. Tanta porro flagrabunt amentia, vt nõ
videant ſe ſibijpſis, cum ciuium, atque fratrum

ſuorum

ſuorum vires conſumunt, interitum, & exitiũ
machinari. Perinde enim, ac ſi corporis vnius
membra inter ſe hoſtili odio diſsiderent, & os
dentibus ſuis brachium manderet, atque conſi
ceret,& ſimili furore in reliquas corporis par-
tes inuaderet, neceſſe tandem eſſe totum illud
corpus,quo os etiam continetur, interimi; ſic,
cũ in ciuili tumnltu,atque diſſenſione,alij alijs
peſtem, & exitium comparant, Remp. vniuer-
ſam immaniſsime iugulant; & ita ſibijpſis per-
21. niciem, & interitum moliuntur. 21. Sic igitur
Hebræi, cum ſeipſos mutuis cædibus impie tru
cidauerint,iam, antequam, viribus abſumptis,
in hoſtium poteſtatem perueniant, non medio
cres impietatis pœnas ea diſſenſione luent. Ma
naſſes enim impetum faciet in Ephraim; cõtra
Ephraim infeſta ſigna inferet in Manaſſem; &
vterque ſimul arma mouebit contra Iudam;
& tamen,in his tantis malorum acerbitatibus,
ira Domini non eſt auerſa; ſed adhuc manus
illius eſt ad eos multo acrius vulnerandos in-
tenta.

CAP. X. 1. Porro autem, quamuis numen Domini
s. omnibus improbis iratum ſit, merito tamen
eſt Principibus multo acerbius infenſum. Quid
enim indignius, quam, eos,qui legum, & iudi-
ciorum ſeueritate,egregiæq. virtutis exẽplo,
cupiditates aliorum frenare debuiſſent, eſſe re
liquis hominibus,qui eorum moderatione con
tinentur,auctores ſceleris, & improbitatis;om
nemq. rationem ſui muneris adminiſtrandi ef-
frenata cupiditate metiri? At Iſraelis princi-
pes eo progreſsi ſunt, vt ad ſuum quæſtum, &
commodum, leges ſcriberẽt, & iura ſancirent,
quibus opes ingentes domi coaceruarent. O
ſceleſtum,& immane facinus. O intolerandam
cupiditatem. O minime ferendam impiorum
hominum potentiam, qui legum auctoritate
ſuam improbitatem tegere, & occultare nitun
tur, vt, quod ſceleſtiſsime faciunt, iure facere
exiſtimentur, Leges iniquiſsimas ferunt, iuraq.
2. ſcelerata deſcribunt;2. vt dolore, & ſollicitudi
ne multos mortales afficiant; vt a pauperibus
populi mei contra fas cauſſas abiudicent; vt vi
duas iniquo iudicio circumueniãt; vt ex pupil-
3. lorum bonis prædas faciãt. 3. Et, quid tandẽ fa
cietis, o miſeri, in die illo diriſſimo,atque fune
ſtiſſimo,qui eſt a domino præſtitutus, vt in ho-
minum ſcelus vindicet, & vaſtitatem commu-
nibus rebus inferat? quod vobis perfugium cõ-
parabitis? cuius auxiliũ implorabitis? cuius
cuſtodiæ opes, & gloriam veſtram credetis,at-
4. que committetis? 4 nec enim aliter crudeliſſi-
mam necem vitare poteritis, niſi hoſtibus, qui
vos ferro vinctos grauiſſima ſeruitute premãt,
dedamini. Niſi enim cum reliquis captiuis fer-
reis vinculis alligati fueritis, & duriſſimum ſer
uitutis iugum ſubieritis, certe cum illis, qui in
acie ceciderint,vulneribus fœdis conciſi,peri-
bitis. Et tamen in his omnibus malis ira Domi
ni non eſt auerſa; ſed adhuc illius manus eſt ad
ferien dum multo acrius intenta. Hac oratio-
ne vir ſanctus impios cruentat,& vulnerat,iu-
dicijq. Diuini cõmemoratione perterret. Hoc
autem in loco, cum mente proſpiceret, Aſſy-
rium, quem dominus inſtruxit, & armauit, vt
illius opera in Iſraele ſcelus,& impietatem vin
dicaret,tam intoleranda ſuperbia tumentem,
vt Deum ſperneret, ſibiq. omnes victorias at-
tribueret, in eum inuehitur; Deumq. inducit,
illos immanes ſpiritus, & illam oris importuni
contumaciam orationis acrimonia refutantẽ.
5. Væh, inquit dominus, Aſſyrio: illo quidem, 5 Væh Aſſur.
vt virga, vſus ſum, vt nocentes homines acer-
rime flagellarem,odiumq. meum in eorum im-
probitatem, & ſcelus expromerem. Itaq. hoc
munus illi, & exercitui illius delegaui, vt mei
numinis offenſionem vindicarent, & ſcelerum,
quę in me homines ſuſceperunt, vltores exſiſte
rent. 6. Illum igitur contra gentem fallacem,& 6.
impiam, qui in ſanctitatis ſpecie, & ſimulatio-
ne, ſcelera infinita concipit, meumq. in ſe nu-
men nefarijs factis irritat, incitabo; vt illã bel-
lo victam, atque ſuperatam, ſpoliet; vniuer-
ſamq. illius regionem, quaſi platearum lutum,
proculcet. 7. Is vero non ſic arbitrabitur; nec il 7.
li veniet in mentem, ſe meo numine, atque vo-
luntate fuiſſe tantas victorias aſſecutum. Ela-
tus igitur,& inflatus,quaſi viribus,& induſtria
ſua ad tantas opes peruenerit,de multarum e-
tiam nationum cæde, & interitu, cogitabit; &
animo perniciem, & vaſtitatem gentibus quã-
plurimis molietur. 8. Sic enim dicet: Numquid 8.
principes, qui meo continentur imperio, Re-
ges non ſunt,ita, vt ſim Rex Regum optimo iu
re nominandus? 9. Numquid non,quemadmo- 9.
dum Arphad,ſic etiam Hema meis copijs exci-
ſa fuit? Non, vt Damaſcum, ita Samariam va-
ſtaui? 10. Nec humanæ tantum opes, verum e- 10.
tiam Diuinæ, meæ potentiæ ceſſerunt. Omnes
enim regiones, in quas impetum feci, numina
colebant,& ſacra ſingulari cærimoniarum ſan
ctitate faciebant: & tamen nec deorum ſuorũ
auxilio potuerunt meæ potentiæ repugnare.
Regna equidem quamplurima cepi,quæ erant
in ſuorum deorum tutela, atque patrocinio; eo
rumq. ſimulacra demolitus ſum; quamuis eſ-
ſent non minore ſanctitate culta,quam ſimula-
cra Samariæ,atque Ieroſolymæ. 11. An non Sa- 11.
maria eandem religionẽ colebat; & tamen nec
ea quidem potuit meis armis obſiſtere? Quid
igitur impediet, quo minus eadem vi, qua Sa-
mariam deleui, illiusq. deos in meam poteſtá-
tem redegi, ſimiliter Ieroſolymam expugnem,
illiusq. deos, atque ſimulacra, conuellam? His
quidem verbis Rex impius in ſe numen irrita-
bit. 12. At, poſtquam Dominus opus ſuum ab- 12. Et erit cum impleuerit Dominus cuncta opera ſua.
ſoluerit, fructumq. iudicii ſui fuerit conſecu-
tus, hoc eſt, poſtquam impios euerterit, &
ſuos rebus aduerſis crudierit,& in Sione, & Ie-
roſolymis religionem inſtaurauerit, & ad hæc
omnia,opera Tyranni vſus fuerit,iram ſuam re
pente in illum conuertet. Animaduertam, in-
quit Dominus, in ſuperbiam, & arrogantiam
Regis

Regis Aſſyrij,& de præcipitis, & effrenatæ men
tis elatione debitas tandem pœnas repetam.
13. 13.Sic enim ſecum loquitur: Viribus,atque vir
tute mea præclara facinora in rebus bellicis
effeci; ſapientiaq. mea tanti imperij munus ad
miniſtraui. Sum enim non ſolum animi excel-
lentis altitudine, verum etiam ſapientiæ ma-
gnitudine, præſtantiſsimus. Itaque regionum
terminos moui,vt,terris latiſsime cõtinuatis,
imperium meum in vltimas terras dilatarem.
opes abſtruſas,atque reconditas diripui;& om
nes, qui fuerant in Regali dignitate locati, de
omni ſtatu,meæ virtutis magnitudine,deturba
14. ui. 14. Manus mea,quaſi nidum,omnes populo
rum copias inuenit; &,quemadmodum colligũ
tur oua ab auibus derelicta, omnes omnium
fortunas, in quibus homines incubabant, fa-
cillime congregaui; nec interim fuit, qui alis
15. erigi,& ore ſtrepere,atque garrire,auderet.15.
His cogitationibus elatus, Aſſyrius tantum ſi-
bi aſſumit, & arrogat, vt contra Deum ipſum,
cuius voluntate,& conſilio commouetur,inſur
gat.Quo quidem facinore,quid tandem furio-
ſius,& immanius excogitari poteſt?Num ſecu-
ris aduerſus eum, qui ea ipſa materiam cædit,
extollitur? Num ſerra gloriatur aduerſus illũ,
qui eam agitat?Non eſt,non eſt lignum cum eo
comparandum, qui non ſolum virgam,ſed vir-
gam etiam efferentes, quocumque illi lubet,
impellit, atque fuſtem facillime ei, quem vult
cædere, flagris impingit. Quid enim aliud eſt
Senacherib, quam agreſte quoddam lignum,
ad nullum rectum munus, & officium accom-
modatum? Quis autem ex illo virgam ad im-
pios homines verberandos expoliuit? Quis eã
mentem multis nationibus iniecit, vt eum ho-
noribus ſummis extollerent, & illius imperiũ
ſequerentur? Quis poſtremo,& illum,& homi-
nes,qui illum extulerunt,agitat, & impellit,eo
rumq. opera hominum perditorum temerita-
tem coercet, & comprimit? Ille profecto ſum-
mus Dominus,cui omnia ſeruiunt, & cuius ſa-
pientia omnia,quamuis inordinata eſſe videã-
tur,ad ordinem reducuntur,ita, vt Tyrannorũ
etiam victoriæ numen illius, atque decus illu-
ſtrent. Quid igitur amentius illo tyranno, qui
ſibi vni vires,ſibi potentiam, ſibi victorias om-
nes,adſcribit;atque,quaſi non eſſet lignum Dei
manibus agitatum, aduerſus ipſum Dominũ,
qui eum ad tantas opes euexit,bellum compa-
16.Propter hoc mittet Dominus exercituũ in principes eius tenuitatẽ.
rat? 16. Propterea cæli dominator,cuius impe
rio agmina cæleſtia continentur, illius princi-
pes euertet, eorumq. opes cõminuet, gloriæq.
illius ignem ſubijciet,& extremæ cladis incen-
dium concitabit.17. Itaque is,qui lumen porri
git Iſraeli, qui ope illius confidentes ab interi-
17. tu liberat,cuius luce pij cum inſigni animi ſecu
ritate fruuntur, excitabit numine ſuo flammã,
quæ vepres,& ſpinas ſimul incendat, atque de-
uoret, & denſi nemoris amœnitatem, & agros
cultiſsimos, & nitidiſsimos repentino incẽdio
18. conficiat, atque conſumat. 18. Simul enim, &
militum multitudinem, & exercitus duces, cũ
omnibus opibus, & decoris parti monumentis,
exſtinguet, atque delebit; totumq. hominem,
quem ignis ille corripuerit, & corpore, & ani-
mo cruciatum,ſempiterno ſupplicio mactabit.
Quemadmodum autem,dum ſignifer ſeſe in fu
gam conijcit,omnium ſuorum animos frangit,
ſimulq. fugere compellit; ſic & Rex impius, cũ
ſeſe e tanta clade proripere conatus fuerit,om
nes ſibi ſubditas nationes,magnitudine ſummi
cuiuſdam metus, atque formidinis, exanima-
bit. 19. Tanta autem erit paucitas eorum, qui
euaſerint, vt puer paruulus eorum numerum 19. Et reliquiæ ligni ſaltus eius præ paucitate numerabuntur.
facillime recenſere queat.20.Eo quidem tem-
pore reliquiæ Iſraelis, quæ tantam vim turbi-
dæ tempeſtatis euaſerint, non vlterius ſpem ſa
lutis in opibus principum,a quibus contra fidẽ 20.
interpoſitam ſæpe percuſſæ ſunt,poſitam habe-
bunt. Experiendo enim ſentient, quam inanes
ſint opes hominum,cum animaduerterint,quã
ſubito ſummi principes ex ampliſsimo ſtatu cõ
cidant, maximaq. imperia momento tempo-
ris euaneſcant;& quanta perfidia ſit in homini
bus,cum recordatæ fuerint, quanta vulnera ab
Aegyptijs,& Aſſyrijs,quibus ſe dediderãt,mul-
tis in locis acceperunt.Omne igitur ſalutis ſuę
præſidium in Domino, qui Iſraelem ſumma fi-
de tuetur, atque conſeruat, vere, & ex animo
collocabunt; & clementia illius totis animi vi-
ribus innitentur. 21. Non enim vniuerſum ge- 21.
nus Iſraelis interibit. Reliquiæ enim ad Deum
conuertentur; illiusq. gratia conſeruabuntur:
reliquiæ, inquam, generis Iacobi ſtirpe pro-
creati conuertentur ad Dominum, cuius vt fi-
des violari non poteſt, ita neque ſumma pote-
ſtas infringi. 22. Non igitur gens impia, quæ 22.
perfidia ſua Deum a ſe abalienauit,inaniſsimis
opinionibus inſoleſcat, neque ſe ſemper inco-
lumem fore confidat. Vt enim numerus populi Si enim fuerit populus tuus, o Iſrael, quaſi arena maris.
tui,o Iſrael,tã multiplex exſiſtat, vt ſit,quẽad-
modum olim fuit principi tui generis oſtẽſum,
cum arena maris multitudine comparandus,
reliquiæ tantum ad Deum fide conuerſæ ſalutẽ
illius gratia conſequentur. Nec enim multum
refert, quali genere ortus ſis, ſed, quanta fide
pietatem colas;neque, quos gentiles numeres,
ſed,quorum veſtigia perſequare.Nec enim Do
minus genere, ſed fide allectus eſt, vt cum ſan-
ctis hominibus fœdus ſanciret;nec humanæ no
bilitati, ſed fidei claritati præmia Diuina pro-
poſuit.Cum igitur tantum fidei naufragium fa
ctum ſit, relinquitur, vt Iſraelis nomen maxi-
ma ex parte deleatur,& reliquiæ tantum Diui-
no beneficio,& munere conſeruentur.Omnem
liquidem perfidiæ, & ſceleris impietatem ex-
trema calamitas, ſtabili iudicio definita,confi-
ciet; & ira Domini omnes, qui fidẽ abiecerint,
vaſtitate conſumet. Quod tamen impiorũ exi-
tium,& vaſtitas in eorum, qui permanſerint in
fide,fructum mirifice redundabit. Tunc enim,
vel maxime,ex ea ipſa clade iuſtitiæ,ornamen-
tis, & inſigni pietatis laude circumfluent. 23. 23.

Nec

Nec ſolum oonc Dominus impietatem iudicio
peruertet; ſed iam pridem eſt hoc fixo, & ſtabi-
li decreto illius conſtitutum, vt in omni terra,
io omnium gentium conſpectu, vaſtitatem mo
do tamen electorum gratia definitam rebus
humanis inferat; & omnes, qui fide fulti non
fuerint, exſtinguat, & deleat, & fideles clemen-
24. Propter hæc dicit Dominus exercituũ. tiſsime tueatur. 24. Quare, in hac tam dira ca-
lamitate, quæ omnibus conſceleratis homini-
bus impendet, bis verbis Domious exercituũ
eos affatur, qui io numine illius acquieſcunt,
omnemque ab eorum animis metum abſter-
git: Ne Aſſyrium metuas, o geos, quæ Sionem
incolis, meæq. fidei ſalutem tuam credidiſti.
Is quidem virga te percutiet; ſæuitiamq. ſuam
contra te furenter excitabit; & ex ea plaga ma
gnum fructum percipies, quemadmodum olim
in Aegypto ex hoſtium immanitate percepi-
ſti. Tantum enim poteſtatis in te hoſti tuo con
ceſsi, quaotum ſat fuit, vt te opera illius caſti-
garem, oon vt ab illo exſtingui permitterem.
Illum deinde perdidi, & diro ſupplicio macta-
25. ui. 25. Sic autem nunc ira mea breui remitte-
tur; indignationiq. meæ modum præfioiam.
Facile namque reſipiſces, & erratorum veniã
impetrabis; omniſq. offenſio mea in illorum,
qui te vexauerint, ignominiam, & dedecus, re-
26 Et ſuſcitabit ſuper eum Dominus flagellum. dundabit. 26. Excitabit enim tunc Dominus
in Aſſyrium flagellum ſuum, eumq. concidet.
Quemadmodum enim olim Madianitæ io pe-
tra Oreb, quæ ex cæde hoſtis immaniſsimi no-
men obtinuit, conciſi ſunt; & vt Aegyptij flucti
bus maris obruti fuere; ſic etiam Aſſyrij nomẽ
27. Et computreſcet iugum a facie olei. erit numine illius exſtinctum. 27. Tunc igitur
onus ab illo tuis humeris impoſitum abijcies;
ſeruitutiſq. iugum a ceruice tua depelles; Re-
gniq. ſacroſancti dignitas, & vnctio, tantas re-
pente vires obtinebit, vt duriſsimum hoſtis im
manis, & importuni, dominatum facile perfrin
28. gat. 28. Rumores autem de celeritate hoſtis iã
iam mœnibus appropinquantis, qui tantum
terroris afferebant, obmuteſcent; nec vltra il-
lius mentio fiet. Iam, inquiunt, Haiat occupa-
uit, iam Magron poſt terga reliquit, vt in Ma-
29. chmas arma recenſeat; 29. iã Gheba vada trãſ-
miſit, ibiq. propius nos ad pernoctaodum ca-
ſtra locauit. Rama, formidine perculſa, cõcidit;
Gybæath Saulis ſeſe præcipitẽ in fugam dedit;
30. 30. eiulatu, atq. plangore, exitium tuũ lamẽta-
re, Galim; tuq. etiã Laiſa, quę tibi calamitas im
mineat, attẽde; & humilis ciuitas Anathoth in
31. teritum deplora. 31. Cõmota eſt ſedibus Madẽ
oa; Ciues Ghebim, animos ex repentino pauo-
32. re reficite. 32. Dum dies eſt, io Nob commora-
bitur. Inde brachij iactatione Monti Sion, & vr
bis tumulis in proſpectu poſitis igni, ferroque
33. minitabitur. 33. Hi quidem crebri rumores
multos mortales metu exanimabuot, & ingen
ti pauore concutient. Sed hi tanti motus ſubi-
to cõticeſcent. Apparebit enim repente oumẽ,
ſummuſq. cælitum Imperator in illius opes io-
uadet; & tyrannum iſtum, florentem opibus,
tamqoam viridem ramum, trunciq. robore, &
altitudine, nixom, & diffuſis frondibus omnes
circumquaquę ſedes opacantem, iniecta formi
dine, proſternet, & amputabit. 34. Proceræ ar- 34.
bores exſcindentur; ſumma ſiluarum faſtigia
ſternentur; dumeta etiam ferro demetentur; &
oemus Libani valida manu præciſum; omoes
denique opes, & copiæ, quibus impij homioes
efferuntur, ſubita ruina concident.

CAP. XI.

1. Quod ſi vobis, o ciues mei, quos mecum 1.
non tam vnus vrbis ambitus, quam vnius fidei
ratio coniungit, in meotem venerit, admirari,
quo modo pietas cum omnibus malis ioterclu
ſa eſſe videtur, ope Diuinitus allata reſpiret,
& ſumma dignitatis ornamenta conſequatur,
quãto ſtudio rebus humanis Dominus conſu-
lat, atque proſpiciat, quãta vi, vt ſuos tueatur,
tyrãnis obſiſtat, illorumq. potentiã euertat, ſi
animũ ad alia beneficia multo maiora, & am-
pliora, cootuleritis, oõ ſane magnam vobis hic
Senacherib caſus, & ciuitatis ſanctæ libertas,
admirationẽ commouebit. Nam, cum opes no- Et egredietur virga de radice Ieſſe.
ſtræ penitus acciſæ videbuntur, & ſpes priſtinæ
dignitatis recuperãdæ propemodũ abiecta fue
rit, cum ſempiternus hoſtis generis humani v-
niuerſom humanum genus obſederit, & om-
ois virtutis, & officij, diſciplina conciderit, ex
ipſo Ieſſe trunco, multis aote ſæculis exciſo, &
ramis, & frondibus ſpoliato, omniq. dignita-
te deiecto, atque adeo ex ipſa radice ſub terrã
ita demerſa, vt nulla pars illius emineat, virga
pullulabit, & ramus erũpet, qui attolletur, atq.
frondeſcet, vt oẽs terras imperio ſuo cõtineat,
bonorumq. ſuorũ fructibus omnes expleat, qui
ſeſe cum illo amore, atque pietate, coniunxe-
rint. Hic aũt erit Rex ille Chriſtus, qui ex Ieſſe
ſtirpe orietur. 2. Erit autem is omnibus Regijs
artibus, atque diſciplinis, inſtructiſsimus, om-
niumq. virtutum maximarum gloria præcel-
lens. Spiritus enim Domini in mente illius in Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.
hærebit, ſempiternamq. ſibi ſedem in eo col-
locabit, vt illius animum omnibus ſummis o-
pibus, & ornamentis, illuſtret. Ioſtruet men-
tem illius ſapientia, qua oaturam Diuinam, &
opes cæleſtes, inſpiciat; & intelligentia, qua fa-
cillime veram pietatem, & religionẽ, a ſimula-
tione religionis internoſcat. Confirmabit ani-
mum illius conſilio, ad hoſtium inſidias callide
præcauendas; & inuicto qoodam robore, ad eo
rum impetus fortiſsime reprimendos. Orna-
bit illum ſcientia, qua ſuis ope, & gratia, conſu-
lat; & omnes, qui illum ſecuti fuerint, ſempiter
nis bonis, & ornameotis Diuinis, afficiat; 3. & ti 3.
more Domini, quo iniquitatem, & ioiuriam,
deteſtetur, & omnia, quæ cum Diuina lege pu-
gnant, e Regni ſui finibus expellat; facietque
poſtremo, vt odorem virtutum omnium, qui ex
pietate illius afflabitur, in omnes partes looge
lateque diffundat; multoſque mortales ad ſe,
ſuauitate, atque iocuoditate illius, alliciat. Nõ
ſecundum oculorum adſpectum iudicabit; nec
ſecuodum auditionem, quam auribus accipiet,

ſententiam proferet. Nec enim ſenſus, qui er-
rare,& decipi poſſunt,& hominum fallacijs ſæ-
penumero perſtringuntur, ſed mentem Diui-
nam, in qua nulla erratio, nulla temeritas in-
eſt, & omnia, quæ intrinſecus in homine latēt,
& ſimulationum inuolucris obteguntur, clariſ-
4. Sed iudicabit in iuſtitiam pauperes. ſime videt, in conſilium adhibebit. 4. Ergo cauſ
ſam pauperibus, iniquo iudicio circumuentis,
adiudicabit;& eorum improbitatem, qui con-
tra ius,& fas, mites, atque manſuetos, bonis e-
uertunt, ſeueriſsime refutabit; omnesq. morta
les, terrenis opibus inhiantes, qui numquam o-
culos in cælum tollunt, verbo ſuo vulnerabit;
& impietatis principem, & auctorem, oris ſui
5. ſpiritu conficiet. 5. Non autem ſe ſegnitie cor-
rumpi, aut deſidia lāgueſcere, patietur; ſed erit
promptus, atque paratus, ad Regium munus
ſtrenue perfungendum; ita tamen, vt omnis il-
lius alacritas,& induſtria, in iuſtitię ſanctitate,
& fidei robore, & firmitate, conſiſtat. Erit igi-
tur iuſtitia, tamquam Zona, præcinctus;& fide
lumbos ſuos adſtringet, vt diſſluentes Reip.
mores iuſtiſsimæ diſciplinæ ſeueritate deuin-
ciat, omnesque labes animorum coerceat; vt
ijs, quos iuſtitiæ donis ornauerit, præmia ma-
6. Habitabit lupus cum agno. gna, ſumma quadam fide, conſtituat. 6. Omnis
autem immanitas,& violentia, compreſſa ſile-
bit; fraudes,& inſidiæ, e Regni finibus extermi
nabuntur; omnis morum feritas interibit. Om
nes enim homines, quamuis fuerint crudeles,
& inhumani, adeoq. moribus efferati, vt, quēad
modum lupi, atque leones, & reliquæ truculen
tæ belluæ, ouium gregibus, & armentis, inte-
ritum moliuntur, ita illi ſanguinem perpetuo
ſitierint, omnesque animi conatus ad tenuio-
rum hominum perniciem comparauerint,
vbi primum eos Chriſti ſpiritus afflauerit,
Et puer paruulus minabit eos. erunt repente mites, atque manſueti, ſeque
ad homines humiles aggregabūt, humanamq.
ſocietatem ſingulari fide, atque ſanctimonia,
colent. Et, quod erit maiore admiratione di-
gniſsimum, ſummi principes eodem cum in-
fima plebe iure deuinciri ſuſtinebunt; ſeque ſi-
mul omnes ad ductum hominis inopis, & pue-
rili ſimplicitate præditi, libenter applicabunt;
illiusq. pręcepta,& monita, ſequentur,& aucto
ritatem verebuntur, quem viderint Chriſti gre
gi, propter excellentiam virtutis, eſſe præpoſi-
7. tum. 7. Sic autem fiet, vt neque vrſus in vaccā
irruat; nec vrſorum catuli vitulorum cædem
meditentur; neque leones boum ſtragem fa-
ciant. Immanes Tyranni cum obſcuris homi-
nibus ſumma amoris inter ſe conſenſione con
8. Et delectabitur infans ab vbere. ſpirabunt; eodemq. fidei pabulo nutrientur. 8.
Homines autem ſimplices, & propter integri-
tatem,& innocentiam, pueri infantes exiſtimā
di, ſummam ex aſpidis, atque reguli, nece, hoc
eſt, ex antiqui ſerpentis interitu, voluptatē ca-
pient. Hominum igitur animos, in quibus, tam
quam in latibulis, hæc tanta peſtis incluſa la-
tuerit, perſcrutabuntur, & excutient, vt inde
ſerpentes venenatos extrahant,& vitia, atque
ſcelera, radicitus euellant; ſalutaribusq. reme-
dijs adhibitis inflicta vulnera ſanent; animosq.
mortiferis morbis ſauciatos in ſanitatem re-
ſtituant. 9. Non nocebunt, inquit Dominus, hæ 9.
ſerpentes venenatæ in vniuerſo monte meo re
ligioni ſanctiſsimæ conſecrato; quia terra vni-
uerſa, in qua Chriſti ſpiritus inſtiterit, eſt Dei
notitia, quaſi fluctibus maris, operienda. Vt e-
nim rerum Diuinarum inſcitia, ſanctitatisq. ne
gligentia, mentes hominum obſcuratæ debili-
tantur, infeſtiq. dæmones, vires adepti, tam-
quā feræ rabidæ, in homines incitantur, vt eos
afflatu mortifero, atq. venenato, cōficiant; ita,
poſtquā, huius ſanctiſsimi Regis aduentu, mor
tales cæleſtē diſciplinā hauſerint,& ad Dei co-
gnitionē multo clariorem peruenerint, dæmo-
num vires extinguentur, vt lædere nō poſsint
eos vllo modo, qui Chriſti ſæptis incluſi, ſpiri-
tuq. illius gubernati fuerint. 10. Tunc vero il- 10. In die illa radix Ieſſe.
lud germen Ieſſæ, quod ex radice illius orietur,
exſurget;& erit in altum propoſitū, quaſi ſubla
tum ſignum, ad quod gentes vniuerſæ inflam-
mato ſtudio concurrent. Illum enim Regem
clariſsimum gentes, quæ fuerant ab omni ra-
tione ſanctitatis alienæ, quærent; illum intue-
buntur; in illo omnem ſpem beatæ vitæ repo-
nent. Porro autem, poſteaquam, hoſte profliga-
to, omnia bella confecerit, & requiem ſumma
cum gloria fuerit conſecutus, omnes ſibi ſubdi
tas nationes in quietis, atque tranquillis ſedi-
bus, hoc eſt, in iuſtitiæ poſſeſsione collocabit;
ſempiternæq. pacis opibus, & immortalis glo-
riæ ornamentis, afficiet. 11. Tunc autem porri- 11.
get iterum Dominus manum ſuam, vt liberet,
atque poteſtate ſua contineat, reliquias popu-
li ſui, quæ non fuerint hoſtium ſæuitia, & im-
manitate, conſumptæ. Vt enim olim Aſſyrij,
Aegyptij, Patrenſes, Aethiopes, Perſæ, Babylo-
nij, & occidentis inſulæ, acerbo dominatu po-
pulum Dei oppreſſum tenuerunt; ſic alij capita
liores, & immaniores hoſtes, quorum iſti ima-
ginem gerebant, illum impotēti dominatu ve-
xabant, e quo tamen, Chriſti meritis, atque vir
tute, liberandi ſunt. Erit igitur tunc omnibus
animorum iucunda libertas; pacis, & otij, ſem-
piterni tranquillitas; Diuinorum bonorum cō-
ſtans,& ſecura, poſſeſsio, præclariſsime conſti-
tuta. 12. Et tollet Dominus ſignū gentibus vni- 12.
uerſis, vt ex omnibus regionibus ij, qui perti-
nent ad generis Iſraelitici claritatem, quæ qui
dem non tam eſt ſanguinis communione, quā
vnicæ fidei religione, cenſenda; qui nunc ſunt
errore, & amentia, diſperſi, atque diſsipati, &
cum reliquis hominibus, eodem oppreſsis erro
re, confuſi; veniant tandem ad Dei cognitionē;
illumq. ſanctiſsimo, pietatisq. pleniſsimo, cul-
tu in cæleſti Ieroſolyma venerentur. 13. Tūc er 13. Et auferetur zelus Ephraim.
go, cum illos inter ſe ſpiritus Chriſti mutuo a-
more deuinxerit, nec ſeditionibus inteſtinis di
ſtrahi,& dilacerari, poterunt; nec externis bel-
lis vexari,& affligi; 14. ſed potius omnes, qui ve 14.
re, & ex animo, Chriſti diſciplinam ſecuti fue-
rint,

rint,coniunctis viribus,bellum contra commu
nes hoſtes inſtruent,& de omnibus inſignem vi
ctoriam reportabunt. Cunctos Iudaici nomi-
nis hoſtes,hoc eſt fidei,atque pietatis inimicos
ad internecionem delebunt. Non erunt tunc
ij, qui eadem lege adſtricti ſunt, eademq. reli-
gione deuincti,hoſtili odio diſsidentes; ſed mu
tuo inter ſe amore coniuncti. Si Solis occaſum
verſus copias eduxerint, in hoſtem irruent, il-
lumq. primo impetu fugabunt.Si in Orientem
arma cõuerterint, hoſtiles acies prima impreſ-
ſione facta proſternent; in nullam denique par
tem ſigna contra religionis hoſtes inferent,
quam non bello ſuperent,& omnes aduerſarios
ſibi dicto audientes eſſe compellant.Nec enim
humanis, ſed Diuinis armis inſtructi bella ge-
rent.Nullus erit locus tantis difficultatibus in
tercluſus,per quem Dominus non illuſtrem,at
15. Et deſolabit Dominus iterum linguã maris. que latam viam aperiat.15. Iterum igitur fre-
tum maris diſcindet; iterum manum ſuam in-
tendet, vt maximum flumen magno venti ve-
hementis impetu percutiat,vt,flumine in mul
tas partes diducto, atque deriuato, facilem, &
expeditum tranſitum ſuis per alueum mediũ
præbeat.Nec enim diutius patietur eos Aegy-
ptiorum, atque Chaldæorum, hoc eſt dæmo-
num, ſeruitute premi, duriſsimiſq. flagitiorũ,
& ſcelerum vinculis alligari.Omnia igitur im-
pedimenta, quæ fuerint, ſiue ad occaſum So-
lis, ſiue ad ortum, illis oppoſita, conuellet, at-
16. que diijciet. 16. Vt igitur olim Hebræi mare
pedibus tranſmiſere, nec marini fluctus illorũ
iter impedire potuere, ſic tunc nihil erit tantis
molibus obſtructum, aut tanta potentiã, & ro-
bore,munitum,aut tantis opibus, atque præſi-
dio, vallatum, quod curſum veriſsimæ pietatis
interrumpat, inflammatumq. ſtudium homi-
num, qui e poteſtate ſempiterni hoſtis exie-
rint, a præclara contentione retardet.

CA. XII. 1. Tunc igitur,o felix, atque ſanctiſsima,fi-
1. delium hominum multitudo,quam Deus in li-
Cõfitebor tibi, Domine. bertatem reſtituet, opibuſq. Diuinis exorna-
bit,hac oratione Domino vota perſolues: Ago
tibi gratias,Domine,quod me plagis impoſitis
abiecisti, iudicijque tui ſanctiſsimi ſeueritate
perculiſti,atque rurſus iacentem clementer ex
citaſti;magnaq. mihi ſolatia præbuiſti.2.Nunc 2.
igitur, quando ex caſu meo, atque ruina, co-
gnoui, nullum eſſe in opibus humanis, quibus
inaniter efferebar, firmum vitæ præſidium, aut
imbecillitatis,& miſeriæ,perfugium; reliquum
eſt,vt omnem ſpem in Deo ponam, illiuſq. tan
tum fiducia nitar. Ecce nunc Deus ſalus mea
eſt; illius ope confidam; nec eſt quiſquam tam
potens in terris, a quo mihi malum metuam,
Dei enim inuicto præſidio cincta ſum, illiuſq.
auxilio munita, de omnibus hoſtibus meis cla-
ram victoriam adipiſcar; nec mihi victoriæ de
cus attribuam; ſed illius Domini laudes conci-
nam,a quo ſum ſalutem conſecuta.3. Propera- 3 Haurietis aquas,
te igitur omnes, qui fidem ſancte colitis; & in-
cenſis animis ad perennes ſalutis ſempiternæ
fontes contendite, vt cum ſummo gaudio dul-
ciſsimas aquas hauriatis. Ex illo namque ſan-
ctiſsimo bonorum omnium fonte, ſancti ſpiri-
tus aquas emanare ſentietis, quæ ſolæ poſsint
ſitim veſtram reſtinguere, & animos veſtros in
credibili gaudio cumulare. 4. Hanc igitur tam 4.
admirabilem benignitatem perpetua laude ce
lebrate; & omnes mortales ad laudes Domini
prædicandas exhortamini.Dicetis igitur in il-
la die: Laudate Dominum; illiuſq. religionem
ſanctiſsime colendam ſuſcipite; opemq. fiden-
ter implorate;illiuſq. gloriam, quæ in veſtra ſa
lute procuranda mirabiliter illuſtrata, & am-
plificata eſt, memoria retinete; nec vmquam
tanta beneficia ex animis veſtris elabantur. 5. 5.
Carmen igitur modulemini; laudes Domino
concinite;muneris,& beneficij,magnificentiã,
qua genus humanum e tyrannide mortis eri-
puit,cunctis gentibus explicate.6.Tu vero,ci- 6.
uitas ſancta,ſummo gaudio triumpha;voceſq.
maximæ lætitiæ ſignificantes emitte.Nam ſan-
ctiſsimus Dominus, cuius præſidio Iſraelis ſa-
lus innititur, benignitatis ſuæ magnitudinem
hoc opere omnium maximo declarauit, & in
medio tui amplitudinem,& immenſitatem ſuę
virtutis inſignem reddidit.

# HIERONYMI OSORII LVSITANI PARAPHRASIS IN ISAIAM

## LIBER SECVNDVS.

## PROOEMIVM.

HACTENVS quidem Iſaias oratione perſecutus eſt tam pœnas, quibus erat multanda Iudęa propter rebellionem, & contumaciã, & ſummam impietatis, & ſceleris in Deum conſenſionem, quam beneficia, quibus erant afficiendi, & cumulandi omnes, qui ſeſe a ſocietate perditorũ hominum ſecernerent, & ad ſtudium ſanctiſſimæ religionis applicarent. Propoſuit enim impijs inopiam, egeſtatem, famem, hoſtilem ciuium inter ciues diſſenſionem, locorum vaſtitatem, atque peſtilentiam, cædes, & incẽdia, funeſtumq. patriæ totius exitium, ſeruitutemq. duriſſimam, & reliqua ſupplicia, quibus erant, ſi perſiſterent in ſcelere, corpore, & animo, cruciandi: Contra vero, bonorum animos firmiſſima ſpe ſalutis, atque ſempiternæ dignitatis, erexit. Multo plus tamen negotij habuit in improbis minaciter exterrendis, quam in bonis benigne conſolandis. Non ſolum quidem ea de cauſſa, quod natura libenter, & ſtudioſe, fauſta, & felicia, nuntianda ſuſcipimus; ad malum vero nuntium afferendum inuiti, atque diu recuſantes, accedimus; propterea quod bonis nũtijs hominũ ad nos voluntates allicimus; malis vero grauẽ in nos offenſionem ſæpenumero concitamus; verum etiam, quod boni facile fidem verbis Diuinis adiungunt; mali, contra, ita ſunt cupiditati addicti, vt non modo omnẽ orationem cupiditati contrariam aſpernentur; ſed etiam irrideant; & Diuinorum hominum prædictiones delirantium ſomnia putent. Quod ſi aliquid aduerſi rebus eorũ incidat, non ij ſunt, qui ſuſpicentur, eſſe ſe, propter offenſum numen, afflictos, ſed rerũ humanarum condicioni, & fortunæ inconſtantiæ, & temeritati, non Diuino decreto, & ſententiæ, tribuendum exiſtimant. Quocirca periculum erat, ne, cum Ieroſolyma, hoſtium armis exciſa, corrueret, cædeque, & incendio, vaſtaretur, eſſent aliqui tanta contumacia ſceleris obcæcati, qui, numinis obliti, totum id ad neceſſariam, atque fatalem, humanæ naturæ condicionem referrent. Dixiſſent enim fortaſſe: Nihil nouum, neque ſapientibus inopinatum, nobis accidit; ſed eandem omnino condicionem, quæ cunctis hominibus, & nationibus, & imperijs, eſt, quaſi communi lege, propoſita, poſtquam res noſtræ conſenuere, pertulimus. Quæ enim gens eſt, quæ regio, quod Regnum, & imperium tam rectis inſtitutis, & legibus, fundatum, aut tantis opibus ſtabilitum, quod vno, eodemq. ſtatu diu manere poſſit? Hæc enim ſunt ludibria fortunæ, vt, poſtquam Reſpub. ad ſummas opes peruẽnerint, repente concidant, aliorumq. armis opprimantur, quarum opes erant antea valde cõtemnendæ. Sic enim aliæ conduntur, & aliæ creſcunt, aliæ decreſcunt, aliæ turbulentis tempeſtatibus agitantur, & malorum omnium fluctibus obruuntur. Nec fuit vnquam natio vlla tam potens, quæ ſtatum ſuum diu tueri, atque conſeruare, poſſet. Neque nos ſolos hæc dira calamitas, qua de ſtatu deiecti ſumus, afflixit; ſed in omnes circumquaque regiones eodẽ impetu peruaſit; & Tyrum, & Sydonem, & Syriam vniuerſam, & alias Aſiæ nationes, Aegyptum deinde, & Aethiopiam, quaſi turbine, atque procella, peruertit. Nec opes quidem eorum, quorum armis ſubacti concidimus, erunt ſempiternæ; ſed ſenſim, atque leniter, ad extremam ætatem deuenient; & ita, poſtquam fuerint ſenio confectæ, cum primum in

eas

eas aliqua natio, in ætatis flore, atque robore vigens, inuaſerit, protinus interibũt. Nõ igitur mirandum eſt, ſi, cum eadem lege nati ſimus, eodem leto pereamus. Vt enim moriendi neceſſitas eſt cunctis hominibus impoſita; ſic etiã neceſſario, eſt mors nationibus vniuerſis obeunda. Interim verò caſus, & fortuna dominatur. Sic autem fit, vt humiles, & abiecti, repente ad ſummum gradum honoris efferantur; &, qui opibus, & imperio, florebant, e ſummo rerum faſtigio deturbentur. Qui igitur dicũt, nos flagitio noſtro concidiſſe, meritisq. a Deo pœnis multatos eſſe, delirãt. Vt enim nemo eſt, qui poſſit, religione, & officio, mortis acerbitatem recuſare; ita nulla ciuitas, aut natio eſt, quantumuis illa magno ſtudio pietatem colat, quæ poſſit peſtem, & exitium, quod cunctis tandem impẽdet, effugere. Nõ igitur nos Deus, ſed cõmunis huius vitę neceſſitas, & acerbus caſus, euertit; neque ſumus ſcelere noſtro, ſed fati diritate, conſumpti. Nec enim pietas exitio moram afferet vnquam; nec celeritatem impietas. Hac quidem oratione quiuis homo perditus, atque profligatus, Prophetæ orationem refellere conaretur, & in eo neruos omnes intenderet, vt demonſtraret, nihil præcipue Iudæorum rebus accidiſſe, vt ea ratione probaret, non Iudææ caſum, & ruinam, Dei iudicio, ſed communi rerum humanarum naturæ, & fortunæ etiam iniuriæ, tribuendum. Hoc ne dici poſſit, vir Diuinus contra diſputat, omnes nationes, quæ de ſuo ſtatu depulſæ, ſunt, Diuino iudicio concidiſſe, pœnasq. flagitiorum, & ſcelerum, occaſu, & interitu ſuo pependiſſe. Verum quidem eſt, magnam eſſe in rebus humanis inconſtantiã, ſummamque naturæ fragilitatem; neque ſolum dignitatis, & imperij, ſed rerum omnium eſſe viciſſitudinem; & cunctas res humanas ſubito conuerti; omniaq. tandem immanitate mortis exſtingui. Sed illud etiam veriſſimum eſt, omnem hanc rerum humanarum fluctuationem, & interitum, eſſe Dei fixo, & ſtabili iudicio, propter hominũ ſcelera, cõſtitutum. Vt enim mors non erat in natura, ſed in pœnam ſceleris inuecta, & importata fuit, vniuerſasq. terras oppreſſit; ſic etiam ea omnia, quæ mortalem naturam conſequuntur, propter humana flagitia, hominibus decreta ſunt. Et, quo magis homines in officio delinquunt, eo pœnis acerbioribus redduntur obnoxij; &, quemadmodũ, dum aliqua natio ſeſe intra fines officij continet, & in mediocri aliquo religionis ſtudio, atque diſciplina, verſatur; Dei conſilio, & voluntate, ſæpenumero fit, vt ſummas opes comparet, & imperium ampliſſimum teneat; ſic, poſtquam officium deſerit, &, iuris, atque legum vinculis omnino reuulſis, in omne ſceleſtum facinus erũpit, Diuino iudicio fit, vt imperium illius deleatur, & inſigne illud exemplum improbitatis, & ſceleris, e terrarum finibus exterminetur. Quod quidem tunc ferme euenire ſolet, cum homines florentiſſimum ſtatum adipiſcuntur. Quamuis enim hominũ natura, poſtquam vitijs omnibus corrupta eſt, ad vim, ad facinus, ad cædem propenſa ſit, non tamen hanc morum feritatem, & immanitatem, præſefert, antequam ſummas opes adepta ſit. Tunc enim, cum florentem fortunam ſumma temeritas, & inſolentia, cõſequatur, nec iam modus vllus in ſecundis rebus conſeruari poſſit, & homines copia rerum omnium affluentes exiſtiment eſſe iam ſeſe liberam, & impunitã flagitiorum omnium licẽtiam conſecutos; & in hac immoderata ſcelerum libertate ſummum beatæ vitæ fructum collocandũ exiſtiment; nullum tantum ſcelus excogitari poteſt, quod non in hominum perniciem, & interitum, machinentur. Sic autẽ accidit, vt ius, & fas omne deleatur, pudor e terris exterminetur, fides omnino concidat, cultus religionis intereat, libidoq. vinculis ſoluta Remp. flagitio omni contaminet, & nefaria ciuium cæde cruentet. Ergo, poſtquam corrupti mores hominũ ita per omnia facinorum genera vagantur, vt ſemper aliquid addant ad inſitam libidinis intemperantiam; nec enim impulſa ſemel, & incitata libido poteſt aliqua religione contineri; ad illum tandem ſtatum per omnes ſcelerum gradus peruenitur, ad quem iam vix vllus peccati cumulus poſſit accedere. Ergo, poſtquam ſcelus hominum cumulatum eſt, iam nullo modo Diuinæ iuſtitiæ ratio patitur, vt illa natio, quæ humanitatem exſuit, & eſt quodam modo in ferinam naturam conuerſa, diutius in terra verſetur, ne omnes terrarum plagas peſtilenti contagione feritatis, & immanitatis, inficiat. Primum igitur gentem ſceleſtam, & impiam, effeminat, propugnatoribusque nudat, & om-

ni præſidio virtutis ſpoliat; deinde illi mentem eripit, & rationi tætras tenebras offundit; tum illam inopia, & egeſtate, vexat, inteſtinaq. ſeditione dilacerat; poſtremo, eã armis exſuram, & malis aſſiduis, fractam alijs nationibus diripiendam, atque lacerandam, tradit; externorumq. hominum ſuperbum dominatum pati compeliit. Ne autem ſubito gentem nefariam funditus tollat, impedimento eſt illius benignitas, quę primum leuioribus pœnis temeritatẽ coercere ſolet, vt ſpatium pœnitendi, atque ad officium reuertendi, cõcedat: quod beneficiũ dum homines nocentes, & facinoroſi, repudiant, ad ſummum tandem gradum ſceleris euadunt. Ergo, malis omnibus irretiti, vel ab hoſtibus immaniſſime trucidãtur, vel ſeruitutis duriſſimæ vinculis adſtringũtur; memoriaq. tandem illorum obliuione ſempiterna deletur. Dei igitur ſanctiſſimũ iudicium eſt, quod imperia magna conuellit; quod ſumma rerum faſtigia labefactat; quod ad ſcelerum vindictam humiles, & obſcuros homines ad ſummos honores extollit; quod denique altiſſima quæque demolitur, & infima in ſumma rerum dignitate, & amplitudine, collocat. Nihil enim eſt, quod vel vim illius effugere, vel ſapientiam latere, vel iuriſdictione illius excludi poſſit, cum omnia ſit infinita potentia, ratione, & imperio complexus, & ea etiam, quæ cum lege illius pugnant, & extra ordinem ab eo conſtitutum longius efferuntur, in ordinem redigat; & hominum etiam ſceleribus ad ſuam gloriam clarius illuſtrandam frequentet vtatur. Non igitur fortuna, ſed Diuinum iudicium, res humanas euertit; neque ad fatalem neceſſitatem, ſed ad humanum ſcelus, eſt omnis noſtræ peſtis, & interitus, cauſſa referenda. Hoc igitur, vt iam eo redeat, vnde deflexit oratio, vt demonſtret Iſaias, atque plane doceat, Iudæam, non fortuna, & caſu, ſed Dei iudicio, concidiſſe, docet reliquas etiam nationes, quæ ſimilem exitum habuerunt, eodem iudicio euerſas fuiſſe; & cauſſas etiam, quibus Deus in eas animaduertit, aſſignat, vt hominum væſaniam comprimat, atque perſpicuum faciat, Iudæam non temere, ſed Dei ſententia, fuiſſe mortiferis plagis exſtinctam. Quod vt clarius demonſtret, atque planius doceat, omnes Rerumpublicarum ſtatus, & interitus, Diuina voluntate, conſilio, numine contineri, multarum nationum occaſum multo ante prædicit. In quo plane docet id, quod Diuina mente præſenſit de illarum exitio, Diuina voluntate deſignatum, & conſtitutum fuiſſe. Ruinarum vero, quibus ſingulæ oppreſſæ ſunt, cauſſas exponit, vt nemo tandem ſit, qui poſſit ſuæ ciuitatis ruinam, niſi tantum ipſius ciuitatis ſceleribus, aſſignare. A Babylonis autẽ exitio, hanc cladium explicationem inchoat; eo quod nullum clarius ea tempeſtate dederit ſummus Dominus ſui iudicij ſeueriſſimi documentum. Nulla enim fuit olim ciuitas vel opibus opulentior, vel amplitudine imperij magnificentior, vel rebus geſtis illuſtrior, vel artium maximarum diſciplinis ornatior, vel omnibus armorum, atque munitionum, præſidijs inſtructior, quæ tamen, propter ſcelerum omnium colluuiem, quibus ſe contaminauit, omnibus bonis euerſa, in vaſtamq. ſollitudinem redacta fuit. In cuius tamen ciuitatis occaſu alterius etiã Reip. ſceleſtiſſimæ interitum deſcribit. Geſſit enim Babylon imaginẽ iſtius nefariæ ciuitatis, quam Ioannes Mundum nominat; quæ communione ſcelerum, & impura flagitiorum omnium conſenſione, continetur; quæ ſuperbiæ leges ſcribit; quæ libidinem, & auaritiam ſequitur; quæ Chriſti placitis aduerſatur; quæ poſtremo contra ciuitatem ſanctam perpetuum certamen ſuſcipit, & ſe contra Dei legem furenter extollit. 1. Babylonis igitur euerſionem in hanc ſententiam prædicit Iſaias, & ad hunc modum Deum cum miniſtris ſuis loquentem inducit:

2. Signum in montem excelſum protinus inferte; exercitũ maximis vocibus excitate; manus etiam ſignificatione milites, ad certamen acuite; viamq. munite, qua principes, apertis oſtijs, in vrbis opes inuadãt. 3. Ego namque militum meorum copias ornaui, & inſtruxi, & viros fortiſſimos contra Babylonem, vt meæ gloriæ ſeruirẽt, incitaui; atque, vt commiſſa in me ſcelera vindicarent, inſignem alacritatem illorum animis addidi; &, dum hoſtes nominis mei armis eorum exſcindo, gloriamq. meam vehementer illuſtro, mentes eorum, qui militant, ſummis gaudiis afficio. 4. Sonitu multitudinis innumerabilis montes alti circumſonant; ingẽtiq. fragore, & ſtrepitu, ſignificatur, maximorum Regum vires, & copias eſſe congregatas, & gentes innumerabiles, vt perniciem hoſtibus ſuis inferant, aduentare. Cælitum Imperator eſt, qui bellum comparat, qui exercitum recenſet, qui aciem inſtruit, qui claſſicum

CAP. XIII. 2. 3. 4.

canit,

canit, in prœliumq. milites alacres, & confi-
dentes, educit. 5. Hos enim viros, ad hoc munus
efficiendum, ab vltimis terris excitauit, & e
locis ſitu diſiunctiſsimis euocauit. Non igi-
tur illos ope ſua deſtituet; ſed cum illis etiam,
in hoſtium fines armatus, ingredietur; iramq.
ſuam, & totius bellici apparatus inſtrumenta,
acerrime concitabit, vt omnem illam terram
extremo exitio, & vaſtitate, conficiat. 6 Vlu-
6 late, Chaldæi, & maximo plangore dolorem,
qui vos oppreſsit, exprimite. Non enim cum
hominibus, ſed cum Domino, certāmen inibi
tis. Inſtat enim dies ille, quo Dominus iudi-
cium exercebit; ſcelerumq. pœnas illi perſol-
uetis. Dira enim calamitas, & acerbum ſuppli-
cium, eſt vobis a ſummo, atq. præpotente Do
7 Propter hoc manus diſſoluentur. mino conſtitutum. 7 Ergo, quod fieri ſolet,
cum Dominus gentem nefariam, & impiam,
infeſtis armis inſequitur, omnium manus me-
tu obtorpeſcent, animiq. vires, deſperatione,
maximoq. pauore commotæ, atque liquefactæ,
8 diffluent. 8 Erit igitur ſumma totius Reip. pro-
pter nimiam perturbationem, & formidinem,
diſsipatio, atque diſſolutio. Homines enim
maximis prementur anguſtiis, &, inſtar mu-
lieris parturientis, doloribus ſummis excru-
ciabuntur; & alij, re inopinata perculſi, & abie
cti, in aliorum vultus intuebuntur; &, cum ani
maduerterint, quam fallax, & inanis, erat ſpes,
quam habebant in humanis opibus, aut in ma-
leficis artibus, aut in ſimulacris impuriſsima
ſuperſtitione dedicatis, vehementer erubeſcēt.
9 9 Inſtat enim, & accelerat dies Domini, acer,
& infeſtus, indignationis, & iræ pleniſsimus,
vt vaſtitatem in terris efficiat, & homines con-
10 ſceleratos euertat. 10 Nullā in tantis cladibus
lucem adſpicient; nullum in tantis doloribus
alleuamentū ſentient; nullum in tanti mæro-
ris, atque luctus, acerbitate, ſolatium. Stellæ
tenebris obducentur; ſidera, ſplendorem ſuum
occultabunt; Sol, cum exorietur, denſa ſe ca-
ligine circumfundet, ne lucem ſuam in terras,
omni ſcelere contaminatas, ſpargat; neque Lu
na quidem lumen ſuum præferet. Omnia igi-
tur erunt illis, qui Domini numen in ſe conci-
tauerunt, tenebricoſa, horrida, & vehemen-
ter infeſta; vt nec die, nec nocte, poſsint acquie
ſcere; aut vitam aliqua ſpe ſalutis tenuiſsima
ſuſtentare.
11 Et viſitabo ſuper orbis mala. 11 In orbem, inquit ille, terrarum animad-
uertam; debitumq. ſumam de impiorum ſce-
lere ſupplicium; & ſuperborum elationē com
primam; & intolerabilem tyrannorum inſolen
12 tiam de gradu deiiciam. 12 Perficiam enim,
vt nullum eis ſit cum hoſtibus redimendæ vitæ
commercium. Eam namque mentem Medis
iniiciam, vt non aurum, ſed ſanguinem, petant;
malintq. ferrum in hoſtis corpore defigere, quā
13 Super hoc cælum turbabo. eximiis opibus locupletari. 13 Cælum horren-
do fragore concutiam; terraq. ſedibus ſuis mo
ta deſidebit; vniuerſiq. mundi machina, me-
tu numinis irati, rebusq. terrenis infenſi, con-
tremiſcet. 14 Qui autem fuerant ad auxilium 14
afferendum accerſiti, fugaq. poterunt ſeſe ab
imminenti clade proripere, diſperſi, atque diſ
ſipati, quaſi agitatæ capræ, aut oues a paſtore
derelictæ, vagabuntur, & in patriam quiſque
ſuam fugiet, maximoq. animorum motu trepi
dabit. 15 Qui vero deprehenſus fuerit, gladio 15
confixus, interibit; &, qui in acie ſimul ſtete-
rit, multis conciſus vulneribus, occumbet.
16 Infantes, a matrum gremio violenter ab- 16
ſtracti, in earum oculis ad petras allidentur;
opes congeſtæ diripientur; vxores eorum, ſtu-
pro violabuntur. 17 In illos Medum incitabo; 17
qui nec argento, nec auro, nec vllis opibus, ab
hoſtibus interimendis auocari poterit; ſed, in-
credibili ſanguinis auiditate, in eorū cæde bac
chabitur. 18 Trāsfiget pueros ſagittis; nec tene 18
ræ ætati miſericordiā tribuet; ſed inſatiabilem
crudelitatem in pueris etiam infantibus exer-
cebit. 19 Erit tunc igitur a Domino Regnum il 19
lud Babyloniæ florētiſsimum, ampliſsimumq.
imperij domicilium, & Regnorum eximium
decus, & ornamentum, quod Chaldæorum no
men apud omnes nationes clarum, & illuſtre,
faciebat, tāquam Sodoma, atq. Gomorra, cla
de horribili deformatum, & funditus euerſum,
ita, vt neque veſtigium illius appareat. 20 Nul 20
lis enim ſæculis, Reſp. illa exſtincta reuiuiſcet;
nec iterum ſtatus ille fundabitur; neque deniq.
exſtabit vllum in terris ciuitatis nefariæ, & im
puræ, monumentum. Vt autem, poſtquam in-
gentia ædificia a cultoribus omnino deſerta la
buntur, & corruunt, tam horrida vaſtitas in
locis, atque ſolitudo, conſpicitur, vt neque pa
ſtores quidem eo greges compellere, aut ten-
toria ibi collocare, audeant: 21 (Sunt enim ple 21
rumque ferarum latibulis infeſta; draconumq.
ſibilis, & Struthiocamelorum vocibus, aſsidue
perſtrepunt; ſilueſtriaq. animantia, pilis hirſu-
ta, hinc illinc ſaltu tranſiliunt; 22 & diræ, & in- 22
fauſtæ volucres horrorē vlulatibus crebris in-
cutiunt) ſic totum illum Babylonis ſtatū, poſt-
quam diſsipatus fuerit, horribilis quædam va-
ſtitas occupabit; nec ex illius ruinis vlla vox
emittetur, niſi quæ artium peſsimarum ferita-
tem redoleat. Hæc autem ſententia in longin-
quum tempus minime differenda, atque pro-
craſtinanda eſt.

1 Optimus namque parens, & ſummus Do- CAP. XIV.
minus, cuius omnia conſilia ad ſuorū ſalutem, 1
atque dignitatem, referuntur, miſerebitur gen
tis, Iacobi ſanguine procreatæ, & ex Iſraele
quam plurimos eliget, quos egregiis muneri-
bus, & ornamentis, afficiat. Ideo namq. Baby-
lonem diruet, vt populum ſuum, impotenti do
minatu liberatum, in patriam reducat; quie-
tasq. rurſus illis, & ab omni metu, & ſollicitu-
dine, vacuas ſedes aſsignet; &, cum apud illum
non multum loci habeat humani generis clari-
tas, ſed virtutis Diuinæ præſtantia, iam eo tem
pore generis, atque condicionis humanæ om-
ne diſcrimen tollet. Multos enim alienigenas
ad

ad ſuorũ ſocietatẽ aggregabit,vt, qui eadẽ fi-
de pietatẽ coluerint,eadẽ præmia conſequan-
2 tur. 2 Et,quemadmodũ,cum Deum iratum ha-
bebant, erant cunctis mortalibus inuiſi;ſic,cũ
ad pietatis ſtudium toto animo conuerſi fue-
rint, multorum hominum ſibi beneuolentiam
conciliabunt.Dabit enim Dominus multis na-
tionibus eam mentem, vt illorum commodis
ſeruiant, eosq. opera ſua in patrias ſedes redu
cant. Sic autem fiet, vt,multiplicatis viribus,
eos,quorum acerbo dominatu oppreſsi fuerãt,
in poteſtate contineant; & illis imperent, qui-
bus pendere tributa cogebantur. Quod qui-
dem multo magnificentius obtinebunt, cum,
Chriſti ope,e tæterrima tyranni truculentiſsi-
mi poteſtate liberati, & in iuſtitiæ poſſeſsione
conſtituti, Iudæi, in quibus clarius fidei, atq.
pietatis lumen eluxerit, omnibus populis iura
dederint, & cunctas nationes, a quibus grauiſ-
ſimas iniurias acceperant, adſtrictas legibus,
3 & imperio tenuerint. 3 Tu autem, o natio fi-
delium, cum Dominus tibi requietem laboris
attulerit, & omnem curam, & ſollicitudinem
ex animo tuo depulerit, ſeruitutisq. duriſsi-
mæ iugum a ceruice tua deiecerit, celſa, & ere
cta, Diuinique præſidij fiducia ſubnixa, ince-
4 des, 4 & in Babylonis Regẽ, & in vniuerſi mun
di tyrannum,vltro, atque libenter inſultabis;
Quomodo cessauit exactor.
figurataque dicendi ratione importunitatem
illius inſectabere. Sic enim dices,quam ſubito
is, qui exactionibus acerbiſsimis orbem terra-
rum vexabat, intolerabiliaq. tributa ab omni-
bus populis cogebat, oppreſsus repentina cala
mitate,cõticuit;& ciuitas illa, quæ ob aurum,
quam plurimis nationibus imperabat, ſtrata
ruinis, obmutuit? 5 perfregit Dominus ſceptrũ
5 impiorum;& omnes tyrannorum opes afflixit.
6 6 Abiectus eſt tyrannus ille,qui nimis intempe
ranter, & iracunde, populis plagas grauiſsi-
mas imponebat;nec,vt eis quidquam laxamen
ti daret, in animum inducebat; nec vlla huma
nitatis lenitate ſuæ dominationis acerbitatem
7 mitigabat. 7 Omnis igitur terra reſpirat,& iu
cunda tranquillitate fruitur,ſummoq. gaudio
exſultans animo perceptam lætitiam voce ma
8 gna teſtificatur. 8 Quin abietes, atque cedri
Libani inter ſe inuicem gratulantur, & ex oc-
caſu, & interitu tuo, lætitia incredibiliter ef-
feruntur. Ex quo, inquiunt, occubuiſti,nemo
ad nos adſcendit, vt ſecurim nobis infligat,va
9 ſtitatemque, & exitium minitetur. 9 Tartarea
quoque plaga, cum in eam fuiſti detruſus,cõ-
mota eſt, & obſtupuit. Gigantes tibi obuiam
prodiere; Principes gentium,atque Reges, de
ſoliis ſuis ſurgent; vt te hoſpitio ſatis iniucun-
10 do recipiant. 10 Omnes tibi illudent, ſuper-
biamq. tuam,& elatæ mentis arrogantiam,de-
ridebunt. Tu ne, inquient,ille es, qui tantum
tibi, propter imperij latitudinem, & diuitia-
rum affluentiam, aſſumebas, vt non modo vni-
uerſum genus humanum deſpiceres,ſed etiam
cum ſummo rerum omnium Domino de digni
tate contenderes? Et tamen ſimiliter, atque
nos, vulneratus fuiſti; & tamen de ſtatu con-
cidiſti; & tamen eandem mortis acerbitatem
aliquando tandem pertuliſti. 11 Detruſa eſt ad 11
inferos ſuperbia tua; cantus, atque ſympho-
nia, qua ædes tuæ perſonabant, obmutuit;
lectus, in quo tuum corpus in ſepulcro decum
bit, frequenti tinea conſtratus eſt; & ſtra-
gula veſtis, quæ te contegit, eſt e vermibus
concinnata.
12 Quo modo tandem de cælo cecidiſti,qui, 12
tamquam Lucifer, noctis caliginẽ diſcutiebas,
& inſigni ſplendore fulgebas, fulgoreq. tuo ſo-
lis ortum prænuntiabas? Ideo in ſempiternę mi
feriæ regionem deturbatus es, quod potentia,
& opibus tuis ad hominum perniciẽ fueris abu
ſus, atque populis maximum vulnus inflixeris;
13 eoq. dementia tua progreſſa eſt, vt non mo 13
do te cunctis hominibus maleficũ,& iniuſtum;
præbueris;ſed etiam contra cæli dominum por
tenta cogitares. Quaſi enim ex te ortus eſſes,
Qui dicebas in corde tuo.
nec ab illo opes omnes accepiſſes, gloriam il-
lius ad te tranſtuliſti; Diuinitatemq. tibi quo-
dam modo tribuiſti; cum, nimis inſolenter e-
latus, omnia, quæ erant in beneficiis Diuinis
referenda, ad tuam virtutem, & induſtriam,
impudentiſsime reuocaſti. Quod quidem perin
de erat,atque ſi diceres: In cælum conſcendã;
& ſupra Dei ſidera ſolium meum locabo; Ie-
roſolymisq. in monte, qui Septemtrionem re-
ſpicit, ſedem mihi conſtituam, vt ibi mihi vi-
ctimas cuncti mortales immolent, numenque
meum ſumma religione venerentur. 14 Super 14
altiſsimas nubes efferar, eroq. ſummo, & al-
tiſsimo Deo ſimillimus. Cum enim ita teipſum
amaſti, vt; Dei, tui conditoris, oblitus, om-
nes tuas opes, atque potentiam in te poſitam
eſſe duceres; nec in illum ſummum rerum om
nium parentem reſpiceres; quid aliud feciſti,
niſi vt te cum illo exæquares, qui cælum impe-
rio coercet, & continet; & in Sione ſumma re
ligionis ſanctitate colitur, & a piorum homi-
nũ cœtu,laude perpetua,celebratur? 15 At nũc
15 Verumtamen ad infernum detraheris.
tu, qui cælum petebas, ad inferos detruſus fui
ſti; &, qui ad honores Diuinos adſpirabas, in
infimam Erebi ſedem decidiſti. 16 Qui in te re
ſpexerint, & de calamitoſa rerum tuarum con 16
uerſione acrius, & attentius,cogitauerint,ob-
ſtupeſcent, & quam ſint opes humanæ contem
nendæ, ſæuitiaq. deteſtanda, ex ruina, & inte
ritu tuo percipient. Hiccine, inquient, ille eſt,
qui terram vniuerſam ingenti formidine con-
turbauit? qui Regna maxima conquaſſauit?
17 qui orbem terrarum vaſtauit? qui munitiſ-
ſimas ciuitates excidit? qui vinctos tenebris 17
ſempiternis incluſit? qui numquam eos, quos
in carcerem condidit, leuari permiſit? 18 Nũc 18
igitur meritas inhumanitatis pœnas exſoluit.
Nec enim modo in vitam, & ſtatum illius, fuit
Diuino iudicio vindicatum, ſed etiam in cada
uer illius acerbe ſæuitum. Nec enim illo qui-
dem honore decorabitur, quo vita functi Prin

cipes

cipes poſt mortem afficiuntur . Omnes e-
nim in ſepulcrum , magnis ſumptibus ædi-
19 ficatum , a ſuis inferuntur. 19 At te, reuulſo
ſepulcro, hoſtes tui, tamquam ſtolonem perni-
cioſum, & infeſtum plantis, abiicient; &, quaſi
veſtem atro ſanguine imbutam , & ſanie, atque
tabe, concretam, & hominibus ferro cæſis, e ſe
pulcro , in quod fuerunt congeſti , detractam,
20 expellent, inhumatumq. proculcabunt. 20 Non
quidem, nõ cum reliquis primariis hominibus
ſepulturæ honorem, & decus, obtinebis . Terræ
namq. tuæ vaſtitatem intuliſti, populiq. tui ſtra
gem crudeliter edidiſti : nec enim diu exſtabit
vllum in terris , hominis iniuſti , atque malefi-
ci , monumentum ; nec patietur Dominus im-
pietatis, & ſceleris, memoriam ad poſteritatem
21 nominis propagari . 21 Vos igitur, quos Domi
nus ſibi ſeueritatis ſuæ miniſtros adhibuit , in
eo ſumma ope contendite , vt hominum peſsi-
morum nomen deleatis; ne diutius infandi ſce
leris ſtirpem, atq. ſeminarium, terra ſuſtineat.
Omnes igitur eorum filios crudeliſsimæ cædi
deſtinate; illorum internecione, parentum ſce-
lera perſequimini ; ne, ſi fuerint a vobis conſer
uati, parentumq. veſtigiis inſtiterint, ſcelerisq.
hereditatem creuerint , non modo regionem ,
quam incolunt , verum etiam terram vniuer-
ſam obſideant ; omnesq. mundi plagas ſceleſtiſ
ſima viuendi ratione , atque peſsimi facinoris
exemplo, contaminent . 22 Quando, inquit Do
minus , iam perditæ gentis ſcelus ad ſummum
gradum peruenit , eorumque improbitas cu-
mulata eſt , numen meum contra impios ex-
citabo ; eorumq. numen , vniuerſamq. poſte-
23 ritatem, obliuione ſempiterna delebo ; 23 per-
ficiamque , vt tota regio ab agreſtibus ani-
mantibus occupetur , & in paludem rediga-
tur , omnemq. locum ſcopis peſtiferis , atque
pernicioſis , euerram , vt funditus euerſus , &
exterſus , relinquatur . Hæc quidem ait cæli-
24 tum imperator, & Dominus ; 24 atque, vt
magis fidem faceret , hæc omnia ita futura
ſanctiſsimo iureiurando confirmauit . Quod ,
inquit , ſtatui , certe perficiam ; &, quæ ſe-
mel deſignaui , conſtantes exitus habebunt ;
25 meamq. tandem fidem liberabo . 25 Fidem
namque meam dedi , futurum , vt numquam
eos desererem , qui in me omnem ſpem ſalu-
tis poſitam haberent ; & illos euerterem , qui
bellum nefarium contra mei nominis gloriam
moliuntur . Hoc autem breui poterit ab om-
nibus explorate cognoſci , cum in hac regio-
ne numini meo conſecrata , & in his monti-
bus meæ cuſtodiæ commiſsis , copias Aſſyrij
contriuero , illiusq. potentiam conculcauero ,
iugumq. illius a meorum ceruice depulero , &
26 onus ab illo eorum humeris impoſitum , pro-
cul abiecero . 26 Neque tunc ſolum hoc tam
illuſtri opere fidei meæ ſignificationem dabo ;
ſed ſimili ratione in omni loco meorum ſalu-
ti conſulam ; & eos , qui in me rebelles , &
contumaces , exſtiterint , euertam . Hoc eſt a

22 Et conſurgam ſuper eos, dicit Dominus.

Iurauit Dominus.

me conſilium fixo , & rato iudicio confirma-
tum. In omni igitur hominum memoria , a-
pud omnes gentes , in hoc munere , cum op-
portunum fuerit , exſequendo , vim meæ po-
tentiæ, atque ſeueritatis, expromam . 27 Qua- 27
re nec de Babylonis exitio , nec de ſummi il-
lius tyranni , qui genus humanum oppreſſum
tenet , interitu , quiſquam dubitare poterit ,
qui fidem Diuinis promiſsis adiunxerit . Quid
enim ? ſummus Dominus , cuius imperio cæ-
lites vniuerſi continẽtur, hoc conſiliũ ſuſcepit ;
quis illud irritum faciet ? manus illius eſt iã ad
opus perficiendũ erecta; quis illam cohibebit ?

Dominus exercituũ decreuit, & quis poterit infirmare?

Hæc quidem de Babylonis occaſu, & in-
teritu, prædicta ſunt . Deinde Propheta
conuertit orationem in Palæſtinam , vt
exitium , quod illi impendebat , expone-
ret. Inquit igitur : 28 Anno , quo Achaz 28
excesſit e vita , fuit Palæſtinis exitium in hanc
ſententiam denuntiatum . 29 Ne læteris , Pa- 29
læſtina , neque, propter Regis inimici mortem,
ſpiritus aſſumas , quaſi ſit perfracta virga, quæ
te percutiebat . Nam e colubri ſemine orietur
baſiliſcus; & ex ſtirpe illius volucer anguis exſi
ſtet , qui in vitam tuam , atque fortunas, inuo-
let , morſuq. ſuo mortiferum tibi vulnus inu-
rat . Filius enim illius tuam regionem late
populabitur , atq. vaſtabit ; 30 & ita fiet, vt Iu- 30
dæi, qui tuis armis fuerant e poſſeſsionibus
ſuis eiecti, & intra ſuarum vrbium mœnia com
pulſi , ſine vllo metu tempeſtiuos fructus ex a-
gris ſuis percipiant , & pace , atque otio , per-
fruantur : Te vero , omneq. roboris tui fir-
mamentum , inopia, & fame, conficiam ; & re-
liqui ciues tui ab eodem Regis filio in acie tru
cidabuntur. 31 O porta Vrbis opulentiſsimæ, 31
quæ propediem effringenda , atque reuellen-
da es , ruinam tuam acerbiſsimo fletu lamen-
tare . O ciuitas , quæ breui capienda , & diri-
pienda es , calamitatem tuam flebilibus mo-
dis , & vlulanti voce, deplora . Vniuerſa nam-
que Palæſtina labitur , atque ruit . Ab Aqui-
lone enim fumus erumpit , & belli incendium
concitatur ; nec eſt in Iudæa , qui ſe ſubdu-
cat , quo minus , tempore ab ipſo Rege con-
ſtituto , in Palæſtinam exitium machinetur .
32 Vos autem , o ciues mei , poſtquam fueri- 32
tis inſignem victoriam conſecuti , & ab ho-
ſtium immanitate liberati , quid reſpondebi-
tis gentium legatis , qui ad vos vndique , gra-
tulandi cauſſa , conuenerint ? Num vel robo-
re militum , vel ſummi alicuius Imperatoris
virtute , & induſtria , a vobis debellatum fuiſ-
ſe ? Non certe ; ſed illius Domini potentia ,
atque benignitate , qui Sionem fundauit , fuiſ-
ſe ſempiternos hoſtes euerſos . Hoc enim eſt
vitæ noſtræ propugnaculum , & firmiſsimum
ciuitatis ſanctiſsimæ munimentum , in quo fi-
deles, qui nihil omnino ſuæ virtuti, & meritis,
adſcribunt, habent omne ſalutis, atque digni-
tatis, præſidium conſtitutum.

Hæc

Hæc vbi de Palęſtinæ ruina perſtrinxit,
continuo Moabitas, diræ calamitatis de-
1. nuntiatione, perterret. Sic enim ait: 1.

CA. XV. Cum hæc ciuitas nocturno impetu vaſtata
eſſet, Moab, formidine obſtupefacta, conticuit.
Similiter, & cum Quir nocturno impetu vaſta-
ta eſſet, Moab, formidine obſtupefacta, conti-
2. cuit. 2. Homines, inopinata clade perculſi, dant
ſe in fugam, & in loca excelſa Baith, & Dibon
ſe curſu recipiunt, vt exciſionem Nebo, & euer
In cunctis capitibus eius caluitiem. ſionem Mediba, quæ fuerant olim in Moab ciui
tates ſatis opulentæ, vniuerſæq. patriæ popula
tionem, acerbiſsime lamententur. Ibi igitur
vlulatus ingentes tollent; & cuncti ſibi capil-
3. los, atque barbas euellent, 3. in compitis veſti-
bus cilicinis amicti iacebunt; tecta, atque pla-
teæ, eorum plangore, & eiulatu, reſonabunt; ip-
ſiq. mærore perditi in luctu, & ſqualore, verſa-
4. buntur. 4. Heſebon, & Eleabe, clamores ingen-
tes edent; ex vrbis Ihaz mœnibus eorum lugu-
bris, & acerba lamentatio, miſerabiliſq. fletus
audietur. Propter cladis magnitudinem, viri
fortes, atque ad patriæ defenſionem parati ani
mis concident, lamentiſq. ſe dedent, & maxi-
mo labore cruciabuntur. O rem miſeram, &
calamitoſam, in qua illi etiam, qui ſunt a Moabi
5. tis alieni, vix lacrymas teneant. 5. Cum igitur
illorum ſtragem conſidero, animo commoueor,
&, cum graui ſenſu doloris, eorum cladem ma-
xima voce prænuntio. Videor enim mihi vide-
re regionem florentiſsimam, eo tempore, quo
maxime omnibus vitæ commodis affluebat, &,
tamquam trima iuuenca, in opimo, atque ferti
li, prato nutrita, laſciuiebat; & vim inſiti robo-
ris, & alacritatis, indicabat, ſubito concidentẽ,
qui ex illa fugerint, Sohar vſque peruenient;
perfuſiq. lacrymis, ad iuga Luith euadent; &
viam, quæ fert Honoraim, luctu, & plangore, cõ
plebunt; in fletumq. alij alios clamoribus maxi
6. mis adducent. 6. Corrumpentur aquę Nimrim;
omne, quod antea virebat, exareſcet; & herba
7. deficiet; omneq. genus oleris interibit. 7. Ex il-
lis namque tantis opibus, quas ſummo ſibi ſtu-
dio parauerant, tenuem admodum cenſum ad
torrentem, & ſalicetum, deportabunt, in quo
poſsint aliqua ex parte ſeſe ab illa ſumma ari-
ditate, rerumq. omnium inopia, & egeſtate, re-
8. ficere. 8. In omnes ſiquidem Moabitarum fines
calamitas peſtiferi belli peruadet, & ab Egalim
vſque ad Beerelim vnus conſentiens omnium
clamor, & vlulatus, acerbiſsimi doloris index,
9. audietur. 9. Fluuius enim Dimon humano cruo
re complebitur, & ſanguineo colore tinctus per
illam regionem fluet. Ego enim, inquit Domi-
nus, in eas oras, quas Dimon alluit, alios ho-
ſtes immittam, Moabitarumque reliquias leo
immanis, atque truculentus, dilaniabit.
1. 1. Si vultis, o Moabitæ, cauſſas inueſtigare
CAP. XVI. veſtræ calamitatis, primum quidem intelligite
caput veſtræ miſeriæ in impietatis ſcelere con
ſtitiſſe. Nec enim honorem Deo ſummo detu-
liſtis; nec numen illius exhorruiſtis; ſed, caſtiſ-
ſimæ religionis negligentia, & contemptu, in
grauem illius offenſionem incidiſtis. Illum igi- Mittite Agnum.
tur vniuerſi Dominum colite; illi agnos ad ſa-
crificia in regione veſtra nutritos offerte; illi
in Sione monte hoſtias immolate; ſi vultis ho-
ſtium impetum a vobis depellere. 2. Tantum ve 2.
ro abfuit, vt Moabitæ veram religionem cole-
rent, & Loth parentis ſui veſtigia ſequerẽtur,
vt potius immani quodam odio omnes veræ re
ligionis ſanctitates oppugnarent. Ergo, tam- Et erit ſicut auis fugiens.
quam pulli, nidis excuſsi, vagabuntur, metuq.
fracti, & debilitati, vltra vada Arnon fluminis
euolabunt, nec vlla in certa ſede conſiſtent. A-
liud deinde ſcelus acceſsit, quod eorum opes
exhauſit, atque plane perdidit, nempe incon-
ſulta temeritas, & inclementia, quæ humanæ
imbecillitatis immemores minime cogitaue-
runt, ſe eſſe eiſdem tempeſtatibus, quibus reli-
qui mortales ſæpe iactantur, obiectos; eaq. de
cauſſa, cum cernerent Iſraelem calamitoſiſsi-
mi belli fluctibus eiectum, nullam ei humanita-
tem tribuerunt; ſed illum hoſti perſequenti
nefarie prodiderunt. Quam rem geritis, homi-
nes amentes, & ſcelerati? Cur in calamitate mi
ſeræ gentis inſultatis? Cur occaſionem benefi-
cij optime collocandi prætermittitis? Nam, ſi
in afflictos homines benigni fueritis, & Deum
placabitis, & ab hominibus gratiam inibitis. 3. 3.
Conſilium igitur cogite; auxilium publice mi-
ſeris in calamitate decernite; date operam, vt
apud vos ſecuri latitent profugi mei; facite-
que, vt in meridie ſint, quaſi tenebris, atque ca
ligine noctis, occultati, ne indicio veſtro in ho-
ſtium poteſtatem perueniant. 4. Omnia, quæ po 4.
teritis, integumenta, illis, ne ab hoſte maligno
conſpiciantur, obtendite. Breui namque poten
tia Regis Aſſyrij, qui ciuitates exinaniebat, in-
flammationem, & vaſtitatem regionibus infe-
rebat, & omnium opes pedibus ſuis immaniſsi-
me proculcabat, exſcindetur. 5 Ne putetis iam 5.
res Iudæorum eſſe funditus euerſas, atque pro
fligatas. Vt enim, peſsimorum Regum exem-
plo, Regni opes diſsipatæ, atque comminutæ
ſunt, ita Regis optimi virtute, atque ſapiẽtia,
omnes opes, quæ iam ſepultæ eſſe videbantur,
Diuina benignitate reuiuiſcent. Rex enim, in
omni genere virtutis excellens, Ieroſolymis in Et præparabitur in miſericordia ſolium.
ſolio Regali ſedebit; imperiumq. ſapienter ad-
miniſtrabit; Regnumq. Dauidis ad ſe heredi-
tario iure delatũ omnibus iuſtitiæ muneribus
inſtaurabit. Iudicium vero ſumma æquitate
conſtituet. Nam, antequam ſententiam ferat,
cauſſam diligenter examinabit; deinde, cauſſa
comperta, & cognita, ſummam in iudicando
celeritatem ſuſcipiet, ne temporis iniqua dila
tione curſum ipſius iuris impediat, & hominũ
commoda remoretur. Erit igitur tunc vobis
huius noſtri Regis amplitudine, & Regni in-
ſtaurati magnificentia, grauiſsimus quidam
dolor inuſtus. Pænitebit enim vos inhumanita
tis,

Digitized by Google

tis, & inclementiæ, qua ſupplices veſtrns per
6 ſummum ſcelus excluſiſtis. 6 Quæ quidem im-
manitas ex inſita genti ſuperbia nata eſt. Iam-
Audiuimus ſuperbiam Moab.
pridem enim apud nos increbuit Moabitarum
intnlerabilis arrogantia, minimeq. ferendum
faſtidium. Nimis enim ſuperbi, & inſolentes,
ſunt; multoq. plus ſibi aſſumunt, & arrogant;
& ens, quibus irati ſunt, multo maioribus mi-
nis inſequuntur, quam illorum opes, atq. for-
tunæ, patiantur. Nec enim hominum vires il-
7 lorum ſuperbiæ reſpondent. 7 Ergo & impieta
tis, & immanitatis, & arrogantiæ, pœnas da-
bunt. Vniuerſi enim Moabitæ, alternis vlula-
tibus, patriæ occaſum deplorabunt; & alij a-
lios ad eiulatum excitabunt; & acerbis queri-
mnniis, quntidianisq. fletibus, intabeſcent. Et,
quamuis eorum quilibet ſit graui vulnere ſau-
ciatus, non tamen dolor, qui ſingulos premit,
eorum animos a cogitatione communis cladis
abducet. Deflete igitur omnes, Quir-hareſeth,
opulentiſsimæ ciuitatis, exitium; &, quamuis
qniſque veſtrnm ſit ſuis propriis angoribus im
plicatus, vniuerſi tamen in ruina munitiſsimæ
ciuitatis admodum dolenter iugemiſcite. Ipſi
namqne etiam illius vrbis ciues, qui tantis opi
bus affluebant, & totns dies perpotabant, vul-
8 Quoniã ſuburbana Heſebon deſerta ſunt.
neribus conciſi, atque deformati ſunt. 8 Heſe-
bonanus ager vaſtus, atque deſertus eſt; vineas
Sibmeas gentium Principes exciderunt; quin
& miſerns ciues, quaſi vitium ſarmenta, cru-
deliter amputauerunt; optimæ prnpagines,
extorres, & eiectæ, peregrinantur; & quidam
palmites, ex longo errnre, & fuga, Ihazer vſq.
peruenere; quidam vern, in ſolitudine diu per-
uagati, iacuere, atque mare tandem tranſmi-
9 ſere. 9 Nec Ihazer quidem ab inuecta clade tu
ta permanebit, ſed in eundem caſum impulſa
Inebriabo te lacryma mea.
concidet. Iccirco mihi etiam in illius exitia-
lem exitium intuẽti vis lacrymarum profluit;
teq. etiam fletu meo, o Heſebon, & Eleale, pe-
nitus madefaciam; & veſtrum acerbiſsimum
interitum deplorabo. Nam in veſtras meſſes,
atque vindemias, impetus hnſtium ſe mutuo
cohortantium factus eſt; & opes veſtræ fundi-
10 tus euerſæ, & obtritæ ſunt. 10 Omnis igitur il
la vnluptas, quæ in fructibus ex agrn culto per-
cipiendis, & in vindemiis faciendis, exſiſtebat,
rolletur funditns, & exſtinguetur. Non erunt,
qui lætitiæ vocem iaciant in vindemia, qui gau
dio efferantur, in maxima vini copia, qui in ple
nis torcularibus ſeſe ad calcãdas vuas mntuis
clamoribus exhortentur, & exſultent. Omnem,
inquit Dominus, vocem immoderatæ lætitiæ,
quam ciuium multitudo, rerumq. omnium v-
bertas, excitabat, tunc hominum cæde, & ſtra-
ge, nmniumq. rerum extrema pænuria, com-
preſsi; & locum lætiſsimæ acclamationis, eiu-
latus, atque plangor, occupabit. 11 His verbis
Dominus illis exitium diriſsimum commina-
11 Super hoc venter meus ad Moab.
tur. Itaque non poſsum non illorum caſum,
& interitum, valde miſereri. Quamuis enim
ſceleſti ſint, homines tamen ſunt, & mecum,
naturæ communinne, coniuncti. Viſcera igi-
tur mea commouentur, & flebiles modns, qua-
ſi quædam cythara, modulantur, cum Mna-
bitarum euerſinnem, & Quir-hareſeth vaſtita-
tem, mente proſpicin. 12 Tum demum intelli 12
gent miſeri, quã fallaces fuerint ſpes illę, quas
in falſis numinibus, & commenticia religinne,
collocanerant. Cũ enim ſe viderint magnitudi
ne cladis oppreſſns, in collem editum cnnſcen
dent, vt ibi in fano, atque templo, quod ſan-
ctiſsimũ habebant, ſupplices preces adhibeãt,
& npem ã Diis implnrent. Tantum vero aberit,
vt ullum a ſuis Diis auxilium conſequantur, vt
ibi extrema laſsitudine confecti iaceant; nec
inanes preces fundere diu poſsint. 13 Hæc qni-
13 Hoc verbum, quod locutus eſt Dominus ad Moab.
dem eſt Dei mens, atqne ſententia, de Mna-
bitarum clade, & interitu, iam ex hoc tempo-
re mnnumentis his ad firmiſsimum teſtimoniũ
conſignata, ne quiſquam tunc dubitare poſſit,
illa nmnia, cum euenerint, decreto ſanctiſsimi
numinis accidiſſe. 14 Quod quidem, vt apud 14
animos hnminum magis teſtatum relinquatur,
idem Dominns diem huic ſententiæ exſequen-
dæ, quaſi mercenarij diem, vnluit eſſe præſti-
tutum. Vt enim fas non eſt differri, aut pro-
craſtinari, mercedem mercenario debitam;
ſed, vbi primum fuerit operis penſum per-
ſnlutum, ſtatim impendi; ſic Dominns, pnſt
triennium, quo quidem tempore erunt Moabi
tarum flagitia cumulata, debitam illis flagitio-
rum, & ſcelerum, mercedem cumulate reddet.
Nam intra triennium obteretur gloria Moab;
& illius nimis inſnlens faſtus, & arrogãtia, com
primetur; & reliquiæ, quæ euaſerint, erunt val-
de tenues, & imbecillæ.

Hæc quidem de Moabitarum exitio
1 CAP. XVII.
prædicta ſunt. Deinde Damaſci, at-
que Samariæ, ruina, ita deſcribitur.
1 Damaſcus nomen, atque ſplendnrem ciui-
tatis amittet; dirntisq. mœnibus, acernus tan
tum lapidum, atque tumulus, in vrbe relin-
quetur. 2 In vrbes Harnher derelictas greges 2
immigrabũt, & intra mœnia accubabũt; nec e-
rit quiſquã, qui eos inde deterreat. Nulli enim
erunt agri culti, & nitidi, a quibus, colonorum
npera, & indnſtria, debeant arceri. 3 Opibus, 3
& imperio, Iſraelis, & Regno Damaſci ſimul e-
rit finis, Diuino iudicio, conſtitutus. Vtrum-
que enim Regnum ab Aſſyriis euertetur; vt, qui
fuerant inter ſe, ſceleris conſenſione, fœdera-
ti, ſint etiam, calamitatis ſocietate, coniun-
cti. Syri autem, quns bellum reliquos fecerit,
eundem omnino caſum babebunt, qui eſt Iſrae
Et reliquię Syrię ſicut gloria Iſrael erunt.
lis dignitati, atque gloriæ, perferendus. Vt e-
nim Iſraelis nnmen ita concidet, vt numquam
Regiam amplitudinem, & dignitatem, recu-
peraturus ſit; ita nec Syri in amiſſam dignita-
tem poterunt vmquã reſtitui. Sic enim eſt Dei
immutabili decreto, & ſententia, definitum.
4 Ea vero tempeſtate erit Iſraelis nomen atte-
4 Attennabitur gloria Iacob.
nuatum, & imminutum; nempe, cnm Aſſyrius
decem

5 decem tribus ſit euerſurus. 5 Vt enim in lætis
ſegetibus cum ſpicæ nō paucæ e meſſorum ma
nibus elabuntur, eas ipſas, qui meſſores a ter-
go ſequuntur, ita colligunt, vt admodnm pau
cæ temaneant; ita, poſt Salmanaſar Regem,
qui cum ferro in Regnum Iſraelis inuaſit, Sena
cherib ſequetur, & eos, qui primum Aſſyrio-
rum impetum euaſerant, bello capiet, & in lon
ginquas terras, exſilij gratia, migrare compel-
6 let; 6 &, perinde, atque dum baccæ ex olea ex-
cutiuntur, paucæ admodum in arboris cacu-
mine relinquuntur, neque multo plures denſis
ramorum frondibus occuluntur; ita, poſtquam
Hebræorum natio Aſſyriorū armis euerſa fue-
rit, Ieroſolyma tantum, & paucæ admodum
ciuitates, & ex, multis vitæ incommodis, &
malorum tempeſtatibus, agitatæ, violentiam
7 In die illa inclinabitur homo. importuni hoſtis effugient. 7 Tunc autem homi
nes, qui Diuino beneficio cooſeruati fuerint,
tantis ſuæ gentis, cladibus eruditi, diſcent tan
dem, cuius ope nitendum ſit, & cuius auxilium
in aduerſis rebus implorandum. In illum enim
ſummum naturæ conditorem, & opificem, a
quo ficti, & informati ſunt, qui numquam ſuos
8 deſeruit, intuebuntur; 8 nec ſpem vllam in a-
ris, quas ipſi manibus ſuis exſtruxerant; nec
in lucis, quos nefaſta religione conſecraue-
rant; nec in ſimulacris, quibus honores Diui-
9 nos inſtituerant, habebunt. 9 Nec deinceps in
vrbium validis præſidiis, atque munitionibus,
ſpem ſalutis reponendam exiſtimabunt. Vt e-
nim Cananei, & Amorrhei, & reliquæ eiſdem
ſceleribus affines nationes, ita fuerunt ab Iſrae
le deuaſtatæ, vt tenues admodū reliquiæ, quaſi
ramus, aut virgultum, in arboris excuſſæ ca-
cumine derelictum, remanerent; ſic vrbes Iſrae
lis munitiſsimæ, cum Aſſyrius bellum in eas in-
tulerit, ita deſerentur, vt pauciſsimæ incolu-
mes, & ſaluæ, remaneant. Vaſtaberis, o natio
infideliſsima, vaſtaberis tandem; in eandemq.
perniciem incurres, qua illi, quorum ſcelus
imitaris, olim confecti, atque conſumpti ſunt.
10 10 Dei namque tui, in cuius gratia ſalutis tuæ
firmamentū conſiſtit, oblita es, & memoriam
illius inuictiſsimi propugnaculi, quod te a pe-
riculis omnibus tutam, & inuiolatam conſer-
uabat, abieciſti; fidemq. illi debitam deſerui-
ſti, atque prodidiſti. Vt igitur, cum fidem vni-
ce colebas, omnia tibi ex animi tui ſententia
contingebant; ſic modo, poſtquam a fide de-
ſciuiſti, nihil tibi vmquam recte procedet, om-
Propterea plantabis plantationem. nesq. impetus animi tui erunt inanes. Amœna
plantaria conſeres, alienumq. ſurculum arbo-
ribus tuis inſeres, magnamq. induſtriam, vt
creſcant, & fructus afferant, adhibebis; & bo-
norum omnium cumulos ſpe inaniſsima deuo
11 rabis; 11 atque, cum tempus percipiendi, &
condendi fructus aduenerit, ægritudinis acer-
biſsimæ, doloriſq. ſummi, ſegetem demetes.
Summo nāque ſtudio ſaluti tuæ proſpicies, ma-
gnas opes tibi parabis, cum multis alienigenis
gentibus amicitiam iunges, fœdus cum maxi-
mis Regibus percuties, ſtatum denique tuum
multorum opibus, atque munimento, vallabis,
&, hac inani fiducia ſubnixa, incolumitatem ti-
bi pollicebere. At, cum acerbus aliquis caſus
inciderit, in quo, quantum hæc omnia ad ſa-
lutem valeant, periclitandum ſit, doloris ſum-
mi cumulum ex illis percipies; tibique, ex ni-
mia ſedulitate, maiorem peſtem, atque per-
niciem, comparabis. 12 Vt autem clarius in- 12
telligi poſsit, quam amentes ſint ij, qui huma-
nis opibus ſe egregie munitos eſſe confidunt;
omnemq. ſapientiæ ſummam in eo conſiſtere,
vt Diuinum nobis auxiliū comparemus, Deiq.
ſolius fiducia nitamur; ipſi, qui te funditus euer
tent, cum arma in eos, qui ſunt in meo præſi-
dio, intulerint, ſubito conterentur. Væh innu- Væh multitudini populorum.
merabili gentium multitudini, quæ de Ieroſo-
lymæ exitio cogitant. Eos quidem fremitus e-
dunt, qui ſunt cum fluctibus marinis, turbulen
tiſsima tempeſtate iactatis, comparandi, & cū
ingentium aquarum, & imbrium, horrifico ſo
nitu conferendi. 13 Sint illi quidē populi quan 13
tumuis feroces, & infeſti; eoſq. fremitus edāt,
qui marinis fluctibus ſimillimi ſint: Dominus
tamen illorum Regem ſimul cum illis exterre-
bit, & in fugam ita exanimatum metu conii-
ciet, vt nullo in loco, etiam cum procul abe-
rit, conſiſtere audeat. Impellet enim numen,
& exagitabit, quemadmodum ventus in mon-
tibus puluerem diſpellit, & quemadmodum tur
bo globum in loco decliui prouoluit. 14 Ve- 14
ſpere Aſſyrium ingenti perturbatum metu
conſpicies; antequam dies illuceſcat, ne ve-
ſtigium quidem illius immanis potentiæ, quæ
piis exitium denuntiabat, in terris exſtabit.
Hanc ſceleris mercedem recipient ij, qui nos,
qui in Dei tutela ſumus, inuadunt, bonaq.
noſtra diripienda ſuſcipiunt: hanc miſeriæ ſem
piternæ hereditatem adibunt: hoc erit illis
patrimonium, Dei ſanctiſsimo iudicio, con-
ſtitutum.

1 Nec vicini quidem, ac finitimi Aegypti 1 CAP. XVIII.
finibus Aethiopes, qui ſupra flumina, quæ ab
Aethiopia in Nilum influunt, ſedes habent,
tantumq. ſibi arrogant, vt Hebræos ſe poſſe
protegere confidant, erunt communis huius
calamitatis expertes. 2 Nam, cum exercitum 2
mouerint, vt Iſraeli opem afferant, ab Aſſyrio
delebuntur; & tamen vſqueadeo ſibi confi-
dunt, vt ultro aliis opem, atque ſpem ſalutis,
oſtendant. In mare igitur nuntios mittunt, &
nauigia papyro, ſecundum morem gentis, in- Qui mittit in mare legatos.
texta, in fluuium deducunt, quibus legati ce-
lerius iter conficiant. Feſtinate, inquient, o nun
tij; celeritatem, quantam poteſtis, adhibete;
gentem indigna calamitate vexatā, quæ quon-
dam, iam ab eo tempore, quo populi nomen
obtinuit, multisq. deinde temporibus, & in
bello, maxima facinora virtutis militaris edi-
dit, hoſtibusq. ſuis maximo terrori fuit, & in
pace omnem ætatem in aſsidua legis diſciplina,
& inſtitutorum Diuinorum ſtudio, contriuit,
quæ

quæ tamen nunc ab hoſtibus oppugnata, & obtrita eſt, illiusq. tellus maxima ex parte bellorum magnorum fluctibus deterſa, atque quaſi quadam eluuione conſumpta; hanc igitur gentem indigna clade ſtratam, ſpe ſalutis, quam il-
3 li propediem afferemus, excitate. 3 Hac illi confidentia tantum aberit, vt ſibi malum vllum formident, vt longinquæ nationis patrocinium inſolentia minime ferenda ſuſcipiant. Temeritatis igitur, & arrogantiæ, pœnas dabunt; ſolusq. Dominus ciuitatem ſuam ab imminenti calamitate tuebitur. Omnes, qui orbem terrarum incolitis, cum fuerit in montibus ſignum militare ſublatum, & tubæ clangor intonuerit, audietis; &, quas Dominus ſuppetias ſuis afferat, intelligetis. Nec tantum in hoc ſignum, quo Dominus ſanctiſsimum numen ſuum in Aſſyriorum interitu præſens eſſe declarabit, quã in ſæuiſsimi Tyranni ruina, qui genus humanum opibus ſuis obſeſſum tenet, quam hic Aſſyrij caſus adumbrabit, aciem mentis intendite.

*Omnes habitatores orbis.*

Sternet enim Dominus admirandis portentis, atque prodigiis, Satanæ copias; omnemq. illius ſtatum Euangelij tuba diſsipabit; populiq. libertatem ſingulari ratione conſtituet. 4 Sic enim locutus eſt mecum Dominus: Ab omni labore, quem in meis ſupplicibus ab immani tyrannide liberandis ſuſcepi, conquieſcam; &, in ſolio meo ſedens, vnde, quibus rebus ij, qui ſe mihi crediderunt, indigeant, intueor, eorum ſaluti proſpiciam; & quietem, & otium, cõfirmabo; nec deinceps grauem vllam belli moleſtiam meditabor, poſtquam, hoſtibus deuictis, atque ſuperatis, populum meum in iuſtitiæ poſſeſsionem miſero. Tunc igitur otio, & tranquillitate, cum eximia animi iucunditate, perfruetur. Illum enim ſpiritu meo reficiã, & recreabo, mentemq. illius illuſtrabo; & omnem ex illius animo mæſtitiam depellam. Vt enim iucunda eſt oculis Solis lux, cum poſt pluuiam erumpit; vt ros tempore meſsis in aridam terram demiſſus arua lætificat; ſic ego in meos lucem clariſsimam diffundam; ſpiritusq. mei iucunditate, animos eorum complebo; efficiamque, vt, a me diligentiſsime culti, iuſtitiæ fructus in dies lætiores, & vberiores, effe-
5 rant. 5 Hoſtis enim importuni ſæuitiam contundam, & comprimam; & peſtem, quam in ciuitatem meam comparat, omnino reſecabo. Antequam enim meſsis, quam ille meditatur, aduentet; cum iam vites gemmauerint, deinde botros ediderint; cum flores exſtiterint, acinorumq. denſitas magnam ſpem vbertatis oſtenderit; non tamen vuæ maturitatem aſſecutæ fuerint; immittet repente Dominus falcem; nec pampinos, atque ſarmenta, ſolum amputabit, verum etiam vites a ſtirpe conciſas eiiciet. Nec enim peſtiferi illius conatus eos exitus, quos ſibi pollicebatur, habebunt; immo, cum id, quod animo verſabat, & in quod omnes cogitationes, & ſtudia, conferebat, prope confectum exiſtimauerit, cum eo rem deduxerit, vt iam maturũ tempus putet ad extremum exitium hominibus afferendum, inuectus repente Dominus, illum inuicta virtute profligabit; &, quaſi quadam acutiſsima falce, cunctas opes illius exſcindet; & omnes eius propagines reſecabit; atque in terram proiiciet. 6 Cadauera in montibus inſepulta feris dilanianda relinquentur; accubabunt ſuper ea volucres æſtate; beſtiæ vero immanes in illis hiemabunt. Nec enim quidquam, in quo ratio humanitatis exculta fuerit, in ſtratis illis cadaueribus, ſed fera, & agreſtis immanitas inſidebit. 7 Eo vero tempore populus ille vexatus, & ſpoliatus, qui quondam & hoſtibus in bello terrori fuit, & domi ætatem in aſsidua legis, atque præceptorum connexione contriuit, & fuit tandem obtritus, & bellorum ingentium vi de telluris poſſeſsione maxima ex parte depulſus, illi ſummo cælitum imperatori Sionis præſidis victimas offeret, &, ob partam de hoſte crudeli, & importuno, victoriam ſacrificabit. Hæc vbi de clade, quæ copias Aethiopiæ perculit, & de interitu Senacheribi, qui Satanæ interitum adumbrabat, prædixit, continuo orationem ad Aegypti calamitatem exponendam conuertit. Sic enim ait:

*4 Quieſcã, & conſiderabo.*

*Sicut meridiana lux clara eſt.*

*Ante meſſem enim.*

*6 Excutientur, & relinquentur ſimul auib.*

*7 In tẽpore illo deferetur munus.*

1 Ecce Dominus in Aegyptum, quaſi incitatæ nimia tempeſtate nubi inſidens, admirabili celeritate contendet. Sub illius aduentu ſimulacra magno motu concuſſa trepidabunt; religiones cõpreſſæ ſilebunt; homines deſperatione fracti, & debilitati, concident. 2 Atq. primũ, inquit Dominus, inteſtinis ſeditionibus eorum ſtatum conuellam. Frater enim fratris vitã oppugnabit; amicus amico perniciem comparabit; ciuitas ciuitati peſtiferum bellum indicet; inter Regios Principes, quibus ſunt certis finibus illarum terrarum imperia diſtributa, tumultus excitabo; & alij contra alios bellũ, acerbiſsimo odio penitus imbutũ, ſuſcipient. 3 Nec interim animaduertent opes ſuas atteri ſeditionibus, & vires ſuas frangi; & hoſtibus animos addi; extremumq. exitij funeſtiſsimi periculum cunctis intendi; &, dum alij in alios peſtem comparant, ſibi quemque interitum, atque perniciem, moliri. Vacui enim ſunt omnes Aegyptij mente, orbati ſenſibus, ſpoliati iudicio. Ego namque illis conſilium, atque mentem, eripui. Sceleribus namque ſuis iampridem aduerſarium me ſibi, & infenſum, reddiderunt; & lucem mentis meæ, quam iis, quos ſeruare conſtituo, præferre conſueui, a ſeſe, impietatis magnitudine, repulerunt. Perturbati vero tantis ærumnis, atque formidine impendentis calamitatis oppreſsi, quod ab impiis in extremis malis fieri ſolet, cum ſe viderint ab humanis opibus nudos, ad nefariam religionem confugient, & a ſimulacris opem ſupplices implorabunt, & magos conſulent, & Diuinorum ſententiam ſciſcitabuntur. 4 Fru-

*1 CAP. XIX.*

*Commouebũtur ſimulacra Aegypti.*

*3 Et diſrũpetur ſpiritus Ægypti*

ſtra tamen in peſte depellenda laborabunt. Ae-
Et tradam Aegyptum in manu crudelium.
gyptum namque tandem Domino crudeli tra-
dam, imperij acerbitate vehemẽter opprimen
dam; Regemq. inhumanum, & ferum, Aegy-
ptiorum ceruicibus imponam. His quidem ver
bis Dominus Aegypto ferro, flammaq. dirum
5 minatur exitium. 5 Aquas maris exſiccari ſibi
ſentient homines; nec vllum fructum ex illius
vicinitate percipiẽt. Fluuius, qui mediã regio-
6 nem interfluit, illis exareſcet; nec vllam fe-
cunditatem eorum aruis inducet. 6 Abſcedent
procul flumina; Nili deriuationes paullatim at
tenuatæ deficient; calami, atq. iunci, ſucciden
7 tur; 7 herbida quædam amœnitas, quæ ripas,
& loca fluuio propinqua, veſtiebat; & quid-
quid ſatũ in vicinis etiam agris exſtiterit, ari-
8 ditate conſumptum interibit. 8 Piſcatores v-
niuerſi lugebunt. Nam, & qui hamum in fluuiũ
demittunt, & qui retia in ſummas aquas ex-
tendunt, omnes ſe fruſtra labore conficient.
9 9 Ad extremam igitur inopiam, & egeſtatem,
accedet dedecus, & ignominia. Pudebit enim
Confundẽtur, q operabantur linum.
illos, eo quod ad eas ſe artes applicuerint, qui-
bus ſibi victum parare non poſſent. Erubeſcent
enim, qui linum optimum ſerunt, qui retia ple
10 ctunt, & naſſas efficiunt. 10 Eorum autem, qui
piſcinas ædificant, ſagenæ dilacerabuntur, atq.
11 Stulti Principes.
diſcerpentur. 11 Erit tunc profecto Principum
amentia conuicta, conſiliorumq. humanorum
temeritas euentis redarguta. Conſiliarij Pha-
raonis conſilium illi plenum ſtultitiæ dederũt;
nempe, vt opibus ſuis valde confideret; nec vl-
lum malum in vita formidaret. Quæ tanta ve
ſtros animos, o miſeri Principes, oppreſſit a-
mentia, vt numquam vos humanæ imbecilli-
tatis recordatio ab iſta confidentia reuocaret?
neque, quanta ſubito fiat, propter hominum
ſcelera, rerum humanarum conuerſio, aliqua
ratio pietatis admoneret? Et tamen Pharao-
ni ſuadetis, vt auctoritatem veſtram ſequatur?
Sic enim quiſque veſtrum dicit: Nos, & ſapien-
tiæ magnitudine, & Regiæ nobilitatis antiqui-
tate, præcellimus; multisq. ſæculis virtute, &
ſapientia noſtra hanc dignitatem retinuimus;
nec opes vmquam patrias, & auitas, amitte-
Quõ dicitis Pharaoni Filius ſapiẽtię ego.
mus. Quid tunc, o miſeri, dicetis, cum hoſtis
acer, & immanis, animos iſtos compreſſerit, &
ſuperbiam intolerandã duro bello contuderit?
12 rit? 12 Quid tibi proderit, o Pharao, Principũ
tuorum acumen, atque prudentia, cum fueris
Annuntiẽt tibi, & indicent, quid cogitauerit Dominus.
improuiſo hoſtium copijs, atque viribus, ex-
pugnatus, & omnibus opibus tuis euerſus?
Nunc nunc, dum tempus eſt, ſi ſapientes ſunt,
ſi longo rerum vſu inſignem prudentiam aſſe-
cuti ſunt, quid euenturum ſit, multo antea
prouideant, & prænuntient tibi, quid ſummus
cæli rector de ſtatu Aegypti decreuerit, vt im-
pendentem calamitatem, ſi poſſunt, multo an-
13 Stulti facti ſũt Principes.
te præcaueant. 13 Stulti ſunt, & amentes, prin
cipes Aegyptiorum; & omnes, qui ſimiliter
ſibi ſapientiam arrogant, humanæq. pruden-
tiæ opinione gloriantur, nec Dei ſpiritu eru-
diuntur, ſunt amentiſſimi. Quo enim magis ſa
pientiæ nomine tument, & efferuntur, eo lon-
gius a ſe lucem Diuinam repellunt, tetriori-
busq. tenebris oppleti, multo celerius Remp.
in omnem clãdem præcipitant. Quod quidem
Aegyptij in ſe experientur. Summa namque de
ſperatio Principium animos occupauit, ſum-
musq. furor, atq. dementia, cæcas tenebras eo-
rum mentibus offudit, vt non ſolum ipſi viam
ſalutis ignorarent, verum etiam Aegyptũ vni-
uerſam errore pernicioſo complerent; & om-
nes regionis illius terminos, atq. ſtatus firma-
mentum temeritate ſua labefactarẽt, atq. deij-
cerent. 14 Porrexit enim illis Dominus erroris
14 Dñs miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis.
turbulenti poculum, & principes, quaſi multo
vino ebrios, de mẽte, & ratione, deduxit, qui re
liquos ciues ſecum in eandem ebritatem indu-
xerunt, 15 vſque eo, dum, furore circumacti, o- 15
mnia opera ſua fœde contaminarint. Rectiſſi-
mo namque iudicio ſancitum eſt, vt, qui in vi-
tæ conſilijs opem Domini minime implorandã
putant, mentis ſtupore, & inſania, pœnas inſo-
lentiæ perſoluant. Cum ergo AEgyptij, Dei pa
trocinio, propter eorum ſuperbiam, & impie-
tatem, nudati fuerint, vt omnia tentent, atque
periclitentur, nullo modo poterunt a ſe impen
dẽtem calamitatem propulſare. Nec enim pru
dentes homines, cõſulendo, quidquam profici-
ent, neq. adulatores, aſſentando, ſpem aliquam
ſalutis afferent; neq. nobilitas a patria impetũ
hoſtium reprimere; neque multitudo ex agris,
aut ex flumine, cibaria, quibus Reſp. ſuſtente-
tur, vlla induſtria, & ratione, comparare po-
terit. Non ſolum igitur erunt miſeri homines
Principium tutela, atq. patrocinio, deſtituti,
ſed nec adulatorum mendacio, & fraude, pote-
runt in rebus perditis ad ſpem melioris con-
dicionis excitari. Erunt ſimiliter omnes, & no-
bilitatis, & multitudinis, labores ſine vllo fru-
ctu conſumpti. 16 Dolore igitur effeminati lan
16 In die illa erit Aegyptus quaſi mulieres.
gueſcent; ſummiq. Dei numen extimeſcent; &
iudicia illius animo reputantes horrebunt. 17
17 Et erit terra Iuda.
Nec enim ſolum ex clade ſua diſcent, quam
ſit Dei numen pertimeſcendum, verum Iudæo
rum exitium magnum eis terrorem incutiet,
cum ſecum Domini cõſilia reputauerint, intel-
lexerintque, nullam illi gentem eſſe eximiam,
quam nõ, ſi fide vacua fuerit, euertat; ſed om-
nibus, qui fidem prodiderint, & religionem vio
lauerint, quamuis antea ornati ab illo ampliſſi
mis beneficijs exſtiterint, eſſe vehemẽter infen
ſum, atque adeo ab illis pœnas grauiores repe-
tere, quos ad maiorem gradũ dignitatis extu-
lerat. Quod quidẽ erit ab illis multo acrius a-
nimaduerſum, cum extremis temporibus vide
rint Iudæam, propter impietatem, & ſcelus in
Deum, Diuino iudicio inflammari, omneſq. Iu-
dæorum opes exſtingui penitus, atque deleri;
neque vmquam in priſtinum ſplendorem, &
dignitatem, reſtitui. 18 Extremus igitur ille 18
Iudæorum occaſus Aegyptiorum animos ex-
terrebit; ſanctiſſimaq. Dei iudicia mẽtuent,
atque

atqne pauebunt ; totosq. ſe ad officij religio-
nem, & ad ſtudium Diuinæ legis, applicabunt.
Qnod vt commodius efficere queant, Hebrææ
linguæ operam dabunt , ſummiq. Dei numen
ſanctiſsimum habebunt. In qninque vero ciui-
tatibus Aegypti præcipue, hæc ſanctarum litte
rarum ſtudia florebunt . Tunc igitur apud Ae-
gyptios , qui nnnc portenta, atque flagitia, ve-
nerantur, & ſunt ſceleſtiſsimis criminibus alli-
gati, vigebunt ardentiſsima ſtudia ſanctitatis;
florebitq. ſumma virtutis, & officiorũ, religio;
& , quod magis eſt admirandum , Heliopolis ,
quæ nunc maxime artibus peſtiferis imbuta
eſt, & immaniore ſuperſtitione conflictatur, e-
rit tunc præcipue artibus ſanctiſsimis dedita ,
& in ſtudium pietatis incitata. Itaq. non Deo-
rum inanium numen in procuranda religione
vlterius vſurpabunt; ſed per Deum iurabunt, il
lique , quanta cærimoniarum ſanctitate pote-
19 In die illa erit altare Domini in medio Aegypti.
runt , debitos honores inſtituent. 19 Vt autem
in media Iudæa templum exſtructũ eſt, in quod
vndique Hebræi , rei Diuinæ faciendæ cauſſa ,
commearent , ſic in medio Aegypti ( nec enim
Dominus vllam nationem, modo fidei muneri-
bus exculta ſit , alienam exiſtimat , aut gentis
alicuius pias preces, & vota, repudiat) erit in-
ſtituta , & Diuinitus inſtaurata ſummi, & præ-
20 potentis Dei noſtri religio, 20 atque monumen
tum Diuinæ benignitatis ad ſempiternam me-
Clamabũt enim ad Dominum.
moriam conſtitutum . Non tamen illic pecora
mactabũt, aut quadrupedum ſanguinem effun-
dent ; aut eiuſmodi ſacris litare , iramq. Diui-
nam auertere, conabuntur ; ſed fidei ſacrificia
offerent, victimasq. laudis immolabunt. Cum
enim tyrannorum violentia vehementius op-
preſsi fuerint, non humanum auxilium , ſed o-
pem Domini, implorabunt; qui repente mittet
eis vnici illius generis humani liberatoris , per
quem eſt omnium ſalus, libertas , & dignitas ,
conſtituenda, firmum , & inuictum præſidium,
21 quod eos e cunctis malis eripiet. 21 Cognoſcẽt
igitur Aegyptij Dominum, illiusq. numen vere
buntur , & benignitatem amabunt; illiq. mune
ra , & hoſtias, offerent; votiſque damnati , ea ,
cum ſingulari pietate, atque ſanctitate, perſol
22 Et percutiet Dominus Aegyptum plaga.
uent . 22 Quod ſi fuerint in aliquod flagitium
prolapſi , Dominus eos , vt pater clementiſsi-
mus , plagis impoſitis , a ſcelere reuocabit, vt,
poſtquam ad illum conuerſi fuerint, eorum vul
23 nera repente ſanet. 23 Non reſidebit tunc in il
lis nationibus, quæ ſeſe, Chriſti Regis opera, ab
imperio cupiditatis abſtraxerint , & ad ſtu-
dinm pietatis adiunxerint , vlla diſsenſio ,
cum omnis diſcordiarum materia reſecãda ſit;
&, qnod eſt conſequens, omne generis, aut con
dicionis, diſcrimen, e medio tollendum. Siue e-
nim illi ſint Aegyptij, ſiue Aſſyrij, ſiue Iudæi, in-
ter quos olim ſæpenumero fuerũt odia acerbiſ
ſima concitata, omnes in eadẽ cõdicione dein
ceps erũt. Intelligẽt enim, nõ certi generis in-
ſignia , non adumbratam religionem , non ali-
quam denique humanæ dignitatis ſpeciem, ali
quod pondns apud Deum habere ; ſed fidem ,
ardore numinis inflammatam, cuius cum fue-
rint omnes participes , erunt omnes inter ſe
amore coniuncti . Nulli erunt igitur exercitus
ab aliis ad aliorum perniciem comparati ; nul-
la præſidia vias obſidebunt; nulla pericula erũt
iis, qui ab aliis ad alios migrare voluerint, alio-
In die illa erit via de Aegypto in Aſſyrios.
rum immanitate conflata . Erit igitur Aſſyriis
tritum iter in Aegyptum, & Aegyptij etiam in
Aſſyriam frequenter commeabunt, ſummaque
fidei conſenſione Dominum colent . Aſſyrius
amabit Aegyptium , Aegyptius parem volun-
tatem reddet Aſſyrio. 24 Iudæus vero tertius 24
vtrique eorum ſocius , & amicus, adſcribetur .
Quod quidem amoris fœdus , & mira quædam
animorum conſenſio , beneficio illo immorta-
li fiet, quod Deus olim patribus noſtris promi-
ſit, per quod vniuerſæ terræ, ſcelere, & exſecra
tione, deuinctæ, erant ſcelere, & exſecratione, li
berandæ . In medio namqne terræ Dominus
omnibus benignitatem ſuam proponet, vt cun
ctis nationibus ſe propitium exhibeat , & om-
nibus eadem benignitate proſpiciat. Nec enim
plus Iudæis, quam reliquis, tribuet, dummodo
ſint religionis ſanctitate pares, eademque fide
pietatem colant . Itaque omnes pariter ama-
bit; omnes ad eandẽ ſpẽ ſummæ felicitatis exci
tabit; & omnibus immortalem gloriam propo 25
net. 25 Sic enim dicet : Felix , atque florens, ſit
populus meus , qui ſancto Aegyptiorum cœtu,
& multitudine, cõtinetur ; opus vero manuum
mearum Aſſyrius omnibus bonis affluat; here-
ditas autem mea, quæ in Iſraelis pio cœtu con
ſiſtit , Diuinis præſidiis , & ornamentis , ma-
gnificentiſsime redundet . Omnes denique ,
quocumque illi genere procreati , & quacum-
que ex parte terrarum ſint , modo cum incen-
ſa fide ad me accedant , ſint meæ benignitatis,
atque gratiæ , compotes . Hactenus quidem
Propheta , more , & inſtituto ſuo , Aegy-
pti ruinam , & vaſtitatem, ita prædixit , vt
interim illam erigat ad firmiſsimam ſpem
ſalutis, quam Chriſtus erat cũ terris aliis ,
tum Aegypto etiam , allaturus. Vt au-
tem planius faciat , nullo modo eſſe vitæ
ſpem in hominum fide , vel potentia , col-
locandam , vtitur illuſtri quodam ſui tem-
poris exemplo, quod magnam vim habe-
bat ad inanem hominum confidentiã coar
guendam . Sic enim ait :

CAP. XX.

1 ANNO , quo Tartam , iuſſu Sargon
Regis Aſſyriæ , venit in Palæſtinam , Aſſo- 1
tumque vrbem vi cepit, 2 dixit Dominns Iſaiæ 2
filio Amos : Nuda te ſago , quo veſtitus es ,
calceosque e pedibus tuis detrahe. Quod vbi
audiuit Iſaias , imperium Domini exſecutus
eſt; & ita nudus inceſsit . 3 Ait deinde Do- 3
minus : Hoc, quod fieri videtis a ſeruo meo
Iſaia , vt nudo corpore , nudiſq. pedibus inam
bulet , ſignum , atque portentum eſt ſupplicij ,

quod eſt intra trium annorum ſpatium AEgyptijs ſimul, & Aethiopibus, irrogandum. 4 Portendit enim fore, vt abducat Aſſyrius in duriſſimam ſeruitutem Aegyptios, & Aethiopes, tã adoleſcentes, quam ſenes; omni corporis integumento nudatos, & ſummæ turpitudinis maculis inuſtos, cũ inſigni ignominia in omnium oculis, & adſpectu conſtituta.

5 Et timebunt & cõfundentur ab Aethiopia.

5 Tunc igitur pudebit vehementer eos; qui ſpem ſalutis ſuæ in opibus Aethiopum poſitam habebant, & Aegyptiorum auxilio confidebant, &, de inaniſſima ſpe depulſi, concideut animis, fractique, atque perculſi iacebunt.

6

6. Dicent tunc incolæ, & habitatores huius ciuitatis, quam aſſidui bellorũ fluctus alluuut, & in quam vndiq. ſæuæ tempeſtates, atqne procellæ, frequẽter irruunt: Hi ne ſunt illi, in quibus miſeriæ portum, atque perfugium nobis paratum exiſtimabamus? Si Aegyptij, & Aetbiopes, quorum auxilio ſalus noltra nitebatur, Aſſyrij opibus obſiſtere, propriamq. ſalutem tutari minime potuere, quo tandem modo nos, ab eorum ope derelicti, Aſſyrij vim, & immanitatem, effugiemus?

Hæc vbi de ſuorum infidelitate, qui animum in ſociorum ſtrage deſponderant, cõqueſtus fuit, rurſus ad Babylonis exitium explicandum redit. I nquit igitur:

1 CAP. XXI.

1 Proſpicio mente cladem ciuitatis opulentiſſimæ, qnæ quidem erit quaſi mare vaſtum, & impetuoſum, tempeſtatibus vehementiſſimis agitatum a locis deſertis; & a terra armis horrida, atque metuenda: turbo, & tempeſtas auſtro ſæuiſſimo concitata furenter inuadit, immaneſq. fluctus extollit.

2 Viſio dura nuntiata eſt mihi.

2 Durum, & calamitoſum ſpectacnlnm mihi præbitum eſt, imperijque maximi ruinam, & exitium iamiam futurum, conſpicio. Qui igitur nunc alios bonis fraudant, fraudent, quantum velint; qui per vim homiues ſibi obnoxios fortunis ſpoliant, ſpolient; & in capitali crimine perſeuerent; in ſceleſtoq. facinore glorientur. Breui namque pœnas grauiſſimas, fraudis, & immanitatis, exſoluent. Accelera, quantum potes, o Perſa, & in loca excelſa, & munita, conſcende; tuque, o Mede, ciuitatem vndique copijs tuis obſide, quam celeriter expugnabis. Ego enim, inquit Dominus, ciues illos tam dira clade conficiam, vt obſtupeſcant penitus; neque deplorare, atque lamentari valeant, ſi qui reliqui fuerint, patriæ totius interitum. Hoc etiam vnum in extremis malis ſolatium, quod in lacrymis, & libero gemitu, & fletu, conſiſtit, illis eripiam.

3

3 Huius tanti mali exſpectatione franguntur animi ciuium; &, horrore impendentis cladis perculſi, & abiecti, nihil, niſi triſte, dirum, & calamitoſum, cogitant: Ipſe vero tyrannus curis triſtiſſimis, & acerbiſſimo animi cruciatu, & angore, conficitur. Totum quidem, inquit, robur meum ægritudine debilitatum diſſnit; doloribuſq. ſummis, quaſi doloribus feminæ parturientis, excrucior: aures meæ ſunt malis nuntijs perturbatæ, & attonitę: oculi mei ſunt exſpectatione tantarnm ærumnarum grauiter admodũ vulnerati:

4

4 animus mens, crebris motibus agitatus, ita vagatur, vt nullo modo conquieſcat: præ nimia formidine, & horrore, concutior, totiſq. artubus contremiſco; nec nocte quidem, quæ data eſt hominibns ad requietem laborum, & curarum omnium alleuamentum, mihi aliqua quietis parte frui conceditur. In ſomnis enim horrificæ ſpecies obijciuntur, quæ me terrore ſummi cruciatus exanimant, atque de ſomno frequenter exſuſcitant. His quidem furijs exagitabitur vir impius, & ſceleratus, ita, vt, etiam antequam patriæ totius euerſione, & omnium ſuppliciorũ diritate, pœnas immanitatis luat, acerbiſſime crucietur.

5

5 Quinetiã, cũ diem feſtum agitare voluerit, conuiuiumq. magnifice, & ſplendide ornandum curauerit, & Principes ad ſollemnes epulas inuitauerit, in medijs epulis metu perturbatus exſiliet. Nec enim poterit animus hominis ſceleſti, & impuri, in aliqua tanquillitatis parte verſari. Inſterne, inquit; menſam, & cibos exquiſitiſſimos appone. Quid igitur: num eſt otium ab hoſtibus? num animns eſt metu, atque ſollicitndine, vacuus? minime. Adiungit enim, Tu vero ſpeculator in ſpecnla mane; &, quidquid ab hoſte fuerit in noſtram perniciem tentatum, diligenter attende. Dum ſpeculator ſe a conſpectu remouet, vt ſnum munus obeat, lecti inſternuntur, menſæ dapibus exſtruuntur, conuiuium celebratur; comedunt, vt apparet, iucũdiſſime; maxima pocnla miniſtrantur. Nondum ſatis vino caluerant, cum horribilis nuntins affertur, hoſtes in vrbem ingreſſos, rem eſſe in extremum diſcrimen adductam: Surgite, inquit, principes, arma ſumite; clypeum oblinite, ne vobis detrahi poſſit; hoſtem, ſi poteſtis, repellite. Sic eſt impiorum hominum vita curis triſtiſſimis anxia, graui metu ſollicita, & in medijs voluptatibus iniectis ſubito terroribus exagitara. Quod quidem in acerbiſſimis curis, quæ Regis impij animum excruciabant, & in Babylonis perturbatione, ſatis explorate cognitum fuit. Ea ſiquidem omnia fomidabant, quæ erant illis iudicij Diuini ſeueritate, propter cõmiſſa ſcelera, neceſſario perferenda.

6

6. Sic enim Dominus mecum locutus eſt: Abi, & Angelo, qui eſt in ſpecula collocatus, quid mente prouideat, ſciſcitare.

Vade, & pone ſpeculatorem.

Vt enim reliqui prophetæ ab angelis erudiuntur, eorumq. opera rerũ futurarum cognitione Diuinitus imbuuntur; ſic decet te ab hoc ſpeculatore meo, quæ ſuut in poſterum tempus euentura, percunctari.

7

7 Intẽdit aciem mentis angelus, qui me Diuinis diſciplinis erudiendũ ſuſcipit, obtutumq. in eo, quod ſpeculabatur, acerrime fixit, atque proſpexit duos equites vno curru innectos, qui totum agmen ſumma conſenſione animorũ gubernabant. Multi pręterea currus erant, quos partim aſini, partim cameli, trahebant; quod portẽdebat

bat

bat duas nationes, imperiis accipiendis,one-
ribusq. ferendis, aptiſsimas, viribus quidem
impares, ſed vno fœderis, atque neceſsitudi-
nis, vinculo conſtrictas, quæ erant operam
ſuam Regibus in bello, ſine vlla recuſatione,na
8 naturæ. 8 Angelus autem, qui quidem animi
robore piorum ſtatum tuetur, atq; conſeruat,
omniaq.ab illis pericula inuicta virtute propul
ſat, eſtq. Leoni ſimillimus, de ſpecula clama-
uit, vocemq. in hanc ſententiam emiſit:Domi
ne, non eſt meum detrectare imperium tuum,
impoſitumq. mihi onus abiicere, vel ſaltem ne
gligenter, & faſtidioſe, aſsignatum mihi mu-
nus ex ſequi; ſed noctes, atque dies, in ſtudio
gloriæ tuæ vigilare. Nunc igitur tibi diligen-
tiſsime pareo. Die in ſpecula maneo, nocteq.
9 in cuſtodia, atque vigilia mea conſiſto. 9 Ec-
ce venit princeps ille potentiſsimus, quem mi
ſiſti, vt hoſtes tuos euerteret. Singulis autem
curribus equites binos inuectos cerno; homi-
nes genere diuerſos, eadem tamen animorum
alacritate coniunctos ad excidium Babylonis
conſpiraſſe proſpicio. Non ſolum igitur prom-
ptam,atq. paratam, militum obedientiam,ſed
ſingularem animorum conſenſionem,qua per-
niciem hoſtibus machinabuntur, mente pro-
uideo. Hæc vbi dixit, quaſi Diuini ſpiritus
appulſu, repēte commotus, & incitatus, ma-
ximis vocibus inclamauit. Cecidit,cecidit,Ba
bylon;ſimulacra illius in terram abiecta,& pe-
nitus obtrita ſunt; impura illa maleficorum
hominum ſuperſtitio diriſsimis euentis inani-
tatis, & amentiæ, conuicta confeſtim euanuit.
10 Hæc quidem angelus. 10 Hoc oraculo commo
tus Iſaias inquit: Adeſte animis, ciues mei, in
quibus ego, quaſi tribula terendis,& expurgan
dis, doctrinæq. meæ,vt ita dicam,ventilabro,
a perditorum hominum contagio, tamquam
ab inutili palea, ſecernendis, operam meam
pono: vos, inquam, qui propter fidem a vobis
ſancte cultā, eſtis, inſtar frumenti purgatiſsi-
mi, in Domni horreo condendi,verba mea me-
moriæ tradite; ſpem firmam futuræ ſalutis,at-
que libertatis, concipite. Hæc enim, quæ de-
canto, non inuenta mea ſunt, nec ab ingenio
meo ſollerter excogitata, ſed ab ipſo Deo præ-
dicta. Non enim ex me promo quidquam; ſed,
quæ a Deo accepi, hæc vobis annuntio. Non
igitur hæc ſine ſcelere nefario in dubium voca
11 re poteſtis. 11 Neque Duma quidem ſtatum
ſuum incolumem diu conſeruare poterit. Vi-
deor iam mihi in Seir audire non inſtituti mo-
do, ſed etiam comparati belli ſtrepitum, ani-
morumq. alacritatem multitudinis ſublato cla
more, ſignificari.Ipſe idem ſpeculator, qui mi
hi caſum Babylonis annūtiauit, ad me clamat
de Seir, & inde excidium,& vaſtitatem Duma
inferendam eſſe prædicit. Duma igitur, formi-
dine perterrita, portas claudere, mœnia cu-
ſtodiis, vigiliisque, munire, ciues trepidare
metu,huc & illuc curſare,crebriſque,& ineptis
percunctationibus excubiarum aures obtunde

Et clamauit leo ſuper ſpeculā

re.Sic enim eorum quiſque vigilem, qui in vr-
bis cuſtodia excubat, trepida voce compellet.
Quid hæc nox attulit,o cuſtos? Quid hæc nox Cuſtos, qd de nocte.
attulit, o cuſtos? Num fuit aliquid ab hoſte in
noſtram perniciem tentatum? Num rumor ali-
quis ad aures veſtras pertulit,accerſitū alicun
de præſidium mœnibus appropinquare? Peri-
mus ne omnes funditus? An adhuc aliqua te-
nuiſsima ſpes nobis vitæ relinquitur? 12 Reſpō 12
debit cuſtos,Iampridem illuxit,non tamen no-
bis illuxit.Nam ſempiterna quædam nox eſt no
ſtris rebus offuſa. Proinde, quantumlibet, in-
terrogate;vltro, citroq. curſitate;abite,atque
redite: nullum enim fructum, vt video, nobis
afferet iſta ſollicitudo. 13 Nec ſolum Duma cō 13
cidet;verumetiam Arabia, Syriæ finitima, du-
ro bello vaſtabitur. In denſa, & aſpera, ſilua, o
Arabes,pernoctabitis;animumq.ex longa fuga
tādem in viis Dodanim recipietis; 14 ibiq. ex- 14
torres, & inopes, fame, atq. ſiti,grauiſsime la-
borabitis. Vos igitur, o ciues Thema, propin-
quis veſtris occurrite; ſitiētibus aquam porri-
gite; eſurientibus cibum apponite. 15 Nec e- 15
nim mediocre malum eos perculit; neque me-
diocre periculum illos in fugam compulit. Fu-
giunt enim micantes gladios; fugiūt arcus in-
tentos; fugiunt bellum peſtiferum, ſummi Do-
mini rectiſsimo, atque ſanctiſsimo,iudicio con
flatum. 16 Sic enim mihi dixit Dominus, intra 16
vnius anni ſpatium,quaſi intra diem mercena-
rio,ad accipiendam mercedem, præſtitutum,
quem neque recipientis inopia, neque ſoluen-
tis religio, differre, atque procraſtinare, pati-
tur,omnes opes Cedar erūt fractæ,diſsipatæ,& Auferetur ei gloria.
cōminutæ. 17 Sagittarij, qui reliqui a cōmuni 17
cæde,atq. ſtrage,facti fuerint,erūt pauciſsimi.
Hæc enim prædixit Dominus, quē Iſrael colit,
& veneratur, cuius ſempiterna veritas eſt.

CAP. XXII.

Hæc vbi Iſaias de reliquarum gentium
exitio prædixit, redit continuo ad Iero-
ſolymæ ruinam, cuius potiſſimum gratia
reliquarum vrbium euerſiones recenſuit;
vt, cum intelligerent homines, omnes il-
las vrbes Diuino iudicio concidiſſe, inte-
rituq. ſuo ſcelerum, flagitiorum, pœnas
luiſſe, facilius colligerent, hominum ſce-
lus, non fortunæ temeritatem, eſſe, quod
cladem, & exitium, Ieroſolymæ rebus
importaret. In eam igitur inuectus,excla-
1 mat: 1 Quidnam accidit, o ciuitas; non qui-
dem iam in monte, vt olim, ſed in valle ſita:
fuiſti enim iampridem e ſummo dignitatis fa-
ſtigio in ſummam ignominiam detruſa, ita, vt
nullum fructū tibi oracula Diuina præbuerint;
nec diſciplinæ cæleſtis inſtitutio tibi in tantis
ærumnis quidquam opis attulerit; quid igitur
euenit, cur, exanimata metu, in tecta conſcen
das;nec virtutis robore,ſed mœnium præſidio,
vitam tutandam exiſtimes? 2 Atqui ciuium 2
multitudine frequentata, & opibus egregie

cumulata, tumultus excitabas, & alacris, & ere
cta, volitabas; neque tantam tibi malorũ pro-
cellam, atque tempeſtatem, ſubenndam animo
proponebas; nunc vero ſic metu obtorpuiſti,
vt hoſtis vultum adſpicere nõ audeas. Non igi-
tur gladius in acie, ſed intra muros fames, ci-
3 ues exhaurit. 3 Omnes enim principes tui pro-
fugerunt, & ab inſequentibus ſagittariis com-
prehenſi, artiſsimiſq. vinculis alligati ſunt.

*3 Interfecti tui non interfecti gladio.*

Omnes, inquam, qui in turpiſsima fuga capti
ſunt, fuerunt ferreis vinculis adſtricti; nec fuit
quiſquam, qui honeſta morte miſerrimæ ſer-
uitutis ignominiam depelleret. Nec enim ſo-
lum corporis viribus, ſed animi robore, ſpolia-
4 ti, & orbati ſunt. 4 Cum hanc tantam patriæ
meæ cladem conſidero, ingentem vim lacry-
marum profundo, communemq. totius ciuita-
tis occaſum, & ruinam, acerbiſsimis lamentis,
crebris gemitibus, atque ſuſpiriis, deploro;
nec poteſt animus meus vlla conſolatione per-
mulceri. Abſcedite igitur omnes. Nec quiſ-
quã ſit, qui me amariſsime lugere prohibeat;
nec in eo vehementer elaboret, vt conſolatio-
nem adhibeat. Quæ enim oratio poterit animi
mei dolorem lenire, cum ciuitatis euerſionem,
& vaſtitatem in oculis habeam, & tantam ca-
lamitatis impendentis atrocitatem mẽte pro-
5 ſpiciam? 5 Dies enim ille funeſtiſsimus appro-
pinquat, quo die miſera, & abiecta, ciuitas fru
ſtra oraculis Diuinis admonita, (non enim ab
impietate prædictionibus vllis deterrita fuit)
vexanda, proculcanda, multiſq. ſimul pœnis,
& acerbitatibus, implicanda eſt. Summus enim
cælitum Dominus in hãc vallem, quæ fuit olim
cognitione rerum Diuinarũ, & Prophetarum
reſponſis, exculta, grauiſsimam belli tempe-
ſtatem inuehet, quæ muros impetu furibun-
do diruat, vicinumq. montem horrendo fra-
gore tremefaciat. 6 Alij quidem arcum, & pha
6 retram, geſtant; alij vero curribus inuehun-
tur. Alij tecti ſcutis cominus prœlium ineunt:
7 7 valles tuæ cultiſsimæ, & amœniſsimæ, plenæ
ſunt curribus; equites ad portas tuas caſtra po
8 nunt. 8 Tunc igitur oſtendet Dominus, cum
inſigni Iudæorũ dedecore, & ignominia, quam
inane fuerit illud præſidium, in quo homines
9 impij ſpem ſalutis collocauerant. 9 Quid tu in-
terim, o miſera ciuitas, tantis periculis cincta,
facies? Num reſipiſces; & lacrymis, atque ge-
mitu, veniam a Deo implorabis? Num illius o-
pem aſsiduis precibus flagitabis? Num, vt illius
numen tibi propitium reddas, in iuſtitiæ, & be
nignitatis, ſtudium incumbes? Nihil minus;
ſed, contempto, & abiecto, ſanctiſsimæ religio-
nis ſtudio, omnem ſalutis tuendæ rationem in
humanis opibus, & induſtria, collocabis. Nam
in armamentarium, quod eſt in nemore con-
ditum, reſpicies; & arma inde educta diſtri-
bues; &, quam multas rimas agat arx a Dauî-
de ædificata, diligentiſsime conſiderabis; &
aquas inferioris piſcinæ intra mœnia colli-
10 ges; 10 & ædes ciuium numerabis; ac, vt murũ

*Et videbitur in illo die armamentarium*

labantem reficias, domos quamplurimas diſtur
babis; 11 & inter vtrumque murum ingens re- 11
ceptaculum, in quod aquam piſcinæ veteris in-
ducas, exſtrues; nullamq. rationem vrbis mu-
niendæ, atque tuendæ, prætermittes. Quod
quidem vitio minime vertendum eſſet, ſi pri-
mum in illud munitiſsimum, atq. tutiſsimum,
vitæ, & ſalutis, propugnaculum reſpexiſſes,
omnemq. rerum tuarum ſpem in Domino col-
locaſſes: Verum tu nec conditori tuo fidem ha
buiſti; nec in illius optimi parentis, qui te fin-
xit, immenſam benignitatẽ reſpexiſti; in eoq.
omnes animi neruos contendiſti, vt hoſtis im-
petum, non ope Diuina, ſed induſtria tua, re-
primeres.

*Et non ſuſpexiſtis ad eum, qui fecerat eam.*

12 Iccirco dabis pœnas ſceleris, atque per- 12
fidiæ, & in ſordibus, & lamentis, luctuque, iace
bis. Dominus enim te in acerbiſsimũ fletũ ad-
ducet; vrbemq. totam plangore, & lamentatio-
ne, complebit; perficietque, vt ſibi quiſque ca-
pillos euellat, corpusq. ſuũ in mœroris ſignum
cilicio præcingat. 13 Hem, quo luxus, & riſus, 13
& immoderata lætitia, reciderunt. Hem, con-
uiuia tantis ſumptibus apparata, tantis iocis,
& tanta impuri ſermonis hilaritate, celebrata,
quem fructum hominibus perditis, atque pro-
fligatis, attulerunt? Tantum enim abfuit, vt vi
ris Diuinis aures præberent, eorumq. monitis,
& oratione, deterriti, ſeſe a flagitiis, nefandiſq.
ſceleribus, abſtinerent, vt tunc multo licen-
tius per omnia libidinum genera vagarentur;
& tempus, quod, propter iram offenſi numinis,
quæ eorum capitibus imminebat, mæſtitiam,
atque lacrymas, flagitabat, in intempeſti-
uis conuiuiis, ludibundi conſumerent; & Dei
minas, quas ſanctiſsimi viri proponebant,
impudentiſsimis iocis irriderent. Quaſi e-
nim eſſet omnis animi ſenſus cum corpore ſi-
mul exſtinguendus, mentiſq. vis, & natura,
vbi primum corpus animam efflat, quaſi ven-
to diſcuſſa, & diſsipata, confeſtim euaneſce-
ret, ita viuunt, vt nihil de immortalitate cogi-
tent; ſed omnia vitæ conſilia, ad corporis vo-
luptatem, & commoda, dirigant; ſummoq. ſtu
dio in eo laborent, ne facultatem voluptatis
alicuius exquiſitiſsimæ fruendæ prætermit-
tant. Hanc igitur vnam curam ſuſcipiunt, vt
boues mactentur; vt arietes iugulentur; vt
conuiuium inſtruatur; vt multa carne, atque
vino compleantur; vt iocis, & ludis, animum
a cogitatione impendentis calamitatis abdu-
cant. Comedamus, inquiunt, dum licet; vinoq.
nos expleamus. Cras enim, ſi caſus ita tulerit,
moriemur. Senſibus igitur exſtinctis, atq. de-
letis, quod quidem intra breuiſsimum tempus,
in tanta vitæ breuitate, neceſſario continget;
nihil erit, quod ad nos pertineat, cum neq. bo
na, neque mala, ſentire poſsimus. Quare valeãt
Prophetarum minæ; faceſſant terrores impe-
ritis iniecti; nos vero, dum licet, oblectemur,
atque omni naturæ iucunditate perfruamur.
Et hæc quidem eſt impiorum hominum vox,

*Occidere vitulos, & iugulare arietes.*

&

14. & oratio. 14. Quid agitis, o viri profligatiſsi-
mi?num hoc tantum, atque tam ſceleſtum, faci
nus Dei numen latere putatis? Certe in illius
conſpectu ſunt poſita ſcelera veſtra; & conui-
cia, quibus illius ſanctiſsimum numen inceſsi-
ſtis, auribus ſuis percipit. Sic enim inquit ſum-
mus ille cæli imperator, & Dominus: Quando
non ſolum ſpiritui meo reſtitiſtis, ſed etiam ma
ieſtatem meam, quantum in vobis eſt, impudē-
tiſsimo conuicio læſiſtis, per numen meum iu-
ro, futurum, ne tantum ſcelus vllis piaculis, at-
que muneribus, expletur. Nec enim eſt imbecil
litatis, & ignorantiæ, crimen, ad quod expian-
dum ſunt inſtituta ſacrificia; ſed elationis, &
impudentiæ, quod, tamquā vulnus inſanabile,
eſt morte reſecandum. Funeſtum igitur, atque
ſempiternum, funus vobis, in magnitudine tan
ti ſceleris obſtinatis, & obfirmatis, indico.
15. 15. Vt autem poſsit intelligi, Deum non eſſe
ſolum communibus vniuerſæ Reip. ſceleribus
infenſum; verum etiam ſingulis hominibus eſ-
ſe ſupplicia ſingularia ab illo conſtituta; ope-
ræpretium erit attendere, quo modo me Domi
nus miſerit ad hominem impurum, atque neſa
rium, vt illi acerbum exitium denuntiarem.
Vade, inquit, ad Sobnam, ærario præfectum, pę
nes quem modo eſt poteſtas Regiæ moderan-
16. dæ, quem eiuſmodi verbis inſectabere: 16. Ho-
mo, quid tibi cum ea domo eſt, quam nec amo-
re proſequeris, nec debita fide colis? Quid tibi
cum ea ciuitate eſt, in quam fuiſti teterrimus?
Nec enim vmquam munus tibi aſsignatum ad
communem populi totius vtilitatem, ſed ad
tuum quæſtum, compendiumque, reuocaſti.
quocirca multa in Deum ſcelera, multa in ho-
mines nefaria facinora, concepiſti. Et tamen te
omnia impune laturum exiſtimaſti; &, quaſi ti-
bi eſſet exploratum, te otioſo, & tranquillo, ani
mo tantis opibus in hac vrbe, quam alienam
eſſe putaſti, quamdiu in vita maneres, futurū,
magnificum, & excelſum, tibi hoc in loco ſepul
crum exſtruxiſti, in quo tuum corpus vita per-
17. functum decumberet: 17. at Dominus te hinc
in durū, & calamitoſum, exſilium, magno quo-
dam, impetu, expellet, & eijciet, & contumelijs
omnibus opertum ex huius terræ finibus ex-
18. turbabit. 18. Exſul, & extorris, vagabere; mul-
tisq. vexatus incommodis, omnibusq. turpitu
dinum maculis inuſtus, inſigniq. ignominia de
formatus, vltro citroque diſcurres; neque vm-
quam vlla in certa ſede conſiſtes. Vt enim pi-
la, ſummis viribus e manu coniecta, ita in ſum-
ma, atque lata, planitie prouoluitur, vt vix vllū
conſiſtendi locum reperiat; ſic tu a Deo proij-
cieris, atque ita circumquaque verſaberis, vt
numquam ab aſsiduis laboribus, & moleſtijs,
conquieſcas. In exſilio tandem morieris, me-
moriaq. tuæ amplitudinis exſtinguetur: o do-
mus Regiæ labes, inſigneq. domini tui dede-
cus, & turpitudo. Nihil enim eſt, quod magis
Regij muneris ſanctitatem dedecore omni cō-
taminet, quam improbi hominis familiaritas,
& conſuetudo. Inſignem igitur dedecoris la-
bem optimo Regi adſperſiſti, cum tātum apud
illum locum obtinuiſti. 19. Nunc igitur, dicit 19. Egero p'ſſam te
Dominus, deijciam te de ſtatu tuo, & de hono- de ſtatione
ris gradu detrudam: 20. adſciſcam vero mihi tua.
ſeruum meum Eliacim, filium Elciæ, quem ho- 20.
noris tui inſignibus, tibi detractis, vt inuidia
conficiaris, exornem. 21. Induam eum veſte 21.
tua, baltheoq. tuo præcingam; munusque, & im
perium, quo fungebaris, ad illū deferam, quod
quidem ille longę aliter, ac tu faciebas, admi-
niſtrabit. Omnium enim cōmodis proſpiciet,
atque prouidebit; nec ſolum Ieroſolymam, ſed
omnem Iudæam, animo patrio tuebitur, & con
ſeruabit. 22. Tradam illi ſummam in Dauidis 22.
domo, & familia, poteſtatem; Regia omnis, il-
lius humeris fulta, ſuſtinebitur; nec erit, qui au
ctoritatem illius aliqua machina labefactet; is,
cui ille aditum aperuerit, admittetur; cui in-
tercluſerit excludetur; quidquid ille ſtatuerit,
atque decreuerit, ratum, & fixum, permane-
bit. 23. Hoc autem meum in illum beneficium 23.
trabali clauo figam; honoriq. illius ſtabilita-
tem dabo. In ſolio excelſo ſedebit; 24. patriſq. 24 Et ſuſpē
domum, & ſtirpem ſuam, ornamentis ſuis illu- dent ſuper
ſtrabit; poſteritatem ſuam a tenebris vindica- eum omnē
bit. Omnes enim, qui ſunt cum eo cognatione, gloriam.
& propinquitate, coniuncti, omnes filij, nepo-
tes, & pronepotes, ſiue maximis artibus excul-
ti ſint, ſiue minimis operam dent; ſiue neceſſa-
ria tantum ſtudia perſequantur, ſiue ea, quæ
pertinent ad oblectationem animi, conſecten-
tur, ex illius nominis amplitudine, & dignita-
te, pendebunt. In omnibus denique vitæ mune-
ribus, atque ſummi cuiuſdam honoris inſigni-
bus, exprimet imaginem ſummi illius Princi-
pis, qui Regiam meam ſumma auctoritate gu-
bernabit; & patria pietate populum ſibi com-
miſſum tuebitur; &, quem volet, in patris fami
liaritatem inſinuabit; &, quem volet, ruſſus ex
patris ædibus excludet; genuſq. ſanctiſsimum
ex ſe, fidei ſanctitate, & religione propagatum,
ornamentis Diuinis afficiet; omniſq. illius po-
ſteritas eiuſdem virtute, atque meritis, innite
tur. 25. Maximum tamen erit inter vtrumque 25.
diſcrimen. Cum enim illius imperium infinitū
ſit; huius poteſtas erit, & exiguis terræ finibus,
& breuiſsimo æui ſpatio definita. Ne igitur ho-
mines in terra rerum ſuarum ſecuritatem ſibi
quærendam exiſtiment; neque, veritatis igna-
ri, vmbris, & imaginibus, oblectentur; quemad-
modum, cum maturitas temporis efflagitaue-
rit, reliquas rerum Diuinarū imagines demoli
turus ſum; ita perficiam, vt hæc futuri princi-
pis imago malorum fluctibus obruatur, & eua-
neſcat. 26. Tunc igitur (futurum enim eſt, vt 26.
cum reliquis genus etiam hoc ſe ſcelere conta-
minet, illiuſq. peſtilens morbus indies ingra-
ueſcat) clauum, qui firmiſsime fixus videba-
tur, euellam, & onus, quod erat ex illo appen-
ſum, decidet; omniſque generis illius clari-
tas obteretur. Hoc quidem, ne dubitationi
locus

locus relinqui poſsit, eſt ab ipſo Domino prædictum.

CAP. XXIII. Hæc vbi de patriæ ruina, atque de ciuis perditiſſimi caſu, diſſeruit, Tyri etiam euerſionem otatione complectitur: quæ quidem vrbs fuit olim inſula e continente Sidonis tellure anguſto freto diſiuncta. Erat autem clariſſimum otbis terrarum emporium, in quod vndique mercatores onera conuehebant: quod effecit tandem, vt vix vlla in terris ciuitas eſſet diuitijs opulentior, & ad propulſandam a mœnibus calamitatem omnibus rebus inſtructior: quæ tamen eadem tempeſtate a Babylonijs capta, & funditus euerſa fuit. Nec enim illi ptofuit, eſſe fluctibus marinis cinctæ ad terreſtres copias arcendas, nec claſſibus maximis inſtructiſſimæ ad naualia certamina ſuſtinenda. Inquit igitur:

1. 1. O naues Phœniciæ, caſum veſtrum acerbiſsi
mum vlulanti clamore deplorate. Iam enim di
rutum eſt, atque deuaſtatum, ſtationis veſtræ
domicilium: iam aditus ille in Tyri portum eſt
vobis obſtructus: iam non licebit vobis illuc cũ
mercibus veſtris intrare. Huius peſtiferi belli
rumorem primum Græci mercatores Tyrum
detulerunt. Omnes enim eos Tyri periculum
ſollicitabat, nempe quam communem omniũ
mercatorum patriam exiſtimabant, & quam
florentem, & ornatam, eſſe cupiebant. 2. O ha-
2. bitatores inſulæ quondam florentiſsimæ, vo-
cem, ſtupore defixi, comprimite. Quam ſubito
ex ampliſsimis fortunis, & ex altiſsimo hono-
ris gradu, concidiſtis? Sydonij mercatores, qui
maria omnia tranſmittunt, vos mercibus mul-
3. tifariam cumulabant. 3. Ad vos maxima frumẽ
ti copia ex lætiſsimis meſsibus Aegypti, cuius
arua Nilus inundans fecundiſsima reddit, quo
tannis importabatur. Apud vos erat mercatus,
ſumma omnium gentium celebritate, & fre-
4. quentia, conſtitutus. 4. Hæc omnia, ſubito belli
tætri calamitas in veſtras forrunas inuecta per
Erubeſco Sidon. uertit. Pudeat te, Sido, temeritatis, & amentiæ,
qua olim inaniter exſultabas, &, propter opes,
quas tibi mare ſuppeditabat, immoderata læti
tia geſtiebas; teque maris ipſius præſidio egre-
gie munitam fore confidebas. At nunc ipſum
mare, in quo omnem ſpem rerum tuarum po-
nebas, & quod quaſi parentem agnoſcebas, ha-
bebis infeſtum. Naues enim a præſidio tuo re-
mouebit: contra te fluctus ſuos excitabit; ne-
gabitq. tibi cum illo quidquam iuris interceſ-
ſiſſe. Non, inquiet, filios peperi; non enutriui;
non opera mea virgines adoleuerunt, vt ea gra
tia confidas, me tibi, quaſi natæ cariſſimæ,
quidquam opis in rebus perditis, & afflictis,
5 illaturum. 5. Aegyptus, vbi primum audierit
Tyrum obſideri, eſſeq. in extremum diſcrimẽ
vitæ, atque ſalutis, adductam, communem
eam cladem exiſtimabit, neque in minore cu-
ra, & ſollicitudine, quam Tyrus ipſa, verſabi-
tur. Proſpiciet enim, exciſa Tyro, nihil fore
impedimento, quo minus idem hoſtis in illius
fines inuadat, atque omnia ferro, flammaque,
populetur. 6. O Tyrij ciues, mare tranſmitti- 6.
te; Tarſum curſu petite; fuga vos, quantum
poteſtis, ab imminente peſte ſeducite; atque
ibi cladem veſtram lamentamini. 7. Inſolentiæ 7.
namque veſtræ pœnas ſuſtinebitis. Nec enim
ſolum vobis opum maximarum affluentia, ſed
nominis vetuſtas, & nobilitatis antiquitas,
ſpiritus efferebat. At nunc expulſi, & eiecti,
in longinquas terras pedibus in exſilium mi-
grabitis. 8. Quis vos miſeros afflixit? Cuius 8. Quis cogitauit hoc ſ. per Tyrum?
conſilio fuiſtis e ſtatu veſtro deturbati, tantiſq.
ſimul ruinis oppreſſi? 9. Non vos quidem for-
tuna, de cuius temeritate, & inconſtantia, im- 9.
periti homines conqueruntur, abiecit; non
hanc tantam veſtris rebus calamitatem caſus
inuexit; ſed ſummus cælitum imperator eſt is,
cuius conſilio in tam graues ærumnas incidi-
ſtis. Fuit enim Tyrus maritimi imperij domi-
cilium. Mercatores illius, erant principes opu-
lentiſſimi; illorumq. nomen in terris ampliſſi-
mum. Eaq. gratia tumebant, & ingentes ſpiri-
tus aſſumebant. At ſummus Imperator cælitũ,
ſtabili, atque fixo, decreto conſtituit, omnem
hominum inſolentem elationem comprimere,
omnem ſplendorem humanæ dignitatis exſtin
guere; omnem denique ſuperbiam, & arrogã-
tiam, iudicio ſuo peruertere; ſummaſq. opes
hominum potentium comminuere, atque diſ-
ſipare. Tu tibi igitur, o ciuitas, peſtem machi-
nata es. Tu te ipſam manu tua iugulaſti. Im-
manis iſta ſuperbia, & intolerabilis arrogan-
tia, te perdidit, & in omnium ærumnarum acer
bitatẽ præcipitauit. 10. Nunc vero, quaſi aqua 10 Tranſi terram tuã, quaſi flumen.
flaminis incitati, celerrime laberis, & difflues,
o Tarſi colonia; atque, vt materia ſubtrahatur
furori, & impudentiæ tuæ, nullum in te veſti-
gium antiqui roboris apparebit. 11. Dominus, 11.
qui imperio ſuo terras vniuerſas, atque maria,
continet, manum ſuam in mare intendit, vt
Pharaonis copias gurgite ipſius maris obrue-
ret. Idem regna magna conquaſſauit, & Cha-
nanæorum potentiam imperio ſuo deleuit, &
vniuerſas gentiũ illarum opes excidit. 12. Idẽ 12 Et dixit, nõ adijcies vltra vt glorieris.
nunc potentiæ tuæ, & animorum tuorum ala-
critati, finem impoſuit.

Dixit enim, non patiar te diutius alacrem, & erectam, volitare, & intemperanter extolli. Hactenus quidem, vt incorrupta virgo, permanebas, nec vim ab vllo paſſa es. Neque enim quiſquam ſecus, quam te decebat, corpus tuum attrectauit. At vero nunc per vim pudicitia tua ſpoliabare; hoſtiſq. tibi ſtuprum inferet, teque ignominia extrema deformabit. Excita te ipſam, miſera, vt in Græciam, & reliquas Solis occidentis regiones, profugias, in quibus tamen nullam partem tranquillitatis guſtare poteris, ſed aſſiduis ſcelerum pœnis agitabere. In Sethim conſurgens tranſfreta.

13. Vt

13. 13. Vt autem intelligas, te iudicio Diuino
concidiſſe, ſcito nationem iſtam Chaldęorum,
quæ te euertit, nullas quondam vires habuiſſe.
Fuit autem ab Aſſyrio in locis deſertis, & in-
cultis, locata; creuit deinde tempore; mœnia,
& turres, ædificauit; opibus aucta, & amplifica
ta eſt; deinde ijs ipſis, a quibus ſedes obtinue-
rat, exitium, & vaſtitatem, intulit. Omnis Aſſy
riorum potentia manibus illius exſtincta, at-
que deleta eſt. Eſt enim numen Domini ſuper-
bis, & arrogantibus, infenſum; & humilibus, &
abiectis, valde propitium. Inde fit, vt altiſsima
deprimat, & infima frequenter ad ſummũ gra-
dum honoris extollat, & alios contra ſuperbiã
aliorum armet, recentisq. alicuius imperij viri
bus immoderatã antiqui imperij dominationẽ
exſtinguat, & ad exciſionem gentis, propter
diuturnam imperandi conſuetudinem inſolen-
ter elatæ, recentibus viribus alterius gentis,
quam ipſe ad eam rem armis ornat, & inſtruit,
vtatur. Conſilio igitur Diuino factum eſt, vt
Chaldæorum opes creſcerent in tuam perni-
ciem; illeq. te populus euerteret, qui quondam
non erat ex parte aliqua tecum opibus, & po-
14. tentia, comparandus. 14. Ingenti plangore, &
vlulatu, naues Phœniciæ, veſtrum interitum
deplorate. Veſtrum namque robur, & gloria na
15. ualis, interijt. 15. Tyrium decus in obliuionem
veniet; ſeptuaginta quinque annis in tenebris,
& obſcuritate, latebit. Tot enim annis regis il-
lius, qui Tyrum perdidit, nomen, & gloria vige
bit. At, poſt ſeptuaginta annorum ſpatium, vbi
primum Chaldæorum imperium conciderit,
Tyrij ciues vndique congregabuntur, vt mœ-
nia reficiant, & ciuitatis aliquem ſtatum col-
locent. Non tamen confeſtim priſtinum ſplen-
dorem recuperabit euerſa ciuitas; nec ad eam
ſtatim mercatores vndique commeabunt; ſed
illa eos alliciet, & inuitabit. Quondam enim il-
lam, quaſi virginem forma eximia præcellen-
tem, multi amatores appetebant, &, vt ſaltem
ſpeciem illius, atque pulchritudinem, oculis
vſurparent, ſponte ſua vndique confluebant.
Nunc vero, poſtquam illi oblatum vitium, &
erepta pudicitia fuit, tamquam meretrix deſer
ta, atque derelicta, cantibus, & blandimentis,
16. amatores ad ſe pelliciet. 16. Sume cytharam, o
meretrix; molle, atque laſciuum, carmẽ modu-
lare; circum omnes vicos vrbis vagare; in eoq.
vehementer elabora, vt optime cantes, & pſal-
las, quo plures tui cupiditate amatores incen-
das. Per legatos enim blandiendo, & aſſentan-
do, verborumq. lenocinijs te in eorum animos
inſinuando, multos tibi ſocios aggregabis, illo-
17. rumq. te pręſidio munies. 17. Nam, poſt annum
ſeptuageſimum a Tyri occaſu, & ruina, reſpi-
ciet in illam Dominus, eamq. rurſus eriget, &
in antiquam Reip. formam reſtituet. Tunc igi-
tur meretricijs blandimentis, atque lenociniis,
regnorum voluntates alliciet, multasq. natio-
nes ad ſui amorem inuitabit, ſtupriq. mercedẽ
18. flagitabit, vectigaliaq. diligẽter exercebit. 18.

Poſt ſeptua ginta autẽ annos.

Sed tandem aliam mercaturam, multo magis quæſtuoſam, faciet, quæ quidem erit Deo gratiſsima, ne munera, & dona illius, quaſi meretricis oblatio, & munus, ab altari Domini reiiciantur. Non enim coaceruabit pecuniam, non opes ſuas incluſas domi continebit, ſed eas in Dei gloriam conferet, illiusq. miniſtros, qui rebus Diuinis rite faciendis ſemper intenti ſunt, ſanctiſsimumq. illius numen pro aliorum ſalute venerantur, copioſe, & abundanter, alendos, & veſtiendos, & vſque ad extremam ſenectam operiendos, ſuſcipiet.

Et erũt negodationes eius, & mercedes eius.

C A P. XXIV.

Hæc vbi de iudicijs, quibus Deus ſingulares orbis terrarum partes perdidit, & afflixit, ampliter, & copioſe, præmonuit; nunc in vniuerſum, de totius humani generis interitu, ſermonem inſtituit, & cauſſas communis calamitatis exponit. Sed animaduertendum eſt, illud extremum exitium, quo Ieroſolyma Romanorum armis expugnata concidit, Iudæorumq. ſtatus exſtinctus, atque deletus eſt, vmbraq. legis euanuit, & ſacrorum cærimoniæ penitus abrogatæ ſunt, magnam ſimilitudinem habuiſſe cum futuro totius humani generis exitio, quo terrarum orbis euertendus eſt, ſempiternumq. ſupplicium conſceleratis hominibus irrogandum, & vniuerſæ terræ, quæ tunc erunt maximis flagitijs cumulatæ, ſceleribus innumerabilibus adſtrictæ flammis vltricibus expiandæ. Vt enim fuit olim vniuerſus Iudæorum ſtatus, dira clade conſumptus, hominibusq. perditiſſimis extremum vulnus impoſitum; ſic tunc, cum hominum internecione, cunctæ opes humanæ concident; & pernicioſi mores, & inſtituta, funditus interibunt. Et, quemadmodum in illius inquinatiſſimæ ciuitatis euerſione Dei gloria inſignis, & ampla fuit, nomenq. illius auguſtiſſimum ſingulari bonorum omnium prædicatione celebratum; ſic in vltimo, & extremo, iudicio erit æquitas ſanctiſſimi iudicis in omnium oculis, & adſpectu, conſtituta, ſummisq. iuſtorum omnium laudibus in cælum ſublata. Præterea, vt extremam illam Iudæorum calamitatem conſecuta eſt ſumma quædã Chriſtianorum felicitas, cum inſigni Diuinorum munerum affluentia; (numquam enim rerum humanarum naufragium fit, quin ſit reliquijs fide collectis, atque conſeruatis, per Dei benignitatem egregie cõfultum; ita, vt, cum improbi exſtinguũtur, tum demum probi exoriri videantur) ſic poſt illam communem rerum humanarum

inflam-

inflammationem,boni ſiderum pulchritu-
dinem ſplendore, & claritate,ſuperabunt.
Poſtremo,ſimiliter,atque poſtquam exſtin
cta lex,& funere elata fuit,tum demum res
cæleſtes, atque Diuinæ, quas ad illum diē
legis integumenta contexerant, apparue-
runt, animoſq. piorum hominum multo
acrius cupiditate Diuini ſtatus inflamma-
uerunt;ſic extremis temporibus,poſtquam
omnia condicionis terreſtris impedimenta
abiecta fuerint, menteſq. piorum hominū
ab omni concretione mortali ſegregatæ
Deum conſpexerint,illius amore multo ve
hementius inflammatæ, ad ſimilitudinem
claritatis Diuinæ peruenient. Hac autem
de cauſſa fit, vt in ſanctis litteris coniun-
ctim ſæpenumero de vtroque iudicio men
tio fiat; & ſic quibuſdam in locis de Ieroſo
lymæ proſtrema ruina diſſeratur; vt om-
nia, quæ de illa dicantur, cum ad ſimilem
ciuitatis alicuius imperioſæ euerſionem,
tum maxime ad illud vltimum rerum hu-
manarum exitium reuocandi ſint.Hoc igi-
tur in loco Iſaias ſic de poſtremo Iudæo-
rum occaſu, & interitu, præcinit, vt ſub
illius imagine totius orbis euerſionem fu-
1. turam deſcribat. Sic autem ait: 1. Ecce
Dominus terram nudabit,& exinaniet,faciēq.
eius deformabit; cultoreſq. illius diuellet, at-
que diſsipabit,omneq. genus hominum tæter-
2. rima peſte conficiet.2.Nec enim populum mul
titudo, nec principes dignitas, & amplitudo,
tueri,atque conſeruare,poterit. Eodem namq.
leto,& ſacerdotij amplisſimi dignitas, & abie-
ctæ plebis humilitas,interibit.Eodem vulnere,
Domini cum ſeruis, & cum ancillis Dominæ,
trucidabuntur;opes,atque diuitiæ diuites mi-
nime ſubleuabunt; nec paupertas quidem mi-
ſericordiam commouebit. Similiter enim, &
qui aliorum poſſeſsiones emunt, & qui coacti
inopia omnes res ſuas vendunt, & qui fenori
pecuniam dant, & qui magnitudine fenoris
obruuntur, & qui nimis acerbe pecuniam exi-
gunt, & qui debitum cum multiplicato fenore
reddere compellūtur, omnes denique,ſiue ſum
mis opibus affluant,ſiue multis vitæ difficulta-
tibus impediti ſint,eodem turbine deiecti, con
cident, &, fracti grauiſsimis ærumnis, exſtin-
3. guentur. 3. Vniuerſa namque terra funditus
exhaurietur, & diripietur, & diriſsima tempe-
ſtate vaſtabitur. Eſt enim omnino ſubeundum
cunctis mortalibus,qui ſeſe ſcelere contamina
nerunt,ſupplicium,fixo,rato, & immutabili,de
creto Domini conſtitutum: quemadmodū eſt
4. ab illo denuntiatum. 4. Terra vniuerſa,fracta,
atque debilitata cladibus, ſuccumbet. Orbis
vniuerſus mortiferis morbis oppreſſus occum
bet. Principes, atque plebeij, ſimili plaga con-
fecti,iacebunt.5. Eſt enim omnis terra ſcelere, 5.
& aſsimulatæ religionis improbitate, corru-
pta,& criminibus nefarijs alligata. Tranſgreſ-
ſi namque ſunt homines perditiſsimi legē Do-
mini; & pro Diuinis præceptis, & inſtitutis, a-
lias ſibi leges indixerunt;totiuſq. iuris rationē
ad ſua nefaria ſcelera tranſtulerunt; ſempiter-
numq. fœdus,quod in fidei ſanctitate conſiſtit,
cum proiecta quadam audacia,& impudentia,
perfregerunt.6.Ergo,cum Dominus ſit iniqui- 6.
tati ſemper infenſus,iniuſtitiamq. malis omni-
bus peius oderit,conſequens eſt,vt,cum iniqui
tas,Diuinique,& humani iuris contemptio ad
ſummum peruenerit,terræ corruptæ, & omni-
bus tætris criminibus inquinatæ, ſummum, &
extremum, vulnus infligat. Propter ius igitur
violatum, & fidem neglectam, & iniquitatis
immanitatem, dira quædam exſecratio terras
abſumet; & habitatores illius euertet, & hor-
renda clade vaſtabit. Propter hoc,iniquitatis,
& iniuſtitiæ, ſceleſtiſsimum facinus, terrarum
incolæ,flammarum incendio conflagrabunt;&
exiguus admodum numerus effugiet illud ſup-
plicium,omnibus ſceleratis hominibus inferē-
dum.7. Atque primum quidem multæ res hor- 7.
ribiles erunt imminentis illius calamitatis,
exitijq. futuri prænuntiæ.Sublatum vinum; vi- Luxit vindemia.
tes exciſæ; vitæ iucunditates in gemitum, &
mærorem,conuerſæ.8.Silent cantus;muta ſunt 8.
tympana;ſaltantium alacritas ſtupet; iucunda
cytharæ harmonia conticeſcit.9. Non erit,qui 9.
cum cantus oblectatione vini potum coniun-
gat;& ei,qui vinum ſumere poterit,erit ille po
tus amariſsimus. 10. Contrita eſt ciuitas; hor- 10.
ribilis quædam vaſtitas communibus rebus il-
lata eſt;omniſq. aditus in ædes interclusſus;11. 11.
ad vini alicūde importati rumorem, clamores
tollētur; illiuſq. gratia magni tumultus excita
buntur; omnis denique gaudiorum materia
ſubtrahetur; &, ſi qua ſpecies iucunditatis ob
oculos hominum intemperantium, qui vitam
ſine flagitioſis voluptatibus inſtar mortis eſſe
putant,obſeruata fuerit, turbas commouebit,
& ingentem materiam mæſtitiæ,acerbiſsimiq.
mæroris, excitabit. Omnia igitur erunt, pro-
pter inopiam, & egeſtatem, & oſtenta diriſsi-
ma,& horribiles formidines, tenebris cæcis ob
ducta, ab omni voluptate derelicta, & ſumma
mæroris acerbitate deformata. 12. Sic autem, 12.
ciuitas curis paullatim intabeſcens, tandem
funditus euertetur; & pro ciuium frequentia,
& celebritate, deſertiſsima ſolitudo in vrbe re
linquetur; atque funeſtiſsimæ cladis, & exitij,
monumentum.Nec enim vel murus oppoſitus,
vel ianuæ clauſæ,poterunt homines ab impetu
hoſtium, & exitio, prohibere. Repagulis enim
conuulſis, effractiſq. valuis, hoſtilis exercitus
irrumpet in vrbem, horribilemq. ſtragem effi-
ciet.13. Porro autem tanta erit in medio popu 13.
lorum illius vaſtitas, atque ſolitudo, vt ſit cum
olea prorſus excuſſa, & omnibus propemodum
baccis nudata, comparanda; & cum vinea, e

qua,

qua, finita vindemia, reliquiæ etiam vuarum
14. Hilculabunt vocē. ſummo ſtudio collectæ ſunt. 14. Tunc igitur, in
tanta perditorum hominum cæde, & tam fune
ſto impiæ gentis interitu, quid pij facient? Ani-
mos quidem erigent, & ab omni metu, atque
ſollicitudine, reſpirabunt; & ſpe firmiſsima ſa-
lutis excitabuntur. Intelligent enim, tunc fru-
ctum ſuæ pietatis appropinquare, cum impij
calamitate aliqua inſigni peruertuntur. Ita-
que vocibus maximis ex omnibus regionibus
homines caſti, & integri, veriſsimæq. religio-
nis amantes, Diuinas laudes concinent; & ab
occaſu etiam ab ijſdem locis, in quibus ne ſan-
do quidem olim fuerat auditum, quam præſen
ti numine ſummus Deus humanis rebus con-
ſuleret, tunc ſonitus maximi, atque iucundiſsi-
mi, clamoris audietur. Omnes enim animis ex-
ſultabunt; gloriamq. Domini ſingulari præco-
nio celebrabunt. Non enim erit cognitio nomi
nis Diuini intra Iſraelis anguſtias incluſa, ſed
in omnes orbis terrarum regiones, incredibili
celeritate, diſcurret; humanasq. mentes, nouo,
& inſolito, ſplendore Diuinæ lucis illuſtrabit.
15. 15. Iccirco, o gentes, quæ valles incolitis, & era
tis in terram depreſſæ, atque demerſæ, gratis
animis tantum beneficiū proſequimini; Deoq.
gloriam tribuite; & vos etiam, qui in Occiden-
tis inſulis habitatis, nomen Domini, cuius præ-
ſidio Iſraelis vita munitur, cantibus, atque ſym
16. phonia, celebrate. 16. Ab vltimis terris canen-
tium voces audiuimus; carminaq. ſingulari ar-
tificio modulata, iucunditate ſua aures meas
compleuerunt. Iam enim mihi videor audire,
gentes a ſtudio religionis quōdam alienas, Do-
miniq. ſummo, & obſtupendo, beneficio ad ip-
ſius Domini populum aggregatas, maximis, at
que iucundiſsimis, vocibus illius iuſti laudes ca
nere, qui eſt genus humanum ex iniuſtitiæ te-
nebris in iuſtitiæ lucem, & claritatem, vindica
turus. Orbis igitur terrarum incredibiliter ex-
ſultabit; & ſummis gaudijs efferetur, cum Iero
ſolymæ faſtus, & inſolentia, Diuino iudicio pe-
nitus euerſa, conciderit. O rem ſceleſtam, & in-
dignam multis lacrymis, & gemitu deploran-
dam! Quam tenues erunt populi mei reliquiæ?
quam tenues erunt populi mei reliquiæ? Vni-
uerſum Iſraelis nomen maxima ex parte erit
vile, contemptum, & ſordidum; neque ſolum di
ris exagitatum, ſed etiam omnibus ſummi de-
decoris, & ignominiæ, maculis inuſtum. Et, cū
gentes alienigenæ, nefarijs olim ſuperſtitioni-
bus addictæ, & infinitis ſceleribus alligatæ, fi-
de, atque pietate, floruerint, Diuinisq. muneri-
bus, & ornamentis, redundauerint, Iſraelis, viri
ſanctiſsimi, ſoboles, atque propago, erit a Deo,
quē olim ſancte colebat, eiecta, grauiſsimisq.
pœnis excruciata, & in impietatis, atque per-
Veh mihi. fidiæ, ſordibus derelicta. O me miſerum, o me
infauſtum, & calamitoſum. Non enim poſſum
gentis meæ caſum acerbiſsimum a me alienū
putare. Conciderunt miſeri, ſummisq. viribus
oppugnati, & labefactati, corruerunt. Nefarie
namque deſciuerunt, fidemq. perfregerunt;
fidem, inquam, impudentiſsime perfregerunt.
17. Vobis igitur, o ciues vrbis ſceleſtæ, & im- 17. Formido, & pauor.
piæ, & metus impendet; & fouea, in quam deci-
datis, eſt in iuſtam altitudinem depreſſa; & la-
queus, quo artiſsime conſtringamini, eſt iam-
pridem propoſitus. 18. Qui, curis ſtimulatus, & 18.
formidine perterritus, aufugiet, ſeſe præcipitē
in foueam dabit. Qui ſeſe e fouea ſubducere co
natus fuerit, in laqueum incidet, &, irretitus
ab hoſte immaniſsimo, capietur. Omnia ſiqui- Quia cataractæ de excelſis apertæ ſunt.
dem habebunt aduerſaria, & infeſta, qui rerum
omnium Conditorem, & Dominum, in ſe, per-
fidia, & ſcelere, concitauerint. Vt enim olim, cæ
li clauſtris reſeratis, imbres ſuperne demiſsi
ſunt, qui terras omnes, hominum ſcelere con-
taminatas, obruerent; &, apertis fontibus ma-
ris, vis ingens exſtitit, quæ, gurgitibus immen-
ſis, vniuerſum genus humanum exſorbuit; ſic,
gens, tanto ſcelere adſtricta, cæli fragore exa-
nimata, concidet, & infinitis in terra malorum
omnium fluctibus obruetur. 19. Nec enim ſolū 19.
cælum ſibi ſemper infenſum, & inimicum, ſen-
tiet; verumetiam ſæpenumero ad horribiles
terræ fremitus, ingenti formidine cōcuſſa, tre-
pidabit. 20. Terra tandem vniuerſa confringe- 20.
tur; terræ ipſius ſoliditas collidetur; terra ſedi-
bus conuelletur. 21. Commonebitur, inquam, 21.
ingenti quodam fremitu, & ſtrepitu, omnis ter
ra; &, quaſi quidam ebrius vini plenus, agitabi-
tur; &, tamquam tabernaculum ad agri cuſto-
diam, ad breue tempus erectum, e loco ſuo trāſ
feretur. Maximum namque, minimeq. toleran-
dum, impietatis onus terris incubuit. Concidit
igitur, nec vmquam rurſus erigi, & in antiquū
illum ſtatum reſtitui, poterit. 22. Tunc igitur 22.
etiam Dominus in ſidera cæleſtia quodammo
do animaduerterit, cum ea tenebris denſis ab-
diderit, & a dominatu ſuo depulerit; & in prin-
cipes terræ diram ſententiam pronuntiauerit.
23. Compellentur in vnum locum, & in cuſto- 23.
diam tradentur, & vincti in immanem terræ
hiatum detrudentur; & carcere, atque tene-
bris, incluſi, multo tempore detinebuntur, do-
nec tandem, iudicio in omnium adſpectu con-
ſtituto, ſit publice in omnes animaduerſum.
24. Illa vero die, cum Dominus, in iudicio illo 24.
extremo, & frequentia ſuorum ſtipatus, & ſan-
ctiſsimorum hominum corona circumdatus,
Regni ſui opes explicauerit; lunæ claritas, at-
que ſolis ſplendor; in domini ſplendorem in-
currens, obſcurabitur, & euaneſcet. Non igitur
ſolis ſplendor hominum piorum vitam guber-
nabit; ſed Diuinum lumen illos ſempiternis ſæ-
culis illuſtrabit.

Hæc vbi Iſaias de Ieroſolymæ poſtre- CAP.
ma ruina præmonuit, & in illius interitu XXV.
extremum etiam totius orbis interitum
oratione complexus eſt, Domini iudi-
cium huiuſmodi verbis extollit: Domine,
Deus meus es tu, in quo ſummam bonorum

omnium

omnium habeo constitutam, & in cuius præſidio nitor, atque confido. Te ſemper laudibus efferam, tuiq. nominis gloriam prædicabo. A ſempiterno enim tempore mirabilia opera deſignaſti, quæ tandem ſumma conſtantia perfeciſti. Nam ciuitatem florentiſsimam in lapidũ aceruum redegiſti; & vrbem munitiſsimã funditus euertiſti; & magnificas ædes impiorũ hominum, qui ſeſe a numinis tui patrocinio ſceleribus infandis abalienarunt, diſturbaſti; & gentem, quã olim cuſtodia tua tegebas, inuictoq. præſidio vallabas, excidiſti; nec patieris eam in opes amiſſas reſtitui, & priſtinum ciuitatis ſtatum recuperare. Nec enim te generis alicuius humani dignitas, ſed fidei ſanctitas, propirium reddit; nec adumbratæ religionis ſupercilio, ſed veriſsima pietate, placaris. Omnem igitur gentem perfidam, quantauis illa ſit ſpecie religionis in hominum vulgus commendata, peruertes, diroq. ſupplicio mactabis.

3. Super hoc laudabit te populus fortis.

3. Iccirco genus ſanctum, ſatuq. Diuino in terris editum, quod inclytæ virtutis robore confirmaſti, & cõtra omnes hoſtium impetus inuictum effeciſti, tibi vni ſummos honores deferet; te ſolum in omni vita prædicabit; nec vmquam de tuarum laudum amplitudine, atque magnificentia, conticeſcet. Quin etiam homines opibus elati, tyrannicisq. legibus, & inſtitutis, viuentes, vbi primum in tam inſigne tuæ ſeueritatis exemplum reſpexerint, iudicia tua pertimeſcent.

4. Quia factus es fortitudo pauperi.

4. Tu ſi quidem es munitiſsimum pauperis vexati, & afflicti, præſidium; tu es tutiſsimum inopis in calamitate propugnaculum; tu turbinis, atque procellæ, perfugium; tu denique iucundiſſimum, ad æſtus ardorem depellendum, omnibus, qui tua clementia nituntur, vmbraculum. Impetus quidem hoſtium immanium, eſt quaſi turbo, atque tempeſtas in parietem inuecta, eumq. labefactans, & diruens.

5.

5. Furor, & ſcelus, quo nos adoriuntur, eſt ſimilis æſtiuis ſolibus in locis deſertis, in quibus nec domus eſt vlla, nec arbor, quæ poſsit grauiſsimi æſtus ardorem, vmbra ſua depellere. At tu tempeſtatẽ illam, quam contra nos impiorum hominum tumultus excitabat, comprimes; &, pro æſtu illo grauiſsimo, quo nobis infeſti erant, ſolis ardor, nube, ne nobis nocere poſsit, inducta, illorum ramos, & frõdes, exſiccabit. Vt enim olim Sol Hebræis minime nocebat, cum Aegyptios in ſequentes exureret; ſic Domini iudicium nõ erit infenſum pijs; impiorum vero robur, atque potentiam, inflammabit.

6. Et faciet Dominus exercituũ omnib. populis.

6. Ornabit autem opipare ſummus cælitum imperator in mõte iſto, a fidelium cœtu ſanctiſsima religione celebrato, conuiuium, conquiſitiſsimis epulis, & vino puriſsimo, atque defæcatiſsimo, diligenter extructum, &, abſque vllo diſcrimine, omnes nationes inuitabit; omnesq. mortales, qui vocati cum incenſa fide conuenerint, participes ſuæ clementiæ, atque benignitatis, efficiet.

7. Et præcipitabit.

7. Conficiet autem hoc in loco Dominus in ijs, qui grato animo benignitatem illius complexi fuerint, effrenatam cupiditatem fallaci ſpecie blãdientem, &, quaſi quibuſdam inuolucris obtentis, tenebras cunctis mortalibus offundentem, ne queant vllo modo vera, atque ſempiterna bona contueri; & legis vmbram, quæ quibuſdã integumentis myſteria Diuina contegit, quaſi nebulam, interuentu ſplendoris ſui, diſcutiet; & terrorem mortis, quem legis ſeueritas inijciebat, & maleficiorum conſcientiam, quæ animos exedebat, ex huius montis finibus expellet, & exterminabit. Omnes igitur, qui in hunc locum congregati fuerint, hoc eſt, qui, eiuſdem fidei vinculo inter ſe deuincti, pietatis ſanctiſſimam ſocietatẽ inierint, cupiditatis dominatu, & legis metu, liberati, non rerum cæleſtium obſcuras imagines, ſed ipſius clementiæ Diuinæ ampliſſima munera, puris animis intuebuntur. Nihil enim relinquetur, quod adſpectum adimat, & humanæ mentis aciem a contemplatione Diuinæ lucis abducat. 8. Cum igitur Dominus & cupiditatem reſecauerit; & peccatũ, quod ex ea oriebatur, exſtinxerit; & legem, quæ pœnam capitis proponebat, antiquauerit; quod conſequens eſt, ſingulari ratione perficiet, vt mortem poſtremo exſtinguat, & deleat. Nec enim peccatum in pijs hominibus reſidebit, quod ſit morte vindicandum; neque lex extremo ſupplicio nocentes afficiet, cum nullus futurus ſit in hoc monte, qui cuiquam noceat. Quod quamquam multo clarius, & magnificentius, ſint pij, poſt totius orbis interitũ, adepturi, cum omnem mortalis naturæ condicionem, & imbecillitatem, reiecerint; tamen iam in terris quodammodo, poſt Ieroſolymæ exitium, innumerabilis omnium multitudo immortalitatis munere perfruetur. Erit enim ſemper ex illa ſempiterna vita, qui Dei ſpiritu continetur, ita colligata; vt numquam ab ea, quamdiu in germana fide permanſerit, diuelli, atque diſtrahi, poſsit. Non igitur pios homines dolor attinget; non in lugubri lamentatione verſabuntur; non denique ea, quæ mortalem naturam conſequuntur, eorum ſtatum corrũperit. 8.

Et auferet Dominus Deus lacrymam.

Abſterget enim Dominus lacrymas acerbiſsimi doloris indices ab eorum oculis; & gemitum, atque luctum, comprimet; ignominiamq. repellet; eosq. ſingulari gaudio cumulabit; & in conſpectu omnium populorum, munerum ſuorum amplitudine, & magnificentia, cohoneſtabit. Hoc enim futurum Dominus ipſe confirmauit. Quocirca minime eſt de tanto promiſſo dubitandum. 9. Tunc autem hic populus, Dei donis, atque muneribus illius ornatiſſimus, in hanc ſentẽtiam loquetur: Ecce Deus meus, in quo fiduciam omnium rerum mearũ collocaui; nec me ſpes mea fefellit: ſalutem nãque meam Dominus ipſe conſtituit. Hic eſt ille ſummus Dominus, in quo totam ſpem ſalutis meæ repoſui; ſummorumq. gaudiorum materiam ſum, illius munere, conſecutus. Gaudio igitur exſultabo; maximamq. lætitiam ex ſalute, quam mihi attulit, mente percipiam. 10. Dominus 9. 10.

minus

minns enim proteget præſenri auxilio montē
hunc; in eoque firmiſsima præſidia diſponet;
opusq. ſuum,quod in ſuorum iuſtitia,atque pa
ce, conſtituenda poſitum eſt, abſoluer; & ho-
ſtium opes, quaſi proiectam in ſterqnilinium
11. paleam,contereт,atque conſnmet. 11.Et,quē-
admodum is,qui natat,non negligēter, & otio
ſe,natandi munus exſequitur, cum in eo vitam
ſuam agi conſpiciat, ſed in illud totus incum-
bit, vtramque manum verſat, & agitat, vſque
eo,dum terram attingat;ſic Dominus,quaſi de
ſalute ſua dimicet, maximo pugnandi ſtudio,
in medijs hoſtibus ita verſabitur,vt manu dex-
tera,læuaque,cædat,fundat,fugetque;nec a pu
gnandi ardore teqnieſcar, donec eorum fero-
ciam de ſtatu deijciat,& malitioſam audaciam
contundat, & frangat, & de eorum fraudibus,
& immanitate, perfectam victoriam conſequa
tur.Non opibus noſtris, o hoſtis ſempiterne,nō
opibus noſtris,concides. Nec enim nos ipſi per
nos tnæ ferocitatis impetum ſnſtinere poſſu-
mus: ſed ipſe Dominus pro nobis pugnam ca-
peſſet;ipſe tecum ſignis collatis congredietur;
vires,& potentiam tuam,euertet,atque ſuper-
biam tuam cōprimet; ipſe fraudes, & inſidias,
12. tuas etiam eludet;12. munitionesq. tuas,& al-
tiſsimos muros, expugnabit, & diruet, in ter-
ramq. proſternet; nec qnidquam de contentio
ne remittet, donec omnia ſupetbiæ propugna-
cula in puluerem redigantur.

CAP. XXVI.

1. 1. Eo vero tempore, quo, deuictis hoſtibus,
& pace,& otio,conſtituto, fidelium cœtus ma-
iore quodam ſtudio rebus Diuinis operam da-
bit, carmen in hanc ſententiam modulabitur,
qno gratiſsimis animis de Domini gloria ca-
nat, pietatisq. ſanctiſsima vota perſoluat. Di-
cet igitur: Hæc ciuitas,in quā adſcripti ſumns,
tā firmo præſidio munita,vt nullis hoſtiū viri-
bus,& machinis,cōuelli,aut aliqua ex parte la
befactari,poſsit.Ipſe namq.Dei filius,cuius cle
mentia omnis noſtra ſalus innititur, vrbem no
ſtram cinxit muris, & firmiſsimis nos propu-
2. gnaculis omni ex parte muniuit. 2.Non erit hic
locus anguſtus;nō certo ciuinm numero circū
ſcriprus; non vni tantum generi hominum ad
habitandum deſignatus. Nemo enim erit iure
huius ſanctiſsimæ ciuitatis excluſus, dummo-
do pietatem vnice colat, & Deū caſtiſsimo cul
tu veneretur: vos igitur,o rectores,& principes
ampliſsimæ ciuitatis,neminem excludatis;por
tas omoib. aperite;omnes in ciuitatē recipite,
qui cum iuſtitia vixerint, & fidem ſingulari ſtn
3. dio conſeruauerint. 3. Ne tamen ſit quiſquā in
ciuitate,qui in tantis muneribus inſoleſcat,ne,
cum omnibns ornamentis,atq. præſidijs,redū-
dauerit, efferatur, eaq. meritis ſuis adſcribat,
ne ſimul omnia, propter hanc inconſideratam
temeritatem,de manibus elabātur: ſæpenume-
ro de noſtræ naturæ imbecillitate cogitemus.
ſumus enim natura fragiles, & imbecilli,infini
tisq. malis in ſingulas horas obnoxij. Hoc igi-
tur vas fictile,hæc natura fragilis,& caduca,tā
tiſper pacem, quam illi dediſti, & ornamenta
Diuina, retinebit, dum tibi coniuncta fuerit;
quippe quæ non ſibi confidat, ſed, tuis tantum
opibus ſubnixa, caput extollat. 4. Qnando igi-
tur,o cines, intelligere poteſtis omne veſtræ ſa 4.
lutis robur,atque firmamentum,in fide inflam
mata conſiſtere, ſummis viribus in illius ſtu-
dium incumbite; illam perpetuo retinere;om-
nem veſtræ ſalutis, atque dignitatis, rationem
in Dei præſidio collocate. Eſt enim Dominus
arx vitæ munitiſsima, firmiſsimumq. eorum,
qui ſe rotos illi crediderint, in omni æternita-
te propugnaculnm. 5.Cōtra vero,eos,qui ſum- 5.
mis opibus affluunt, nimiumq. ſibi præfidunt,
& in potentia ſua gloriantur, peruertet repen-
te Dominus, & de omni ſtatn detorquebit;ciui
tatesq. munitiſsimas,& opibus,& imperio, flo
rentiſsimas,exſcindet,in terramq. proſternet.
6.Homines igitur renues, & abiecti, ſibiq. fra- 6.
gilitatis,& inopiæ,ſuæ conſcij,in te omnem ſa-
lntis ſuæ rarionem reponentes, opibusq. tuis
firmati, hoſtium mœnia pedibus ſuis proterēt,
& conculcabunt. 7. Omnes mortales a via ſalu 7. Semita iuſti recta eſt.
tis aberrant, infinitisq. erroribus implicantut;
&,quo magis,vt florentes,atque beati,ſint, to-
tis virib. enitūtur,eo ſe magis a via ſalutis ab-
dncūt, & in miſeriā ſummam præcipitant: ſoli
iuſti rectā viā tenēt,nec a beatæ vitæ ſemita in
alterutram partem deflectunt; ſed ſumma qua
dam felicitate recto cutſu progrediūtur. 8. Ad 8.
tunm māque,clementiſsime Domine,imperiū,
& ductum, ſe totos applicuerunt; tuo numine
diriguntnt; illorumq. viuendi rationes tuæ ſa-
pientiæ ponderibns examinantur. Ergo, dum
viam indiciorum tuorum tenemus, nec a ſemi
ta,qnam nobis ſpiritus tuus monſtrat,declina-
mus,ſumma quadam ſpe,arque fiducia, tuæ be
nignitaris erigimur; non tamen ita, vt aliquid
meritis noſtris adſcribamus;ſed,fiducia tui ſan
ctiſsimi nominis, qnod magnitudine tuæ erga
nos benignitatis illuſtratur, & fœderis tui ſan-
ctiſsimi religione, quod continet ſempiternū
clementiæ tuæ monumentum,ad certiſsimam
ſpem immortalitatis rapimur,deſiderioq. tuæ
gratiæ,atque benignitatis,incendimur. 9.Nam 9. Anima mea deſiderauit te nocte.
nocte quidem ad tui cupiditatem vehementer
exarſi: cum primum diluxit, te veſtigijs perſe-
cntus ſum; nec te extra me, ſed intra pectus
meum,dilucnlo quæſiui;te vnum mens mea vo
tis omnib. expetiuit;atque de te noctes,& dies,
cogitauit;ex quo fuit maximos, & vberrimos,
fructus conſecuta. Nam,vbi primū in terra fue Cum feceris iudicia in terra.
rint nota indicia tua, illud autē præcipue, quo
immanem tyrannum perculſiſti, & abieciſti,at
que de omni ſtatu ſuo deieciſti, terræ cultores,
qui ſnerant ſceleribus adſtricti, flagitijsq. om-
nibus macnlati, ad te ſubito conuerſi, ſummo
ſtudio iuſtitię diſciplinam percipient;omniaq.
officia vitæ ad tuæ ſanctiſsimæ legis normam
dirigent;& ſic tandem ſtatum florentiſsimum,
atque beatiſsimum, conſequentur. Omnes ſi
quidem opes, omnis dignitas, & amplitudo,

& animorum tranquillitas, omnis vitæ incun-
10. ditas, in ampliſsimo iuſtitiæ fructu cõſiſtit. 10.
O miſeros, & ærumnoſos, impios, qui tantis ſe
bonis defraudant; &, cum Dominus illos etiam
ad dona ſua perfruenda clemẽter inuitet, inui
tantis Domini beneficentiam aſpernantur, nec
acceptis beneficijs ad iuſtitiæ cultum alliciun-
Non diſcet iuſtitiam facere. tur. Non enim vult homo oefarius colere iuſti
tiæ diſciplinam; &, quamuis ante oculos illu-
ſtrẽ, atque directam, viam habeat, ipſe tamen
eam ſponte ſua deſerit, atque trãſuerſis itineri
bus, & infinitis iniquitatis, & iniuſtitię, tramiti
bus aberrat; nec eo peruenire poteſt, vbi Domi
ni magnificentiã cernat; & magnitudinẽ maie
ſtatis, & gloriæ, conſideret. Erit enim illi aditus
ad piorum regionem, & cæleſtem ciuitatem,
in qua luce ſempiterna mentes beatæ colluſtrã
11. Domine, exaltetur manus tua. tur, interclnſus. 11. Poteſtatis tuæ quidem am-
plitudo, Domine, numinisq. tui ſanctiſsimi ma
gnitudo, multis ſe admirandis ſignis, & operi-
bus, indicat; iudiciaq. tua, quibus & maxima-
rum rerum faſtigia deprimis, & infima frequẽ-
ter ad ſummum gradum honoris, & dignita-
tis, extollis, ſatis illuſtria ſunt: ea tamen im-
pij, ſceleribus occæcati, minime contuentur;
nec numine, & conſilio tuo, ſed fortunæ teme-
ritate, omnia cecidiſſe putant: ideo fit, vt nec
de tua potentia cogitent, nec iudicia tua perti
Videant, & confundãtur. meſcant. Sed aliquando tandem hoſtes tui alti-
tudinẽ gloriæ, inuictiq. roboris tui magnitudi-
nem, cum magno ſuo malo, cernere compellen-
tur. Cum enim in iudicium vocati fuerint, in
ſummi iudicis conſpectu, omnia illorum faci-
nora, & ſcelera, cum ſumma dedecoris, & turpi
tudinis, ignominia, coram omnibus explicabũ
tur. Tunc igitur non modo terrore, ſed etiam
pudore, cruciabuntur, & flagitiorum conſcien-
tia eos vehemẽter exagitabit, & angore, & cru
ciatu, oimis acerbo cõficiet. Accedet aliud ſup-
plicium ad eorum animos lacerandos tæterri-
mum: inuidia nempe, qua, ex piorum hominum
ſplendore, & claritate, miſerabiliter æſtuabũt.
Hæc enim eos aſsiduo cruciatu vexabit; hęc eo
rum animos exedet. Quid dicam de flãmis vl-
tricibus, atque ſempiternis, quibus ſunt in ſem
12. Domine, dabis pacem nobis. piternum tempus cruciandi? 12. Pacem nobis
conſtitue, Domine, quando opera etiam iuſti-
tiæ, quæ facimus, e quibus pax iucunda, atque
ſalutaris, exſiſtit, tu ipſe perficis, & abſoluis.
Quæ enim cum vera laude gerimus, tuo ſpiritu
commoti, & impulſi, tuoq. numine gubernati,
gerimus; vt magis ſint tua, quam noſtra, repu-
13. Domine Deus noſter, poſſederunt nos Domini abſque te. tanda. 13. Multorum quidem impotentem do-
minatum pertulimus; &, cum tibi ſoli ſeruire
deberemus, tamen alij quam plurimi ſeruile iu
gum noſtris ceruicibus impoſuerunt, intolerã-
daq. tributa a nobis exegerunt: At nos ſuperbũ
illum dominatum ex omni memoria penitus
euulſum cupimus, tuumq. tantum imperium
poſthac memoria continebimus; omniaq. ſtu-
dia noſtra, omnes curas, & cogitationes, ad glo
14 Morientes non viuant. riam nominis tui conferemus. 14. Mortui qui-
dem, qui ſeſe a tuo ſpiritu, quo ſempiternæ
vita continetur, nefarie ſeiunxerunt, & iam
deleti, atque ſepulti ſunt, minime reuiuiſceot;
nec maximi quidem tyranni, qui potentia, &
opibus, multos mortales oppreſſerunt, ab
inferis excitari, & in priſtinæ dignitatis ſta-
tum reſtitui, poterunt, cum ſint a te, propter
eorum immanem, importunamque, vitæ ra-
tionem, ſempiterna morte damnati; illorum-
que nomen obliuione ſempiterna contriueris.
15. Gentis tuæ numerum, Domine, gentis 15.
tuæ numerum abs te mirabiliter auctum, &
amplificatum, cæleſtibus bonis egregie cumu-
laſti; gloriam tuam illuſtraſti; clariſsimamq.
illius lucem omnibus terræ finibus attuliſti.
Qui igitur ad te ſtudio inflammato conuene-
rint, te ſolum metuent; te ſolum amabunt; in
te ſolo omnia vitæ præſidia collocabunt. 16. 16 Domine, in anguſtia requirunt te.
Cum autem eis, vt illos erudias, eorumq. fi-
dem, ne otio langueſcat, exerceas, vnlnus im-
poſueris, & aliqua ærumna eorum vitam pre-
mi patieris, non ad homioes confugient, nec
eorum aut inanes opes requirent, aut fidem
fluxam, & lubricam, implorabunt; ſed ad te con
feſtim adibunt, & voce quidem ſummiſſa, ſed
animi ſumma contentione, tibi ſupplicabunt;
aſsiduisq. precibus, a te, quidquid ad eorum
ſalutem commodnm fuerit, impetrabunt. Mul-
tis enim incommodis ſæpenumero vitam no-
ſtram circumueoiri patieris; multa nobis peri-
cula proponentur; multa hoſtium tela in corpo
ra noſtra frequenter emittentur; non tamen
ita, vt a te in acie deſeramur, &, victi, hoſtiũ im
portunitati ſuccũbamus; ſed vt ſemper decus,
& multiplicatam gloriam, reportemus. 17. Acci 17. Sicut, quæ concepit.
dit tamen ſæpenumero, vt ſimus rerum angu-
ſtijs prope vehementius, quã naturæ imbecilli-
tas ferre, & ſuſtinere, poſsit, oppreſsi. Tunc igi-
tur, vt mulier prægnans, & iam ad pariendũ vi-
cina, cũ doloribus ſummis cruciatur, exclamat;
ſic nos, ardenti ſtudio pietatis grauidi, ad pariẽ
dum enitimur, & in conſpectu tuo doloribus
maximis intercludimur. 18. Cum enim in vita
multa nobis iniucunda contingant, tum nihil
eſt, quod nos adeo torqueat, atque perditorũ
hominum contumacia, & impudentia, quæ no-
bis impedimento eſt, quo minus verbo tuo li-
beros gignamus. Concepimus enim verbi tui
ſemen. poſtquam maturum tempus aduenit,
parturiuimus: fruſtra tamen multis in locis e-
nitimur, edereq. in lucem vitalem fetum noo
poſſumns. Non enim, cum primum cupimus, ſa Non ceciderunt habitatores terræ.
lutem terris hoſtium immanitate vexatis affer
ri conſpicimus; nõ eos, qui terrenis opibus peni
tus addicti ſunt, nobisq. ſummis viribus aduer
ſantur, e ſtatu ſuo deturbari, atque in terram
prouolni, cernimus. 19. In his tamen acerbitati 19.
bus numquam nos ope tua deſtituis, ſed cunctã
a noſtris animis mæſtitiam depellis; &, ſi qua
res aſperior incidit, eam facillime ſpiritus tui
iucunditate compenſas; &, cum nobis quam
plurima ſolatia præbes, tum illud, quod in fir-
miſsima

imiſſima ſpe immortalis vitæ conſiſtit, tantum
eſt, vt non modo a nobis cunctam moleſtiam
dimoueat, verum etiam animos noſtros incre-
dibili voluptate permulceat. Sic enim ais, & hu
iuſmodi verbis nobis immortalitatem, Diui-
numq. ſtatum, polliceris: Mortui tui viuent: &,
quemadmodum ego cadauer meum inſita mi-
hi virtute ſuſcitabo, ſic corpora veſtra, eadem
virtute mea, magna cum gloria reuiuiſcent.
Expergiſcimini, qui iacebatis in puluere. Veniet enim tempus, cum mortui ſepulcris
incluſi audient vocem filij Dei, vt hi, qui ſan-
cte vixerint, Diuina gloria, æuo ſempiterno,
perfruantur. Hac enim oratione eos in vitam
reuocabo: Expergiſcimini, qui ſepulti eratis,
& læti conſiſtite, magnis acclamationibus vo-
bis ipſis mutuo gratulamini, Deoq. gratias im
mortales agite, qui, tumulis obruti, in puluere
latuiſtis. Hac quidem voce tua, Domine, mor-
tui confeſtim, quaſi de ſomno, excitabuntur, &,
luce clariſſima veſtiti, gloria ſempiterna cir-
cumfluent. Spiritus enim tuus vitalis, atque ſa-
lutaris, eſt inſtar oris, qui areſcentibus herbis
viriditatem, & amœnitatem, reſtituit. Spiritu
igitur tuo nos in vitam, Diuinis muneribus or
natam, & amplificatam, reuocabis; tyranno-
rumq. ſtatum in terram proijcies; perditorũq.
20. hominum vitam delebis. 20 Tu quidem inte-
rim, inquit Dominus, o plebs mea, quæ te in
fidem meam contuliſti, ſi non ita feſtinanter, vt
expetis, opus, quod deſignaui, perfectum vide-
ris; ſi nõ ſtatim meorum gloriam illuſtrauero,
hoſteſq. meos concidero; non dilationem hanc
moleſte patiaris. Perfer, atque tolera, excita fi-
dem, inuictum robur aſſume, intra mentis tuæ
penetralia te collige; cubiculi tui fores occlu-
de; animumq. tuum ſpe certiſſima ſalutis futu-
ræ confirma, atque ibi, dũ colloquio meo per-
frueris, tamdiu late, donec breues pœnas, &
exiguas, expetam de meorum flagitijs, & im-
21. portunitatibus; vt, his expurgati ſupplicijs, eos
in amiſſum vitæ ſplendorem reſtituam. 21 Iam
enim cernes, quod ardenter exoptas; iam re-
gni mei maieſtatem, & amplitudinem, contue-
bere; iam Dominum e cælo delapſum videbis,
vt in hominum iniquitatem, & ſcelus, animad-
uertat, vt occultas cædes, & clamdeſtina fa-
cinora, in lucem proferat; vt debita tandem
ſupplicia maleficis, & homicidis, conſtituat.
Neque poterit quiſquã in Diuini iudicij clariſ
ſima luce, ſuæ crudelitati, atque ſceleri, quo in
ſanctorũ hominũ cæde bacchabatur, aliquod
velũ ſimulationis, & fictę ſanctitatis, obtẽdere.

1 CAP. XXVII.

1 Illo vero tempore, quo in terris fuerit ad
immortalitatem via munita; cũ videlicet pec-
catum fuerit expiatum, & homines e duriſſimo
ſeruitutis iugo liberati, atque in libertatem, &
Viſitabit Dominus ſuper Leuiathan. amiſſa ornamẽta, Chriſti, noſtri liberatoris, o-
pera, reſtituti, animaduertet Dominus in illam
antiquam, & truculentam, belluam, quæ in hoc
mari profundo, & infeſto, turbidos fluctus at-
tollit; & hunc ſerpentem immanem, & tortuo
ſum, qui vniuerſum genus humanum opibus
ſuis obſeſſum tenebat, &, quaſi vectis inductus,
exitum e tenebris obſtruebat, gladio acuto, &
magno, atque valido, conficiet, & reliquos ſer-
pentes illius ſatellites, & miniſtros, ferro neca-
bit. Erit enim iam tunc omnis Satanæ poten-
tia, cuius peſtifera vis, mortiferumq. venenum,
omnes homines interimebat, & peccati duriſ-
ſimis vinculis alligabat, Chriſti virtute conuul
ſa; ita, vt nihil illis nocere poſſit, qui ſeſe cum
Chriſto coniunxerint. Itaque tenebrarũ prin-
ceps e terris exterminabitur, & gladio, quod
eſt verbum Dei, vis illius exſtinguetur,
atque delebitur. 2 Ergo tunc, ait Dominus, vi- 2 In die illa vinea meri
nea mea, e cuius vuis optimum vinum expri-
mitur, non erit, vt olim, vaſtata vepribus, at-
que dumetis, ſed lætos, & vberes, fructus effun
det. Erunt enim omnia flagitia ex animis ho-
minum euulſa, & pro ſceleribus priſtinis ex il-
lorum præcordijs iuſtitiæ pampini pullulabũt.
Laudibus igitur illam, o Diuini viri, quantum
poteſtis, ornate, quæ cultori ſuo non labruſca,
ſed vuas dulciſſimas, emittit. 3 Ego, qui vineã
quondam meam deſerui, qui nubes, ne in eam 3 Ego Dominus, qui ſeruo eam.
imbres demitterent, continui, nunc eam ſum-
mo ſtudio cuſtodiam; imbribuſq. gratiæ meæ
frequenter effuſis, illam fecundam, & vberem,
efficiam; illam noctes, atque dies, tuebor, ne
rurſus, a cuſtodia mea deſerta, ſilueſcat, atque
ſentes effundat.

4 Iam non ero ita iratus, vt quondam, cum
illi perniciem meditabar. Nec enim mirũ eſt, ſi 4.
temporibus priſcis vineæ meæ perniciem intu
li. Nam pro maturis vuis vepres, & ſpinas, pro-
fundebat, quas ego odio acerbo proſequor.
Numquam enim mihi cum illis, hoc eſt, cũ fla-
gitijs, & impuritatibus, vllo pacto conueniet.
Hoc igitur quaſi voto, atque promiſſo, teneor,
vt cum illis perpetuo bellum geram, &, vbi pri-
mum adoleuerint, omnem illum locum, quem
occupauerint, proteram pedibus, atque procul
cem, &, excitato flammarum incendio, conſu-
mam. 5 Quoties igitur vepres, & ſpinæ, pullula- 5.
uerint, in illas inflictis plagis animaduertam,
& incendium rurſus excitabo, vt illam rurſus
excolam, niſi prius illa vim, & ſeueritatem,
meam, illata vi, atque virtute, cohibeat, & con-
uerſione ſalutari, atq. pijs precibus, meum nu-
men ad gratiam inflectat, vt ſic pacem mecũ
habeat: Pax, inquam, ſalutaris, atque iucunda,
ſit, cum illa mihi ſempiterno fœdere confirma-
ta. 6 Vltimis temporibus altiſſimas radices a- 6.
get Iacobi progenies; & florebit, atque fron-
deſcet, Iſrael; illiuſq. fructus orbem terrarum
complebit. Omnes ſiquidem nationes illius di-
ſciplinis eruditæ Dei cognitionem percipient,
& Diuinorum munerum copia redundabunt. 7 7.
Nec enim eſt vſque adeo mihi hoc genus inui-
ſum, vt illud prorſus delere conſtituam. Nam,
cum & patrum merita plurimum apud me va-
leant, tum virtutes egregiæ, quæ tandem ſunt
ex ſtirpe illius excitandæ, faciunt, vt non eos
funditus euertam. Num ſic eos vulneraui, vt ij,

a quibus ſunt euerſi, & afflicti, a me vulnerati
ſunt? Num eos ſic internecione deleui, vt illos,
qui ipſius Iſraelis opera numinis mei præſidio
cæſi ſunt? Non certe. Hoſtibus enim ſic ſecurim
inflixi, vt ſtirpem exſcinderem, & radices etiã
euellerem. At, cum Iſraelem iudicio perſecu-
tus ſum, ſtirpem, atque memoriam, conſeruan
8. do, illius ſanctæ poſteritati conſului. 8. Profe-
cto iræ tuæ modum ſtatuiſti, Domine, dum eos
non internecione, ſed exſilio, multaſti. Fuerunt
illi, quaſi Euri, vehementiſsimis flatibus agita-
ti, & excuſsi, & eximia ſiccitate vaſtati, non ta
men omnino conſumpti. 9. Non eſt igitur eo-
rum ſalus omnino deſperanda. Poſſunt enim
ſceleribus, quibus alligati ſunt, facillime ſolui,
& opes amiſſas recuperare, & fructum iuſtitiæ
illi, qui peccata delet, offerre, ſi non ſolum ſeſe
a ſceleribus, & flagitijs, abſtineant, verum etiã
omnia facinorum monumenta deleant, & ex
hominum memoria penitus exterminanda ſu-
ſcipiant. Cum igitur Deum infando ſcelere,
quo Diuinos honores ad multa ſigna tranſtule
rant, in ſe concitauerunt, admiſſum ſcelus ex-
piabunt, & criminis tæterrimi veniam impe-
trabunt, ſi, proprij facinoris odio, altaria demo
liantur, & lapides conterant, atque commi-
nuant; neque nefariam illam religionem in-
ſtaurent, qua lucos exſecranda ſuperſtitione
colebant, & ſimulacris cum inſigni furore, &
amentia, ſupplicabant. Ergo, cum ardentes fu-
rore, & ſcelere, maius aliquod facinus conciue
rint, ſi ſcelus admiſſum ita deteſtati fuerint, vt
illius monumenta, quaſi calcis lapides, exu-
rant, & comminuant, & omnem locum, in quo
tantum ſcelus conflauerant, euertant, & ex ad-
miſſo dedecore, & flagitio, maximum dolorem
capiant, in priſtinam Dei gratiam, cum ampli-
ficatis donis, atque muneribus, reſtituentur.
10. 10. Quamdiu autem homines neque piget, ne-
que pudet, impuritatis, atque flagitij, & in cõ-
miſſo ſcelere obfirmatis animis perſeuerant,
erunt pœnis grauibus, & aſsiduis, exagitati.
Ciuitas enim, muris egregie munita, validisq.
præſidijs firmata, in vaſtam ſolitudinem redi-
getur; imperij ſedes, religionis, & pietatis, or-
namentum, iuſtitiæ domicilium, tantis olim
opibus exſtructum, deſertum, & exinanitum,
relinquetur. Ibi paſcent vituli, & accubabunt
armenta, & omnia virgulta paſsim carpendo
conſument. 11. Rami penitus exareſcent, & a 11.
feminis confracti colligentur, vt ex illis ignem
faciant. Erit enim illis pro frequentia, & cele-
britate, ſolitudo, pro diuitiarum opulentia tur
pis egeſtas, pro iucunda amœnitate horribilis
vaſtitas, pro ſummis opibus ſumma quædam
imbecillitas. Nudi igitur, & inanes opibus, &
ornamentis ſpoliati, ab omnibus vexati, a Deo
derelicti, multorum immanitatem ſuo ſuppli-
cio ſatiabunt. Nec enim populus hic, in Diui-
nis inſtitutis, & legibus, enutritus, voluit de of-
ficio ſuo commoneri; neque, quæ via tenenda
eſſet, intelligere; ſed, occæcatus flagitijs innu-
merabilibus, ad ipſius diſciplinam, quam auri-
bus accipiebat, obduruit. Ea autem de cauſſa
Deus, qui eos finxit, & informauit, nullam cle-
mentiæ ſuæ opem illis attulit; nullam miſeri-
cordiam in rebus euerſis, & afflictis, adhibuit.
12. Ergo, cum Dominus hoſtes, viribus fero- 12.
ces, in reliquas nationes immiſerit, & ab Eu-
phrate vſque ad Nilum omnia, quacumque
aciem direxerint, populati fuerint; &, gentibus
excuſsis, & exinanitis, omnes eorum opes coa-
ceruauerint; vos etiam, filij Iſrael, ab hoſte ſin-
guli colligemini, in illiusq. poteſtatem, cum re
liquis, venietis. 13. Attamen, poſtquam ſaluta- 13.
ris tuba ſignum dederit, & clangore hoſtibus
metuendo claſsicum cecinerit, cæleſtisq. lux
terris, tyrannide mortis oppreſsis, oblata fue-
rit; tunc, qui perierant, & diſperſi, atque diſsi-
pati, varijs in locis ab hoſte, tenebris incluſi, te-
nebantur; ad quorum videlicet aures, & ani-
mos, clangor tubæ peruenerit, Chriſti bene-
ficio liberati, in patriam, hoc eſt, in iuſtitiæ
poſseſsionem, remeabunt, Deoque ſummo
Ieroſolymis in cæleſti monte litabunt, resque
Diuinas ſingulari cærimonia, atque ſanctita-
te, perficient.

9. Iccirco ſuper hoc dimittetur iniquitas Iacob.

HIERO-

# HIERONYMI OSORII LVSITANI PARAPHRASIS IN ISAIAM

## LIBER TERTIVS.

### PROOEMIVM.

VIDIMVS, quam ſingulari ratione opus ſuum cõtexerit Iſaias, & quo modo fregerit audaciam hominum impiorum, qui pœnas, ſuis ſceleribus debitas, non ad iudicij Diuini ſanctitatem, ſed ad humanarum rerum inconſtantiam, fortunæq. temeritatẽ, reuocabant, atque Deum rerum humanarum procuratione ſpoliabant; aſſerentes, omnia caſu gubernari, nec eſſe meliore cõdicione, qui fidem, & officium, colebant, quam qui ius, & fas, omne delebant. Horũ amentiam egregie redargutam conſpeximus, cum & argumentum probauit vir Diuinus, & exemplis etiam quamplurimis confirmauit; nullum eſſe in terris imperiũ, quod Diuina moderatione vacaret; illumque vnum eſſe Dominum, qui gentem humilem, & abiectam, opibus, & imperio, florentem efficit, & qui ſumma imperia, cum id ratio iuſtitiæ poſtulat, exſtinguit; nec aliam eſſe cauſſam euerſionis omnium Rerumpublicarum, quam Diuinum iudicium, iniurijs, & iniquitatibus, ad ſummum gradum perductis, acriter, & vehementer, infenſum. Hac autem ratione fieri, vt ad ſuperbiam alicuius imperioſi populi, ſummis iam ſceleribus adſtricti, deprimendam, aliam gentem, apud quam vigeát adhuc officij mediocris ſtudia, nec ſit ita vel opibus arrogantius elata, vel nefarijs voluptatibus intemperantius abuſa, a paruis fundamentis excitet ad ſummum rerum faſtigium; eamq. ad alterius imperij euerſionem ſummis opibus augeat, omnibusq. dignitatis ornamentis amplificet. Hac ratione, & Aſſyriorum imperium exſtinctum eſt; & Babyloniorum opes deletæ ſunt; & Græcorum nomen, atque decus, obſcuratũ euanuit; Romani vero ſplendoris, & antiquæ potentiæ, vix tenue quoddam eſt in terris veſtigium relictum. Sic etiam minora imperia conciderunt; & omnes denique Reſpub. quæ vel externis bellis afflictæ, vel inteſtinis ſeditionibus laceratæ, tandẽ corruere, propter ſcelera infanda, quæ commiſerant, Diuino iudicio funditus euerſæ, atque ſublatæ ſunt. Sic etiam, quæ nunc florent, exſtinguentur, cum primum vel earũ flagitia cumulata fuerint; vel munus abſoluerint, cuius efficiendi gratia fuerunt ad certum aliquod tempus reſeruatæ. Conſtat enim, imperia malis artibus comparata, interdum Diuino cõſilio tolerari, ad alicuius gentis euerſionem, & publicæ intemperantiæ, flagitijque, & impuritatis, ſupplicium. Nec alia cauſſa fuit, cur non Aſſyrius multo ante corruerit, quam vt, tamquam tortor, & carnifex, multis nocentibus vitam, & fortunas, eriperet. Sic Nabuchodonoſor, vt pœnas a ſceleratis exigeret, ad ſummas opes euectus fuit. Quid vel Medos, vel Perſas, vel Arabas, vel Turcas, vel alias gẽtes, commemorem; quæ, quamuis eſſent ſceleribus infames, ſummas tamen opes adeptæ ſunt, vt alias gentes omni iam ſcelere contaminatas euerterent? Non inſcite igitur Athila, Hunnorum Rex, cum omnia, quacumque impetum ferret, ferro, flammaque, vaſtaret; atque in omnem ſexum immaniſſima cæde graſſaretur, ſe Dei flagellum nominabat. Quod etiam multo recentior fama de Thamerlano prodidit, qui ſe non hominem, ſed Diuinam vindictam, pœnas acerrime de ſceleribus hominum repetentem, aſſerebat. Quare, ſtultum arbitrabatur, vt a ſe quiſquam humanitatem requireret; cum eam iampridem, ad munus ſuum diligenter exſequendum, penitus exuiſſet.

ſuiſſet. Vnde colligitur, nullum vnquam imperium abſque Diuino conſilio in terris exſtitiſſe; nullam gentem vnquam abſque Diuino iudicio opibus, & imperio, ſpoliatam fuiſſe; cum omnes Reſp. quæ deletæ ſunt, propter ſcelera in Deum commiſſa, & iniurias hominibus illatas, de ſtatu ſuo conciderint. Imperite igitur faciunt, qui alias cauſſas ruinarum enumerando recenſent. Nam vel artes bellicas apud iuuentutem obſoletas; vel imperatoriam diſciplinam a principibus neglectam; vel Remp. diu inteſtinis diſcordijs vexatam, & attritam fuiſſe, dicunt; vel denique tantas hoſtium vires exſtitiſſe, vt ijs obſiſti non poſſet. Nam omnia hæc, vt Iſaias aperte demõſtrat, ſunt ad Dei iudicium referenda: quo, propter hominum ſcelus, & iniquitatem, & iuuentutem animi viribus, & principes ratione, & conſilio, ſpoliat; totamq. Remp. ſeditione lacerari, atque conſici, permittit: & ad illius tandem exitium hoſtes immanes armis inuictis inſtruit, & magnis opibus auget, & virtutis robore munit, & bellandi peritia confirmat. Illi igitur, qui, hac vna cauſſa communis exitij prætermiſſa, alias afferũt, hominem, rei capitalis damnatum, ideo ſecuri percuſſum fuiſſe, quia nec potuiſſet e lictorum manibus elabi, nec vinculis expediri; nec, quo minus cauſſam diceret, recuſare; nec iudicis ſapientiam fraudibus, & dolis, eludere; nec denique carnificis manus effugere, & inflictæ ſecuris ictum declinare. Nec enim fieri potuiſſe, vt vnus homo ſolus Reip. vniuerſæ reſiſteret. Sed, qui nec ineptus, nec nimium loquax, eſſe vellet, vnico verbo quæſiti de cauſſa illius ſupplicij ſatisfaceret, dicens, hominem illum fraudem capitalem admiſiſſe, propter quam neceſſe fuiſſe, vt de illo ſupplicium, more maiorum, ſumeretur. Vna enim cauſſa eſt interitus omnium Rerump. vnum gentium, atque populorum, exitium, & funus; vna peſtis, atque pernicies, qua omnes opes humanæ diſſipatæ, & cõminutæ ſunt, quæ impietate, & iniuſtitia, continentur; &, qui alias affert, non veras cauſſas, ſed effectus, atque ſcelerum pœnas, & ſupplicia, oratione complectitur. Hunc igitur errorem vt tollat Iſaias, multarum nationum ruinam, & occaſum, & interitum, multo ante prædicit; & veras cauſſas exitij communis exponit; vt, cum homines intellexerint, quid tandem ſit illud, quod communibus rebus calamitatem inuehat, Dei numen exhorreant, & vna pietate, atque iuſtitia, e qua reliquæ omnes virtutes exoriuntur, Reip. diſciplinam ſanciendam exiſtiment. Redit igitur rurſus ad inſectationem Samariæ, & Ieroſolymam impietatis accuſat; & omnem cauſſam ruinæ, qua Iudæorum res euerſæ ſunt, ad eorum ſceleſtiſſimum facinus referendam demonſtrat: quod vt planius faciat, oſtendit interdum, quam florens, atque beata, fuerit Ieroſolyma, quo tempore Rex aliquis pius imperium adminiſtrabat, vniuerſamque Remp. in pietatis, & religionis, officio continebat: vt facilius, quibus furijs ſtimulentur eorum animi, qui Deum non metuunt, exponat. Sic autem in Samaria Principes aſperis admodum verbis inuehitur:

1\. CAP. XXVIII.

1\. Væh coronæ ſuperbiæ.

1\. O intolerandum ſuperbiæ principatum, o immoderatam ebrietatis intemperantiam, o florem illum dignitatis inanem, o Regiæ maieſtatis inſignia capiti pinguiſsimæ telluris impoſita: in quod, tamquam in vallem, omnes vitæ commoditates, & voluptates, & deliciæ, quæ viros effeminant, & virtutis neruos incidunt, defluxerunt: quæ hominibus Samariam incolẽtibus, quaſi multo vino confectis, mentẽ, & rationem, eripuerunt. 2. Ecce, dies illis acer, & infeſtus, appropinquat, quo Dominus ſe vehemẽtius incitabit, vt eos, quaſi immodicis imbribus multa grandine commiſtis, & turbine, & tempeſtate, diruat, & proſternat. 3. Hem, quo Regiæ opes, quibus, Samaria, tumebas, reciderunt? Hẽ, quã ſubito luxus immodicus, per quem fuiſti, tamquam multo vino, de mente, & ratione, deducta, in ſummum mœrorem, & luctum acerbiſſimum, conuerſus eſt. Hoſtiũ enim pedibus proculcaberis; extremoq. dedecore, & ignomina, deformaberis; & in duriſsimam ſeruitutem abduceris. 4. Tunc ille flos imperij, illud Regni lumen, illud maieſtatis ornamentum, ille ſuperbiæ principatus, cuius fiducia Iſrael ſubnixus ambulabat, &, quaſi multo vino ebrius, de poteſtate mentis exierat, repente concidet, & exſtinguetur. Tanta namque alacritate in illum hoſtis inuadet, vt prima impreſsione eum proſternat, atque conficiat. Vt enim, cum aliquis ante meſſem in poma præcocia incidit, ea tanta auiditate corripit, vt continuo voret; ſic hoſtis, antequam poſtrema malorum meſsis adueniret, in Samariam, tanta prædandi cupiditate, impetum faciet, vt illas tantas opes intra breuiſsimum tempus exhauriat. 5. Eo vero tempore, quo Samariæ opes conciderint, ornabit Dominus reliquias populi ſui, Ieroſolymæq. Regnum conſiliis ſtabiliet, gloriamq. illius illuſtrabit. 6 Nam & Regem, & eos, qui Regiis muneribus in iudicando funguntur, iuſti-

2\. Ecce validus, & fortis.

Quaſi temporaneum ante maturitatem autumni.

5\. In illa die erit Dominus exercituum corona gloriæ.

tiæ

tiæ diſciplinis erudiet; ne vmquam, contra quam fas eſt, ſententiam vllam proferant; & eos, qui bellum adminiſtrant, animi ſingulari magnitudine, virtutiſque robore, confirmabit; vt, quoties fuerint cum hoſte congreſſi, domum victoriam reportent. 7 Felices quidem erunt, ſi in fide, & religione, permanſerint; ſed ad illos etiam eadem ſceleris contagio permanabit; eodemq. furore inflammati, cum illis miſeris, quos viderint acerbiſſimis ſcelerum pœnis vexatos, ſocietatem ſceleſtiſſimi facinoris inibunt; eodem vino confecti, & languidi, iacebunt; eadem intemperantia, mentem, atq. ſenſus, amittent. Sacerdotes etiam, qui reliquorũ libidines, exemplo continentiæ, & ſeueritate diſciplinæ, frangere debuiſſent, in eandem vinolentiam incident. Prophetæ, quorum officium, ſi vere hoc nomen vſurpant, erat, reliquos ab ebrietate deterrere, ſeſe ſimiliter ingurgitabunt, &, multo vino meracius ſumpto, penitus obruentur. Nemo eſt igitur ex illis, qui verum cernat; nemo, qui recte iudicet, cum mens ſit obſcurata flagitiis, & animus impuriſſima libidine conſtrictus, & perturbationum magnitudine a ſtatu deiectus. 8 Crapula eos cogit in menſam vomere; neque in eorum turpiſſimo conſeſſu locus vllus purus a ſordium fœditate relinquetur. Eadem ipſa loca, in quibus maiora continentiæ documenta ſtatuere debuiſſent, omnium flagitiorum impuritate contaminabunt. 9 Cum igitur Dominus ſeſe ad docendum dederit, quis tandem ſe prabebit docilem ad illius diſciplinam? Cum enim ciuitas vniuerſa Principum exẽplo corrupta fuerit, & diuturna peccandi conſuetudine omnibus inſtitutis Diuinæ legis contraria, & inimica; quis tandem erit, quem Dominus inſtituendum, & erudiendum, ſuſcipiat? Is certe, qui modo fuit ab vberibus matris auulſus, qui nondum per ætatem vſqueadeo improbus eſſe potuit; quem nondum ciuitatis corruptæ prauitas infecit. Hic igitur, ſiue ætate, ſiue morũ ſimplicitate, puer exſtiterit, eſt primum mollioribus inſtitutis, quaſi quodam lacte, legis, alendus, atque nutriendus, diſciplinisq. puerilibus imbuendus, atque paullatim informandus, donec ad eam ætatis maturitatem perueniat, in qua poſſit grauiores cibos concoquere, & animi viribus, atque robore, confirmari. Monſtrũ namque eſt, atque portentum, vt idem ſemper puer ſit; nec aliquando cibis ſuſtentetur, quibus viri ad reficiendas vires vtuntur; ſed ſemper lacte nutriatur, & perpetuo nutricis vberibus adhæreſcat. Cum igitur plerique homines, flagitiis omnibus cooperti ſint; fieriq. non poſſit, vt animus, vitiorum ſpinis oblitus, ſemen in ſe Diuini verbi concipiat; pueri infantes ſunt a teneris annis in legis diſciplina nutriendi; iiſq. leniora præcepta, quæ magis ſunt obiecta ſenſibus, accommodanda, qualia ſunt ea, quæ ſacrorũ religione, quæ cærimoniis, & ſacrificiis, iuſtitiæ ſplendorẽ adũbrant, & imaginibus quibuſdã præteriti beneficij memoriam repræſentãt, & animos ad futuri firmiſſimã ſpẽ vocant, & ad Chriſti cognitionem paullatim erudiunt.

7 Verũ hi quoq. vino neſcierũt.

8 Omnes enim menſę repletæ ſũt vomitu.

9 Quẽ docebit ſciẽtiam?

10 Agite nunc: iam huius diſciplinæ fructum aliquando videamus. Præceptũ cum præcepto connectitur; puerilis inſtitutio cum inſtitutione puerili coniungitur; elementorum ordo, atque ſeries, cum elementorum ſerie copulatur; magnificus ille docendi, & inſtruendi, apparatus ingentem exſpectationem concitat; ipſiq. doctores, magnam quandam ſpem ex diſciplina futuræ vtilitatis oſtendunt; nos interim ſpe pendemus, atque promiſſum frequenter efflagitamus: Illi tamen diem proferunt, & interim ætas, & vita, conſumitur, & ſpes concepta penitus euaneſcit. 11 Hanc enim rationem Dominus huius rudis, & hebetis, populi docendi, & inſtruendi, ſuſcepit; vt ſe hominum ſenſibus accommodaret; & ſermonem non vſitatum ſibi, ſed a rebus Diuinis alienum, atque peregrinũ, qui tandem ab eodem populo intelligi poſſet, vſurparet; atque, quaſi cum puero infante, balbutiret. Ea igitur de cauſſa circumciſionem ſanxit, vt de circumciſione mentis, quæ in fidei ſanctitate conſiſtit, admoneret: ideo ſacra inſtituit, vt animos ad cogitationem cæleſtis numinis excitaret: ideo ſanguine ſibi litare præcepit, vt doceret, humanum ſcelus, eſſe tandem effuſione ſanctiſſimi ſanguinis expiandum: ideo legem ad homines inter ſe deuinciẽdos tulit, vt ſignificaret, omnem legis ſummã eſſe ad clementiam, benignitatem, & mutuam hominum inter homines caritatem, referendam. 12 Ipſe itaque legis lator, legis mentem, & ſententiam, aperit; atque demonſtrat, perfectionem, illius benignitate, & hominum caritate, contineri. Sic enim dixit eis: Si vultis iuſtitiam, quam ſibi lex proponit, obtinere; ſi vultis mihi cumulate ſatisfacere; & animi pace, atque iucunda tranquillitate, potiri; iacentes erigite; afflictos excitate; miſericordiã ſupplicibus adhibete; tota mente in ſtudium humanitatis incumbite. Et tamen, audire noluerunt. Cum igitur in iuſtitiæ vmbris, & imaginibus, occupati ſint; ipſam ſolidam, & expreſſam, iuſtitiæ rationem aſpernantur. 13 Ergo tantũ abſuit, vt ij etiam, qui a teneris, vt ita dicam, annis in legis diſciplina nutriti ſunt, ex ea ſolidum fructum perciperent, vt potius, lex ſit illis maiorem vim calamitatis allatura. Nec enim idem valet crimen in eo, qui nullis diſciplinis fuit ad officiũ eruditus, quod in illo, qui tantam operam, tãtumq. ſtudium, in Diuina lege, ſine fructu, conſumpſit. Illa igitur præcepti cum præcepto connexio, illa puerilis inſtitutionis cum puerili inſtitutione copulatio, illa ordinis in elementis perdiſcendis obſeruati ad ſimilem ordinem elementorum adiunctio, illa denique dilatio, atque procraſtinatio, dirum illis exitium importabit. Ruẽt enim in tenebris, & offendent, & retrorſum labentur; & concident; & ſe in laqueos inducẽt;

10 Mãda remanda.

11 Inloquel la enim labij, & lingua altera, loquetur ad populũ iſtum.

12 Cui dixit, hoc eſt requies mea.

13 Erit eis verbum domini manda remanda.

& irretiti,

& irretiti, & alligati capientur. Cum igitur illi, etiam qui ab vberibus auulſi, ſeſe ad ſtudium legis applicare videbantur, Domini diſciplinam aſpernati ſint; relinquitur, neminem iam eſſe, qui, in ciuitate corrupta, & contaminata, vitam ſuam diſciplinæ cæleſtis præſidio muniendam exiſtimet. 14 Ab hac igitur ſpe depulſi, ſalutis præſidium a neſaria ſuperſtitione, a vi, a fraudibus, a calumnia, ab impiorum Regum amicitiis, ſibi petendum arbitrantur ij, qui plurimum in ciuitate poſſunt; & tunc opes egregie ſtabilitas eſſe credunt, cum eas vidẽt eſſe peſsimis artibus, & calliditate, munitas. Interim vero probitatem, & animi ſimplicitatem, irrident; iuſtitiæq. operam nauare ſummam dementiam eſſe ſtatuunt; &, cum in malitia omnem ſapientiam ſitam eſſe putent, aſtutiæq. nomine glorientur, eos deſpiciunt, atque contemnunt, qui omnia vitæ ſtudia conferunt ad officiorum religionem, & ſanctitatem.

Propter hoc audite verbũ Dñi.

Audite igitur, viri, qui probitatem irridetis, atq. contemnitis; & ingenij acumine, & calliditate, ſubnixi, magnas vobis opes comparaſtis; imperiumq. nunc Ieroſolymis obtinetis; audite, inquam, non me, ſed ipſum Dominum loquentem, vobiſq. funeſtum exitium minitantem.

15 Sic enim ait: 15 Quando conſilium, ſceleris, & amentiæ pleniſsimum, ſuſcepiſtis, vt opes veſtras perfidia, & improbitate, firmaretis, & hac ratione fœdus cum morte percuſsiſtis, & cum inferorum manium plaga ſocietatem coiuiſtis; omneſq. veſtras fortunas harum furiarum præſidio præclare tectas eſſe crediſtiſtis: dixiſtis enim futurum, vt, cum aliqua Reip. calamitas incidiſſet, ea vos minime contingeret, eo quod eſſetis omni ex parte ad omnes caſus humanos egregie ſcelere, atque proditione,
16 muniti. 16 Quando igitur tantus vos furor exagitat, vt in ſcelere firmum ſalutis, atq. fortunarum, præſidium collocetis, intelligite tandem, quanta ſuppliciorum omnium tempeſtas vobis impendeat. Munitiſsimum quidem vitæ præſidium, inuictum dignitatis, & gloriæ, propugnaculum, firmum, ſtabile, atque ſempiternum, florentis, atque beatæ Reip. fundamentum, aliud eſſe non poteſt, quam id, quod ego ad vniuerſi generis humani ſalutẽ a ſempiterno tempore deſignaui. Lapidem namque probatiſsimum, & pretioſiſsimum in fundamento ædificij, quod in Sione cæleſti ædificare cogito, atque adeo in angulo, qui parietem iunctat, & deuinciat, collocabo. Hic ſummus, atque clariſsimus, lapis totum ædificium domus meæ ſuſtinebit, roboreq. ſempiterno confirmabit, vſqueadeo, vt, quamuis omnes vndique in eam tempeſtates erumpant, & ſæui turbines exſiſtant, & flumina, maximis imbribus aucta, in eam incurrant, numquam ſtatu ſuo conuelli, aut aliqua ex parte labare poſsit. Qui igitur vitæ ſecuritatem expetit, in hoc vno lapide omnia præſidia conſtituat, adeoq. fide illius innitatur, vt numquam in rebus aduerſis tumultuetur; numquam metu trepidet; numquam huc, & illuc ſollicite diſcurrat; ſed animo quieto, atque tranquillo, Diuinum auxilium exſpectet. Numquam enim ſpes eum fallet, qui ſumma fide Regis huius, quẽ Lapidem, propter Diuinæ virtutis conſtantiam, nomino, corroboratus exſtiterit. 17 Illius namque opera ordinem Reip. florentiſsimæ collocabo; perficiamque, vt & iudicia ad exactiſsimam legis ſempiternæ normam dirigantur; & omnia iuſtitiæ munera ad præcepta ſanctiſsima perpendantur.

17 Et ponã iudicium in pondere

Omnes igitur tunc, qui in eam ciuitatem adſcripti fuerint, & iuſtitiæ muneribus meam gratiam obtinuerint, mecumq. deuincti ſanctitate ſempiterni fœderis exſtiterint, erunt præſidio meo tecti, nec vllũ in vita malũ formidabunt. At vos, qui fidei, ſtultitiæ nomen imponitis, & pietatem irridetis, funditus interibit. Veſtram namque arcem ex inanitatis, & mendacij, fundamentis excitatam, illud veſtrum propugnaculum vanitate ſtabilitum, irruens procella cũ grandine peruertet; & præcipitãs impellet, atque proiiciet.

Et ſubuertet grando ſpem mendacij.

18 Tunc fœdus, quod cũ morte percuſsiſtis, irritum fiet; tũc pactio cũ Tartarea regione firmata, diſſoluetur.

18 Delebitur fœdus veſtrũ cum morte.

Nullam enim vobis opẽ afferent veſtræ calliditates; nullũ fructum ex malitia, & improbitate veſtra capietis. Tunc inuecta calamitas, vos nõ ſolum continget, verum etiã proteret, & conculcabit. 19 Cum enim, quaſi torrens, impetu 19
turbulento, ad veſtras ſedes peruaſerit, rapiet vos omnes, in ſempiternamq. miſeriam detrudet. Feſtinanter enim, & cum incredibili celeritate, peruadet; nec nocte, nec die ſuum impetum remittet; & tum demum, cum vexati, & afflicti fueritis, quantus vos olim furor oppreſſerit, intelligetis. Inſipientes enim, non, niſi poſtquã in ipſis malis ſunt, pericula, in quibus verſabantur, agnoſcũt. 20 Itaq. breui grauiſsimas 20
pœnas homines perditiſsimi, elationis, & impudentiæ, luent. Tanta namq. belli peſtiferi tempeſtas impendet, vt ij etiam, qui meo præſidio muniti fuerint, in magnas anguſtias compellantur, ne poſsint eos, quos velint ſecum in eaſdem munitiones recipere, aut illis, quibus necem afferri conſpexerint, opitulari. Anguſtus erit enim locus; anguſtum corporis integumentum; ne quid ad eos operiendos, qui extra piorum hominum cubilia relinquuntur, redundare poſsit.

Coanguſtatum enim ſtratum.

Soli namque, qui fidẽ fauſtam habuerint, conſeruabuntur; reliqui omnes fœde peribunt. 21 Vt enim Dominus in monte Perecim ingentem Palæſtinorum numerũ diſsipauit; vt quondam in Valle Gabaon Amorrhæos nõ tantum ſuorum armis, ſed etiam procella, grandine, totiuſq. cæli fragore, conterruit, ingentẽq. multitudinem cecidit; ſic nunc, contra eos, quos olim protegebat, numen ſuum excitabit; Iſraelemq. dira quadam plaga conficiet.

21 Sicut enim in mõte diuiſionum.

Mirũ itaque, & inſolitum, & ab inſita illius clementia prorſus alienum, opus efficiet, cum, Iſraelis impietate, & ſcelere, laceſsitus, illum eadem

Alienum opus eius.

ſuppli-

ſuppliciorum acerbitate perſequitur, qua fue-
rat antea gentes feras, & immanes, infandiſq.
ſceleribus alligatas, eiuſdem Iſraelis gratia,
22. perſecutus. 22 Nunc igitur, qui faceti eſſe vul-
tis, & inſulſiſsima dicacitate Dei verbis illudi-
tis, prouidete, ne riſus hic veſter multas vobis
lacrymas afferat, corporaq. veſtra multo artio
Conſummationem enim, & abbreuiationem audiui. ribus vinculis adſtringat. Non enim incerta
opinione ducor; non inani augurio commo-
ueor; non denique coniecturam ex humanis
euentis capio; ſed, quod ab ipſo Deo, qui nec
falli, nec fallere quemquam poteſt, accepi, hoc
vobis aperte teſtificor, prædico, moneo, multo
ante denuntio, eſſe iam immutabili Dei ſen-
tentia decretum, & conſtitutum, vt omnibus
tertis exitium, & vaſtitas, inferatur. Iam enim
ſcelus eſt inſigni contumacia, & impudentia,
cumulatum, tantiſq. acceſſionibus amplifica-
tum, vt vix quidquam poſſit ad grauitatem il-
lius adiungi. Non enim ſolum Dei imperium
aſpernantur, verum etiam illius prædicta con-
temnunt; & iocis, ſceleris, & audaciæ, pleniſ-
ſimis, numen in ſe prouocant, & incendunt.
Sic enim perditiſſimi homines loquuntur, &
huiuſmodi verbis Diuinorum hominum ſtu-
dium, in illis a ſcelere deterrendis poſitum, ir-
rideut. Næ iſti haud ſciunt ſe ſurdis cantilenã
canere, qui tantam operam in eiſdem verbis
inculcandis temere, atque ſine vllo fructu, con-
ſumunt. Iam enim hæc fabula ſatis decantata
eſt; iam ſatis peruulgatæ iſtæ dirarum obnun-
tiationes, olim etiam fuerunt a maioribus no-
ſtris irriſæ. Verborum monſtris, atque porten-
tis, volunt nos homines amentiſſimi a vitæ cõ-
modis auocare, & ab omnibus naturæ blandi-
mentis abducere, vt eam vitæ aſperitatem,
quam ipſi, propter animi ſtultitiam, ſecuti
ſunt, nos etiam ſimili errore comprobemus; ne
opes, & voluptates, ſed neſcio quas virtutes,
& officia, conſectemur. Numquam igitur finẽ
faciunt plebis deterrendæ; dirum exitium de-
nuntiant; pœnas grauiſſimas nimis atrociter
minitantur; aſſiduis querimonijs, atque plo-
ratibus, noſtras aures obtundunt; breui, to-
tius Ieroſolymæ ruinam, & interitum, fore præ-
dicunt; nec aliud iſti noctes, & dies, faciunt,
quam inſtare hominibus, & vrgere plebem, &
principum in ſe offenſionem concitare; neque
tamen quidquam proficiunt. Nam nec homi-
nes illorum iurgijs ineptiſſimis commutantur;
nec illorum minæ exitum vllũ reperiunt. Quã
multis ſæculis hæc eadem ab eiſdem prædicun
tur; & tamen ciuitas in ſuo ſtatu manet, & nos
opibus ſummis affluimus, & illi, cum ſua ſapiẽ-
tia, in ſumma mendicitate verſantur? Sint igi-
tur diuini, quantum volent; numquam præmo-
nendi finem faciant, dum dies ille, quem horri-
bilem, & calamitoſum, fore prænuntiant, num-
quam aduentet, & nos interim, cum vitæ iucun
ditatibus, oblectemur. Si enim Deus tam no-
bis infenſus eſſet, quam illi prædicant; cur no-
bis vſuram vllam vitæ, florentiſq. fortunæ, cõ-
cederet? Cur non ſtatim in nos, vbi primum
delinquimus, fulmina ſua contorqueret? Quæ-
nam tanta illa vis eſt, quæ illum ab inferendo
exitio remoretur? Quis illum hoc extremum
ſupplicium, quod aiunt eſſe Reip. vniuerſæ cõ-
ſtitutum, differre, atque procraſtinare, compel
lit? Eiuſmodi ſermonibus impuriſſimis homi-
nes perditiſſimi Dei numen in ſe concitant. 23 23.
O amentiam deteſtandam hominum, qui, pro-
pter ſuplicij dilationem, exiſtimant, eſſe ſe
ſempiternam flagitiorum libertatem, atque li-
centiam, conſecutos; neque intelligunt, quanta
ſapientia Deus rerum omnium viciſſitudines
moderetur, & temporum omnium momenta
perpendat. Animum quæſo diligenter aduer-
tite, orationemq. meam attentiſſima cõſide-
ratione percipite. 24. Num agricola perpetuo 24 Aurib. percipite, & audite vocem meam.
terram arat, atque ſubigit? an potius tempo-
rum opportunitates exſpectat? Nonne eo ſo-
lum tempore terram vertit, quo tempore vi-
det id eſſe commodiſſimum? 25 Non tamen in 25
omnibus ſeminibus terræ committendis, ean-
dem diligentiam adhibebit. Quædam enim
mediocrem culturam requirunt; quædam ve-
ro non niſi magno labore, & induſtria, proue-
niunt. Viciam namque, & cyminum, & eiuſ-
modi minutas fruges, vbi ſolum vno aratro
perſtrinxerit, & deoccauerit, ſummamq. tel-
lurem complanauerit, continuo ſparget: At fru
mentum, & hordeum, & reliquæ fruges, maio-
re quodam labore, & induſtria, quæruntur.
Primum enim agri natura diligenter animad-
uertenda eſt. Nec enim omnia ſemina omni-
bus terris committenda ſunt. Deinde multo
diligentius eſt aranda tellus, & ſubigenda, at-
que ad ſemen concipiendum iterum, atque ter
tio, mollienda. Poſtremo, ſeminis etiam men-
ſura conſideranda, ne vel denſius, vel rarius,
quam agri modus, atque ratio, flagitat, ſpar-
gatur. 26 Nec enim agri colendi rationem te- 26 Erudiet illum in iudicio Deus ſuus.
meritas, atque fortuna, gubernat; ſed arte qua
dam, & diſciplina, continetur, qua nos Domi-
nus inſtruxit. Ipſe namque ſigna conſtituit, &
temporum opportunitates demonſtrauit, om-
nibuſq. rebus ad terræ cultum erudiuit. Quod
quidem magnum argumentum eſt, eum, qui
rebus omnibus ordinem præſcripſit, ordine
cuncta moderari. 27 At, cum, poſt meſſem le- 27
guminum, atque frugum, manipuli in aream
deportantur, & congeruntur, num in ſemi-
nibus excutiendis, eadem opera nauatur?
Num perpetuo in illis conterendis, opera agri-
colarum conſumitur? Non certe. Nec enim
vicia, aut cyminum, tribulam, atque traham
in orbem conuerſam, requirit, cum eiuſmodi
ſemina, baculo tantum decuſſa, facillime ab
arida caule ſecernantur. 28 At frumentum, vt 28
a culmo & ariſta, ſeiungatur, maiorem labo-
rem flagitat, multiſq. inſtrumentis ruſticis in-
diget, vt optime purgari, & in horreo recon-
di, poſſit. Sed quæro, num agricola perpetuo
in area fruges contereret? Minime quidem. Pe-
riculum

riculum enim eſt, ne, dum ſupra modũ paleam comminuit, etiam triticum ipſum, conterendo, conficiat. Nec ego quidẽ, inquit Dominus, cum iudicio meo ſcelerum pœnas perſequor, & falcem in vniuerſum populũ mitto, vt tamquam in area fruges comminuam, & ventilabro paleas, hoc eſt, improbos, & ſceleratos, a iuſtis ſecernam, vt improbos ſuppliciis excruciem, bonos vero præmiis afficiam, perpetuo in demoliendis improbis perſeuerabo; ſed iræ meæ modum ſtatuam, ne, ſi calamitas vltra modum progreſſa fuerit, dum pœnas ab improbis exigo, etiam probos, ad quorum gloriam omnia opera mea conferuntur, in eandem calamitatem traham.
29 Hac autem elegantiſsima ſimilitudine, ſumpta ab agriculturæ ratione, atque diſciplina, ponit Deus ante oculos ſapientiæ ſuæ moderationem, qua iudicium ſuum ad opportuna tempora reſeruat, &, ſecundum ſementis factæ rationem, meſsis etiam rationem moderatur. Tunc enim ſementem facit, cum legem ſuam ſancit, cum ſemen ſpiritus ſui mandat animis, cum cæleſti diſciplina humanas mentes, quaſi rore quodam, lætificat. Sed, quemadmodum nullus agricola, niſi ſine mente ſit, ſemen in agrum, vepribus, aut arbuſtis, veſtitum, iacit; ita neque Deus animos æternæ legis ſemine conſeret, qui ſecundis rebus luxuriant, & opibus efferuntur, & flagitiorum ſoboles effundunt. Animus enim, rebus proſperis inflatus, & temere, & inſolenter, exſultans, legis diſciplinam aſpernatur, atque repudiat.

Antequam igitur Dominus ſementem diſciplinæ ſuæ faciat, legemq. ſuam in animis humanis conſerat, eos primum multis laboribus exercet, atque quaſi aratro proſcindit, vt flagitia radicitus extrahat, & opiniones pernicioſas euellat, & a confidentia rerum humanarum penitus abducat. Aliter enim numquam modeſtia, in qua vna conſiſtit omnium Rerum publicarum firmamentum, retineri potuiſset. Attamen, quemadmodum non eadem cultura leguminibus, quæ frugibus, maxime autem tritico ſeminando a colonis adhibetur; ita nec tantã olim operam Dominus in multis Rebusp. quantam in vna conſeruanda, & excolẽda, conſumpſit. Nam penes illam fuerunt fidei ſemina conſeruata, quæ maturo tempore erãt in reliquas nationes diſtribuenda. Sic etiam ſingulis hominibus non idem fuit cultus adhibitus. In eis enim, quos maioribus muneribus augeri voluit, ſulcum, vt ita dicam, altius impreſsit, eorumq. vitam voluit eſſe pluribus a principio incommodis exercitam, vt, tamquam nouale diligentius aratum, & oblimatum, lætiores, & vberiores, fruges efferret. Omnia igitur ad iuſtitiæ fructum retulit; & illius gratia commodũ temporis exſpectauit, & ordine cuncta, quæ ad ſationem pertinebant, moderatus eſt. Sic etiam in iudicio, quod quidem eſt, quaſi meſsis quædam, exiſtimandum, in gentes tandem impias falcem mittit; &, vt ad rationem diſciplinæ reuocet, omnibus plerumque opibus, quibus efferebantur, euertit. Sed nullam gentem modo tanta ſeueritate ſuccidit, aut æque dira plaga contudit, atque Hebræorum nationem. Ex ea namque non legumina, vel ad obſonium, vel ad ciborum condimenta, colligenda fuerant; ſed optimæ fruges ad vitam alendam, atq. ſuſtentandam, percipiendæ. Et illæ quidem, quæ non tanta diligentia cultæ fuerunt, nõ tantum in ſe ſcelus admiſerunt, quantum illa, in cuius cultura nihil fuit a Deo prætermiſſum. Et illæ poſtremo mediocri plaga percuſſæ, ad officij mediocritatem facile reuocantur. At, qui a ſublimi iuſtitiæ gradu deciderunt, non niſi grauiſſimis inuſti doloribus ad priſtinum ſtatum reuertuntur. Vnde colligi poterat, Ieroſolymæ exitium futurum fuiſſe omnium miſerrimum, atque funeſtiſsimum; non tamen pij in communi calamitate vllum ſalutis, & gloriæ, detrimentum facient. Immo ſupplicium, quod impuros homines torquebit, probos Diuinis opibus, & ornamentis, augebit, eorumq. gloriam vehemẽter illuſtrabit. Vt enim in area paleæ comminuuntur, & ariſtæ diſsipantur, vt frumentum vaginis incluſum emineat; ſic in communium rerum euerſione iniuſti conterentur; at iuſti inuiolati permanebunt, & a ſceleſtorum hominũ contagione ſecreti, atque liberi, Diuinis ornamentis illuſtrabuntur. Eadem enim calamitas, quæ nocentes obruet, innocentibus gloriæ amplam materiam ſuppeditabit. Sed, quemadmodum agricola modum triturando conſtituit, ne cum palea triticum tandem conterat; ſic Dominus ſuorum gratia manum ſuam tandem a communi ſupplicio continebit, ne calamitatis magnitudo modum patientiæ, quæ eminet in bonis, excedat; eoſq. tandem aliqua ratione labefactet. Nec enim patietur Dominus, qui tanta fide colit amicitiam, vt amicorum gratia omnia moderetur, illos in extremum diſcrimen induci. Si quæris igitur, o homo impudẽs, atque ſcelerate, cur Dominus ſe tam acrem, atque vehementem, in ſceleribus vlciſcendis præbeat; intellige optimum illum agricolam, qui frugibus optimis delectatur, eſſe ſtirpibus, quæ frugibus officiunt, vehementer inimicum. Cur igitur, inquis, nõ ſtatim in commiſſum ſcelus animaduertit, ſed impunitate furorem alit permittit? Quia maturum tẽpus exſpectat, vt interim virtus adoleſcat, &, a malis oppugnata, clarius ſplendeat; &, qui morbos ſanabiles habent, ſanitatem recuperent; & improbitas, quæ certamen vſq. ad extremum cum Dei benignitate ſuſcipit, omnibus tandẽ modis conuicta, & redarguta, meritas pœnas exſoluat. Cur, inquis, ciuitatem, in qua iuſti etiam interdum commorantur, expurgari, & exſcindi, patitur? Quia eorum Diuina conſtantia hoſtium telis minime ſuccumbit; ſed tunc multo clarius eniteſcit, cum omnes opes humanæ cõfringuntur. Cur igitur, ſi tantum commodum

ex communibus iſtis ſupplicijs exoritur, non
perpetuo ſupplicia irrogat? Quia modum cala
mitati præfiniendum ſtatuit, ne boni tandem
fracti, atque debilitati, langueſcant; &, quia ne-
ceſsitate ſupplicijs ad improbitatem reſecan-
dam, quaſi ſcalpellis, vtitur; & ideo, poſtquam
tantum ſupplicium imponit, quantum ſat ſit
ad hominum elationẽ deprimendam, continuo
partes illas manſuetudinis, & lenitatis, quæ ma
gis illius propriæ ſunt, libenter, & ſtudioſe, ſi-
Et hoc a domino Deo exercituũ exiuit.
bi ſuſcipiendas exiſtimat. Hanc etiam, inquit
Iſaias, a Domino, cui cæleſtes exercitus parẽt,
diſciplinam hauſi, qui temporũ vices, & oppor
tunitates, expendit; qui non temere, & tur-
bide, ſed ordine, ratione, & conſilio, res
humanas adminiſtrat, æternaq. lege omnia mo
deratur.

CAP. XXIX.

1 Væh tibi, arci munitiſsimæ; væh, inquam,
tibi, arci munitiſſimæ, & vrbi, quã Dauid Rex
valido præſidio cinxit; ſummiſq. opibus vndi-
que ſæpſit, quam breui concides! vos interim,
o miſeri ciues, inani quadam religionis, quam
polluiſtis, fiducia, & tẽpli, quod contaminaſtis,
vicinitate, freti, incolumitatem vobis proponi-
te; faſtos recenſete; anniuerſaria ſacra quotan
nis inſtaurate; &, quantum voletis, operam in
2 Et circũuallabo Ariel.
victimis, ſollemni ritu mactandis, ponite: 2 fru
ſtra mentes veſtras in religionis ſtudium con-
feretis. Iſta namque religio, iſta ſacra ſollem-
nia, iſta ſacrificia, funditus interibunt. Ego nã-
que, ait Dominus, arcem iſtam munitiſsimam,
præſidio quondam meo defenſam, obſidione
premam; in easq. anguſtias cogam, vt in illa a-
cerbiſsimi fletus, atque mæroris, exemplum
inſigne, ad poſteritatis memoriam, relinqua-
tur; ita, vt, qui funeſtiſsimam aliquam cladem
exaggerare voluerit, eam, cum ciuitatis huius
munitiſsimæ interitu, & calamitate, conferat.
Copiis meis illam circumſeſſam, & vallo, foſ-
ſaque, ſæptam, tenebo; vineas, & aggeres, exci
tabo; omnibusq. illam machinis oppugnabo.
Hoſtes, a quibus tandem expugnanda es, meo
numine commoti, & impulſi, meo præſidio fir-
mati, te circumuallabunt, omnibusq. difficul-
4 Humiliaberis, & de terra loqueris.]
tatibus implicatam tenebunt. 4 Tunc iſta tuæ
mentis elatio compreſſa ſilebit; tunc ſtudium
iſtud, & arrogantia minime ferenda, ſedabi-
tur. Humilis enim, & abiecta, iacebis; in pulue
req. prouoluta, vix hiſcere audebis; &, quaſi
quos infeſti dæmonis ſpiritus incitat, e latibu-
lis emerſa, ſummiſſe loqueris, & ex locis infi-
mis, atque ſub terram abditis, auium garritus
5 Et erit ſicut puluis tenuis.
imitabere. 5 Hoſtium enim tuorum numerus
erit cum tenuiſsimo puluere comparandus; &
Principes, quorum opibus, & potentia vexan-
da, & diripienda es, cum ariſtis ex area diſpul-
ſis, & in faciem incurrentibus, multitudine
conferendi: qui quidem te improuiſo adorien
6. tur. 6 Nec tamen eorum opibus oppugnata cõ
cides, nec viribus illorum victa ſuccumbes; ſed
ab ipſo cælitum imperatore, qui de te meritas
pœnas expetet, excideris, & inflammaberis.

Ipſe namque contra te copias ſuas educet;
ipſe, inquam, Dominus te crebro tonitru,
& terræmotu, horrendoque fremitu, perter-
refaciet; ipſe te ſæuo turbine, & procella,
peruertet; ipſe te flammarum incendio popu-
labitur, atque conſumet. 7. 8 Hoſtes tui impe
7 8 Et erit ſic t ſomnium viſionis.
tu repentino te vexabunt, & inexplebili cupi-
ditate bona tua prædabuntur; nec illorum a-
uaritia opibus tuis; nec illorum immanitas
ſanguine tuo, ſatiari poterit. Similiter enim,
atq. is, qui fame premitur, & in ſomnis ſibi cõ-
uiuium eſſe dapibus omnibus ornatum, & in-
ſtructum, videt, cum autem expergeſit, maio-
re quadam fame torquetur; item, vt is, qui ſi-
tit, cui ſecundum quietem pocula ſibi miniſtra
ri videntur, vbi de ſomno excitatur, ardentio-
re ſiti cruciatur; ita, qui vitam tuam petierint,
qui te circũuallauerint, & contra te munitio-
nes excitauerint, numquam vllis exſuuijs po-
terunt cupiditatem ſuã explere. Quãuis enim
in aliqua præda, quaſi in ſomnio, furenter ex-
ſultent, vbi primum lætitia illa geſtiens efflu-
xerit, atque ſe collegerint, &, quaſi de ſomno ſu
ſcitati, ad priſtinos mores redierint, continuo
multo maiora concipiſcent, ardentioreq. tua-
rũ fortunarum ſiti cruciabuntur. Nullis igitur
opib. poteris illorum auaritiæ ſatis facere; nul-
lis ſupplicijs eorum odium a corpore tuo im-
puro reprimere. Tanta crudelitatis immanita-
te multitudo hoſtium innumerabilis Sionis
montem oppugnabit: tãta animorum acerbita
te in ciues nefarios peſtem machinabitur. 9 Et
9 Obſtupeſcite, & admiramini.
vos interim legis diſciplinam negligite; cæle-
ſtem lucem fugite; opem Diuinam repellite;
vt, immerſi omnibus errorum tenebris, extre-
ma ſupplicia ſubeatis. Ideo namque tanta vis
cladis vos opprimet, quia eritis ſplendore ſo-
lis, quem a vobis ipſi repuliſtis, orbati, & hor-
renda quadam caligine, in quam ipſos immiſi-
ſtis, circumfuſi. Studium enim diſciplinæ cæ-
leſtis abieciſtis; legis inſtituta cõtempſiſtis; pro
phetarum monita deriſiſtis; atque pr̨ immen-
ſa libidine cunctam Diuinæ mentis moderatio
nem pro nihilo reputaſtis; & iccirco Dominus
opem ſuam a vobis eripuit; mentibuſq. veſtris
longinquo ſuæ lucis abſceſſu denſas tenebras
offudit. Animis igitur veſtris mentem eripite,
& dira vos amentia vexabit. Senſus veſtros ſtu
pore defigite, & ſtupidi permanebitis. Oculis
veſtris tenebras obducite, & adſpectu priuabi-
mini; & abſque vini ſumptione ebrij nutabitis,
& abſque vlla potus iucunditate vacillabitis.
10 Quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis.
10 Dominus enim vos oppreſſit amentia, ſpi-
ritu furoris exagitauit; animis veſtris poculũ
ſoporis grauiſſimum porrexit; luminibuſq. ve-
ſtris altius obſtruxit; ita, vt ne Prophetæ qui-
dem, & principes, mentem, & ſenſum legis,
atque prophetarum, vllo modo percipiant.
Merito namque a ſapientia deſeruntur, qui
ſunt acerbo quodam odio ſapientiam perſecu-
ti. Stimulis igitur exagitati, nuſquam con-
ſiſtent; ſed eadem amentia præcipites vagabun
tur;

tur;nec vllum fructum capient ex ſanctiſsimis
litteris, quarum diſciplinis gloriantur. 11 Erit
enim omnis ſcriptura, qua myſterium ſalutis
humanæ Diuina benignitate conſtitutæ conti-
netur, obſignato libro ſimilis: quem ſi homini
docto, atque litterato, legendum tradideris,
negabit ſe poſſe legere; propterea quod obſi-
12 gnatus ſit. 12 Si vero homini rudi, & idiotæ, tra
dideris, a libri lectione ſeſe, ignorationis excu
ſatione, defendet. Omnes igitur in ſummo er
rore verſabuntur. Nec enim liber ab alio reſi-
gnari, & aperiri, poteſt, quam ab illo iuſtitiæ
Doctore, in quem ipſi ſe ſceleſtiſsimos præbe-
bunt. Non enim quiſquam poterit vel legis, vel
Prophetarum, ſenſum comprehendere, niſi is,
cuius mentem cæleſtis doctor ſplendore ſuæ lu
cis illuſtrauerit; nec imperita multitudo ex li-
bro fructum vllum percipiet; cum non modo
ſententiã, ſed etiam ſcriptum, penitus ignoret.
Cum igitur cæcitas, atque dementia, malorum
omnium cauſſam afferat; efficitur, vt vniuer-
ſa hæc hominum impiorum multitudo, ſit om
nibus ſimul ruinis grauiter opprimenda; quan
doquidem vniuerſa eadem cæcitate laborat.
13 13 Sed, cur tandem, quæſo, miſeri homines ab
ope Diuina deſeruntur? Cur illis liber, qui ſa-
lutis, & immortalitatis, viam monſtrat, occlu-
ditur? Cur, cum myſteria Diuina reliquis gen-
tibus enuntiata fuerint, hæc vna gens ab illorũ
fructu dimouebitur? Num legis ſtudium abii-
ciet? Num parum in Prophetis euoluendis eui-
gilabit? Num Diuinorum hominum ſcripta cõ
temnet? Minime quidem. Sed, quia, ficta, atque
fallaci, mente, ſeſe ad legis ſtudium applicat; &
ſanctitatem ementitur; &, ſimulatione purita-
tis, flagitia infinita concipit; &, dum legis vm-
bras perſequitur, ipſius legis mentem deſerit;
nec expreſſam, & ſolidam, pietatis effigiẽ, ſed
inaniſsimam imaginem pietatis, amplexatur;
omneſq. animi conatus, nõ quidem ad religio-
nem, ſed ad religionis oſtentationẽ, comparat.
Sic enim Dominus ait: Quãdo populus hic me
in ore tantum habet, ſermoneq. dumtaxat mi-
hi honorem tribuit, animus autem illius eſt a
me longe diuulſus; quando inſtituta mea con-
temnit, imperiumq. recuſat; nec præceptis,
quibus ſanxi puritatem, & innocentiam, & ca-
ritatem, cæleſtiumq. rerum cupiditatem, ob-
temperat; ſed omnem induſtriam ſuam in ſimu
lata ſanctitatis ſpecie cõſumit, neglectaq. mea
iuſtitia, iuſtitiam ſuam, quæ in figuris, & ima-
ginibus ad animum minime permanantibus,
& in falſa virtutis opinione, tota conſiſtit, vni-
ce colendam ſuſcipit; & in omni denique vitæ
ratione maxima deſpicit, & minima ſuperſti-
tione veneratur; humanaſq. inſtitutiones meis
14 placitis anteponit. 14 Quando igitur gens hęc
nefaria, quæ iuris ſanctitatem indigniſsimis fla
gitiis polluit, tanta flagrat amentia, vt me ſu-
perſtitionibus ſuis ſibi deuinctum arbitretur,
rem inſignem, quæ multis admirationem in-
gentem commoueat, tandem efficiam. Nam,

11 Et erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati.

Eo quod appropinquat populus hic ore ſuo.

Peribit enim ſapientia a ſapiẽtibus eius.

cum totam ætatem in ſapientiæ ſtudio contri-
uerit, ſapientiam minime conſequetur; &, cum
ſe totam diſciplinæ dederit, nullum ex diſcipli
na fructum capiet; ita, vt ij, qui maxime ſapien
tiam oſtentant, omnibus ſapiẽtiæ, & intelligen-
tiæ, muneribus, & ornamentis, ſpolientur; &
quo magis in ſtudio elaborauerint, eo magis in
errores peſtiferos effrenata, & præcipiti, men-
te rapiantur. 15 O dementiſsimam perditorũ
hominum temeritatem, qui putant, incluſas li
bidines, quas fronte, & ſupercilio, contegunt,
ab ipſo Domino, qui omnia contuetur, mini-
me videri, conſiliaq. nefaria, quæ machinãtur,
animaduerſionem Diuinæ mentis effugere. In
tenebris enim facinora moliuntur; &, dum o-
culos hominum vitent, nihil de teſtimonio Di-
uino laborant. Dicunt enim: Quis videt nos?
Et quis tandem poterit, quæ animis agitamus,
explorare, arcanaq. noſtræ mentis inſpicere?
16 O incredibilem amentiam, & deplorandam 16
gentis miſerrimæ cæcitatem. Tantus ne mẽtes
veſtras furor exagitat, vt exiſtimetis poſſe vos
Diuinam ſapiẽtiam artificio fallere? Num iſta
ſtultiſsima calliditate ſanctiſsimum illius iudi
cium illudetis? Nec interim conſiderabitis, mi
nime fieri poſſe, vt eum, qui animos finxit, ipſo-
rum animorum peruerſitas, atque malitia, la-
teat, vt quiſquam illius adſpectum fugiat, qui,
per omnem naturam cõmeans, omnia, quę den
ſiſsimis etiam tenebris occuluntur, perſcruta-
tur, & inſpicit? Hæc enim veſtra peruerſitas
perinde eſt, atq. ſi luteum opus ſe a figulo factũ
negaret; ipſumq. opificem, a quo fictum fuit, fin
gendi artificio carere diceret. Sic homines iſti
Deo ſapientiam detrahunt, & in Cõditore ſuo
intelligentiam requirunt, & de iudiciis illius
temere, & confidenter, ſtatuunt. 17 An non æ- 17
quum eſt, inquit Dominus, vt de tanta hominũ
perditorum impudentia, intra breue tẽpus de-
bitum ſupplicium ſumam, eoq. nefariam hanc
nationem redigam, vt inuidia cõtabeſcat? Bre
ui namque perficiam, vt ſaltus Libani, inſtar
Carmeli, fructiferis plantis conſeratur; contra
vero, Carmelus ſilueſcat, inutileſq. plantas ef-
fundat. Iſraelis namque cultum, & amœnita-
tem, qua quondam egregie nitebat, ad gentes
transferam; & in earum animis vineas, & hor-
tos, inſtituam, in quibus denſæ ſiluæ fuerunt, im
maniumq. ferarum latibula; contra vero, Iſrae
lis amœnitas ab omni cultu deſeretur, & ſic
tãdem in ſiluam denſam, & aſperam, ſe induet,
vt ſit deinceps frequentibus belluarum luſtris
horrida, & infeſta. 18 Tunc igitur ſurdi, qui ver
bum Domini auribus percipere non poterant,
verba libri ſignati, quæ ſunt gentibus ad Deum
conuerſis explananda, libenter auſcultabunt;
& cæci, e caligine, atque tenebris, emerſi, lucẽ
Diuinam clare videbunt. 19 Mites autem, atq. 19
manſueti, qui ſibi nihil aſſumũt, ſed omnia ma-
gnitudini Diuinæ gratiæ, atque benignitati,
attribuunt, erunt ſummo quodam gaudio cu-
mulati; & homines pauperes imbecillitatem, &
ino-

15 Veh qui profundi eſtis.

Quaſi lutũ contra figulũ cogitet.

Conuertetur Libanus in Carmelum.

18 Et audient in die illa ſurdi.

Google

inopiam,ſuã agnoſcentes in muneribus, quæ a
Deo vero, cuius præſidio Iſrael innititur, con
20 Quoniã deficit,qui præerat ſecuti ſunt,incredibiliter exſultabunt. 20Nam,
qui tyrannicis inſtitutis,& moribus,patriam la
cerabant, exſtinguentur;illeq. ſummus tyran-
nus, qui tributa intolerabilia a ſubditis exige-
bat,exterminabitur. Qui ludos faciebãt,& ver
ba Dei irridebant, funditus interibunt; ſimili-
ter, & qui in concipienda frande multum vigi-
21 labant, penitus exſcindentur. 21 Nec enim ſa-
tis erat illis, ſcelus conflare, niſi verbis etiam
ſuis homines in idem ſcelus impellerent.Porro
autem eis, qui eos publice coarguebant, adeo
erant infeſti, vt omnes illis inſidias tenderent,
hominemq. iuſtum iniquo iudicio circumueni
22 rent. 22 Quocirca Deus,qui Abraham præſen-
ti auxilio ab interitu redemit,ſanctorum homi
nũ nationẽ,qui minime a Iacobi fide, atq. pro-
bitate,degenerant, ſanctiſsimiq. parentis ſtu-
dia, & virtutes, imitantur, his verbis alloqui-
Non modo confundetur Iacob. tur:Non erit eis,qui,Iſraelis ſanguine propaga
ti,in fide illius permanſerint, vllũ ex tribulium
ſuorum exitio dedecus inuſtum;nullam,ex ſuæ
gentis ſtrage,& interitu,ignominiã accipient.
23 23 Eam namque iacturam cum ſummo lu-
cro reſarciam. In omnibus enim terrarum re-
giouibus, in quibus veſtigium impreſſerint,
videbunt innumerabilem filiorum multitudi-
nem; non ſecundum ſanguinis rationem, ſed
ſecundum fidei propagationem, in lucem ſu-
ſcipi;qui quidem erunt,non humano, ſed Diui-
no, ſatu generati; & ideo non tam hominum,
quam Dei, filij nominandi. Hos enim ego meis
manibus informabo, & in ſtirpe Iſraelis inſerã;
& perficiam denique, vt vberrimos ex ſe fru-
ctus efferant,& ſint opibus,& gloria, florentiſ-
ſimi.Hi igitur, qui erunt Iſraelis doctrina geni
ti, eaq. de cauſſa ſingulari ratione ius illius ſan
ctiſsimæ cognationis aſſecuti,nomẽ meum lau
de perpetua celebrabuut; omniaq. vitæ præſi-
dia in Deo,in quem vnum Iacob reſpexit, con-
ſtanti fide collocabunt; iu illudq. firmiſsimum
Iſraelis præſidium, ſingulari animorum firmi-
24 Et ſciẽt errãtes ſpiritu intelligentiæ. tate,ſemper intuebuntur. 24 Tunc igitur, qui
erant erroribus turbulentis impliciti, viam ſa-
lutis,& gloriæ,tenebunt; &,qui,ſalſis opinioni-
bns inflati, officij legem irridebant, morumq.
ſanctitatem ſpernebant, ſalutarem doctrinam
percipient.

CAP. XXX.

1 Væh filij deſertores. 1 Hæc quidem beneficia conferentur illis,
qui non perpetuo in Deum rebelles, & contu-
maces,exſtiterint. Væh autem illis,qui,per ſum
mam ſceleris improbitatem, inquit Dominus,
a ſanctiſsimo parente deficiunt;&,dum ſuis co
gitatinnibus obſequnntur,opem meam contu-
maciter, & obſtinate,repudiant.Tantum enim
abeſt, vt,peccatorum deteſtatione, atque debi
ta fide,Deum placare ſtudeant,vt tum vel ma-
xime,cum ſunt iu extremo periculo conſtituti,
peccata vetera recentibus peccatis accumu-
2 lẽt.2 Nec enim in numine meo firma vitæ præ-
ſidia collocanda putant; & iccirco alia ſibi mi-
ſeriarum perfugia comparant. Itaque plenum
ſceleris conſilium inierunt, vt neq. me conſu-
lerent, neq. ſpiritus mei auxilium flagitarent;
ſed,iniuſſu meo, aliunde auxilia conquirerent.
In Aegyptum enim profecti ſunt,vt ſtatũ ſuum
Pharaonis opibus firmarent; ſeq. Aegyptio-
rum præſidio munirent. 3 At tandem illud Pha 3 Erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem.
raonis præſidium, quo nituntur, atque confi-
dunt, illud Ieroſolymæ robur, atque firma-
mentum, in Aegyptiorum fœdere, & ſocieta-
te, conſtitutum,ſummum dedecus hominibus
perfidis, qui humanis viribus innituntur, im-
primet; illosq. inſigni turpitudinis ignominia
deformabit. Apparebit enim tunc, quam ina-
nis fuerit illorum ſpes, quautus furor, atque
dementia, miſeros obcæcauerit, cum perſpe-
ctum fuerit, Aegyptios illis opitulari non poſ-
ſe. 4 At, quanto ſtudio facinus hoc fuit ab illis, 4
per ſummum ſcelus, atque perfidiam, confla-
tum? Viri Principes, qui poſsint Reip. perſo-
nam facile ſuſtinere, legantur; ij, celeritate
incredibili, ad Pharaonem perueniunt; cre-
briſq.nũtiis oras extremas Aegypti ſollicitãt;
operamq. dant,vt vndique, quanta poſsint,au
xilia comparent. 5 Sed,quem tandem fructum 5 Omnes confuſi ſũt ſuper populũ, qui eis prodeſſe non potuit
ex tanta cura,labore,ſtudio, ſollicitudiue,per-
cipient? Non aliud profecto,quã erroris igno-
miniam,quam dedecoris infamiam,quam inſi-
gnem ſtultitiæ vitnperationem.In ea enim gen
te ſpem rerum ſuarũ reponent,cuius ope ſuble
uari, & ab imminenti clade liberari,non pote-
runt; neq. aliud ab illa ſocietate reportabunt,
quam ignominiæ maculã ſempiternam, & de-
decoris penitus impreſsi turpitudinem.6 At e- 6 Onus iumentorum
tiam egerunt iumenta auſtralem plagam ver-
ſus,per terram horridam,& incultam, a leoni-
bus,& baſiliſcis, & anguibus, volucribus, mul-
tiſq. aliis truculentis belluis,obſeſſam,opibus,
atq. muneribus onuſta;vt populum inutilẽ,qui
illis opem afferre non poteſt,muneribus ampliſ
ſimis delenitum,ad ſuam ſocietatem aggrega-
rent.7At Aegyptus fruſtra exercitum inſtruet, 7
& inaniter copias cõparabit, vt illis ſuppetias
afferat.Nec enim poterit ab illis hoſtium impe
tum reprimere, impendentemq. calamitatem
depellere. Iccirco ciuitatẽ hanc ſum maximis
vocibus obteſtatus, ne ſe commoueret; ne vel
aliunde,quam a vitæ conuerſione, a fidei con-
ſtantia,& iuſtitiæ tranquillitate,opẽ,& auxiliũ,
poſtularet. Non enim, qui trepidant metu, &,
ancipiti formidine diſtracti, in varias partes
diſcurrunt;ſed, qui, ſingulari virtute, animiq.
firmitate, præditi, in ſpe Diuinæ benignitatis
acquieſcunt,rebus ſuis optime conſuluut. Nec
enim eſt ſalutis firmamentum in animi motu,
ſed in quiete, conſtitutum. 8 Tu igitur, inquit, 8 Nunc ergo ingreſſus ſcribe.
me autem appellabat,vade,& hæc litteris man
da,monumentiſque, ad ſempiternã æui conſe-
quentis memoriam,cõſigna;vt teſtatum poſte-
ritati relinquatur, quam ſæpe populum hunc
de officio ſuo commonui; &, in quo ſalutis ſuæ
ratio tota conſiſteret, aperte demõſtraui:& ne

præceps in peſtem rueret, obteſtatus ſum. Non
enim opem hominum implorando, ſed a Deo
veniam poſtulando; nec muneribus Reges alli-
ciendo, ſed animorum conuerſione Regem cæ-
li flectendo, ruentem ciuitatis ſtatum fulciri,
atque confirmari. Omnem igitur Reip. ſecuri-
tatẽ eſſe in ſanctiſsimæ legis obſeruatione col-
locandam. Quam certiſsimam ſalutis viam illi
deſerentes, in muliplices vias, eaſdemq. multis
periculis obſeſſas, & erroribus infinitis impli-
catas, ingrediuntur; vt ab hominibus auxilium
vaniſsimum, quod eſt illis dimidio maiorem
cladem, cum duplicata macula dedecoris, alla-
turum, conſequantur. 9 Populus enim rebellis
9 Populus enim ad iracundiã prouocatus eſt.
eſt, natio perfidiæ ſcelere contaminata, in ſum
mum Dominũ, optimumq. parentẽ contumax,
& ingrata, legẽ illius aſpernatur, atque reſpuit;
imperiumq. ſcelerate repudiat. Hi ſunt, qui
conſulto lucem fugiunt, & tenebras perſequun
tur; qui veritatem oderunt, & mendacia omni-
bus modis amplexantur; qui ſtabiles opes, atq.
ſempiternas, abiiciunt, & caducis, & inanibus,
10 coaceruandis, incumbunt; 10 qui leges etiã vi-
ris Diuinis, qui munus populi mouendi, & inſti
tuendi, ſuſceperũt, præſcribere audẽt, ne quid-
quam aſſerant, quod eorum delicatiſsimas au-
res offendat; ſed eis potius fallaciſsimo genere
Qui dicũt videntibus, nolite videre.
orationis adulentur. Interdicũt enim Prophe-
tis, ne videant; prohibent viros mente Diuina
præditos, ne diuinent. Nolitote, inquiunt, no-
bis recta, vera, ſimplicia, cõtueri; ſed inania, fal
ſa, atque fallentia, meditari. Illis namque acer-
bum in vos odium concitabitis; his autem, gra
tiam ab vniuerſis inibitis. Eſt enim veritas a-
cerba, & inuiſa; adulatio vero dulcis, atq. iucun
da. Cauete igitur, ne, quod rectiſsimum eſſe
perſpicitis; ſed, quod nobis iucundum fore cer-
nitis, enuntietis; in eoq. animi neruos intendi
te, ne veritatis aſperitate populum irritetis;
ſed, erroris egregie confiсti dulcedine, vos in
11 multitudinis ſenſus inſinuetis. 11 Iſtam iuſtitiæ
viam aſperam, & incultam, ab antiquis inſcitia
tritam, a prudentibus iampridem neglectam,
deſerite; a ſanctitatis triſti, & horrida, ſemita
declinate; mentionem ſanctiſsimi numinis, cu-
ius præſidio dicitis Iſraelis ſalutem contineri,
prorſus omittite. Iam huius orationis peruul-
gatæ faſtidium ferre non poſſumus. Hæc enim
res ſecundas, & ad voluntatẽ fluentes, mæſtitia
intempeſtiua contaminat; in aduerſis autem ſa
lutis conſilia impedit, & ab induſtria ad deſidiã
auocat. Non enim, quod viribus firmare conue
nit, eſt religione muniendum; nec fuſis ad Deũ
precibus, ſed auxiliis vndique accerſitis, eſt ho
ſtium multitudini reſiſtendum. In rebus enim
deſperatis, omniumq. mortalium præſidio de-
relictis, extrema comes ſolet eſſe religio; non
quidem, vt ea tibi ſalutem parias, ſed, vt, cum
maiore quodam ſenſu doloris, occumbas. Nos
itaque Prophetis iſtis, qui totos dies vatici-
nantur, & inſaniunt, aures profecto non dabi-
mus; ſed ab Aegypto, & vltimis terris, auxi-
lia accerſemus. 12 Iccirco dicit Dominus, ille,
qui tã multis in locis Iſraelem ab hoſtibus po-
12 Propterea hæc dicit Dominus ſanctus Iſrael.
tentiſsimis cuſtodiuit, ſingulariq. præſidio te-
xit: Quando verbis iſtis opem meam abiecistis,
auxiliumq. meum a vobis iſta perfidia repuli-
ſtis, omnemq. veſtram ſpem in ſociorum ca-
lumnia, qui plerumque in mittendis auxiliis,
non de ſociorum ſalute, ſed de ſua dominatio-
ne, cogitant, nefarie collocaſtis, totumque ſa-
lutis ſtudium in auerſionem iſtam ſceleratam,
& impiam, contuliſtis, illiuſq. fiducia ſubnixi,
ſtatum ciuitatis incolumẽ fore cõfiditis, 13 ſce 13
lus iſtud, quod fuiſtis machinati, vos ſubita rui
na conficiet. Vt enim altior quidam murus, cũ
paullatim vetuſtate diſſoluitur, inſigneſq. ri-
mas agit, atque ſenſim labitur, improuiſo tã-
dem, atq. repente, corruit; ſic ſtatus hic veſter,
quem labentem, atque præcipitantem, opibus
humanis reficere, animaduerſaſq. ruinas ina-
niſsimis fulturis explere contenditis, ſubito
cõcidet, omneſq. veſtras opes repente comui
nuet. 14 Et, quemadmodum vas fictile, cum ad 14
rupem alliditur, ita conteritur, vt nemo velit
illud e terra tollere, cum nullum illius fragmẽ
tum, vel ad prunas deferendas, vel ad aquam
hauriendam, idoneũ relinquatur; ita vos, cum
inopinato fueritis, ruina totius ciuitatis, op-
preſsi, ſic eritis euerſi, & afflicti, vt nihil in vo-
bis integrum, vel ad aliquod, quantumuis vile,
& abiectũ, munus obeundum inueniatur, vt ea
gratiã ſitis aliqua ex parte ſubleuãdi. 15 Sic e- 15
nim ſummus ille Dominus, in cuius ope conſi-
ſtit Iſraelis robur, atque firmamentũ, populum
Quia hoc dicit Dominus Deus Iſrael.
iſtum fuit ad fidei conſtantiam, atque firmita-
tẽ, adhortatus. Ne vos ipſos præſidiis humanis,
ſed Diuinis, contra hoſtium impetũ muniatis.
Diuina vero præſidia nõ in vltimas terras ex-
currendo, ſed domi quieſcendo, parantur. Hac
igitur fide animorũ motus cõprimite; hac pſe-
nixi, hoſtium minas contẽnite. Hac enim animi
conſtantia, & iucunda trãquillitate, omnes ve-
ſtræ munitiones, & propugnacula, continẽtur.
In animi requiete, quæ vitæ conuerſione, & cle
mentiæ Diuinæ fiducia, comparatur, ſalutis ve
ſtræ munitiſsimum præſidium conſiſtit. Hæc
per internuntios meos illorum auribus incul-
cabam; & tamen audire noluerunt. 16 Minime 16
inquiũt; immo nobis equos parabimus, vt nos,
ſi opus ita fuerit, a cæde fugiẽdo proripiamus.
Recte: non enim hoſtium impetum ſuſtinebi-
tis; ſed vos præcipites fugę mãdabitis. At equis
velociſsimis inſidebimus; vt, illorũ celeritate,
nobis ſalutem pariamus. Vt lubet; attamẽ mul-
to velociores erunt, qui vos infeſtis telis inſe-
cuti fuerint. 17 Tanta enim erit in vobis trepi-
17 Mille homines a facie hominis vnius.
datio, tantuſq. metus animis veſtris iniectus,
vt mille ciues vnius tantum hoſtis minis exter-
riti fugiant; & ingens numerus, vbi primum in
ſummam hoſtium paucitatẽ inciderint, terga
confeſtim vertant; & turpiſsimis, in fuga, vulne
ribus concidantur, donec ita pauci relinquan-
tur, vt ſint quaſi malus e naufragio collectus, &
ad

ad monumentum calamitatis in promontorij
cacumine ſtatutus;& tamquam militare ſignũ
in colle defixum; quod ſolum eminet , vt vndi-
que ad illud commeare poſſint, qui fuſi,diſper
ſique , vagantur. Ex illis enim,qui e tanta cla-
de reliqui fuerint, pauci quidem numero , ſed
altitudine mentis,atque ſplendore virtutis,in-
ſignes, vel ad memoriam iudicij Diuini propa
gandam, vel ad religionem inſtaurandam,mul
18 totq. mortales omnibus pietatis muneribus in-
ſtruendos , in vita relinquentur . 18 Nec enim
Dominus miſericordiæ inſitum ſtudium inter-
mittit; nec ſic in improbos animaduertit , vt
non, vel in ipſo iudicio, multas lenitatis,atque
clementiæ,partes ſuſcipiat. Ea benignitas im-
pulit illum, vt ſupplicium nocentibus, atq. ſce
leratis , hominibus debitum proferret ; vt illis
reſipiſcendi, in viamq. reuertendi , ſpatiũ con
cederet;nec eos, temporis anguſtiis, aditu ſuæ
benignitatis excluderet;& interim vobis , qui
fidem coluiſtis , in eorum clamitate , qui ad
officium redire noluerint , egregie conſule-
ret. Et vos interim admonuit, ne conciderenis
animis,ſed, egregia fide cõfirmati,opem illius
exſpectaretis. Tãdem enim ſeipſum ad vos ſub-
leuandos , hoſteſq. veſtros euertendos,excita-
uit. Eſt enim Dominus iuſtiſsimus, ita , vt præ-
miis ampliſsimis fidem,atque pietatem,remu-
neret, & debitis ſuppliciis perfidiam,& ſcelus ,
vlciſcatur. O beatos illos,qui fidem illi habent,
omniaq. præſidia vitæ in benignitate illius con
19 ſtituunt. 19 Vtriuſque autem rei clarum exem
plũ edetur,Dominiq. nomen in ſuorum ſalute,
perditorumq. hominum exitio,vehementer il-
luſtrabitur. Vos enim,qui non trepidatis metu,
nec vndique auxilia imploratis , ſed in Sione ,
& Ieroſolymis,quieti conſiſtitis, & conſtantes
in fide permanetis, quamuis hoſtis vos circum
ſideat , minaſq. iactet,& formidines opponat,
lacrymas nolitote profundere. Dominus enim
vobis clemẽter aderit,clamoreſq. veſtros exau
diet;&,cũ primum preces veſtras acceperit,cõ
feſtim auxilium importabit. 20 Primum quidẽ,
vt ſuos erudiat,& in officio cõtineat,vos in ob-
ſidione, panis,& aquæ penuria,vexabit,& mul
tis incommodis exercebit ; non tamen erit ve-
ſtræ ſalutis immemor,nec diu vos ærũnis oppri
mi patietur. Nam,qui veſtros animos doctrinæ
cæleſtis pabulo perpetuo alet,atq. ſuſtentabit ,
minime certe corpora veſtra fame,atque ſiti,
cõficiet;ſed omnibus vitæ muneribus augebit,
& opibus magnifice locupletabit . Nec enim a
vobis iuſtitiæ Doctor emigrabit ; oculiq. veſtri
rectorem,atque monitorẽ, veſtrum intuebun-
21 tur;21 aureſq. veſtræ perpetuo vocem a tergo
monentis, viamq. monſtrantis, accipient. Hæc
eſt,inquiet,via,quę ad beatam vitã ducit;hanc
tenete ; hanc terite;hanc perpetuo vitæ curſu
conficite;ſummaq. diligentia cauete, ne in par
22 tem alterutram declinetis. 22 Tunc igitur,aſsi
duis monitis eruditi,omnes labes,& impurita-
tes, repelletis;& tectoria ſimulacris nefarie de-

Beati omnes,qui exſpectant eum.

Plorans nequaquam plorabis, & contaminabis laminas.

dicatis inducta profana facietis,& obductas ar
genti laminas detrahetis ; & veſtes auro in-
tertextas , quibus ipſa ſimulacra amiciuntur,
dilacerabitis;&,quaſi ſordes,faſtidioſe reijcie-
tis. 23 Cum igitur bonorum Diuinorum copia 23 Et dabitur pluuia ſemini tuo
redundauerit,& impietas exſtincta, atq. deleta
fuerit, fieri num poteſt , vt reliqua ſubſidia vi-
tæ deficiant? Nullo modo. Vt enim impieta-
tem , & auaritiam , & intemperantiam, penu-
ria,& fames,& vitæ peſtis, conſequitur , ſic pie-
tas,æquitas,& cõtinentia,vbertatẽ agrorũ,fru
gũ copiã,& vitę tranquillitatẽ,& ſecuritatẽ,ſe
cum adducit. Dominus agros,quos ſeminaue-
ris, demiſſis e cælo pluuijs, vberes, atq. fecundos,
efficiet; variaq. frugum genera, large,& copio
ſe,tibi comparabit;pecora tua in latiſſimis pa-
ſcuis pura gramina depaſcent ; 24 boues tui, 24
iumentaq. tua,quibus terram colis,pabulo va-
rio,ſumma diligentia purgato, nutrientur . In
illo vero die, quo hoſtium ingens ſtrages edita
fuerit,& elatio tyrannorum , firmiſſimæq. tur-
res,atque munitiones , conciderint , in omni-
bus locis editis, & collibus , erumpent fontes,
& aquæ riuis diductæ in ſubiectos cãpos dima-
nabunt. 25 Erunt igitur tunc omnia lætiora, & 25
nitidiora , & luce multo clariore colluſtrata;
ſplendor enim lunæ tantus erit, vt cum ſplen-
dore , quo nunc ſol omnia lætificat , exæquan-
dus ſit . At ſol multis partibus quotidianum
hunc ſplendorem,& claritatem,qua nunc om-
nibus aſtris antecellit,noua,& inſolita, luce ſu-
perabit . Erit enim tunc , poſtquam Dominus
populi ſui vulnus obligauerit,& contuſa mem-
bra ſanauerit,eximia quædã benignitas,& gra
tiæ lux,in omnes partes diffuſa; ita,vt omnibus
modis intueri,atque contẽplari,liceat feliciſſi-
mi tẽporis illius imaginem , quo Dominus ge-
nus humanũ a poteſtate tætri, & infeſti tyran-
ni, qui nunc tenet vniuerſas terras dominatu
violẽter oppreſſas,eripiet. Tũc enim cõpreſſa,
& domita,peccati tyrannide ; & vulneribus ,
quæ hoſtis inflixerat,ſanatis , exſiſtent Diuinæ
gratiæ fontes,& flumina labentur, & ad homi-
nũ ſitim exſtinguendã,& animos virtutum om
nium ſeminibus feliciſſime cõferendos, emana
bunt. Tũc diſcutiẽtur tenebræ,& noctis caligo
diſſipabitur;tantaque rerum fiet conuerſio,vt,
qui dies tunc aliorum comparatione nefaſtus
illuxerit,ita,vt nox quædã,ſit exiſtimandus , ſit
tamen futurus pijs cãdidus,atque iucũdus:qui
vero felix,& fauſtus , exſtiterit, tantis opibus,
atque muneribus,tantis voluptatibus , piorum
animos oblectabit,quantas hominũ ſumma fe-
licitas attingere ſuſpicione non poterit. Quã-
uis enim pij nũquam a luce deſerendi ſint , alij
tamen eis dies alijs candidiores , & lætiores ,
orientur. 27 Sic etiam in regis impij ruina ope 27
ræpretium erit imaginem iudicij illius inſpi-
cere,quo Dominus eſt principis illius, cuius
omnis eſt in tenebris, & caligine , dominatus,
opes,& imperium , funditus euerſurus . Breui
namque Rex Aſſyrius , qui tãtis opibus vrbem 28

Erit ſuper omnẽ montem excelſum.

*Ecce nomẽ Domini venit de longinquo.*

hanc Deo conſecratam oppugnare conſtituit,
vim numinis in ſe acrem, & infeſtam, expe-
rietur. Iampridem enim Dominus, vt nomen
ſuum illuſtret, hoſti ſuo peſtem comparat. Ma-
iore namque ira, quam vt ſuſtineri poſſit, in-
cenſus, & inflammatus eſt: oratio illius eſt a-
cris, & concitata, hoſtes minaciter exterrens:
lingua illius eſt tamquam ignis omnia confi-
28 ciens, & conſumens: 28 ſpiritus illius eſt inſtar
torrentis incitati, obſtantia omnia non ſolum
impetu furibundo peruertentis, ſed vſque a-
deo ſuper ripas effuſi, vt vicinos agros inun-
det; ita, vt eorum, quos in extremis agris in-
uenerit, ex ſumma aqua capita tantum emi-
neant. Sic autem fiet, vt alijs quidem perni-
ciem inferat, alijs vero periculum ſalutis inten
dat. Alijs namque extremum ſupplicium irro-
gabit; alijs vero ſummum timorem, vt ad ſtu-
dium pietatis reuocentur, incutiet. Eo impe-
tu feretur Domini flatus, vt impios tamquam
ariſtas diſpellat, vt eiecti, atque diſſipati, pro-
tinus euaneſcant. Sic autem eos frenabit, vt
non dirigat; ſed vt in viam exitij calamitoſi,

*29 Cãticũ erit vobis.*

ignominiæq. ſempiternæ, detorqueat. 29 Tunc
beneficium iſtud ijſdem cantibus, atque ſym-
phonia, celebrabitis, quo noctem illam, æternæ
memoriæ conſecratam, ſollemniq. ritu quotan
nis inſtauratam, colitis, quæ vobis libertatis,
atque ſalutis, acceptæ, memoriã repræſentat.
Nec enim minus in vos beneficium Dominus
conferet, cum a Senacheribi truculentia libe-
rauerit, quam cum olim ab immanitate Pha-
raonis eripuit. Itaque diem feſtum agitabitis;
omnia cantibus perſonabunt; tantoq. gaudio
exſultabunt animi veſtri, vt quaſi ad tibiã cho-
ros ducant, atque tripudient. Ad montem Do-
mini, cum hymnis, & inſtrumentis muſicis, &
incredibilis lætitiæ ſignificatione, cõuenietis,
vt ſummo Deo, in quo eſt poſitum firmiſſimũ
ſalutis veſtræ propugnaculum, immortales
gratias agatis, nuncupataq. vota perſoluatis.

*30 Auditã faciet Dominus gloriam vocis.*

30 Perficiet namque Dominus, vt vocis ſuæ
claritas, cum horrendo quodam fragore, &
ſtrepitu, in hoſtiũ caſtris audiatur; & brachio
ſuo tela vibrabit, iramq. ſuam expromet, i-
gnemq. dirum excitabit, qui non modo cor-
pus interimat, ſed animam cruciatu acerbo
torqueat, hoſteſque ſuos ſæuiſſima tempe-
ſtate, multaque grandine, peruertat, atque
31 conficiat. 31 Domini namque voce conteretur
32 Aſſyrius, virgaque illius percutietur; 32 inſa-
nabile, atque mortiferum, vulnus accipiet.
Plaga vero illa, qua Dominus iudicio firmo,
& ſtabili, hoſtes ſuos iampridem affligere, at-
que perdere, ſtatuit, quæ per omnia Aſſyrio-
rum caſtra vagabitur, tympanis, & citharis,
omniumq. modulatu, concentu celebrabitur.
Nec enim Iſrael gladium ſtringet, nec in hoſtẽ
tela contorquebit; nec armis Aſſyrium depel-
let; ſed tantum Domini victoriam, carmini-
bus, inſtrumentis muſicis, & iucundiſſima ſym
33 phonia, proſequetur. 33 Dominus en im ſolus
pro ciuitate ſua pugnam capeſſet; & eadem
vi, qua bellum in impios comparat, hos etiam
hoſtes ſui nominis expugnabit. Iampridem
enim in Tartarea plaga, inferorumq. manium
regione; eſt locus profundus, & amplus, Aſſy-
riorum exercitui cum rege ſuo deſignatus; &
extructa iam pyra, multaq. in eam ligna con-
geſta, cui ſubiectus ignis flatu Domini incẽdi-
tur; &, perinde, atque ſi in illam torrens ſul-
phuris influeret; ita ſummum flammarum in-
cendium concitabitur, quod impios æternis
ſupplicijs excruciet.

**1 CAP. XXXI.**

1 Et tamen impij homines alia ſibi auxilia,
a quibus iuuari non poterunt, ſollicite conqui-
runt; in eoq. laborant, vt vitam ſuam opibus
humanis ſæpiant; ſtatumq. Reip. impiorum
hominum præſidijs muniant, & impia, atque
ſcelerata, Aegyptiorum ſocietate confirment.
Sapientis enim ſtatuunt, in rebus aduerſis nõ
Dei præſidio niti, ſed humanis opibus Remp.
ſtabilire. Quanta ſit enim Diuinæ potentiæ, at-
que benignitatis, amplitudo, ſuſpicari non poſ-
ſunt: in humanis autem auxilijs, quæ firmiſſi-
ma eſſe credunt, omnem ſpem ſalutis collocan

*Vch, qui deſcendũt in Aegyptum*

dam exiſtimant; &, qui religione, & pietate, mu-
niuntur, imprudentes arbitrantur. O imma-
nem perfidiam, o ſceleſtum facinus, o rebel-
lionem, & contumaciam, deplorandam. Con-
tempto enim, & abiecto, Dei præſidio in Aegy
ptum deſcendunt, vt auxilium petant; & vi-
tam, quam a Deo acceperunt, Aegyptiorum
potentia, & robore, communiant. Opes illo-
rum exaggerant; equorum, & curruum, multi-
tudinem innumerabilem prædicant; equitum
virtutem miris in cælum laudibus extollunt.
Omnibus denique rationibus Aegyptiorum
vires, atque potentiam, admirantur; & tum
demum præclariſſime cum rebus ſuis actum i-
ri confidunt, cum Aegyptios ad opem ſibi fe-
rendam impulerint, & huius conſilij auctores
ſapientiſſimos arbitrantur. 2 Atqui Dominus

*2 Ipſe autẽ ſapiens.*

etiam ſibi ſapientiæ laudem quæret; & ijs, qui
vel opibus elati, vel ingenij acumine ſubixi, ſe
egregie tectos, atque munitos, fore putant, ca-
lamitatem importabit; verborumq. ſuorum fi-
dem exitu confirmabit; & contra maleficorũ
hominum nationem, qui cenſent vitæ præſidi-
um non a Deo, ſed ab hominibus, eſſe petendũ,
acriter inſurget; & illorum auxilia, qui inſu-
rijs, & iniquitate, opes comparant, euertet, &
profligabit. 3 Quæ tanta peruerſitas eſt, vt, Di-

*3 Aegyptꝰ homo, & non Deus.*

uinæ virtutis, atque benignitatis, obliti, huma
na vobis præſidia comparetis? Num Aegyptio
Diuinitatem tribuitis, vt ea de cauſa putetis,
& fidem illius perpetuo ſanctam fore; & vim,
atque robur, illius inuictum? Num equi illius
cæleſti natura præditi ſunt, immortaliq. robo-
re muniti? Non certe. Quæ igitur maior de-
mentia fingi cogitatione poteſt; quã homines,
& antiquitatis exẽplis, & legis inſtitutis, & pro
phetarũ monitis, ad certiſſimã ſpẽ Diuini præ-
ſidij ſingulis horis excitatos, hãc prorſus abijce

re, &

re & omnem ſpē ſalutis,& incolumitatis,in ho-
minibus, quorum fides fluxa,& poteſtas imbe-
Dominus inclinabit manū ſuā. cilla,& opes inanes exſiſtunt,collocare? Dabūt
igitur temeritatis,& perfidiæ , pœnas . Domi-
nus enim manum ſuam intendet,& vtrumque,
tam eum,qui auxilium pollicetur,quam qui au
xilium poſtulat, impellet, atque præcipitabit,
4 omnesq. ſimul corruent,& exſtinguentur. 4 Sic
enim Dominus mecum locutus eſt: Vt leo,cum
prædam arreptam cōtinet, quamuis paſtorem
multitudo conueniat , nec illorum voces exti-
meſcit , nec multitudinem formidat; ita Domi
nus montem Sion præſidio ſuo tectum contine
bit, vt nullo modo,propter hoſtium multitudi
nem, & bellicos furores,quibus oppugnatur,il
lius defendendi ſtudium remittat ; quin etiam
illorum conatus franget , & vniuerſam multi-
tudinem, quaſi horrifico quodam rugitu,vehe
5 Sicut aues volantes. menter exterrebit. 5 Et, quemadmodum volu
cris pullos contegit,vſque adeo,vt, etiamſi ſer
pens,vel quiduis aliud, pullis perniciem moliri
conſpiciat,non exterrita fugiat,ſed mira ſolli-
citudine nidum circumuolitet; omniaq. tandē
periclitetur , quo poſsit a pullis ſuis peſtem a-
uertere;ſic Dominus Sionem,hoc eſt hominum
fidelium nationem, ita proteget,vt numquam
ab illius præſidio diſcedat; ſed illam perpetuo
ſingulari cura tueatur,vt in eos,qui illi nocere
Conuertimini. ſtudent,acriter,ac vehementer,incurrat,&,om
nia circumquaque luſtrans , ſingulari ſtudio vi
6 tam illius defendat. 6 Si igitur,o miſeri,non ſo-
lum Domini robur inuictum , ſed ſtudium , cu-
rā,atq. ſollicitudinem,in ſuorum ſalute defen-
denda, intueri poteſtis;quæ tanta vos tenet a-
mentia,vt ab illo deſciſcatis,& alia vobis ſubſi
dia,ſceleris,& immanitatis,pleniſsima,compa
retis. Emergite tandem e tenebris, quæ vos op
preſſerunt;animosq. veſtros ad fidē, & officiū,
reuocate ; tantoq. ſtudio pietatem,a qua nefa-
rie defeciſtis, recolite,quanta fuit illa perfidiæ
labes , profundiſsimaq. bonorum omnium vo-
7 rago,in quam demerſi fuiſtis. 7 Tunc enim,cum
Dominus hoſtes ſuos afflixerit , perſpectumq.
fuerit, nec fictam religionis impuræ, & conta-
minatæ,ſanctitatem, nec hominum potentium
vires,ſed Deum tantum, Ieroſolymam liberaſ-
ſe, multi repente non modo humanas opes de-
ſpicient, verum etiā numina falſa deteſtabun-
tur. Simulacra igitur argentea,& aurea,mani-
bus hominum,per ſummū ſcelus, atq. flagitiū ,
8 perpolita,prorſus abiicient. 8 Aſſyrius enim gla
dio quidē,non tamē humano,cōcidet,fugietq.
non humanis,ſed Diuinis,armis exterritus;Aſ-
ſyriaq. iuuentus ſeruitutem ſeruiet, atq. tribu
9 ta perſoluet. 9 Tantus autem metus opprimet
impiū Regem,vt nec in locis ſuis,natura, & ar
te,munitiſsimis,conſiſtere audeat; principesq.
illius,cū bellicū ſignum ſublatum adſpexerint,
ſubito contremiſcunt. Hæc dicit Dominus, cu-
ius ignis ſplendet in Sion, & caminus incendi-
tur in Ieruſalem, vt ſuis lumen auxilij ſui porri
gat,& hoſtes flammis populetur,atq. cōſumat.

CAP. XXXII.

Hoc autem in loco Regis optimi florentiſſimum tempus ad iuſtitiæ,& Regiæ probitatis,effigiem deſcribit ; &,quantis ornamentis , atque præſidiis, illa Reſp. tunc redūdauerit,explanat , vt plane videas illam immortalē,vt ita dicam,futuram,ſi non ab illis inſtitutis , quæ illam ſub optimo Rege cōtinebant, nefarie defeciſſet . Quāquam in Regni ſtatu florēte,atq. beato,deſcribendo, non tu mihi Ezechiæ Regnum, nec opes, quæ tunc illius iuſtitiam conſecutæ ſunt ; quæ tamen intra breue tempus comminutæ, diſsipatæq. fuerunt ; animo conſideres , ſed alium Regem ſempiternum, alias imperij opes immortales , aliam iuſtitiæ ſpeciem , atque formam, omnibus piis cauſſam iuſtitiæ , & religionis,afferentem, aliud denique Regnum cæleſte , atque Diuinum , nullis vmquam ſæculis interiturū, quod tunc fuit illo breuiſſimo ſplendore Regni bene conſtituti moribus , & inſtitutis , & opibus, adumbratum . Quemadmodum enim Dauid , & Solomon , ita etiam Ezechias , geſſit Chriſti imaginem , Regnumq. illius ſempiterni Regni ſimilitudinem aliqua ex parte iudiciorum æquabilitate , vitæ tranquillitate , Reip. ordine, moderationeque, & ſanctiſſimis inſtitutis , expreſſit. Quamuis ergo Iſaias Ezechiæ ſtatum , & imperium, tamquam tabulam egregie pictam , & variis coloribus illuſtratam , intueatur , ab illius tamen conſideratione repente mens illius abducitur, vt Chriſtum cogitet, vt iuſtitiam illius admiretur , vt cæleſtis Regni leges cum iucunditate perſpiciat, vt ad illas opes contemplandas, atque perfruendas, omnes mortales inuitet. Hoc enim eſt illi propoſitum, hunc finem habet, in hunc intuetur, & reſpicit ; neque quidquam magnum iudicat vir ad ſempiternam gloriam natus, quod ſit mortale,& caducum, cum, Diuinitatis cuiuſdam ſtudio, ad certiſſimam ſpem immortalitatis rapiatur. Quod vt melius intelligi poſſit,ipſum audiamus. Sic enim ait:

1 Non dimittat animum, qui permanet in fide ; nec malum formidet, qui religionem rite colit ; nec interitum metuat , qui Dei præſidio nititur . Erit enim vita omnium ciuium , qui Ieroſolymam incolent , ſanctiſſimi Regis ſtudio , & vigilantia , ſingulariq. virtute , defenſa . Rex enim iuſtitia gloria præcellens regnabit ; & Principes , illius exemplis , & inſtitutis eruditi , iuſtitiam obtine-

bunt, exactiſsimamq. iuris æquabilitatem in
iudicando conſeruabunt. 2 Erit autem vir ille
Diuinus, qui ſanctiſsimæ ciuitatis clauum te-
nebit, perfugium miſeris; ſolatium afflictis;
portus eiectis; inuictumq. præſidium belli ca-
lamitate perculſis. Cum ſæua tempeſtas exci-
tata fuerit, ſuos ita proteget, ne vmquam in
eos turbo, atque procella, poſsit irruere, eo-
rumq. ſtatum conquaſſare. Erit illis, quaſi di-
ductio aquæ dulcis, atque perennis, in magna
ſiti, & quaſi rupes excelſa in loco deſerto con-
tra ardorem Solis oppoſita, vt numquam, vel
nimia ſiti cruciari, vel æſtus magnitudine tor-
queri, poſsint. Is enim eos veris bonis exple-
bit; &, ſi quid eis grauius inciderit, eam mole-
ſtiam facillime munerum ſuorum dulcedine
compenſabit; præſidiumq. ſuum, quaſi vmbra-
culum, quo ſuccedant in magnitudine grauiſ-
ſimi æſtus opponet. 3 Prophetarum, atque do-
ctorum, mentes, qui munus populi erudiendi,
diſciplinisq. cæleſtibus imbuendi, ſuſcipiunt,
non erunt hebetes ad verum cernendū, nec au-
ditores tardi ad audiēdum. A doctoribus enim
aberit ambitio, & auaritia, quæ menti cæcas
tenebras offundit; populus vero contumacia,
& impudentia, quibus omnis doctrina, atque
4 medicina, reſpuitur, omnino carebit. 4 Animi,
qui fuerant inani quadam temeritate præcipi-
tes, tunc ſapientiam conſequentur, vt arcana
diſciplinæ cæleſtis intelligant. Qui hæſitan-
te lingua balbutiebant, non modo clare, & ex-
pedite, citataq. verborum celeritate, verum
etiam eleganter, & cum dignitate, de cæleſtiū
rerum amplitudine, & magnificentia, Diui-
næq. gratiæ magnitudine, diſputabunt. 5 Nul-
la tunc vigebit adulatio; non erit locus menda
cio; non cum morum pernicie conuerſi, & im-
mutati, ſermonis abuſus. Nec enim hominem
temerarium, & inſanum, opibus elatum, & in-
flatum, immanes quoſdam ſumptos facientem,
ingentemq. pecuniam in res fluxas, & inanes,
impendentem, ciuem beneficum, & ſalutarem,
& ciuitatis principatu digniſsimum, appella-
bunt. Neque rurſus hominem inexplebili pe-
cuniæ cupiditate flagrantem, & rei modis om
nibus augendæ, & infinitis acceſsionibus accu
mulandæ, ſemper intentum, diuitem nomina-
bunt. Hæc enim orationis peruerſitas, qua ma
xima flagitia, honeſtis nominibus occuluntur,
ciuitates euertit, omnemq. virtutis grauita-
tem, qua Reip. ſalus continetur, vehementer
affligit. Peſsime enim cum communibus rebus
agitur, cum honores, ſapientiæ, & grauitati,
debiti, ad homines ſtultos, & leues, imperitæ
multitudinis errore, deferuntur. 6 Non enim
ſunt, non ſunt vllo modo digni principatu, qui
præcipites ſtultitia, & amentia, feruntur. Stul
tus namque ſtulta, & inania, populo ſuadebit;
obſequentemq. multitudinem participem ſuę
confidentiſsimæ temeritatis efficiet; &, dum
ſummas opes, quas per luxuriam effundat,
conſequatur, ciues ſuos iniuriis omnibus lace-
rabit; & ex tenuibus pauperum fortunis imma
niſsime prædabitur, vſque adeo, vt miſeros
homines, quos tuendos ſuſcipit, fame, & ſiti,
conficiat, vt ipſe ſolus in ſummis deliciis, &
ampliſsimo vitæ cultu, & magnificentia, adu
latorum multitudine ſæptus, epuletur. 7 Iam
vero illorum dementia, qui auaros diuites,
atque beatos, exiſtimant; illisq. ſtudiis coa-
ceruandæ pecuniæ viam egregie munitam, ad
principatum ciuitatis arbitrantur, explicari
non poteſt. Non enim diues habendus eſt, qui
ſemper eget; cuius animus eſt omnibus bonis
ſpoliatus; qui ſemper in mendicitate verſatur;
qui, vt infinitam cupiditatem expleat, fraudes
concinnat, & malitiam meditatur; vt paupe-
ribus perniciem inferat, & calumniam inten-
dat; & dolis in iudicio dominetur; paupereſq.
bonis omnibus fraudet. Hunc tu neque bea-
tum, nec principatu dignum, reputaueris;
ſed miſerum, & ærumnoſum, ſupplicioq. ſem-
piterno digniſsimum. 8 Qui enim veris opi-
bus inſtructus eſt, ampliſsimoq. honoris gra-
du digniſsimus, ſapientiæ, atque prudentiæ,
diuitias explicat; & in communem vtilita-
tem confert; & conſilio ſuo, quanto deſiderio
communis boni teneatur, oſtendit; inflam-
matoque animo in ſtudium Regiæ virtutis,
quæ ſola eſt imperio digna, totus incumbit, vt
ampliſsimis iuſtitiæ opibus cum Reip. ſalute
perfruatur. Non igitur, vt eo reuertar, vnde
deflexi, erit vlla in Regno illo temeritas, nul-
la vanitas, & adulatio. Nec enim opes virtu-
ti debitas præceps ambitio, & malitioſa ini-
quitas, occupabit. 9 Non tamen hac florentiſsi- 9
mi ſtatus tranquillitate frui diu poterunt om-
nes, qui ſunt ab Iſraele procreati. Non enim
in debita fide permanebunt. Vos igitur, o He-
bræorum ciuitates, quæ nunc deliciis affluitis,
exſurgite, vt orationem meā audiatis: o Reſp.
neſcio qua rerum inanium confidentia ſubni-
xæ, quæ dico, diligenter attendite. 10 Nam, 10
poſt tempus illud, quo tamquam in anno quin
quageſimo putabitis vos amiſſam libertatem,
& opes euerſas, & dignitatem ereptam, recu-
peraſſe, veſtramq. pacem, & otium, eſſe præcla
riſsime conſtitutum, funeſti rurſus dies adue-
niēt, qui grauiſsimum vobis horrorem iniiciāt,
confidentiamq. iſtā, & audaciā, frangant. Nam
& vineas, & fruges, calamitas ita conſumet, vt
nemo ſit, qui ad fructus colligendos, atque con
dendos, accedat. 11 Obſtupeſcite, vrbes opulen 11
tæ; contremiſcite, ciuitates opibus elatæ, atq.
cōfidentes; nudate vos ornamētis; ſpoliate vos
omni cultu: ſagis aſperrimis lūbos veſtros ac-
cingite; 12 pectora veſtra acerbo plangore con 12
tundite. Arua namq. veſtra cultiſsima, & nitidiſ
ſima, vaſtata ſunt; vineæ veſtræ, quæ tantā vini
copiā ſuppeditabāt, penitus exſcindētur; 13 fun 13
di, ex quibus olim tribules mei tantū numerū
frumenti colligebāt, denſas ſpinas, atq. vepres,
effundent. quinetiam in ædibus, quæ quondam
immoderatę lętitię vocibus perſonabāt, vepres
orien-

3 Non caligabunt oculi videntiū.

4 Non vocabitur ultra is, qui inſipiens eſt, princeps.

6 Stultus ſtulta loquitur.

7 Fraudulenti vaſa peſſima ſunt.

8 Princeps vero ea, quæ ſunt digna Principe, cogitabit.

14 Domus enim dimiſſa eſt. orientur. 14. Nam & templum a Dei cuſtodia
deſeretur;& ciuitas illius ope nudabitur;& tur
res egregie munitæ in æternas ſpeluncas redi-
gentur;& in loco,tanta nunc celebritate,& fre
quentia,celebrato, ſalient onagri, & pecorum
15. greges gramina depaſcent. 15. Hæc autem va-
ſtitas vſque ad tempus illud durabit,quo eſt ſu
per nos ſpiritus e cælis effundendus. Tunc e-
nim genus, quod ad diem illum erit incultum,
atque derelictum, & ſiluarum aſperitate vaſta
tum, rurſus omnium virtutum ſeminibus con-
feretur;lætiſsimosq. iuſtitiæ fructus feret:Cō-
tra vero,multæ nationes, diſciplinis ad huma-
nitatem excultæ, erunt in vaſtæ ſiluæ ſimilitu-
16. dinem redactæ. 16. Eueniet igitur, vt in locis
deſertis floreſcat æquitatis ſtudium,& iuſtitia
in eis,tamquam in agris cultiſsimis,altiſsimas
radices agat,atque firmiſsima ſtirpe nixa per-
17 Et erit opus iuſtitiæ. maneat. 17. Fructus autem iuſtitiæ erit iucun-
diſsima pax,ſecura vitæ tranquillitas, fidei fir-
mitas,atque conſtantia,ſempiterna. 18. Vt igi-
18. tur,inquit Dominus,homines impij, furoris ſti
mulis agitati, & ancipiti formidine diſtricti,
numquam poſſunt vllo in loco conſiſtere, ſed
conſcientia maleficiorum aſsidue cruciantur;
ita populus meus iucundiſsima pacis ornamen
ta conſequetur; & in ſumma vitæ ſecuritate
verſabitur; & in ædibus, atque domicilijs,om-
nib. opib. egregie cumulatis, habitabit. 19 Si
19. vero grando fuerit innecta, nullo modo lætiſ-
ſimis fidelium frugibus nocebit; ſed in ſiluam,
hoc eſt, in homines impios, & ab omni cultu
pietatis abhorrentes, inuadet, vt eos peruer-
tat. Ciuitas vero, Diuino iudicio perterrita,
20. non efferetur, nec opib. inſoleſcet. 20 O feli-
ces illos, qui temporib. illis florentiſſimis vi-
debunt in locis irriguis ſegetes vberrimas, at-
que lætiſſimas; nec, quod olim lege prohibitū
fuit, ne quiſquam bouem cum aſino eodem iu-
go coniungeret, & gentes alienigenas cum Iu
dæorum natione congregaret, efficiet; immo
omnes ex æquo complexi gentes cum Iudæis
fœderis vinculo ſanctiſſimo deuincient, & ar-
ua Domini diligentiſsime colent; omniq. diſ-
crimine ſublato, quæ erant diuulſa, atque diſ-
ſidentia, mutuo inter ſe amore conglutina-
bunt.

CAP. XXXIII. Haec vbi de felicitate futura prædixit,
in ſempiternum hoſtem generis humani
confeſtim inuehitur; in eumq. ſub perſo-
na Senacheribi, qui tyrannidem illam Sa-
tanæ motibus, atque vita referebat, ve-
hementia quadam orationis inſultat. In-
1. quit igitur: 1. O tyranni truculentiſſimi im-
manem violentiam; o fraudulentiſsimi calum-
Cum conſummaueris deprædationem. niatoris malitioſam calliditatem. Tu quidem
vſque ad hunc diem inuictus permanſiſti: mul-
tis enim gentibus vaſtitatem intuliſti; nec ta-
men quiſquam tibi nocere potuit: multos nefa
rie prodidiſti; nec tamen quiſquam te prodi-
dit. Ergo,poſtquam ſcelus tuum ad ſummū per
uenerit, immanitasq. tua fuerit multis acceſ-
ſionibus amplificata,pœnas grauiſsimas exſol-
ues. Poſtquam enim vaſtitatem effeceris, alte-
rius potentia,& ope, vaſtaberis;poſtquam,mul
tos nefarie prodendo, defatigatus exſtiteris,
aliorum proditione peribis. Nam, poſtquam a
perfidis hominibus pœnas exegeris, & piorum
fidē excitaueris,virtutem tuis machinis exerci
tatam vehementius illuſtraueris,& opus deni-
que, cuius gratia te diutius numē tolerauerit,
abſolueris, alterius vi,& potentia,ſpoliaberis,
& artificio ſummi Imperatoris,atque ſingula-
ri aſtutia, peruerteris. 2. O Domine, miſerere 2 Eſto brachium noſtrum.
noſtri,quando tui ſolius fiducia nitimur,atque
confidimus. Subſidio igitur nobis feſtinanter
occurre; ſingulisq. diebus, abſque mora vlla,
vim,atque manus,intende;illiusq.ferociam cō
prime; ſalutisq. noſtræ patrocinium, cum nos
videris vehementius oppugnari, & anguſtijs
intercludi, diligentius ſuſcipe. 3. Numquam 3.
profecto fefellit homines numini tuo penitus
addictos fides, qua tibi vitam, & ſalutem, cre-
diderunt, atque commiſerunt. Quod quidem
in exitio ſæuiſsimi tyranni, cuius opibus oppu-
gnamur, explorate cognoſci poterit. Cæleſtes
namq. exercitus, vt nobis opem afferant, ad-
uentant; gentes, illorum voce, & ſemitu, con-
territæ, ſe confeſtim in fugam dant, magnitu-
dineq. potentiæ tuæ diſsipantur; 4. illarum ſpo 4.
lia,quaſi locuſtæ, cum per agros denſæ vagan-
tur,facilime colliguntur. 5. Dominus autē,qui 5 Magnificatus eſt dominus.
cælum incolit, infinitaq. potentia vniuerſa cō-
plexus eſt, & ſuos in calamitate non deſerit, in
cælum laudibus effertur; confeſsioq. numinis,
atque potentiæ,illius,etiam ab hoſtibus inuitis
exprimitur;hominum fidelium conuentus opi-
bus iudicij,atque iuſtitiæ, locupletatur. 6. Frue 6.
re tanta felicitate,ciuitas ſancta,quam Domi-
nus ipſe ſemperna lege moderabitur. Tempori
bus enim lætiſsimis, atque florentiſsimis, om-
ne ſalutis tuæ firmamentum fidei ſanctitate
continebitur; & ciuitatis opes non erunt cadu
cæ,fragiles,& inanes,ſed firmæ, conſtantes,at-
que ſempiternę. Erit enim theſaurus illius rerū
Diuinarum ſapientia, & intelligentia, ſingula-
riq. pietatis ſtudio cumulatus. 7. Vt autem re- 7.
ctius intelligatur, quam clara temporibus tur-
bulentis extiterit in ſuos Dei benignitas, at-
que clementia, neceſſe prius eſt, vt quiſque in
ſenſibus, atque mente ſua, defigat, quo in loco
erat piorum hominum ſtatus, atque condicio.
Qui fuerant ad reges fœderatos legati, vt au-
xilium ab illis flagitarent, ſine fructu conten-
debant, & clamores foris, miſeriæ, & acerbita
tis,indices, emittebant. Qui rurſus ad hoſtem
miſsi fuerant,vt pacem ab eo poſtularent,ab il
lo reiecti, domum redeuntes, lugubri admodū
voce,& eiulatu, anguſtias, in quibus erant, la-
mentabantur. 8. Viæ in vrbem erant hoſtium 8.
præſidijs obſeſſæ;amicis omnes aditus interclu
ſi;nec in fœderis religione,nec in hoſtis huma-
nitate, ſpes vlla relicta. Nam neque fœdus vl-
lum

lum cum hoſte ſcelerato, & impio, qui omnes fœderum ſanctitates ſpernebat, religionẽ nullam poſsidebat; nec allici poterat ad miſericordiam, is, in quo nullum vnquam ſtudium humanitatis exſtiterat. Opes autem erant immanes, quæ illi tantos ſpiritus efferebant, vt non modo ciuitates omnes, contra quas arma ferebat, contemneret, verum etiam vniuerſum genus humanum pro nihilo reputaret.

9. Confuſus eſt Libanus.

9. Quacumque igitur impetum faciebat, quaſi dira quædam calamitas, omnia vaſtabat. Intulit exciſionem Libano; Saronis amœnitati vaſtitatem; in Baſan, atque Carmelo, fœdam populationem fecit; in omnibus denique locis, in quibus pedem poſuit, non modo potentiæ ſuæ, ſed truculentiæ, ſceleris, & immanitatis, impreſſa veſtigia reliquit.

10. Nunc exſurgam.

10. Nunc, nunc, inquit Dominus, cum omnis humani ſubſidij ſpes eſt omnino præcluſa, cum Reſp. quam in fidem meam recepi, deplorata eſt & omnibus vndique locis, ita ab hoſtibus circumuallata, vt nullis humanis viribus peſtis ab illa depelli poſsit, exſurgam; nunc numen meum oſtendam; nunc nomen, & gloriam meam, in hominum oculis illuſtrabo.

11. Concipietis ardorem.

11. Vos autem, hoſtes acerrimi, qui tantis opibus vrbem meo numini dedicatam oppugnatis, omneſq. animorum conatus ad illius perniciem comparatis, eritis repẽte, meo numine, ab omni conatu repulſi. Facinus enim, quod mente concipitis, & conſilia, quæ animis agitatis, erunt leuitate, & inanitate, cum attritis paleis conferenda; opus, quod quaſi parturiendi nixu tandem editis, erit cum arida ſtipula comparandum. Vos ipſi ad incendium veſtrum materiam congeretis; vos flatu veſtro ignem protinus excitabitis; qui vos repente deuoret, aque conſumat. Non igitur in meos, vt cogitatis, ſed in vos ipſos, peſtem machinamini; & eorum, quorum nomen exſtinguere, atque delere, contenditis, opera veſtra gloriam amplificatis.

12

12. Itaque nationes peſtiferæ, quæ ciuitatem iſtam oppugnant, repentino incendio conflagrabunt, &, inſtar calcis exuſtæ, comminuentur; &, quemadmodum ſpinæ ſucciſæ, & in ignem coniectæ, ſubitis flammis abſumentur.

13 Audite, qui lõge eſtis, quæ fecerim.

13. Audite, populi, qui longinquas terras incolitis, ad quos tanti facinoris fama peruadet, opus, quod effeci; & vos, qui terras, cum Iudææ finibus continentes, habitatis, quanta ſit vis potentiæ meæ, aliquando mente concipite. Omnes vos ſimul appello: omnes ad notitiam mei nominis capiendam inuito: cum omnibus ex æquo conſulam: operamq. daturus ſum, vt omnes, eiuſdem fidei conſenſione, eiuſdemque religionis ſanctitate, deuinciam. Atque ex hoc facinore, quod in Aſſyriorum ſtrage edidi, cogitationes veſtras ad alterius tyrannidis per hanc deſignatæ, quæ magnitudine meæ virtutis exſtinguenda, atque delenda eſt, cognitionẽ excitate, vt tandem omne ſalutis veſtræ firmamentum in meo præſidio ponendum exiſtimetis; vitæq. veſtræ rationes fide, & religione, muniatis. Nec enim ſolum hominum impetum a vobis reprimam; verum etiam inferorum manium copias, ne nocere vobis poſsint, vi, atque numine meo, proſternam.

14 Conterriti ſunt in Sion peccatores.

14. Vos autem, impij, qui, nomine fictæ religionis, religionem euertitis; qui Sionem, in quo domicilium habetis, nefario ſcelere contaminatis; qui fidem prodidiſtis, neque ſpem in meo præſidio poſuiſtis, numen tandem meum extimeſcite. Omne namq. ſalutis remedium deſperantes, maxima formidine perculſi, & abiecti, dicebant: Quonam modo poterimus huius ignis omnia populantis congreſſum ſuſtinere? Quomodo tandem hanc flammarum vim, quæ nullis vnquam viribus exſtinguetur, excipere, atque ſubire, poterimus? Actum eſt igitur de nobis. Nullo enim modo fieri poteſt, vt inuicta hoſtis potentia a mœnibus repellatur, & tanta vis peſtis a noſtris capitibus arceatur.

15. Merito quidẽ vos, homines perditiſsimi, contremiſcitis, & omnes belli tumultus exhorreſcitis, quando omnia veſtra ſtudia in opes fluxas, & lubricas, contuliſtis, nec ſalutem veſtram ope mea, ſed inanitate veſtra, ſæpiendam exiſtimatis; auxiliumq. vobis a ſcelere, & improbitate, petendum eſſe duxiſtis: At, qui iuſtitiæ ſtudet, e cuius ore nullũ verbum iniquum, & impurum, emittitur; qui ſpernit lucrum, & compendium calumnia, & improbitate, comparatum; qui non modo munus ob rem alicui adiudicandam non accipit, verum etiam eſt illis, a quibus pecunia attentatur, acriter infenſus; qui aures ſuas obſtruit, ne cum improbis de innocentium cæde conſentiat; qui oculos ſuos continet, ne malum vllum, cuius adſpectu contaminari poſsit, & in fraudem impelli, conſpiciat; hic certe, cuius vita tãtis iuſtitiæ muneribus, virtutumq. omnium comitatu, circumſæpta fuerit,

Qui ambulat in iuſtitijs.

16 In excelſis habitabit.

16. numquam trepidabit metu, ſed, quamuis omnia bellis ardere videat, animo magno, & excelſo, conatus hoſtium deſpiciet; & in omni rerum aſperitate eãdem ſemper inuictæ virtutis conſtantiam retinebit. Habitat enim in loco præcelſo, & edito, propugnaculo firmiſsimo, & rupe vndique prærupta, & exciſa, munitus, ad cuius altitudinem nullus hoſtium euadere poteſt, vt, admotis machinis, arcem vehementius oppugnet. Numquam igitur poterit viribus vllis expugnari, nec in obſidione, fame, atque ſiti, compulſus, deditionem faciet: nam, & annonæ copia perpetuo redundabit; & aquæ illius erunt perennes, nec poterunt vllo artificio in alium curſum deflecti, vt pios homines, Diuinis præſidijs ſæptos, mœnibuſq. ſempiternis incluſos, ope ſua deſtituant. Non igitur temere hoſtium vires contẽnunt, & minas irrident, & conatus deſpiciunt, cum videant nulla tela perditorum hominum poſſe mortiferum ſibi vulnus imponere; nec rerum vllam penuriam homines illos conficere, qui inuicto Dei præſidio muniuntur, illiuſq. ſpiritu aluntur, atque ſuſtentantur.

17 Regem in decore ſuo videbunt.

17. O felix piorum hominum ciuitas, in quam omnes cæleſtes

ſtea ciues, qui in terris cæleſtium vitam imita-
buntur, adſcribendi ſunt, quantis ornamentis,
atque præſidijs, redundabis? quantis delicijs
afflues? in quanto otio, & tranquillitate, ver-
ſabere? Oculi tui regem, forma, & ſpecie præ-
cellentem, ſummiſq. gloriæ muneribus, & or-
namentis, decoratum, cum ſumma iucundita-
te contemplabuntur; terramq. non exiguis ſpa-
tijs circumſcriptam, vt olim, ſed latam, & am-
plam, & in omnes partes lõgiſſime patentẽ, ad
18 ſpicies: 18 Animus tuus, admiratione defixus,
obſtupebit, & pio timore regis ampliſſimi ma-
ieſtatem venerabitur. Dices igitur, Vbi nunc
eſt iſtud doctorum hominum inſolens in oſten-
tanda ſapientia faſtidium? Vbi illud in legis
verbis exactiſſime ponderandis, & examinan-
dis, acumen? Vbi illa Reip. moderandæ, huma-
niſq. opibus muniendæ, ſollicitudo? Nũ fructũ
aliquem, vel ſalutis, vel dignitatis, hæ nobis
artes, atque diſciplinę, in rebus aſperis attule-
re? num aliquod illius adumbratæ, & aſſimula-
tæ, gloriæ veſtigium exſtat? aut poterit ſibi quiſ
quam merito vllum decus illarum nomine vin-
dicare? Non certe. Hæc namque omnia in te-
nebricoſis temporibus, quaſi ſub obſcuræ lucer-
næ, aliquid lucis afferebat, non tamen vt tene-
bras diſcuterent, & erroribus animum libera-
rent. At nunc hæc omnia, quæ clara, & illuſtria,
videbantur, in tantum inſolitæ lucis ſplendo-
rem incurrentia euanuerunt: nunc tandem
Chriſti ſolis opera diluxit; nunc patent om-
nia; nunc ea, quæ fuerant denſis occultata te-
nebris, clare conſpicimus: nunc demum, & ſa-
lutem, & libertatem, opibus Diuinis firmatã,
& ſtabilitam, retinemus. His quidem verbis ex-
ſultabis, atque in ſumma lætitia, pius quidam
metus te ſollicitam tenebit, ne in re aliqua
regis animum, in cuius clementia omnia bona
19 tua collocabis, offendas. 19. Minime quidem
tunc hoſtem ferocem, & infeſtum, ab vltimis
terris in tuam perniciem armatum, qui te, vt
olim faciebat, vel ſolo vocis barbaro, & imma-
ni, ſonitu, ſermoneq. tibi penitus ignoto, & hor-
rendo, perterreat, extimeſces. Non enim Aſ-
ſyrij, nec Chaldæi, nec Tartarei quidem exer-
citus; quamuis ſummis te opibus adoriantur,
poterunt vllo modo ſtatum tuum labefacta-
re, animumq. tuum de gradu conſtantiæ di-
mouere. Eris enim Diuino præſidio cõtra om-
20 nes hoſtiles impetus egregie munita. 20 Con-
template Sionis illum collem excelſum, & edi-
tum, in quo ſempiternum templum ædificabi-
tur, ſacris ſollennibus, diebuſq. feſtis, innume-
rabiliq. hominum frequentia, celebratum. Ocu-
li tui cernent Ieroſolymam cæleſtem ſummis
opibus auctam, & amplificatam, omnibuſq. Di-
uinis præſidijs, & ornamentis, mirifice redun-
dantem. Tabernaculum vero, in quo Deus ipſe
ſe ſibi ſedem conſtituet, non erit errans, & va-
gum. Nec enim a loco in locum migrabit. Cla-
ui illius nullis vnquã ſæculis euellentur; funes
quibus vela illius intendantur, numquam rū-

Tabernaculum, quod nequaquã transferri poterit.

pentur. 21 Non enim erit hominum operis ex- 21.
ſtructum, ſed ipſius Dei manibus ædificatum;
nec in eum finem erectum, vt Dei præſentiam
ſignis, & imaginibus, ad certum tempus adũ-
bret; ſed vt in illo ſemper ipſius præpotentis
Dei numen inſideat. In ipſius enim Regis inui-
ctiſſimi mente, atque natura, ſempiternum ſi-
bi domicilium collocabit, vt inde non ſolum
oracula edat conſulentibus, ſed etiam omnes
cum fide ad ſe adeuntes, ſplendore ſui numi-
nis illuſtret; & opem fidenter implorantes in-
uicto præſidio confirmet; & bello cum laude
perfunctos ampliſſimis opibus, ſempiternæq.
gloriæ dignitate, remuneret. Eo tempore non
aridam terram, nec anguſtos fines, colemus.
Dominus enim perennes aquas nobis inducet,
gratiæq. ſuæ riuis perpetuo fluentibus arua la-
tiſſima, & ampliſſima, fecundabit, ex quibus
vberrimi fructus pietatis, atque iuſtitiæ, ad
ſempiternæ vitæ cultum, & elegantiam, colli-
gantur. Fluuius altiſſimus ſumma quadam le-
nitate fines noſtros præterfluens omnes ſege-
tes lætificabit, nec intra alueum ſuum aliquid,
quod nobis terrori eſſe poſſit, admittet. Nec
enim triremis vlla hoſtium, remorum impulſu
concitata vehementius, nec oneraria nauis,
plenis velis inuecta, in illo nauigabit. 22 Do-
minus enim noſter cauſſam noſtram ſuſcipiet;
ipſe nobis vitæ, & incolumitatis ſempiternæ,
legem ſanciet; ipſe ſalutem nobis non tantum
afferet, ſed etiam perpetuo tuebitur, atque
conſeruabit. 23 Cum igitur Dei legem habue- 23
rimus intimis præcordijs impreſſam, & inſcul-
ptam, in ipſiuſq. legis cultu ſit vitæ noſtræ fir-
mamentum; ea namque Dei nobis auxilium, &
opem conciliat; quo modo poterimus vllos ho-
ſtium impetus pertimeſcere, cum Deus ipſe ſit
illos a nobis perpetuo repulſurus? Quod ſi tu,
hoſtis importune, inſtructa naui, in oras no-
ſtras inuaſeris, rudentes tui repente diſſoluti,
atque diſſipati, nec malum in medio firmum
continere, nec velum intendere, vllo modo po
terunt; ita, vt ſis continuo omnibus opibus tuis
a noſtris ſpoliandus. Ampla igitur ſpolia diui-
dentur, & claudi etiam ad prædæ partem ca-
piendam excurrent. 24 Nemo enim erit, qui 24
ſeſe, imbecillitatis, aut morbi alicuius, excuſa-
tione, defendat, cum Dominus ab illis omnia
vitia, quæ vires impediebant, omnino depule-
rit, & morbos, quibus erant oppreſſi, ſanauerit,
& hac ratione omnes huius florentiſſimæ ciui-
tatis habitatores ſummis viribus, roboreq. in-
uicto, munierit. His quidem bonis affluent,
qui mentes ſuas ab omni ſenſu, & ſtudio cor-
poris, ad Diuini ſpiritus imperium, Chriſtiq.
nomen, traduxerint, omneſq. vitæ rationes ad
Diuinæ legis normam direxerint, conſtantiq.
fide in pietatis cultu perſeuerauerint. Quod ſi
quiſquam ex hoc populo, flagitio contamina-
tus fuerit, omnia iniquitas illius expiabitur.

Hac quidem oratione piorum cœtum ad

Locus fluuiorum latiſſimi.

22 Dominus enim iudex noſter.

Tunc diuidẽt ſpolia.

ſpem

ſpem ſummæ felicitatis excitat, deinde im
pios ſempiterni ſupplicij denuntiatione
perterret. Sic enim ait:

1 CAP. XXXIV.

Adeſte nunc animis, gentes vniuerſæ; vt
Domini ſententiam contra impios prolatam
audiatis. Audite, populi, audite nationes, vni-
uerſusq. terrarum orbis, & omnia, quæ illius
complexu, & gremio, continentur, intimis ſen-
ſibus hanc orationem comprehendant; nec eã
2 Quia indignatio Domini ſuper omnes gentes. e memoria excidere patiantur. 2 Eſt enim ſum
mus ille Dominus gentibus vniuerſis grauiter
infenſus, & ad opes, & copias, eorum euerten-
das, & affligendas, acriter incenſus, & incita-
tus: Diris ſupplicijs illos inſectabitur; & cum
ignominia, & cruciatu, ingulandos hoſtium li-
bidini permittet. 3 Corpora vulneribus conci-
ſa, & enecta, proijcientur; inhumataq. perma-
nebunt, & odor taterrimus, qui ex eorum ſan-
guine, atque tabe, afflabitur, altiſsimos etiam
montes inficiet, omniaq. peſtilenti lue conta-
4 Tabeſcet omnis militia cælorũ. minabit. 4 A cæli etiam luce, hoc eſt, ab ope Di-
uina, deſerentur; & aſtrorum ſplendor illis ob-
ſcurabitur. Et ea etiam, quæ ſatis firma, & con-
ſtantia, videbantur, e quibus tam multos fru-
ctus capiebant, illis, propter eorum ſcelus, in-
teribunt. Aſtra namque liquefacta diffluent; &
cælum, quod nunc eſt, inſtar cuiuſdam volumi-
nis, explicatum, virtutis Diuinæ monumenta
complectens, tunc inuoluetur, ne lucem ſuam
in terras, ſcelere contaminatas, effundat; om-
nis ſiderum fulgor obſcurabitur, eorum ſaluta
ris, & benigna, vis, quaſi vitis, aut ficus, folia, vo
5 Quoniã inebriatus eſt in cælo gladius meus. tuſtate collapſa; decident. 5 In cælo enim, in-
quit Dominus, gladius meus, quem in ſempiterẽ
nos hoſtes nominis mei diſtrinxi, eſt multo ſan
guine conſperſus. Omnes enim, qui bellum om
ni odio penitus imbutum contra religionis ſan
ctitatem ſuſceperunt, iam ſunt a me, in ſceleris
immaniſsimi pœnam, dira calamitate conſum
pti. Nunc etiam iudicij mei ratio flagitat, vt in
Idumæos, hoc eſt, in hoſtes, qui cœtum fideliũ,
& Remp. cæleſtem, opera mea fundatam, opi-
bus ſuis oppugnant; & eos, quorum gloriæ ſtu-
dere debuiſſent, euertere conantur, eodem gla
dio petam, & cunctis hominibus, iampridẽ ſen-
tentia mea peſti deuotis, atque deſtinatis, mor
6 Victimã enim Domini in Boſra. tiferum vulnus inffigam. 6 Hæc quidem Domi
nus ait; cuius gladius ſanguinis copia redun-
dat, & multo victimarum adipe, & aruina, pin-
gueſcit. In Boſra namque, hoc eſt, in media ſce-
leratorum hoſtium turba, ſollemne ſacrificium
inſtaurat; &, in nefaria flagitiorum colluuio-
ne, cæſis quamplurimis victimis, magnificum
7 Et deſcẽdent vnicornes cũ eis. epulum dare, conſtituit. 7 Nec enim ſolũ plebs,
atque multitudo, iugulanda eſt, ſed immanes
tyranni concident; & principes, opibus elati,
viriq. ſtrenui, & corporis robore confidentes,
paſsim ſternentur. Eorum igitur tellus ſangui
ne redundabit, & puluis etiam eorum nimia
pinguedine madebit.
8 8 Eſt enim dies ille ſcelerum vltioni deſtina
tus. Tunc enim vindicabit Dominus Sion, & il-
latas hominibus iniurias perſequetur; debi-
tumq. tandem ſumet de ſceleratorum hominũ
impietate, & immanitate, ſupplicium. 9 Pro flu 9 Et cõuertentur torrentes eorum in picem.
minibus igitur, quibus fundos irrigabant, pi-
cis ardentiſsimæ fluctibus obruentur; & pro tel
luris fertilitate multo ſulphure complebũtur;
eorum terra flammis ardentiſsima pice conci-
tatis exuretur; 10 dies, atque noctes, illud in- 10
ctuoſum, & funeſtum, incendium vigebit; nec
vllis vmquam ſæculis exſtinguetur; ſublataq.
fumi concreta, & caliginoſa, nebula, numquam
diſsipabitur; in omniq. temporum æternitate
permanebit; tantumq. odoris intolerabili fœdi
tate, & cæcarum tenebrarum denſa caligine,
terroris incutiet, vt nemo per veſtram regio-
nem iter facere audeat. 11 Poſſeſsiones ve- 11 Poſſidebit illã onocrotalus.
ſtras feræ quadrupedes, & infauſtæ volucres,
occupabunt; ædificium, quod in ea plaga deſi-
gnabit Dominus, erit ad regulam inanitatis, &
ad perpendiculum vaſtitatis, excitatum. Nec
enim ſolum nomen veſtrum obruet obliuione
ſempiterna; verum etiam omnia ſcelerum ve-
ſtrorum veſtigia, atque monumẽta, delebit. 12 12 Nobiles eius non erunt ibi.
Nobilitatis nullum veſtigium exſtabit; omne
Regni nomen interibit; omniſq. Principum di
gnitas obſcurabitur, & euaneſcet. 13 In ædi- 13
bus amplis, atque magnificis, ſpinæ, & vrticæ;
naſcentur; & carduus in munitis mœnibus orie
tur; eruntq. ſerpentium latibula; & Struthioca
meli laxe in luſtris illis habitabunt. 14 Silue- 14
ſtria, & horrida, & hurſuta, animantia locum il
lum tenebricoſum mutuis clamoribus comple
bunt. 15 Illic diræ volucres conquieſcent, & 15
quæ lucem oderunt, in locis illis accubabunt, &
nidos conſtruent, & oua parient, & pullos edu-
cent. Omnia denique furiarum ſtridoribus, &
ſerpentium immanium ſibilis, noxiarumque
auium horrendis vlulatibus, perſonabunt. 16 16 Requirite diligenter in libro Domini.
Audite igitur, Dominiq. numen extimeſcite;
perculſiq. formidine, aliquando tamen a ſcele
ribus, & maleficijs, quibus ira Domini concita
tur, abſtinete; & librum, qui non meus, ſed Do- 17
mini, exiſtimandus eſt, (illud enim tantũ, quod
Diuinus ſpiritus mihi dictat, litteris mando)
diligenter euoluite, &, quas minas ſceleribus
proponat, attendite. Nihil enim eſt in hac ſup-
pliciorum denuntiatione, quod ſit in illo iudi-
cio prætermittendum; omniaq. tandem exitus,
qui a me præmonſtrantur, habebunt. Hæc enim
Dominus, in cuius oratione nulla ſubeſſe vani-
tas vmquam poterit, aperte denuntiat: hæc ſpi
ritus illius, cuius infinita vis, & potentia, quo
minus omnia, quæ deſignauit, abſoluat, atque
perficiat, impediri non poterit, exſequetur. Ne
mo vos in peſtiferum errorem impellat: Nec
enim licebit vllo pacto ſanctiſsimi illius iudi-
cis vel ſapientiam eludere, vel æquitatem in-
flectere, vel potentiam debilitare. 17 Ergo, quæ
cumque ille ſupplicia ſceleratis hominibus de-
creuerit, erunt illis neceſſario ſubeunda. Cum
igitur ipſe ſtatuerit, vt in regionem ſceleribus
impiorum hominum corruptam, & infectam,
illis

illis euerſis,& exſtinctis,immanes furiæ, & hor
rores ingentes,atque dirißimæ feritates, inua
derent, & hereditatem in ea ſempiternam, cũ
eorum extremo ſupplicio,poßiderẽt,nullo mo
do eſt de hac hominum perditorũ futura per-
nicie dubitandum.

1 CAP. XXXV.

1 Si autem vos futuri iudicij mentio contur
bat,&,perculſi formidine, pauetis;ſi numen ex
horreſcitis,&,quantum exitium ſcelus impor-
tet, & quam vim malorum in res humanas in-
uehat,ſatis mente,atque ratione,percipitis;in-
telligite nunc, quantis gaudijs exſultabunt ij,
qui fuerint fide a ſceleribus auocati,atque a vi
tæ prauitate in pietatis,& iuſtitiæ,ſtudium to-
ta mente conuerſi. Gentes enim, quarum ani-

Lætabitur deſerta, & inuia.

mi erant vitiorum immanitate vaſtati,& incul
ti,ſummaq. aquarum penuria,miſerandaq. ſic
citate,confecti, animis repente commutatæ læ
tabuntur; &, quaſi lilia, floreſcent, & omnium
maximarum virtutum ornamentis excolen-
2 tur, ſuauiſsimosq. odores afflabunt. 2 Flore-
bit,inquam,magis,atque magis illa gentiũ va-
ſtitas,& horrenda quondam ſolitudo,quæ fue-
rat ferarum immanium luſtris infeſta, gaudio
incredibiliter exſultabit, & lætitiæ magnitudi
ne quotidie magis efferetur, maximisq. voci-
bus inſitam mente lætitiam declarabit. Cer-

Gloria Libani data eſt ei.

net enim repente, ſe arborum altiſsimarum
amœnitate cultiſsimam: & cum Libani pul-
chritudine,& cũ Carmeli, & Saronis,nitidiſsi-
mo cultu; virtutum maximarum ſplendore, &
elegãtia, & fructuum Diuinorum copia, atque
multitudine, comparandam. Oculis enim in-
tuebitur illum Diuinæ gloriæ ſplendorem, qui
in terris orietur;& pulchritudinem Dei noſtri
mente conſpiciet. Hoc igitur tam felici ſpecta
culo vireſcet, & virtutum omnium ſeminibus
conſeretur,& ornamentis Diuinis redundabit.

3 Confortate manus diſſolutas.

3 O Diuini viri, qui populi erudiendi munus,
& officium,ſuſcepiſtis, animos iacentes excita
te; vires fractas, & debilitatas, confirmate;
homines humiles,& abiectos,ſpe tantæ felicita
4 tis,erigite. 4 Dicite ijs,qui,metu perculſi, tre-
pidant: Animos aſſumite, ne malum vllum me
tuatis. Ecce enim Dominus adueniet;vt in ſce
lus hoſtium animaduertat,& facinora commiſ
ſa vindicet,debitasq. pœnas ab ijs,qui crimini
bus impietatis, & impuritatis, alligati ſunt, &
ſumma contentione pios homines oppugnant,
expetat,& iniurias ſuis illatas vlciſcatur.Deus
ipſe veniet, ſalutemq. vobis afferet; nec ſolum
corporibus,ſed multo clarius animus,ægris,ſa-

5 Tunc aperientur oculi cæcorum.

nitatem amiſſam reſtituet. 5 Tunc enim oculi
cæcorum cæleſtia contuebuntur, & opes Diui-
nas ab humana intelligentia remotas inſpi-
cient; aures ſurdorum, quæ verba Diuina audi-
re non poterant, continuo diſciplinam ſalutta-
rem percipient. Diuinisq. iuſsis obtempera-
6 bunt. 6 Claudus vero, qui ad iuſtitiæ opus mo-
liendum,& efficiendum,ſe loco mouere non po
terat,exiliet,&,tamquam ceruus,ſumma cele
ritate virtutis eximiæ curſum conficiet, & ad
ſummum,& altiſsimum, pietatis faſtigium ad-
ſpirabit. Lingua hæſitans,& impedita, quæ nũ-
quam laudes Diuinas proferre potuit, tunc li-
bere,& expedite, myſteria noſtræ ſalutis enun
tiabit;& de rebus altiſsimis,incredibili oratio-
nis copia,& vbertate;diſſeret, multosq. morta
les ſtudio immortalitatis inflammabit. Sed vn-
de, quæſo, initium tam ſubitæ conuerſionis
orietur? vnde cauſſa tantæ felicitatis exſiſtet?
qua vi, qua ratione, quibus opibus, tantus re-
pente cultus in terra deſerta,& inculta,& obſi
ta vepribus, atque dumetis, apparebit? Non
quidem humana ratio, nec opes terræ id præ-
ſtare poterunt, ſed Diuinæ gratiæ magnitudo,
immenſæq. illius benignitatis affluentia: Vt e-

Quoniam ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ.

nim quondam vis aquæ ex petra profluxit,quę
non ſolum populi ſitim exſtinxit, ſed amœniſ-
ſimam viriditatem ex illa vaſtitate aridæ, &
incultæ,telluris elicuit,totamq. illam terræ ſu-
perficiem,quam alluebat,herbarum,atque plã-
tarum, inſolito cultu veſtiuit; ſic Diuinæ gra-
tiæ perennis quidam fons e petra, ſempiterna
quadam firmitate fundata, in ſumma totius or
bis vaſtitate, manabit,quæ non modo ſitim de
pellat, verum etiam omnes terras, vitiorum
aſperitate vaſtatas, aquis in omnes partes di-
ductis,atque deriuatis,arboribus,& herbis,læ-
tiſsimis, amœniſsimisque virtutum omnium
viridarijs, exornet. 7 Terra ſolibus exuſta ſta- 7
gnantium aquarum copia redundabit; in locis
aridis,atque ſitientibus, fontes ſcatebunt. Vbi
primum fuerant ſerpentium latibula, prata cõ
feſtim exſiſtent; herbarumq. nitidiſsimo cultu
veſtientur; & calami frequentes exſurgent; &
iunci viriditas eminebit.

8 Et erit ibi ſemita.

8 Erit autem in eiſdem locis munita via, nõ
quæ populum, vt olim, poſt longiſsimos erro-
res, vix tandem in anguſtis agris collocet; ſed
quæ recta in cælum ferat, & ſedes ijs, qui cur-
ſum vitæ cum laude confecerint,beatas, atque
ſempiternas, aßignet. Via illa, atque ſemita,
ſancta nominabitur. Nec enim ingredietur in
illam vlla flagitiorum colluuies, vt olim. Nul-
lus enim impurus, atque nefarij criminis labe
commaculatus,iter illuc habebit;ſed qui ſe to-
ta mente ad ſtudium caſtitatis, & integritatis,
adiunxerit. Ipſe Dominus cum eis ambulabit,
viamq. monſtrabit;nec nube,vt olim,ſed ſpiri-
tus ſui lumine,& claritate,numinisq. tutela,&
patrocinio, populum ſuum diriget; ita, vt nec
homines rudes,& imperiti,errare poßint. Du-
cem enim præcedentem, & viam aperientem,
perpetuoque, ne in alterutram partem defle-
ctant, admonentem, mente conſpiciet, veſti-
giaq. illius inflammato ſtudio perſequentur. 9 9
Olim quidem,cum Iſrael in ſolitudine peragra
bat, vt in tellurem ſibi promiſſam contẽderet,
fuit ſerpentium morſibus ictus, magnaq. pars
illius vulneribus,atque veneno,conſumpta: At
nunc nec leo, nec vlla immanis bellua, viam in
ſidebit,quæ in gentem piam inſidiat;nec deniq.
in tota illa regione,per quam gradietur, veſti-

gium

gium vllum feræ belluæ, aut tætri ſerpentis, ap-
parebit. Qui igitur fuerint, Domini beneficio,
e flagitiorũ tenebris, & peccati duriſsima ſer-
uitute, in lucem, & libertatem, vindicati, ſine
moleſtia, & ſollicitudine, ſine ſalutis diſcrimi-
ne, & ſine graui aliqua offenſione, viam progre
dientur. 10 Itaque redibunt homines a Deo li-
berati in patrias ſedes, vnde, infeſtiſsimi dæmo
nis fraude, fuerant expulſi, & eiecti, ad Sionem
cæleſtem, & templum Domini ſempiternum,
quod non eſt quadrupedum hoſtijs, ſed iuſtitiæ
cultu, celebrandum, vt maximis vocibus conce
ptum animo gaudium teſtificentur, eorumq.
mentes, ſempiterna lætitia cumulatæ, Dei be-
nignitatem gratiſsimo ſtudio, atque volunta-
te, proſequantur. Exſultabunt animis, & læti-
tiam ſummam ex Domini benignitate perci-
pient; omniſq. dolor, & gemitus, ex eorum fi-
nibus emigrabit.

CAP. XXXVI.

Hoc in loco commodum fuit, Iſaiæ, vt
magis firmaret hominum fidem, eorumq.
animos ad futuræ ſalutis ſpem ardentius
excitaret, hiſtoriam attexere, qua fuit ſatis
admirando ſigno demonſtratum, quam
præſenti ope Dominus eis ſubueniat, qui
tota mente auxilio illius nituntur. Subiun-
1 git igitur: 1 Anno decimo quarto Regni Eze
chiæ Senacherib Rex Aſſyriæ intulit bellum Iu
dææ, omneſq. vrbes munitas, excepta Ieroſo-
2 lyma, pugnando cepit. 2 Cum vero obſidione
premeret Lachis, miſit ducem quendam, nomi-
ne Rabſacen, magno exercitu conſtipatum, Ie-
roſolymam, vt eam ad deditionem alliceret.
Conſtitit autem Rabſaces in cliuo piſcinæ ſu-
perioris, in via agri fullonis; indeq. ciuitatis
3 principes ad colloquium euocauit. 3 Egreſſus
eſt ad illum continuo Eliacim, filius Elciæ, præ-
fectus prætorio, & Senab ſcriba, & Ioab filius
Aſaph, qui, memoriæ cauſſa, res, quæ ad Regiũ
4 ſtatum pertinebant, in librum conferebant. 4
Tunc Rabſaces incipit: Hæc quidem Regis ma
ximi, atque potentiſsimi, mandata ad Ezechiã
deferetis. Ea namque gratia me huc legauit, vt
illius nomine veſtrum Regem verbis admone-
rem, & a temeritate ad ſanitatem reuocarem.
Accepit enim, illum de vrbis defenſione cogi-
tare, nec ad deditionem, metu extremæ cala-
mitatis, impelli. Sic igitur exiſtimate me cum
Ezechia loqui, & eiuſmodi verbis illius inſaniã
coarguere: Quænam tandem eſt iſta confiden-
5 tia, quæ te præcipitem in exitium dat? 5 Quo-
rum opibus, atque præſidio, niteris? Num exi-
ſtimas, bellum, quod eſt conſilio, atque viribus,
adminiſtrandum, poſſe te verbis, & oratione,
conficere? Velim igitur intelligere, quas co-
pias habeas, quantos alas exercitus, quæ auxi-
lia compares, quo bellandi artificio, aut mili-
tum robore, atque virtute, confidas. Quod ſi
nec copijs, nec opibus, nec virtute, nec vſu, tã-
tum vales, vt poſsis primum impetum belli ſu-
ſtinere, quæ te tanta dementia tenuit, vt a me

Quę eſt iſta fiducia, qua confidis?

deficeres? 6 Sed illud dices, te, amicitia; & ſo-
cietate, Aegyptiorum fretum, reſiſtendi conſi-
lium ſuſcepiſſe. Egregio quidem præſidio res
tuæ muniuntur, ſiquidem Aegyptiorum opi-
bus, & auxilio, fulciuntur. Vt enim, ſi quis arun
dineo ſcipione confracto totus incumbat, non
modo firmari non poterit, verum etiam ma-
num, qua ipſam arundinem geſtat, grauiſſime
ſauciabit; ſic omnes, qui, Aegyptiorum opibus
confidentes, aliquid moliuntur, non modo non
ſubleuantur, ſed etiam, cum Aegyptiorum cla-
de, mortiferum vulnus accipiunt. Quo modo
enim alijs opem afferet, qui ſibi opitulari non
poteſt? 7 Quod ſi dixeris, Dei noſtri præſidio 7
nitimur; quæ maior fingi poteſt amẽtia, quam
illius ope confidere, cuius tu numen a te iam-
pridem abalienaſti? Tu, cum Dei tui ſimulacra
demolitus ſis; cum loca excelſa, in quibus ſa-
cra fiebant, profana feceris; cum aras euerte-
ris, afflixeris, comminueris; cum anguſtum lo-
cum rebus ſacris peragendis definieris; & Iu-
dæis, ne alibi, quam Ieroſolymis, ſacrificia of-
ferrent, interdixeris; cum denique ſcelere in-
fando religionem pollueris, & ſacra ſuſtuleris,
& in Deum tuum ſceleratus exſtiteris; ſperas,
numen illius tibi poſſe placari? 8 Reliquum igi 8
tur eſt, vt non religione, quam ſcelere conta-
minaſti, ſed opibus tuis, quas tibi comparaſti,
ſtatum tuum præclare munitum arbitreris. A-
ge vero, tuæ potentiæ periculum faciamus. Si
obſides mihi dederis, duo millia equorum tibi
tradam, vt experiaris, num poſſis in tuo exer-
citu equites reperire, qui illis ſcienter inſideãt,
eoſq. regant, & agitent, &, cum opus ita fue-
rit, a curſu ſuſtineant. 9 Quod ſi hoc præſtare 9
non poteris, quo modo tandem poteris, non di
co ipſum Regem, cuius imperio, & dominatu,
continemur vniuerſi, ſed vnius principis, ex ijs,
qui illi ſeruiũt, minimiſq. opibus inſtructi ſunt,
impetum, opibus, & potentia, reprimere? Quod
ſi vnius principis, & huius quidem, ſi cum alijs
conſeratur, tenuiſſimi, vultum ſubire nequiue-
ris, quo tandem modo vniuerſos cum ipſo Re-
ge Regum ſuſtinebis? Et tamen, inani ſpe delu-
ſus, Aegyptiorum auxilia tibi pollicebere? Qua
ſi exploratum tibi iam ſit, auxilium Aegyptio-
rum in diſcrimine ipſo minime defuturum, aut
illorum equitatus ſit cum Aſſyrio equitatu, vel
multitudine, vel robore, comparandus. Ergo,
nec humanum vllum auxilium, nec Diuinum
quidem, poterit te ab interitu vindicare. Quã-
tum enim ad humanum attinet, ſi non prorſus
mentis expers es, iam ſentis, quam tenues ſint
opes tuæ, & quam infirmo præſidio ſæpiantur:
10 Si vero Diuinum reſpicis, in ſummo quodã
errore, & inanitate, verſaris. Numen enim ſum
mi Dei multo magis eſt nobis, quam tibi, pro-
pitium. Nobis enim fauet; tibi eſt infeſtum, &
inimicum. Opes enim noſtras auget; tuas vero
frangit, & diſsipat; maximaq. te iam Regni
parte ſpoliauit, & ſub Aſſyrij Regis imperium,
ditionemque, ſubiunxit. Omitto victorias, quas
habemus;

6 Ecce confidis ſuper baculum arundineũ.

Nonne ipſe eſt, cuius abſtulit Ezechias excelſa, & altaria.

10 Numquid ſine Domino adſcẽdi ad terrã iſtã, vt diſperderem eam?

habemus; omitto triumphos, quos duximus:
quæ omnia declarant, Deum pro nobis facere,
vobis vero peſtem, atque perniciem, moliri:
hoc certe bellum non abſque voluntate illius
comparatum fuit. An exiſtimaris, nos, abſque
numinis impulſu, tam procul a patria, tantum
bellum ſuſcepiſſe? Deus ipſe, in quo dicitis eſſe
poſitam omnem veſtræ ſalutis ſpem, nobis in
mentem iniecit, vt hoc bellum inſtrueremus,
& in telluris huius, quæ ſe tam multis ſceleri-
bus adſtrinxit, perniciem, & vaſtitatem, omnia
conſilia deſtinaremus. Quare, ſi mentis compo
tes eſtis, neceſſe profecto eſt, cum ſitis Diuina,
& humana, ope nudati, vt vos ipſos, dum con-
ceſſum eſt, dum licet, dum aditus ad miſericor-
diam patet, Regi dedatis, & in illius clementia
veſtræ miſeriæ vnicum perfugium compara-
11 tum exiſtimetis. 11 Hæc quidem Rabſaces He-
bræa lingua diſſeruit. Illi vero, metuentes, ne
oratio illa ciues, qui erãt in muro diſpoſiti, pro
pe enim vrbis mœnia colloquium habebatur,
metu debilitaret, dixerunt: Ne, quæſo, Hebræa
lingua nobiſcum agas, ne, quod inter nos ſecre
to agendum eſt, ab ijs, qui in muro ſunt, audia-
tur, & continuo fama per totam vrbem diſſi-
petur. Nos Syriam linguã probe intelligimus.
Te igitur obſecramus, vt inſtitutum colloquiũ
12 Syrio ſermone proſequaris. 12 Hic Rabſaces,
materiam nactus ſeditionis popularis aliqua
ratione concitandæ, ſermonem ad multitudi-
nem, & metu perturbandam, & ſpe ſalutis alli-
ciendam, repente conuertit. Vos, inquit, fortaſ
ſe ſuſpicamini, me, vt vobis, aut Regi veſtro,
conſulerem, a Domino meo miſſum fuiſſe; & nõ
potius miſeræ multitudini, quam veſtræ domi-
nationis gratia in extremam calamitatem de-
truditis; in easq. tandem anguſtias compelli-
tis, vt cogatur excrementa ſua comedere, &
13 vrinam ebibere? 13 Deinde, maxima voce po-
pulum inclamans, ait: Audite, vniuerſi, qui
hanc vrbem incolitis, quid dicat Rex Aſſyrio-
rum, omnium Regum maximus, atque poten-
14 tiſſimus. 14 Ne vos decipiat Ezechias. Nec e-
nim habet vllas opes, quibus vos poſſit a cala-
mitate, quæ nunc impendet, eripere. Quod qui
dem eſt omnibus exploratum. Nec is quidem
adeo eſt ſine mente, vt non videat, ſe eſſe ab om
nibus rebus inopem; nec poſſe vllo modo, ſi per
15 tinax fuerit, a ſe peſtem reprimere: 15 Sed ad
illud vltimum hominum miſerorum in rebus
deploratis ſolatium, inanitatis, & amentiæ, ple-
niſſimum, confugit. Dicit enim, fore, vt Deus
præſidio ſuo vrbem hanc contra Regem Aſſy-
16 riæ tueatur. 16 Cauete, ne vos hac inani religio
nis fiducia in errorem cõpellat. Credite mihi,
verba ſunt, & ineptiæ. Stultiſſimum enim eſt,
contra ſummas opes religione contendere; &
malum, quod viribus repellendum eſt, anilibus
precibus extinguendum putare. Non dico, re-
ligionem multis in locis ab eo neglectam, cæri-
monias pollutas, loca religioſa deiecta fuiſſe;
ita, vt ſit ſumma dementia, ſpem ab eo, qui nu-
minis maieſtatem læſerit, in eodem numine
collocari; ſed illud dico, vt religionem vnice
coluerit, & ſacra omnia rite confecerit, Deúq.
ſemper pleniſſimo pietatis cultu veneratus ſit,
minime poſſe, ea religionis ſanctitate, a vobis
peſtem depellere. Num parum multis exem-
plis cognitum eſt, quam inanis ſit ea, quæ ho-
mines imbecilli animi torquet, amentia, reli-
gionis nomine commendata? Quam parum
iuuent adhibitæ ad Deos preces? Quam mul-
tos in peſtiferam fraudem detulerit rerum Di
uinarum fiducia? Hanc igitur amentiam dete-
ſtamini; & conſilio, dum tempus habetis, non
temeritate, & inſania, de ſalute veſtra ſtatuite:
cuius tota ſpes eſt, ſi ſapitis, in Regis Aſſyrij
clemẽtia reponenda. Date igitur operã, vt, vo-
luntaria deditione, gratiã illius ineatis. Quod
ſi feceritis, neque libertatẽ, nec fortunas, amit-
tetis. Hanc enim legem vobis conſtituit, vt in-
terim, dum ille abeſt, quilibet veſtrum vineis,
& arboribus, & reliquis bonis ſuis, ſecure frua-
tur. 17 Poſtquam vero aduenerit, tum vos hinc 17
adducet in regionem non minus opimam, &
fertilem, quam ſit hæc, quam poſſidetis. Ea nã-
que tellus, in quam emigraturi eſtis, frumenti,
atque vini, copia redũdat. Eſt enim referta fru
gibus, & multis vineis cõſita. 18 Videte, ne, dũ 18
hanc condicionem oblatam reſpuatis, poſtea
prætermiſſam rei bene gerendæ occaſionem
fruſtra deploretis. Prouidete, ne vos Ezechias
ineptiſſimo genere orationis perturbet, atque
de mente, & ſanitate, deducat. Dicet enim, id,
quod in ore ſemper habet; futurum nempe, vt
Deus vos eripiat, animosq. veſtros hac inani fi
ducia confirmabit, in eumq. errorem inducet,
vt cum illo fœde, & flagitioſe, pereatis. Sed li-
benter ex eo quærerem, num reliquæ nationes,
quas vaſtauimus, minus religionibus deditæ
fuerint, quam vos eſtis? Minime profecto. Om-
nes enim erant ea ſuperſtitione conflictatæ, vt
exiſtimarent, vitam, atque fortunas, eſſe numi-
nis præſidio muniendas. Quæro igitur, num ea
opinio, qua fuerant penitus imbutæ, quidquã
illis opis attulerit: Immo dimido maiorem il-
lis vim calamitatis inuexit. Nam nec a Dijs
ſuis fuerunt adiuti, nec in Regis fidem, quem
inſita pertinacia incenderant, recepti. Nunc
igitur temeritatis, & amentiæ, pœnas luunt, nõ
ſolum ab ope Diuina relicti, ſed omni aditu ad
Regis clementiam penitus excluſi. 19 Quid a- 19
gebant illi dij, in quorum tutela erant, & Cha-
mat, & Arphad, cum illæ prouinciæ fuerunt e-
uerſæ? Quibus negotijs erant implicati dij,
quorum ope, Sepharuaim, & quamplurimæ na-
tiones aliæ nitebantur? Sed, vt propius acce-
damus, ne dicere poſſitis veſtram religionem
eſſe meliorem, & ſanctiorem; neque fieri poſſe,
vt illius vos fiducia fallat; ex illis hominibus
exempla deſumam, qui non modo ſunt vobis
ſanguinis communione coniuncti, ſed eadem
ſacrorum religione deuincti. Quæro igitur,
num quidquam Samariæ religio profuit?

Loquere ad ſeruos tuos Syra lingua.

Audite verba Regis magni.

Numquid liberauerunt dij gentium vnusquiſque terram ſuam.

Num Deus illam e manu potentiſſimi Regis e-
ripuit? Minime certe. noſtris enim armis expu
gnata, atque vaſtata fuit. 20. Vnde concludi po
20 teſt, omnes eſſe dementiſſimos, qui ſibi firmum
aliquod præſidium in deorum numine conſtitu
tum arbitrantur; nec ciuitatem iſtam magis
fore Dei ſui numine ſubleuandam, atque cõtra
Regis maximi vires defendendã, quam fuerũt
reliquæ nationes, a quibus nulla numina, quan-
tauis ab illis religione culta, noſtrum impe-
tum prohibuerunt. Hanc orationem habuit
21 ad populum Iudæorum Rabſaces. 21. At vni-
uerſa multitudo conticuit. Præceperat enim
Rex, ne quiſquam, quamuis eſſet contumelia la
22 ceſſitus, aliquid reſpõderet. 22 Heliacim vero,
& Sobna, & Ioah, offenſi maledictis, quæ vir im
pius in Deum congeſſerat, veſtes diſcindunt;
ad Regemq. e veſtigio reuertuntur, illiq. Rab-
ſacis orationem referunt.

1 CAP. XXXVII. 1 Quam cum Rex audiſſet, veſtem repente
dilacerauit, & abiecit, cilicinamq. veſtem ſum-
2 pſit. 2 Miſit autem Eliacim præfectũ prætorio,
& Sobnam ſcribam, & ſacerdotes ſeniores, ve-
ſtibus cilicinis amictos, quod erat mœroris in-
3 ſigne, cum mandatis ad Iſaiam, 3 Illi, continuo
profecti, Regis nomine, in hanc ſententiam lo-
cuti ſunt. Ezechias te ſupplicibus verbis orat,
& obteſtatur, vt videas, quo in ſtatu res noſtræ
ſint. Hoc enim tempore, ſimul, & ab hoſte in
ſummas anguſtias adducti ſumus, & Deum no-
bis iratum eſſe ſentimus, & ex contumelia,
quam hoſtis in illius numen intorſit, magnum
dolorem percipimus, nec tantam malorum
vim ferre diutius valemus. Vt enim, cum gra-
uidam mulierem in ipſo pariendi conatu vires
deficiunt, ſic noſtra virtus, calamitatis magni-
tudine fracta, langueſcit, nec poteſt iam tan-
4 tam vim doloris ſuſtinere. 4 Eſt itaque neceſſe,
ſi nobis Deus non ſingularem quandam opem
intra breue tempus attulerit, vt animis conci
damus, Deum igitur tuum, quem vnum arden-
ti ſtudio colendum ſuſcepiſti, precare, vt nobis
proſpiciat, & pœnas ſumat de conuicio nefan-
do, quo Rabſaces, Aſſyrij Regis Legatus, illius
ſanctiſſimum nomen maculare conatus eſt.
Quaſi enim ad hoc vnum munus efficiendum
miſſus eſſet, ita Dei noſtri numen omnibus pro
bris, atque maledictis, inſecutus fuit. Conten-
de, quantum potes, ab illo, ne ſcelera noſtra re-
ſpiciat, ſed gloriæ ſuæ cauſſam tueatur, quæ e-
rit hominum perditorum calumnijs, atque cõ-
uicijs, expoſita, ſi nec in hoſtium ſcelus acerri-
mo ſupplicio vindicauerit, nec eos, qui in illius
tutela iacent, e tantis malis, in quibus nunc ſor
didati, & afflicti, iacent, præſenti ope ſeduxerit.
Cernis, quo pacto decem tribus Iſrael fuerunt
ferro, fame, vaſtitate, conſumptæ. Duæ tribus,
quæ reſtabant, iam ſatis cæde, ſanguine, popu-
lationibus, rapinis, & contumelijs, quas ab ho-
ſte immaniſſimo perpeſſæ ſunt, eius crudelita-
tem expleuerunt. Nos tantum relicti ſumus,
huius vrbis anguſtijs incluſi, & hoſtium copijs
vndique circumuallati. Precare igitur Deum
tuum, vt his ſaltem populi ſui reliquijs, quæ
nunc in ſqualore, & luctu, verſantur, benigne cõ
ſulat; noſtramq. miſeriam, & orbitatem, reſpi-
ciat; neque lacrymas noſtras negligat; neque
preces repudiet; nec gloriam ſuam infringi, no
menq. Iſraelis deleri, patiatur. 5 Illi quidem 5
Iſaiam, ſic allocuti ſunt. 6 Iſaias vero ad hunc 6
modum reſpondit: Dicite domino veſtro, ne
malum vllum a Rege impio formidet. Sic enim
inquit illi Dominus, Ne verba, quibus ſerui Re
gis Aſſyrij labe dedecoris inſigni nomen meũ
deformare conati ſunt, metum tibi vllum incu
tiant. 7 Ego illum turbulento ſpiritu commo- 7
uebo, & ſcelerum pœnis exagitabo; malusq. il-
li nuntius afferetur, quo perturbatus, in patriã
ſuam remeabit, & illic, gladio percuſſus, interi-
bit. 8 Rabſaces vero, cum cerneret, rem illi, vt 8
cupiebat, minime procedere, reuerſus eſt ad
Senacheribum, qui iam, e Lachis, cum exerci-
tu profectus, oppugnabat ſummis viribus Lob-
nam; 9 ibi vero certior factus eſt, Tarachã, Ae- 9
thiopiæ Regem, cum maximis copijs, aduenta-
re, vt cum illo, collatis ſignis, confligeret. Quo
nuntio accepto, profectus eſt, vt hoſti, cum in-
ſtructis copijs, occurreret. Interim vero Lega-
tos miſit ad Ezechiam, quibus mandauit, 10 vt 10
hæc illi dicerent: Ne te decipiat Deus tuus, cu-
ius fiducia nixus, ſalutẽ, & incolumitatem, tibi
polliceris; neque fidẽ verbis illius adhibeas, cũ
aſſeuerauerit, Ieroſolymam minime in meam
poteſtatem peruenturam. 11 Tibi enim explo- 11
rate cognitum eſt, quãtas ſtrages ediderint Re
ges Aſſyrij in omnibus illis locis, quibus bellum
intulerunt. Omnes enim terras latiſſime popu
lati ſunt, & ciuitates exciderunt; & eos, qui ar-
mati reſiſtebant, internecione deleuerunt; & tu
interim, qui nulla ex parte es cum illis, quos
maiores mei nondum tantas opes adepti vaſta
uerunt, viribus, atque robore, comparandus,
fieri poſſe confidis, vt, manus meas effugias?
12 In eo enim errore perſtas, vt exiſtimes, 12
iſtum Deum, quem colis, tibi ſuppetias allatu-
rum. Quaſi vero nationes illæ, quæ ab Aſſyrijs
expugnatæ ſunt, nõ ſuas religiones habuiſſent;
numinaq. ſua, patrijs moribus, & inſtitutis, mi-
nime coluiſſent; & ſacra ſua parum ſollemni ri-
tu confeciſſent. Omnes profecto ſingulari di-
ligentia religiones procurabant; & tamen in
nulla earum ciuitate extitit Deus aliquis, qui
ſuorũ vrbes, atque tecta, defenderet. Nec enim
Gozã, nec Harã, nec Reſeph, nec habitatores E
den, qui erãt in Thalazar, a dijs ſuis adiuti, e ma
iorumq. meorũ poteſtate liberati ſunt. 13 Vbi 13
nũc eſt Rex Emat, Rex Arphat, & Rex Saphar-
uaim, & Ana, & Aua? omnes ſimili amentia cõ-
ciderunt. Dum enim dijs ſuis plus nimio confi-
dunt, maioraq. viribus ſuis facinora moliũtur,
& cõtra Reges potẽtiſſimos, atque fortiſſimos,
in acie conſiſtere audent, profligati, afflicti, bo-
niſq. omnibus euerſi, extinctiq. ſunt, interi-
tuq. ſuo dignas amentiæ pœnas luerunt. Eorũ
igitur

Venerunt filij vſque ad partum.

Ne timeas a facie verborum, qua audiſti.

igitur triſtes euentus perhorreſce, quorum fa-
14 cta imitaris. 14 Cum autem Ezechias e tabel-
lariorum manibus litteras, hanc eandem ſen-
tentiam continentes, accepiſſet, eas legit; ma-
ledictiorumq. impudentiam, & ſcelus, admira-
tus, in templum continuo ſe contulit, atque
ibi in cōſpectu Domini litterarũ volumen ex-
15. plicuit. 15 Deinde his precibus opem illius
16 Domine exercituũ.
imploranit: 16 Summe Domine, quem vnum
cæleſtes exercitus intuentur, cui ſeruiunt, cui
militant, ad cuius nutum, & imperium, cæli na-
tura contremiſcit, in cuius vnius clementia to
ta ſalus Iſraelis innititur, qui mētibus illis bea
tiſſimis inſides, ſempiternumq. tibi ſolium in
altitudine ſapientiæ, immenſæq. & infinitæ, po
tentiæ collocaſti, tu ſolus Deus es, tuumq. ſo-
lum numen eſt metuendum, & ardentiſſimo ſtu
dio colendum, immortalibuſq. laudibus in om-
ni æternitate prædicandum. Illi namque dij,
quos ſibi gentes, pernicioſiſſimis erroribus im
butæ, per ſummum flagitium, & ſcelus, adſciue
runt, non ſunt dij, ſed inania quædam monſtra,
atque vaniſſima portenta, ad hominum peſtē,
& perniciem, conficta. Tu ſolus es, qui non in
Iudæa tantum dominaris, ſed omnia orbis ter-
rarum Regna imperio infinito complecteris.
Tu feciſti cælum, & terram.
Tu enim creaſti cælum, & terram; & omnia,
quæ vniuerſi mundi ſinu, & gremio, continen-
tur, effeciſti. 17. Aures tuas erige, vt audias;
17 oculos tuos intende, vt cernas; & animaduer-
te, quibus conuicijs Senacherib, per miniſtros,
& ſatellites, ſuos, nomen tuum ſanctiſſimum,
atque ſempiternum, in quo omnium vita con-
18 ſiſtit, inſectatus ſit. 18 Verum quidem id eſt,
Domine, Aſſyrios Reges quamplurimis terris
19 vaſtitatem, & exitium, intuliſſe; 19 neque reli-
gione Deorum, quos, inſtitutis patrijs, ſuper-
ſtitioſe colebant, potuiſſe peſtem ab illarum fi-
nibus auerti. Quin & ipſi dij ſubiectis flammis
Et nunc Deus noſter ſalua nos.
incēſi, & exuſti ſunt; illorumq. cultus euanuitq.
Nec enim dij erant, ſed ſimulacra, ex lapide,
aut ligno, dolata, hominumq. manibus effecta.
20. 20 Nunc igitur, Domine, gloriæ tuæ conſule;
cauſsā tuam ſuſcipe; contumeliam nomini tuo
illatam vindica; noſq. ex immanitate tyranni
illius eripe; vt cognoſcant omnia Regna, te ſo
lum Deum verum eſſe, tuiq. ſolius numē, eſſe,
& pertimeſcendũ impijs, & a pij ſempiternis
in cælum laudibus efferendum. Hæc quidem
Ezechias precatus eſt. 21. 22. At Iſaias miſit ad
21. 22 illum continuo, qui, nomine illius, reſponſum,
quod Deus ediderat, enuntiaret. Deus, inquit
cuius tu miſericordiam precibus efflagitaſti,
Deſpexit te, & ſubſannauit te virgo filia Siō.
vt tibi contra Senacherib, Regis Aſſyrij, poten
tiam auxilium mitteret, lic effatus eſt, eiuſmo
diq. verbis ſanctam ciuitatē allocutus: Hoſtis
immanis, & truculentus, te, virginem incorru-
ptam, quæ nũquam thorum tuũ impietatis ne-
fanda libidine commaculaſti, nec alienis dijs
pudicitiam tuam violandam tradidiſti, deſpe-
xit, decus tuum confixit maledictis; ſuumq. in
23 te, & in ſtatum tuũ, odium exprompſit. 23. Ne
ſcit, demens, cũ tu violaris, Dei numē violari;
cumq. nomen tuum conuicio verberatur, ma-
ieſtatem illius verberari. Sic eſt enim Domi-
nus cum illis, qui in fide illius permanēt, & im
perium illius ſequuntur, amore copulatus, vt
nihil ab illis ſeiũctum habeat. Quamuis igitur
Aſſyrius nullam in eum contumeliam ieciſſet,
tamen ea probra, quæ tibi obiecit, perinde ac-
cepiſſet, ac ſi numen illius fuiſſet probris omni
Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti.
bus indigniſſime vexatum. Sic igitur in Aſſyriũ
inuehitur: O ſcelus, o prodigium, num intelli-
gis, in quem maledicta congeſſeris? Ipſum cæ-
li rectorem, & Dominum, cuius tutela ſalus
Iſraelis continetur, conuicio læſiſti; numen
altum, & excelſum, in te, tua iſta maledicendi
libidine, concitaſti. 24 Per miniſtros enim tuos 24
Domino maculam ſempiterni dedecoris inure
re conatus es; gloriam, quam ad te nefarie trā
ſtuliſti, & omnes victorias, quas fuiſti illius præ
ſenti numine conſecutus, viribus tuis adſcri-
pſiſti. Sic enim dixiſti: Ego, curruum meorum
multitudine conſtipatus, rerum humanarum
altitudinem, atque ſummum faſtigium, ſupe-
raui, & in omnia, quæ, tāquam in denſiſſimæ ſil-
uę luſtris, & intimo receſſu, latuerāt, penetraui.
Ego maximis regibus ſecurim inflixi; ſum-
moſq. principes bello ſtraui; magnaq. imperia
deleui; &, quacumque impetum tuli, omnia fer
25 Ego fodi, & bibi aquam.
ro populatus ſum. 25 Ego, viribus, & induſtria
mea, perfeci, vt in regionibus etiam aridis, &
ab omni cultu derelictis, opibus ſummis afflue-
rem, rebuſq. omnibus, ad regium luxum, & vi-
tæ magnificentiam neceſſarijs, abundarem.
Contra vero, fertiles regiones late vaſtaui, &
in copiam, & affluentiam, magnorum Regum
munitionibus exſtructā, inuectus ſum; &, quid-
quid in hominum fortunis eminebat, pedibus
meis protriui, atque conculcaui. 26 Hæc ſecũ 26.
vir immanis, & ſceleratus, perpetuo medita-
tur, &, his cogitationibus inflatus, numen meũ
contemnit. O hominis amentiſſimi deploran-
dam cæcitatem: o furorem deteſtabilem, & ve
hementer exſecrandum. Tantuſne te ſtupor op
preſſit, vt numquam intelligeres, omnia, mea
vi, poteſtate, numine, contineri? Numquam fa-
ma, & auditione, percepiſti, meo conſilio cun-
cta gubernari, nec eſſe quidquam, quod, abſq.
voluntate mea, loco moueatur? Quæ enim iā-
pridem animo deſignaui, quæ ſtabili conſilio
definiui, nunc, cum temporis præfiniti matu-
ritas aduētauit, effeci; &, olim quæ futura præ-
dixeram, exitu tandem præſtiti, vt in hominũ
ſcelus vindicarem, & ciuitates munitas vaſta-
tem, mœniumq. ruinas ederem, & impiorum
27 Habitatores earũ breuiata manu contremuerũt.
hominum ſtrages efficerem. 27 Eorum autem
ciuium, quos euertere cogito, manus metu de-
bilitantur, vires franguntur, ipſiq. inſignibus
ignominiæ notis inuruntur, & fiunt ſimiles her
bis agrorum, aut oleribus hortorũ ſucciſis, aut
feno tectorũ, quod, priuſquā exſurgat, atq. grā
deſcat, exareſcit. 28 Imperij igitur tui ſedes, &
amplitudo, & egreſſus e patria tuus, vt bellum

impijs nationibus inferres, & itinera tua omnia,
nia,non abſq. meo numine,& conſilio,perfecta
ſunt; nec furor quidem iſte animi tui, quo in
hominum cæde, atque vrbium vaſtitate, bac-
charis, ſine conſilio meo hominibus perniciem
machinatur. Ego ſiquidem te auxi opibus; ego
tibi eam mentem inieci, vt bellum contra mul
tos mortales comparares, vt opera tua ad vl-
ciſcendum hominum ſcelus abuterer; & per te
impietatis peſtiferam luem, quæ in dies ma-
gis ad humani generis perniciem ſerpebat, ex-
29 ſecarẽ. 29 Nunc igitur, quando, ſucceſsibus ela
tus, tanta flagras amẽtia, vt etiã in me furẽter
inueharis, &, humanæ imbecillitatis oblitus,
humanos caſus non extimeſcis, exiſtimaſque,
opes tuas, quæ tibi ingentes ſpiritus extulerũt,
fore ſempiternas; quando igitur intolerabilis
iſta arrogantia tua mihi penitus explorata eſt,
ego te coercebo, & comprimam, &, tamquam
iumentum indomitum, acriter refrenabo; &
e medio curſu te in patriam, inuitum, atque re-
pugnantem, retraham, vt ibi tandẽ debitas in-
30 Tibi autem hoc erit ſignum. ſolentiæ tuæ pœnas exſoluas. 30. Tibi vero, E-
zechia, vt clarius intueri poſſis, quam præſen-
ti auxilio ſuccurrere ſoleam omnibus, qui in
magnitudine meæ gratiæ, atque benignitatis,
acquieſcunt, ſpondeo, non modo impendentis
periculi depulſionem, verum etiam ſummam
annonæ vilitatem. Hoc igitur ſigno animus
tuus multo magis confirmabitur. Hoc enim
anno, quo, propter arationes deſertas, fames ti
mebatur, ex præda tantum frumenti numerum
colliges, quantum ſat ſit, ad omnem ciuitatem
alendam, atque ſuſtentandam. Altero deinde
anno, ſine agrorum cultu, tanta frugum vber-
tas ex agris ipſis ſponte ſua proueniet, vt nulla
aratorum induſtria requirenda ſit. Tertio de-
nique anno, ſeminabitis, & metetis, & vineas
conſeretis, & fructus ad vitam tuendam neceſ-
31 ſarios abunde colligetis. 31 Reliquiæ vero, quę
ex Iuda, fidei firmitate, & conſtantia, conſerua
tæ ſunt, altiſſimas agent radices; virtutũq. ma
ximarum ſtirpibus innixæ, creſcent; &, in ſubli-
me frondibus elatæ, fructus ſuaues proferent.
32 Quia de Ieruſalem exibunt reliquiæ. 32 Ex Ieroſolymis enim, & ex Sione, hoc eſt, ex
legis cultu, & ex religionis ſanctitate, reliquiæ
ſalutem conſecutæ prodibunt, quæ terrarum
orbem luſtraturæ ſunt. Hoc autem beneficium
non hominum meritis tribuendum eſt, ſed ad
illud incenſum Diuinæ clementię ſtudium, quo
ſuos benigne complectitur, & quorum gratia
eſt acer, & infenſus, improbis, eſt merito reuo-
33 candum. 33 Iccirco ſic ait Dominus de rege
Aſſyrio: Non ſolum non ingredietur hoſtis in
hanc vrbem, ſed ne ſagittam quidem in eam ia
ciet. Non enim cominus phalanx tecta ſcutis
vrbem adorietur; nec aggeres quidem ad eam
34 oppugnandam excitabuntur. 34 Eadẽ via, qua
venit, re infecta, reuertetur; nec ciuitati huic,
35 vt cogitat, perniciem inferet. 35 Hanc enim ci
uitatem numine meo protegam, non quidem
obſtrictus hominum meritis, ſed mea tantũ be-
nignitate prouocatus, vt gloriæ meæ conſulã,
ſeruiq. Dauidis nomini, atque poſteritati, pro-
ſpiciam. Hac quidem Dominus oratione, per
Iſaiam, Regem bono animo eſſe, iuſſit, & ſpe fu
turæ ſalutis excitauit. 36 Nec diu promiſſum di 36
ſtulit. Egreſſus enim angelus Domini de nocte,
cum iam Senacherib Ieroſolymam obſidione
cinxiſſet, occidit in Aſſyriorum caſtris centum
& octoginta quinque hominum millia. Mane
igitur, cum reliqui ſurrexiſſent, cadauerum
multitudinem intuentes, exanimantur. 37. 37
Rex, ſtragis magnitudine perturbatus, inde
confeſtim abſcedit, atque Niniuem recta con
tendit. 38 Ibi vero, cum die quadam, in tem- 38
plo, Deo ſuo (Nimroc appellabant illud ſimu-
lacrum Aſſyrij) rem Diuinam faceret, duo filij
illius, vni quidem nomen erat Adramelech, al-
teri vero Saraſſer, qui inter ſe de parentis nece
coniurauerant, impetum repente faciunt, il-
lumq. diſtrictis gladijs adoriuntur, & immaniſ
ſime trucidant. Inde confeſtim aufugiunt, & in
Armenia tandem, ab inſequẽtium turba libera
ti, conſidunt. Hunc vitæ exitum habuit tyran-
nis ille, cuius animum ita ſecundæ res extule-
rant, vt non ſolum eſſet cunctis hominibus in-
feſtus, verum etiam in Deum bellum compa-
raret. Aſſaron autem, filius eius, in locum il-
lius ſucceſſit. Hactenus quidem de Senache-
rib rebus dicta ſufficiant: nunc ad Ezechiam
redeamus.

1 Accidit eo tẽpore, vt Ezechias periculoſo, 1 CAP. XXXVIII.
atque mortifero, morbo vexaretur. Venit autẽ
ad illum Iſaias, filius Amos Propheta, Deiq. no
mine eum admonuit, vt teſtamentum faceret,
familiæq. ſuę proſpiceret. Futurum namque, vt
ex eo morbo minime conualeſceret. 2 Hoc di-
cto, Ezechias obſtupuit. Multa namque ſimul
animo reputabat, quæ magnum illi dolorem in
urebant. Atque primum, illud, quod natura ni-
mis aſperum, & acerbum, videbatur, in ipſo ro-
bore florentiſſimæ ætatis exſtingui; deinde, ſine
liberis decedere; deinde, eo tempore, quo, poſt
multos labores, vitæ tranquillæ ſuauitatem gu
ſtare incipiebat. Tum, cogitabat, nondum ea,
quę belli impetus perculerat, atque proſtraue-
rat, excitata eſſe; nondũ a ſe Remp. perfecte cõ
ſtitutam, nec ad ſanctiſſimæ diſciplinæ ſeueri-
tatem reuocatam. Poſtremo, erat de cultu reli-
gionis, & de gloria Diuina, ſollicitus, quam me-
tuebat, ne, intempeſtiua illius morte, hominũ
impuris ſermonibus imminueretur; multiq.
mortales a ſtudio pietatis auerterentur. Dixiſ
ſent enim: Hem, cur fidem, & pietatem, colas:
hem, cur omnem vitam in religionis ſtudio cõ
ſumas. Is ne eſt integritatis, & innocentiæ, fru-
ctus? Hoc iuſtitiæ præmium, & emolumẽtum?
Nam, quis hoc exſtitit vel moribus, & vita, cõ-
tinentior, vel maiore ſtudio pietatis incenſus?
Et tamẽ, quamdiu vixit, fuit infinitis laboribus
exercitus; nunc vero, cum pace, & otio, frui in-
cipiebat, & videbatur ex bonitate ſua fructum
conſequi, fuit repente, miſero, funeſtoque, fato,
conſum-

conſumptus. At, quam multi, flagitijs infames,
& ſceleribus infinitis alligati, vitam cum incū
ditate, rerumq. omnium copia, ad ſummam ſe
nectutem, perducunt; liberosq. bonorum ſuo-
rum, atque nominis, heredes in vita relinquūt?
Huiuſmodi oratio, quam multi, partim impu-
dentes, & ſcelerati, partim ſuis rebus diffiden-
tes, & imbecilli, habere vulgo potuiſſent, facil-
lime in multis pietatis ſtudiū reſtinxiſſet. Hæc
omnia conſiderans Ezechias, ſane perturbatus
eſt. Tunc ad parietem conuerſus, vt oculis ab
omnibus, qui illum circumſiſtebant, remotis,
mentem magis liberam, & ſolutam, in Deum
3 Obſecro Domine. intenderet, ſic numen illius adorauit; 3 Sum-
me Domine, quem vnice colo, quem veneror,
cuius fiducia nitor, recordare, quæſo, quanta fi-
de te tota mente complexus, & omnia, quæ tibi
cordi eſſe cognoui, diligenter exſecutus ſim.
Hæc tantum effatus, ingentem vim lacryma-
4. 5 rum profudit. 4. 5 Nondum Iſaias Regiarum
ædium limine pedem extulerat, cum ſubito, Di
uini ſpiritus impulſu, ad Ezechiam reuerſus
eſt, & ex Domini ipſius præſcripto his verbis fle
tum illius abſterſit: Ezechia, non eſt cur luctu,
atque mærore, contabeſcas, cum Dominū pre-
ces, & lacrymæ, tuæ ad miſericordiam inflexe-
rint. Sic igitur te alloquitur: Ecce quindecim
6 annos ad vitam tuam addam; 6 & ciuitatem
hanc contra Aſſyriorum opes præſidio firmo,
7 & inuicto, communiam. 7 Vt autem fides tua
ſit multo conſtantior; Diuinaq. benignitas ad-
uerſum te multo clarius ab vniuerſis conſpici
poſſit, admirando quodam ſigno, hæc ita fore,
8 confirmabo. 8 Vmbra enim, quæ iam ſolis in oc
caſum vergentis decurſu in horologio Achaz
late deſcendit, Solis contrario motu, repente
decem gradus adſcendet, diesq. præcipitans
ad principium fere reuocabitur; vt intelligas,
Dei infinita potentia fieri, vt vita propemodū
exſtincta reſpiret, & mortui reuiuiſcant, & te-
nebræ depellantur, & ſplendor nouus exoria-
tur. Hoc Dei oraculum ſtatim rerum exitu cō-
probatum fuit. Nam & vmbra in horologium
decem gradibus reuerſa eſt; (gradus appellabā
tur, quibus horæ in horologio diſtingui ſole-
bant) & Ezechias e morbo confeſtim emerſit;
9 9 & carmen continuo compoſuit, quo benefi-
ciū illud, quo fuit e faucibus ipſius mortis ere-
ptus, celebrauit. In hanc igitur ſententiā ſcrip-
10 ſit: 10 Cum me ſubito morbus oppreſſiſſet; ma
gnitudineq. ſua ſpem vitæ longioris mihi præ-
cidiſſet, cogitabam, me iam iam leti portas in-
greſſurum. Dolebam itaque, atque vehemēter
angebar, cum cernerem vitam meam, in medio
curſu, Diuino iudicio, confici, atque conſumi.
11 11 Aegerrime autem patiebar, eſſe mihi ſubtra
Non videbo Dominum Deum in terra viuentium. Non adſpiciam hominem vltra. ctam materiam pietatis colendæ, caritatisque
omni ſtudio conſectandæ. Dicebam igitur, O
me miſerum, cui non licebit iam ad Domini tē
plum adire, & in illius conſpectu hoſtias immo
lare, piasq. preces adhibere. Iam non potero
hominibus benigne facere; ciuium mores diſci
plina æquabili denincire; miſerorumq. inopiā
ſubleuare. 12 Aetas mea a me, incredibili cele- 12 Generatio mea ablata eſt.
ritate, migrauit; &, quaſi tabernaculum paſto-
ris, loco mota eſt; ſimiliter, atque textor, cum
telam abſoluerit, extrema ſtaminis fila præci-
dit: Sic ego flagitijs meis mortiferum vitæ meę
vulnus inflixi; ætatemq. meam, quaſi iam eſſet
ad extremum perducta, tamquam gladio quo-
dam, reſecui. Sic autem animo mecum medita
bar: Deus, huius morbi vi, me certe conficiet;
nec potero mortis acerbitatem vitare. Mane
dicebam, Ante veſperum, Domine, vitam meā
exhauries. 13 deinde veſperi dicebam, Ante- 13
quam dies illuceſcat, tamquam leo oſſa mea cō
fringet; omnesq. vires meas contundet, & debi
litabit. Sic igitur exiſtimabam, vitam meam eſ
ſe a te ſpatio temporis matutini, atque veſper
tini, definitam. 14 His igitur curis anxius, affli- 14. Sicut pullus hirūdinis.
ctabar; &, quaſi grus, aut hirundo, queſtibus
omnia replebam; &, quaſi columba, frequenti
gemitu, incluſam morbi vim, quæ me torque-
bat, aperiebam; & interim oculos in cælum tol
lebam, vſque eo, dum, plus nimio intenti, defice
rent. Dicebam autem: Domine, ſumma quidem
morbi vis hæc eſt, cui iam non poſſunt vlla re-
media, hominum artibus inuenta, reſiſtere. Ad
mortem rapior, & tamquam addictus trahor,
vt, interitu meo, debitum, quo ſum adſtrictus,
diſſoluam. Adeſto, Domine; pro me ſponde; fi-
demq. tuam interpone, clementiaq. tua iuſti-
tiam tuam deprecetur, & lucis vſuram aliquā
mihi impetret, dum, gratia tua ſuffultus, queā
crimina, quæ admiſi, factis egregijs compenſa-
re. 15 His quidem verbis interitum meum de- 15
flebam; cum ſubito mihi Dominus benignita-
tis ſuæ lumen porrexit. Quibus verbis, quo ge- Quid dicam?
nere orationis, tam inſignem in me illius beni-
gnitatem explicabo? Nec enim diſtulit. Affuit,
promiſit, effecit, ſpem ſanitatis oſtendit, & abſ-
que vlla mora ſanitatem reſtituit. Numquam
huius tanti angoris, & acerbitatis, quæ me ve-
hementer afflixit, memoriam deponam; ſed de
illa, quoad vita ſuppeditabit, noctes, & dies, co-
gitabo, & quotannis, in templum, multorum
hominum fidelium comitatu circumſæptus,
cum donis, incedam, vt victimas immolem, &
ſacrificia laudis offeram, &, recordatione tan-
tæ in me benignitatis, inflammer. In me nam-
que documentum ſtatuiſti, Domine, quanta be
nignitate proſequeris eos, qui te totis animi
præcordijs intuentur. Nam ad eorum vitam
annorum cumulum addes; illorumq. animos
immortalitatis muneribus augebis, & amplifi-
cabis. 16 Horum bonorum omnium recorda- 16
tione, quæ ſunt illis a te parata, atque conſtitu-
ta, mentis meæ vita continetur, ita, vt in omni
calamitate, hæc me futurę immortalitatis ſpes
mirifice ſuſtentet. Firmiſſimam enim ſpem ha-
beo in benignitate tua repoſitam; & credo fu-
turum, vt tu me, morte, quaſi ſomno, conſopi-
tum, in vitam illam ſempiternam excites, & lu
mine cæleſtis ſplendoris illuſtres. 17 Sic igi- 17

tur factum eſt, vt ne mortem quidem valde per
timeſcam. Si quidem per illam video aditum
ad immortalem gloriam; clementiæ tuæ ma-
gnitudine, patefactum. Hic enim morbus,
quo acerbiſsime conflictatus ſum, hæc vis do-
loris, quæ me incredibiliter afflixit, magnam
mihi felicitatis cauſſam attulit, & ingentem
bonorum omnium copiam importauit. Nam
animam meam eximia beneuolentia fuiſti
proſecutus, eamq. ab exitio, & interitu, vin-
dicaſti; omniaq. peccata mea obliuione ſem-
piterna contriuiſti; in quo quidem, gloriæ
tuæ, ſingulari ratione, proſpexiſti. Documen-
tum enim præclarum ſtatuiſti, numquam eos,
qui in tutela tua ſunt, eſſe ab ope tua deſeren-
dos, ſed vita ſempiterna, atque gloria immor-
tali, tumulandos. 18 Nec enim mors, & in- 15 Non infernus confitebitur tibi.
teritus, tuorum, gloriam tuam illuſtrat; nec
caſus eorum, qui in te ſpem vitæ conſtituunt,
laudibus tuis omnium prædicatione celebran-
dis materiam præbet; nec ij, qui ſempiterna
morte penitus exſtincti, atque deleti ſunt, fi-
19 dem tuam in cælum ferent. 19 Qui vita, qui
vita, beneficio tuo, fruitur, quemadmodum
ego nunc fruor, qui ſpiritu tuo viget; & ſen-
tit, & myſteria Diuina conſiderat, & ad immor
talem vitam adſpirat, is eſt, qui te ſempiternis
laudibus efferet, qui filios ſuos ad laudem tibi
ſempiternam tribuendam erudiet, qui de fide
tua, quam erga illos, qui ſeſe tibi dedicauerunt,
conſeruas, nullis, in omni æternitate, ſæculis
conticeſcet.
20 20 Dominus enim ſolus eſt, qui mihi ſalutē
attulit. Omnibus igitur diebus vitæ meæ illum
carminibus, & inſtrumentis muſicis, & canti-
bus, in templo celebrabimus; nec patiemur, vl-
lo modo memoriam tantæ benignitatis exſtin
21 gui. Hactenus quidem Ezechias. 21 Iſaias ta-
men, vt documentum daret, non eſſe in homi-
num morbis ea remedia, quæ Dominus eorum
cauſſa creauit, aſpernanda, præcepit miniſtris,
vt ficorum maſſam contuſam Ezechiæ vlceri-
bus adhiberent. Ne tamen quiſquam eam ſani-
tatē remedijs humanis adſcriberet, Ezechias
non ſenſim, & leniter, vt, cum remedia ſaluta-
ria, humana tamen, adhibentur, fieri ſolet, ſed
22 repente, conualuit, integrasq. vires recepit. 22
Magnum autem argumentum pietatis, quæ in
Ezechia eminebat, fuit illa vox, quam emiſit,
cum Iſaias illi ſanitatem futuram nuntiauit.
Ait enim: Quo tandem ſigno erit mihi penitus
exploratum, me in Domini templum adſcenſu
rum? Vnde colligitur, non tam communis vitæ
cupiditate illum in tanto mærore verſatū fuiſ-
ſe, quam, propter admirabile religionis ſtudiū,
acerbiſsimo mærore conflictari, quod, mente
impeditus, non poſſet diutius in vita religionē
colere, nec nomen Domini celebrare, nec ope-
ra ſancta, atque præclara, moliri.
1 CAP. XXXIX. 1 Hoc autem miraculo, quo teſtatum fuit, ſa
nitatem Ezechiæ Diuino munere fuiſſe reſtitu
tam, cum multas alias nationes, tum Chaldęos
præcipue, qui ſiderum curſus diligentiſſime no
tabant, admiratione defixit. Regnabat tunc in
Babylonia Merodach Baladan, filius Baladan.
Is igitur, vt de ratione ſigni illius admirandi
certior fieret, & amicitiā cum Rege pio firma-
ret, miſit ad illum, cum litteris, atque muneri-
bus, qui ei, de recuperata ſanitate, gratularen-
tur. 2 Quibus quidem nuntijs Ezechias mirifi- 2 Lætatus eſt autē ſuper eis Ezechias.
ce lætatus eſt; Legatosq. ſatis benigne, & ho-
ſpitaliter, excepit; tantaq. humanitate eos pro
ſecutus fuit, vt omnes ſuas opes illis explica-
ret, in eorumq. conſpectu proponeret, auri, &
argenti magnum pondus, aromatum, & vnguē
torum, incredibili ſuauitatis odore fragrātiū,
multitudinem, vaſa ſingulari opere perfecta,
pretioſasq. veſtes, variam, & magnificam, ſu-
pellectilem; quidquid denique fuit, vel in the-
ſauris, vel in toto Regno, quod eſſet & pretio,
& pulchritudine, Regio luxu dignum. Itaque
omni ratione laborauit, ne humanitatis offi-
cijs a Babyloniæ Rege vinceretur, & vt animū
ſuum gratū, & beneuolum, multis ſignis oſten-
deret. 3 Hac Regis inconſiderata ſimplicitate 3
fuit non mediocriter offenſus Iſaias. Primū e-
nim, colere tanto ſtudio impij Regis amicitiā,
non erat in mediocri vitio ponendum; deinde,
credere, fieri poſſe, vt, quorum religio, atq. mo
res diſſiderent, animi firmo inter ſe amoris fœ-
dere conuenirent, erat ſummæ ſtultitiæ tribuē
dum. Neceſſe namque eſt, vt, qui moribus, & in
ſtitutis, & ſtudio vitæ, ſunt inter ſe diſſimiles,
animis ita diſſentiant, vt alij in aliorum perni-
ciem, cum primum vires nacti fuerint, erum-
pant. Vt igitur ſapientis eſt, precauere, ne quid
inſidiarum in ſpecie fictæ amicitiæ lateat; ita
ſtultiſſimum eſt, totum animum amicis infidis
aperire. Iam vero non arma, non arcium muni
tiones, non locorum aſperitates, non armato-
rum hominum multitudinem, ſed opes, & di-
uitias, hominibus ad ſummam tyrannidem
ſpectantibus oſtentare, non erat aliud, quam
metum demere, & cupiditatem irritare.
Id enim bellum ſuſcipiunt homines libentiſ-
ſime, quo, minimo cum periculo, ſummum ſibi
laboris præmium proponunt. Vt igitur fuiſſet
inhumanitatis, munus illud ſibi miſſum aſper-
nari; ita fuit temeritatis, tantam fidem homini
bus illis, quos tum primum viderat, habere,
vt omnes ſuas opes illis demonſtraret. Omitto
leuitatem, quam præſeferre videbatur illa di-
uitiarum oſtentatio; omitto gloriæ illius inani-
tatem, non in opibus animi, ſed in terreſtribus
diuitijs, conſtitutę; omitto deniq. crimen, quod
in amicitia illa, cum hominibus a vera religio-
ne abhorrentibus inita, nimis amplexanda cō-
mittebat; ipſa certe nimis aperta ſimplicitas
erat reprehenſione digniſſima. Venit igitur ad
illum Iſaias, vt eum amentiæ, atque temerita-
tis, accuſaret. Primum itaque, eum interro-
gans, ait: Quid nuntiant tibi homines ij, aut vn
de veniunt ad te? E terra, inquit, longinqua ve
niunt, vt me ſui Regis nomine ſalutent. ſunt
enim

enim Babylonij, & inde profecti ſunt. 4 Quid,
inquit, domi tuæ conſpexerunt? Prorſus, in-
quit, omnia. Nihil enim eſt in theſauris meis,
quod non illis euolutum, & explicatum, oſten-
5 derim. 5 Quando, inquit Iſaias, tantum in te
crimen ſtultitiæ admiſiſti, audi nunc, quid Do-
minus tibi futurum prænunciet, vt intelligas,
6 quibus hominibus teipſum dederis. 6 Iam ap-
propinquabit tempus illud, quo opes vniuerſæ,
quas habes domi tuæ reconditas, Babylonem
aſportentur; ita, vt nihil ex illis diuitijs ingen-
tibus, quas parentes tui in theſaurum congeſ-
ſerũt, in ædibus relinquatur. 7 Quin & ex poſte- 7
ris tuis, quos ſatu tuo generabis, deligent, quos
eunuchos faciant, vt in aula Regia Babylonis
miniſtrent, & ſeruitute perpetua premantur.
Ezechias vero ait: Bene vertat Dominus hoc,
quod nomine illius protuliſti. Interim tamen
me ſpes illa ſuſtentabit, quam habeo in illius fi-
de collocatam. Promiſit enim, diebus meis
me pace, & incolumitate, fruiturum.

Hactenus quidem ea, quæ in diebus Ezechiæ accidere, referuntur.

Digitized by Google

# HIERONYMI OSORII LVSITANI PARAPHRASIS IN ISAIAM LIBER QVARTVS.

## PROOEMIVM.

Vámquam in amore illo nobis penitus inſito, quo nos ipſi complectimur, tota noſtri ſtatus tuendi, atq. conſeruandi, ratio poſita videatur; cum tamen is extra modum prodit, omnium malorum ſeminator eſt, totamq. hominum vitam funditus euertit. Nam, cum omnis amor humanis rationibus excitatus, animo tenebras offundat, mentemq. impediat, quo minus vitia, quæ inſunt in ea re, quam habet caram, perſpiciat; tum ille, quo ſe quiſque amat, tantum valet, vt animum de toto mentis ſtatu deiiciat, & in turbulentos, atque peſtiferos, errores inducat. Ita eueniet, vt, ratione de gubernaculis deiecta, remeritas, atque libido, in humana mente dominetur; totumque animum, quocumque ruere incipiet, impetu furibundo contorqueat. Dum igitur ſibi quiſque indulget, dum propriæ voluntati ſeruire pulchrum eſſe ſtatuit, dum poſtremo ad ſuam cupiditatem omnia referenda putat, quaſi quodam æſtu iactatus, tætra caligine circumfuſus, nihil vere, & incorrupte, iudicare poteſt; ſed pro pulchris, deformia; pro ſalutaribus, pernicioſa; pro iucundis, acerba, frequenter arripit; &, quod fragile, & caducum eſt, quaſi ſtabile ſit, atque ſempiternum, modis omnibus amplexatur. Sic igitur, animus ruat, neceſſe eſt, & in peſtem ſempiternam, præceps, furore, & amentia, rapiatur. Nihil eſt enim mẽtis cæcitate funeſtius. Quo enim magis corpori animus antecellit, eo cęcitas animi eſt magis deteſtabilis, & exſecranda. Deinde homo, corporis oculis orbatus, quandiu ratione ducitur, non eſt omnino cæcus exiſtimandus. Id enim ipſum certe videt, ſe videndi ſenſum non habere. Itaque ducem requirit, & baculum efflagitat, & manibus uiam, quam eſt ingreſſurus, explorat; &, ne quid offendat, ſenſim, atque leniter, incedit; & ſumma diligentia cauet, ne labatur, & concidat; at, qui mentis cæcitate laborat, cum id ipſum rationis lumen, quo erat de amentia iudicandum, amiſerit, non poteſt vllo modo ſuam ipſius cæcitatem ratione perſpicere. Tantum igitur abeſt, vt alicuius ducis, atque moderatoris, opem imploret, vt ſe potius oſtentet; ſummamq. ſibi ſapientiam aſſumat; ſeq. tantis ingenij opibus inſtructum eſſe arbitretur, vt facile poſſit reliquos mortales imperio ſuo moderari. Sic igitur ruit, ſeq. in exitium præcipitat, vt non ipſe tantum, ſed omnes, qui ſe cum illo coniungunt, omnibus ruinis opprimantur. Vt enim nihil eſt ſapientiæ falſa opinione dementius; ita nihil excogitari poteſt in omni genere peſtilentius. Sed, cum multa mala ab hac ſumma ſtultiria, quæ ſapientiæ nomen obtinere contendit, oriantur; tum nullum eſt tætrius, atque deteſtabilius, eo, quod eſt in impia mentis rebellione, & perfidia, conſtitutorum. Dum enim hic amor noſtri longius euagatur, non ſolum noſtra vitia non ſentimus; verum etiam adeo nobis pulchre eſſe iudicamus, vt ſumma nos tandem capiat noſtri conditoris, atque rectoris, obliuio. Quaſi enim a nobis ipſis orti eſſemus, nec Diuino beneficio in hanc vitam fuiſſemus ingreſſi; ita nobis fidimus, noſtro ingenio nitimur; nec in Deo, ſed in nobis ipſis, omnia vitæ præſidia, atque dignitatis ornamenta, collocamus. Sic igitur fiet, vt, a Deo, cuius opem contemnimus, derelicti, & noſtris cupiditatibus, quibus ſeruiendũ exiſtima-

ſtimamus, omnino traditi, in miſeriam ſempiternam præcipiter exturbemur, atque pœnas ſubeamus, quas omnes illi, qui fuere ſummâ amentia vexati, pertulerunt. Hic enim furor mentes cæleſtes, quæ ſe nimis amauerunt, ab altiſſimo cæli faſtigio deturbauit; hæc amentia primos humani generis parentes afflixit; hæc intoleranda ſuperbia Principes, hominum opinione maximos, funditus perdidit, eorumq. opes, atque nomen, exſtinxit; hæc poſtremo dæmonis infeſtiſsimi Regnum, cum hominum ſumma peſte, & pernicie, in terris amplificauit. Ex quo ſequitur, nullam eſſe tætriorem vitæ peſtem, nullum malum pernicioſius, atque funeſtius, eo, quod hoc amore amentiſſimo, & perditiſſimo, continetur. Summus igitur furor eſt, aliquid aliud amabile, & expetendum, iudicare, præter honeſtatem. Quid enim eſt amore dignum, niſi quod excellenti forma, & ſpecie pulchritudinis, antecellit? Quid autem pulchrum exiſtimari conuenit, niſi quod eſt Diuino modo, atque ratione dimenſum, & aptiſſima partiũ compoſitione, venuſtũ, & cęleſtis numinis candore, & ſplendore, clariſſimũ? Cum autem hæc omnia vera honeſtas animi in ſe complexa contineat, reliquum eſt, vt ea ſola, ſiue illa in nobis ſit, ſiue in aliis, nos debeat ad ſe amandam allicere. Sed illud ſtatuendum eſt, cum ſola iuſtitiæ pulchritudo amabilis, & expetenda ſit, tantumq. beneuolentiæ ſit rei cuilibet impartiendum, quantum ea res particeps illius honeſtatis exſtiterit, multo certe magis ipſum iuſtitiæ, atque dignitatis, fontem, vnde omnes laudes manãt, & fluunt, amandum eſſe, & valde ardenter expetendum. Qui igitur ſeſe ad virtutis, & honeſtatis, ſtudiũ, tota mente contulerit; opus eſt, vt in Deum intueatur; illius ſpeciem, & pulchritudinem, contempletur; & ad illius effigiem, vitæ inſtitutis, atque muneribus, imitandam ſe conferat. Aliter enim numquam aliquem virtutis gradum in vita conſequetur. Quod cum fecerit, non erit periculum, ne, ſe nimis amando, de ſtatu ſuo demigret, & in peſtem ruat. Nam, cum omnis virtus, quãta uis illa dignitate præcellat, cum in Diuinæ virtutis claritatem incurrit, obſcuretur, & comparatione illius euaneſcat; conſequens eſt, vt qui mentis oculos in Diuinæ virtutis elegantia defigit, omnem amorem in eam conferat; illius deſiderio flagret; & ardentiſsimæ caritatis ignibus inflammetur; vſque adeo, vt in ſui odium quodammodo veniat, in eoq. neruos omnes intendat, vt, à ſe ipſo diuulſus, cum Deo artiſſimis vinculis adſtringatur. Vt igitur amore illo cæco, & inſano, omnia mala, quæ ſunt in hominum perditorum vita, continentur; ita odium noſtri, non quidem furore, & amẽtia, ſuſceptum, ſed cogitationibus ſapientiſſimis excitatũ, nos ad beatam, & immortalem, vitam perducit. Quod ſi amoris natura ſalutaris, & benefica eſt, concludi poteſt, eum, qui ſe nimis amat, cum ſibi ipſi cauſſam tam funeſtæ eladis afferat, eſſe ſibi grauiter inimicum, & infenſum; contra vero, qui ſe, hoc eſt, qui temeritatem ſuam odio acerbo perſequitur, ſibi valde amicum eſſe. Dignitatem enim ſuam tuetur; ſalutem ſuam conſtituit; omnes opes ſuas auget, cum, ductus odio ſui, animum ſuum a ſui ipſius familiaritate, & conſuetudine, quantum poteſt, abducit; vt eum cum Diuina lege, atque voluntate, conglutinet. Ergo, cum in hoc odio ſit totius ſapientiæ fundamentum, omnis noſter conatus eo comparandus eſt, vt illud acerrime ſuſcipiamus; vt ita tandem ea, quæ ſunt iucunda, & amabilia, conſectemur, & turpia, atque flagitioſa, ſumma animi contentione, repellamus. Via autem, qua id conſequi poſſimus, eſt in ardenti fide poſita. Ea namque, poſtquam tenebras animi diſpellit, vtrumque ſimul in conſpectu proponit, & Diuinæ pulchritudinis, quo ad acies mentis noſtræ ferre, atque ſuſtinere, poteſt, ſpendorem, & naturæ noſtræ fragilitatem, cum flagitiorum omnium fœditate coniunctam. Inde fit, vt ſimul, & nos ipſos noſtri odium capiat; & amor Diuinarum rerum incendat. Quo autem magis in hoc ſtudio progredimur, eo magis, atque magis opus eſt, vt ad ſimilitudinem Diuinæ mentis accedamus. Quo enim magis noſtra abiicimus, atque deponimus, eo facilius omnia Diuina munera, & ornamenta, conſequimur. Cum autem id propoſitum ſit Iſaiæ, vt nos ſimul & in odium humanæ prauitatis adducat, & ſtudio, & amore, Diuinæ benignitatis inflammet, tum in hoc loco, quem nunc tractandum ſuſcipimus, in vtroque munere efficiendo, eſt maxime oratio illius admiranda.

da. Diuinæ namque mentis viribus acrius excitatus, piorum hominum cœtum alloquitur, illiſq. omnibus de tanta felicitate ſumma quadam orationis magnificentia gratulatur; & Diuinæ gratiæ magnitudinem grandibus verbis exaggerat. Et, vt magis beneficij, atque muneris, amplitudinem explicet, de Chriſti numine, imperio, maieſtate, cuius opera tantum munus adminiſtratum fuit, luculentiſſime diſſerit: tum, vt magis amplitudo, atque maieſtas, illius emineat, quanta ſit humanæ naturæ fragilitas, quanta vanitas, & inconſtantia, diligenter exponit: vt ſic tandem perſuadeat omnibus, qui vitam ſuam firmo, & inuicto, præſidio munire voluerint, vt res omnes humanas, atque adeo ſeipſos, contemnant, atque deſpiciant; totosq. ſe cum ſummo illo rerum omnium Domino, optimoq. generis humani parente, coniungant; &, vt ita dicam, ab hominibus exeant, vt Diuinitatis ipſius compotes exſiſtant. Multo igitur acrius inflammatus, eos, quos habet muneris ſocios, maxima voce compellat, & admonet, vt plebem Domini, ad tanti muneris fructum alacriter accipiendum, exhortentur. Sic igitur ait:

CAP. XL.

1 Conſolamini, conſolamini populũ meum, dicit Deus veſter, cœtumq. fidelium, leniſsimis verbis, a luctu, ad lætitiam reuocate;
2 perculſos, iacentes erigite; omnibus ſpem ſalutis, atque ſempiternæ dignitatis, oſtendite.
Completa eſt malitia eius.
Iam enim ſunt perfuncti periculis, leuati laboribus, & onere duriſsimæ militiæ liberati. Iam enim tempus illud, Diuino conſilio præfinitum, completum eſt, quo eſt ſeruile iugum a ceruicibus hominum deiiciendum; & peccati, cuius ſub lege militabant, vis exſtinguenda; metusq. mortis, quo fracti erant, omnino depellendus. Erunt enim ſcelere ſoluti; & ab omnibus peccatis, quibus adſtricti tenebantur, expiati. Nam ſatis abunde fuit Diuinæ iuſtitiæ pro eorum peccatis ſatisfactũ.
Suſcepit de manu Domiai duplicia.
Multo namque maius pondus eſt in pretio, pro eorum criminibus expiandis perſoluto, quam fuit grauitas ſcelerum, qua in ſe Deum irritauerant. Multo igitur maiores opes a Domino, Chriſti meritis, atque religione, conſequentur; quam, propter peccatum a ſe perpetratum, atq. nefarium ſcelus, amiſerant.
3 Vox clamantis in deſerto.
3 Sed, quænam tandem eſt iſta præclara vox, qua aures meæ circumſonant. Videor enim mihi videre virum clarum, & excelſum, Diuinis virtutibus egregie cumulatum, in vaſta ſolitudine, viam ad Dei filium in terris excipiendum præclare munientem. Nec enim erat Diuinæ maieſtati decorum, vt is viam aſperam, & arduam, virgultis, & frondibus, intercluſam, multiſq. anfractibus obliquam, tereret, quæ curſum illius impediret. Quo circa virum Diuino ſpiritu plenum ante ſe mittet, qui viam curet. Is igitur maximis vocibus in horrida ſolitudine, hoc eſt, in auribus populi vaſti, & inculti, clamabit; omneſq. mortales adhortabitur, vt in animis viam aperiant, qua numen Domini ad eos perueniat, in eorumq. præcordiis inſideat. Iter, inquit, cuncti mortales aperite; viam munite; cuncta obſtantia remouete; deſertum iſtum locum, qui modò eſt ſerpentium luſtris infeſtus, ſcelerum deteſtatione perpurgate; vt ad vos Dominus recta gradiatur; aduentuq. ſuo bonorum omnium compotes efficiat.
4 Omnis vallis exaltabitur.
4 His verbis incitata multitudo, ſumma quadam alacritate viæ muniendæ operam dabit. Incredibilis igitur animorum motus exſiſtet, & ſubita vitæ conuerſio; & omnes, ad quorum aures vox illa peruenerit, certatim in curanda via laborabunt. Confeſtim igitur multa tellure completæ valles aſſurgent; montium cacumina deprimentur; viæ oblique ad rectiſſimam normam dirigentur; aſperæ vero repente complanabuntur; vt ſic tandem filius Dei, plana, & recta, facillimaque, & expeditiſsima, via, ſuſceptum iter conficiat. Homines enim fracti, & abiecti, ſumma ſpe ſalutis erigentur; & animi confidentis elatio deprimetur; & iniqui, atque fraudulenti, ſeſe ad ſtudium æquitatis applicabunt; & acerbi, atque difficiles, mites, & manſueti, reddentur; ne vel animi nimis demiſsi diffidentia, vel inſolentis, & elati, confidentia, vel iniquitatis, & iniuſtitiæ peruerſitas, vel odij duritas, atq. pertinacia, iter illius remoretur.
5 Et reuelabitur gloria Domini.
5 Tunc igitur, cum ad hunc modum via curata fuerit, repente Dei filius, qui eſt ſplendor, & gloria, patris, in terris apparebit; & magnitudinem Diuinæ virtutis, & ſapientiæ, atque benignitatis, admirandis operibus illuſtrabit; neque ſolum Iudæa, ſed omnes mortales, qui ſeſe ad ſtudium illius adiunxerint, verbum Diuinum mente concipient; & intelligent tandem, quanta fide Dominus promiſſa confecerit.
Et videbit omnis caro, quod os Domini locutum eſt.
Hoc tam admirando, & inſolito, lucis ſplendore, omnia, quæ clara, & illuſtria, videbantur, protinus obſcurabuntur. Nec enim opes humanæ, nec ratio, nec diſciplina, nec lex quidem ipſa, potuit hominum genus a tenebris, quibus ſepultum tenebatur, eripere, & in lucem, atque libertatem, vindicare. Omnia ſiquidem ſunt caduca, fragilia, breuiſsimo temporis ſpatio circumſcripta, & mortis tandem cuncta demolientis acerbitate conſumenda; ſola Diuinæ lucis claritas, cum omnes tenebras repente diſcutiat, & in omnes partes latiſsime diffundatur, & ſit conſtans, atque ſempiterna, potuit humanum genus in vitam reuocare, & immortalitate donare; ornamentiſq. Diuinis, atque ſempiternis, excolere. 6 Hæc mihi attentius 6

cogitanti,

cogitanti, mirum eſt, quam omnia, quæ clara,
& illuſtria, videbantur, deſpexerim, atque pro
*Vox Domini dicentis, Clama.*
nihilo reputauerim. Subitis igitur ignibus ex-
arſi, atque Diuino ſpiritu ad clamandum com
motus, & incitatus ſum. Quid, inquam, clama-
bo? Clama, inquit, Diuina mens, & clariſsima
voce teſtificare, omnes homines eſſe cũ breui,
& fluxa, herbarum viriditate comparandos;
& omnes opes, quibus poſſe videntur rebus hu
manis benigne conſulere, cũ floribus agri con
7 ferendas. 7 Herba exaruit, flos repente decidit;
cũ primum in illum Dominus ventum paullo
vehementius incitauit. Profecto ſatis cõuenit
hoc Herbæ nomẽ humanæ fragilitati. 8 Exaruit
herba; decidit flos; omnes opes humanæ peni-
tus extinctæ ſunt; nullumq. omnino fructum
rebus communibus attulerunt, at verbum Do-
mini, in quo ſalus humana conſiſtit, ſolum eſt
ſtabile, fixũ, atque ſempiternum; ita, vt ſalus e-
tiam noſtra, quam Domini verbum conſtituit,
immortalis, atque ſempiterna ſit; nec vllis vn-
*9 Super mõtẽ excelſũ aſcende.*
quam ſeculis affligenda. 9 Tu igitur, o ciuitas
ſancta, in quam omnes cæleſtes ciues adſcriben
di ſunt, ſpiritus ingentes aſſume; in locum edi-
tum, & excelſum, vnde ab omnibus audiri poſ-
ſis, adſcende; vocem tantum, quantum potes,
intende. O præclara legatorum Diuinorum ſo
cietas; o Diuinum ſodalicium, audacter, &
intrepide, magnitudinem tantæ felicitatis ma
xima voce teſtificare. Hæc dic omnibus ciuita
tibus Iuda, & populis vniuerſis, quos fides in
Iudæorum ſtirpem inſeret. O viri, cunctam ex
animis mæſtitiam depellite, gaudioq. ſummo
triumphate. Iam enim eſt ſeruitus depulſa;
metus mortis abſterſus; tenebræ diſsipatæ; ſa-
lus, atque libertas, conſtituta. Ecce enim, veſter
Deus adeſt, vt vos, e miſeriis extremis ereptos,
muneribus, atque donis, ſempiternis afficiat.
*10 Et brachium eius dominabitur.*
10 Ecce Dominus Deus, robore virtutis ſuæ cir
cumſæptus, aduentat, vt viribus tãtum ſuis do-
minetur, & rem tantam conficiat. Nec enim ar
matis hominum millibus ſtipatus, nec opibus
humanis inſtructus, nec diſertorum hominum
oratione, conſilio, auctoritate, munitus, tam
præclarum facinus aggredietur; ſed ſpiritus
ſui virtute, robore, vehementia, tæterrimã ty-
rannidem delebit; Regnumq. ſuum lege ſempi
terna fundabit; Diuiniſq. opibus, & ornamen
tis, amplificabit. Amplam, & illuſtrem, atque
*Ecce merces eius, & opes illius coram illo.*
ſempiternam, magnificentiaq. ſua digniſsimã,
mercedem proponet, non quidem otioſis, & in-
gratis, imperiumq. illius nefarie detrectanti-
bus, ſed fidem, & officium, colentibus. Opus e-
nim, quod remunerat, eſt fides vigens, & in-
cenſa, & numine illius ad ſtudium immortalita
tis incitata, quæ quidem faciem illius antece-
det. Merces vero, qua fidei ardorem, ſecun-
dum amplitudinem gratiæ ſuæ, remunerat, eſt
Diuinum iuſtitiæ munus, & cæleſtis dignitatis
decus, & elegantia; qua mentes humanas exor
nabit, & idoneas efficiet, in quas Regni ſem-
piterni opes, & ornamenta, congerantur.

11 Non tamen tantum operis exiget ab homi- 11
nibus, quantum erat pro tanta mercede flagi-
tandum; ſed imbecillitatis humanæ rationem
ducet; clementiſsimeq. eorum ignauiam in
principio tolerabit. Nam, tamquam paſtor,
*Sicut paſtor gregẽ ſuũ paſcet ...*
gregis ſui commodum exſpectabit, & ſingulis
etiam pecudibus ſingulari ratione prouidebit.
Non igitur inſtabit nimis ouibus; non vrgebit
acriter arietes; ne eos, nimis fatigando, labore
conficiat, ſed ſenſim, atq. leniter, aget; brachio
ſuo congregabit eos, qui, tamquam agni, lacte
nutriendi ſunt; & ſinu, & gremio, ſuo fouebit
mentes fide grauidas, vt ab illis abortionis pe-
riculum depellat, Benignitateq. ſua ſuſtentabit
eas, paullatimq. deducet. 12 O admirabilem, & 12
obſtupendam, gratiæ Diuinæ magnitudinem?
O ſummum, & altiſsimum, non ſolum benigni-
tatis, & clementiæ, ſed humilitatis, atque mo-
derationis, exemplum? Ille ſummus cæli Re-
ctor, & Dominator, qui omnia creauit, cuius nu
mine, conſilio, benignitate, vniuerſa natura cõ
tinetur, eſt is, qui per ſe terras eſt luſtraturus;
qui ſe, noſtræ ſalutis cauſſa, adeo ſummiſſe ge-
ret, vt noſtris commodis ſeruiat, & diligentiſ-
ſimi paſtoris officio perfungatur. Si vultis cle-
mentiæ magnitudinem exacte perſpicere, nu-
minis, atq. maieſtatis, amplitudinem animis pu
ris intuemini. Quis aquas vniuerſas volæ men-
ſura definiuit? Quis cælum palmo dimenſum
expoliuit? Quis excelſos montes, & omnes col
les, ad trutinam perpendit? Quis vniuerſas mũ
di partes inter ſe, numerorum ſollertiſsima ra-
tione, & ponderũ examine, colligauit? 13 Quis 13
denique, quod eſt omnium maximum, eſt ille,
quem ſummus Dominus, rerum omnium con-
ditor, atque moderator, in conſilium adhibuit,
vt per eum ſpiritus ſui munera concinnaret?
Quis tãdem eſt, quem pater, a ſempiterno tem
pore, ſapientiæ participem effecit? 14 Cum quo 14
ſua conſilia communicauit; & omnium rerum
intelligentia inſtruxit? Quem ad omnem ratio
nem iuris, & æquitatis, & prudentiæ, mirabili-
ter erudiuit? Quis ille poſtremo eſt, a quo ſum-
mus ille Deus nihil ſeiunctum habet? Nemo a-
lius certe, quam hic ſolus, qui, cum ſit patris
ſummi mens, Diuinorumq. conſiliorum parti-
ceps, mundiq. totius opifex, per ſe tamen ter-
ras inuiſet. 15 At, quorum gratia tantam ope- 15
ram in ſalute communi procuranda cõſumet?
hominum certe; quibus nihil magis contem-
ptum, & abiectum, nihil magis fragile, & imbe
cillum, animo fingi poteſt. Nec enim ſolum ſin
guli per ſe homines ſunt inaniſsimi; verum e-
tiã vniuerſæ gentes ſunt, inſtar guttæ in plena
ſitula; quæ, cum primum e vaſe in terram deflu
xerit, euaneſcet, & tamquam tenuis puluis, tru
tinæ lancibus adſperſus, qui nullũ omnino mo-
mentum ad alterutram lancem deprimendam
habet, & præterea leuiſsimo flatu diſpellitur.
Profecto, ſic ſunt hominum cœtus, atque ciui-
tates vniuerſæ, quæ perpetuo variarum pertur
bationum fluctibus alluuntur. Nec enim ſolum

ſi

ſi cum aliis mundi partibus, vel magnitudine,
vel pulchritudine, vel ſtabilitate, conferantur,
ſunt pro nihilo putandi; verũ, quaſi puluis exi-
guus, auræ quantũuis exiguæ flatu proiiciũtur.
16 Libanus nõ ſufficiet ad ſuccendendum. 16 Quibus muneribus, atq. ſacrificiis, pote-
runt homines, ſi in vnum locum vndique con-
uenìant, Dei maieſtatem obligare? quibus ho-
noribus nomen illius celebrare? quibus opera-
ti ſacris iram illius lenire? Vt ſaltus ingens Li-
bani ſuccidatur, vt cuncta animantia in Dei ho
norẽ iugulentur, & in illius ara ſubiectis flam-
mis abſumantur; numquid ex his religionis ſtu
diis fieri poteſt, vt aliquis gloriæ cumulus ad
infinitam illius amplitudinem, & nominis im-
menſi decus, & gloriam, accedat? Non certe:
17 17 Nam gentes omnes in illius conſpectu pro
nihilo ſunt; & omnes humanæ opes in ſumma
inanitate verſantur. Quid igitur eſt, quod ab
inanitate, & ludibrio quodam humanæ naturæ
profecto poſsit Dei infinitum imperium auge-
re, aut gloriam immenſam luſtrare, aut numen
illius, quaſi quodam nexu iuris, adſtringere?
18 18 Hæc non vident homines amẽtes, & miſeri;
nec intelligunt, quantum interuallum inter Di
uinæ mẽtis altitudinem, & humanæ naturæ fra
gilitatem, interiectum ſit. Se igitur cum Deo
comparant; &, quantũ ſibiipſis attribuunt, tan
tum de laude Diuina detrahunt. Hinc exorta
fuit impura, & nefaria, ſuperſtitio, quæ Deo cor
pus, & ſenſus, & turbidos etiam motus, affin-
xit; & ſimulacra in hominum ſpeciem figurata
dedicauit. O deteſtabilem amentiam, o flagi-
tioſam temeritatem, o cæcitatem deplorandã
hominum, qui humanum ſtatum, & inceſſum,
Cui igitur ſimilẽ facitis Deum. & mores, ad Deum referũt? Ad quam ſpeciem,
quæſo, Dei ſimulacrum ſtatuetis, cum, Dei for
ma, qualis ſit, ne ſuſpicione quidem attinge-
re poſsitis? Ad quod exemplum in exprimenda
Dei ſimilitudine, artẽ, & manũ, dirigetis? Quo
tandem opere, & artificio, vim illius numinis
ſempiternam, quã nulla ratio, nullum acumen,
nullum ingenium, cõſequi poteſt, imitabimini?
19 Et tamen faber ſimulacrum conflat; aurifex
aureis laminis illud obducit, & argenteis cate
20 nis in ſede ſtabili reuincit. 20 Alius autem, qui
tantas opes non habet, lignum, quod non faci-
le vetuſtate corrumpi poſsit, eligit, vt ex eo mu
nus ad dedicandum, impuriſſimaque religione
conſecrandum, offerat. Tum, ſummo ſtudio, &
ſedulitate, opificem, qui ſculpẽdi artificio præ-
cellat, inquirit, vt ſimulacrũ, quod ſe loco moue
re non poſſit, efficiat. Adeoq. ſine mente ſunt,
vt ea, quæ ſenſibus omnino carent, pro Deo ve
21 nerentur. 21 Nonne tandem aliquando ſentie-
tis, homines amentiſsimi, quantum diſtet cæle-
ſtis numinis amplitudo, ab iis ſignis, ad quorũ
vos pedes abiicitis? Numquam ne de Dei virtu
te, & magnificentia, quidquam fama, & auditio
ne, percepiſtis? Numquam ne, quanta ſit illius
vis, & potentia, vobis nuntiatum fuit? Nũquid
nõ a principio fuit Dei cognitio animis veſtris
impreſſa? An ipſius terræ ſoliditas, atque firma
mentum, parum aperte demonſtrat, illam, &
omnia, quæ illius ſinu, & gremio, continentur,
Diuina quadã vi fulta ſuſtineri? 22 Is enim eſt, 22 Qui ſedet ſuper gyrũ terræ
qui ſupra terræ globum inſidet, & omnia cir-
cum admirabili celeritate conuertit, ita, vt ho
mines, qui terram incolunt, in illius conſpectu
vix minimarum locuſtarum inſtar obtineant;
qui cæli naturam ſingulari quadam læuitate
perpoliuit, illiusq. orbes, quaſi tabernaculum,
in quo ſibi ſedẽ collocaret, extendit; 23 qui Prin 23
cipes, opibus ſuis præſidentes, ad nihilum redi-
git; qui ciuitatum rectores vaſtitate conſumit,
omnemq. illorum memoriam exſtinguit. 24 Ni 24 Nec plãtatus, nec ſatus.
hil eſt enim, quod, abque illius ſingulari ope, ſta
bilitatem conſequatur. Qui igitur in oculis ho
minum, opibus, & imperio, florent, nec ſunt il-
lius præſidio ſtabiliti, perinde ſunt, atq. ſi num-
quam ſati, aut ſeminati, eſſent; nec radices egiſ
ſent: nec enim trũco, & ſtirpe, diu niti poterũt.
Flatu namque Dominus eos de omni ſtatu con
uellet; eorumq. fortunas euertet, & opes vniuer
ſas, tamquam ariſtas, inuecta tempeſtate, atq.
turbine, diſſipabit. 25 Ad quod igitur exemplũ, 25 Et cui aſſimilaſtis me.
inquit ſanctiſſimus ille Dominus, & ſpeciem,
quæ numen meum referat, eſſingetis? 26 No hu 26
mi defixam mentem habeatis, o viri; oculos in
cælum attollite; cæli candorem, ſiderum pul-
chritudinem; orbium æquabiles, & definitos,
curſus, & tanti denique operis elegantiam, &
concinnitatem, conſiderate. Quis hæc omnia
creauit? Quis vniuerſam hanc fabricam, & a
principio molitus eſt, eamq. ſuſtinet, æternoq.
imperio regit, & moderatur? Hic, qui innume-
rabilem aſtrorum multitudinem certo nume-
ro definiuit; & ſingulas ſtellas nominatim ap-
pellat. Singulis enim ſingulari ratione proſpi-
cit, propriumq. munus efficiendum aſſignat.
Hæc autem omnia ita robore ſuæ potentiæ, at-
que virtutis, inuicto perfecit, & omnibus ſuis
numeris abſoluit, vt nihil, quod vel ad cæli ſta-
bilitatem, vel ad præclaram ſpeciem illius, &
vniuerſæ naturæ vtilitatem, pertineret, omiſe
rit. Tantaq. vis eſt Diuinæ mentis, vt, cum ſe in
vniuerſum mundũ intenderit, minime ſtudium
illud, quo ſingulares res tuetur, aliqua ex parte
remittat. Nullum enim negotium poteſt illius
intelligentiam implicare; nulla rerum maxima
rum cura mentem illius a minimorum procu-
ratione auocare; nullus denique labor vim il-
lius ſempiternam impedire. 27 Sed gentiũ ſtu 27
piditas, quæ neque tantis naturæ muneribus,
ad cæli conſpectum excitari poteſt, & ex illis
operibus vim ſummi opificis immenſam, atq.
ſempiternam, intelligere, tolerabilior eſſe vi-
detur, præ illorum flagitio, & impuritate, qui
non tantum naturæ operibus admoniti, ſed e-
tiam ſanctiſſimis litteris eruditi, & ſacris ſan-
ctiſsimis initiati, & exemplis domeſticis inſti-
tuti ſunt; & tamen nec debitam gloriam Deo
tribuunt, nec in ſpe illius acquieſcunt. Multi
enim ſunt Iſraelis ſemine propagati, qui Deo
ſingularem rerum humanarum prouidentiam,
qua

qua ſingulos homines tuetur, atq. conſeruat,
nefarie detrahunt, Diuinæq. mentis immēſam
Quare dicis Iacob, & loquetis Iſrael?
ſapientiam ingenij ſui imbecillitate metiūtur.
Quid ais, o gens, Iacobi, viri fideliſſimi, ſatu
generata? Quæ diffidentia mentem tuam a cul
tu ſanctiſsimæ religionis auertit? O ſoboles ex-
cellentis illius viri, qui, propter fidei magnitu-
dinē, nomen Iſtaelis inuenit, quæ cura mētem
ruam verſat? Quæ ſollicitudo tuum conturbat
animnm? Sic enim tecum ipſe ſtatuis: Omnia
meæ vitæ conſilia ſunt procul ab intelligentia
Domini remota; nec ſpes vlla eſt, vt is iudicio
ſuo in res ſingnlas animadnertat. Ita enim eſt
in totius orbis cōmouendi, & agitandi, munus
intentus, vt nullum tempus habeat quietum,
& liberum, quo res noſtras inſpiciat. Non igi-
tur eſt, cur ab illo vel ſceleris pœnam metua-
mus; vel virtutis mercedem, & præmium, fla-
28 Nūquid neſcis, & nō audiſti?
gitemns. 28 Nnmqnid non a primis annis eam
diſciplinam coluiſti, quæ te potuit de magnitu
dine, & immenſitate, Diuinæ virtutis admone-
re? Numquid nō doctoribus ſummam operam
dediſti, quorum crebris monitis potuiſti numi
nis ſummam ſapientiā contemplari? Dominus
enim ſempiternus eſt; visq. illius, qua omnia cō
tinentur, immenſa, & infinita; ita, vt neq. defati
gatione frangi, neque ſpatiis terminari, neq. vl
la temporum vetuſtate deleri, poſſit. Non enim
ſolam Iudæam creauit, nec ſolum Iſraelis vni-
nerſitati conſuluit, ſed extremos orbis terrarū
fines condidit; &, per omnia intentus, atq. per-
tingens, ſingula quæque perſpicit; & ſingulis
hominibus, non communi tantum conſilio, &
moderatione, ſed præcipua, atque ſingulari, ra-
tione, proſpicit; & de vnoquoque, pro inſtitutæ
vitæ ratione, conſtituit. Nec enim labore defa
tigatur; nec negotiis obruitur; neq. tanti mune
ris magnitudine langueſcit; nec ſapientia il-
lius eſt terminis vllis circumſcripta.
29 29 Quo modo namq. frangi poterit, qui alios
inuicto roborc cōfirmat? Ille namq. eſt, qui laſ-
ſo vires ſummas dat; qui labore confectos re-
creat, atq. reficit, illisq. robur, multis partibus
30 auctum, & amplificatum, reſtituit. 30 Adoleſcē-
tes, in ipſo ætatis flore, vel mediocri labore fati
gati, langueſcent; iuuenes, naturæ robore confi
31 dentes, defatigatione fracti, concidēt. 31 atqui
ſpem in Deo collocant, maiores quotidie vires
colligent; &, tamquam aquilæ, erecti, atq. ſubli
mes, efferentur, current, minimeque deficient,
longiſſime progredientur; & tamen frangi, at-
que debilitari, non poterunt.
1 CAP. XLI.
1 Vos igitur, inſulæ; vos, vltimæ terræ; vos,
nationes, quæ veri Dei cultū neglexiſtis, hono-
resq. Diuinos ad ſigna muta trāſtuliſtis, audire
ipſum Dominum, veſtram ſtultitiam redarguē
tem, vniuerſosq. mortales ad ſe, crebris mo-
nitis, & conſiliis, inuitantem. Sic enim ait: Sile
te, nationes turbarum fluctibus circumfuſæ: cō
primite motus animi, populi, a cultu pietatis
abhorrentes, vt me audiatis; confirmate vosip
ſos, animosq. veſtros corroborate; & accedite
tandē, vt mecum in iudicio diſceptetis. 2 Quid 2
nam, quæſo, vos in eam fraudem impulit, vt ho
nores Diuinos ſimulacris inſtituendos putare-
tis? Num illorum ductu, & imperio, rem præ-
clare geſsiſtis? Num, illorum ope confirma-
ti, Regum maximorum opibus reſtitiſtis? Non
certe. At videte nunc, quam ſingulari ratione
verus Deus eos, qui ſe ſequuntur, ornet, opi-
busq. ſummis augeat.
2 Quisnam, quæſo, ex veſtris diis excitauit
a regione Solis orientis virum iuſtitiæ gloria
præcellentem, ſeſeq. illi ducem præbuit, at-
que mentem donauit, vt illius veſtigiis ingre
deretur. Dominus gentes illi dicto audientes
eſſe compulit; Regesque ſub imperium illius
ſubiunxit. Itaque, præſidio Diuino confirma-
tus, maximos exercitus profligabat; res mira
biles, & obſtupendas, efficiebat. Dominus an-
te gladium illius gentes innumerabiles, quaſi
puluerem, diſpellebat; & arcu illius, quaſi ari-
ſtas ventilabro ſublatas, eiiciebat. 3 Ipſe ho- 3
ſtes in fugam connerſos proſeqnebatur; neque
ſuum conſilium, & mentem, ſed Dininum ſpiri-
tum, ſequebatur; & ita ſemper, me ductore, vi
ctor, & incolumis, euadebat. 4 Quis hæc tandē 4
omnia molitus eſt, & effecit? Quis vitam de- Quis hæc operatus eſt, & fecit?
dit priſcis nationibus, & quondam pios homi-
nes ad ſalutem vocauit, omnibusq. ſummæ glo
riæ muneribus exornauit? Ego quidem, ego, qui
rerum Dominus ſum, cunctaq. numine meo,
atque poteſtate, complector; Ego, cuius vi, &
rerum initium, & finis vltimus, continetur; qui
opera mente deſigno; qui omnia perficio; ſum il
le, qui quondam benignitate mea eos, qui ſeſe
mihi commiſerunt, complexus ſum, & in poſte
rum tempus numquam eos, qui ſeſe in meam fi
dem contulerunt, ope mea ſingulari deſtituam.
Nec enim meum eſt, vnū hominem, aut vnum
tātum genus, amplecti. Omnes enim, in quibus
eadem Abrahami fides, & pietas, eminebit, ſimi
liter honorabo, præſidioq. meo ſæpiam; & per-
ficiam denique, ut ex omnibus bellis uictoriam
inſignem conſequantur. 5 Viderunt igitur inſu 5
læ in excellentis viri victoriis operis Diuini ma Viderunt inſulæ, & timuerunt.
gnitudinem; ultima ſola terrarum metuerunt;
ingētiq. formidine perterriti multi mortales,
obuiam illi prodierunt, atque undique, ut ſe il-
lius imperio addicerent, conuenerunt; 6 & ta- 6
men, nec, tam admirandis ſignis, ſenſum rece-
perunt, neque nefaria inſtituta, in quibus enu-
triti fuerant, abiecerunt, ut relictis ſomniis, ue
rum numen adorarent; ab illoq. tantum pacem
expoſcerent, qui pias preces exaudit, & ſolus
poteſt ſalutem, atque dignitatem, cultoribus
ſuis elargiri; quin tunc ardentius eorum furor Vnus quiſque proximo ſuo auxiliabitur.
peſſimis conſiliis incitatur ad ſigna fingenda,
atque nefarie conſecranda. Itaque alij alios
adiuuant, & confirmant, multorumque ſimul
operis, in una re ſceleſta, & nefaria, conſum-
ptis, ſimulacrum tandem, quod pro Deo ue-
nerentur, abſoluunt. 7 Faber enim, qui ſi-
gnum ſculpit, operā eius, qui conflat, efflagitat;

qui æs molliter exendũt, eos, qui ferri maſſam
malleo contundunt,& frangunt,vrget, vt ope-
ram ſibi dent.Deinde ſumma diligentia, quod
ſit optimũ ferruminis genus,inſpiciunt, vt om
nes ſimulacri partes inter ſe cõnexas arte con
ſolident. Poſtremo, clauis illud ſupra baſim pa
rietibus affigunt,ne queat aliqua ex parte laba
8 9 re.8.9Tu vero,Iſrael,qui te ad numinis mei cul
Et tu Iſrael ſerue meus tum ardenti ſtudio contuliſti;& Iacobi,viri ſan
ctiſſimi,quem ego in primis dilexi,carumq. ha
bui,fidem,& pietatem coluiſti,hominum amen
tium ſcelus deteſtare, & animum tuum mei au
xilij fiducia confirma.Illi namque,fruſtra, deo-
rum,omni ſenſu carentium, quos ipſi manibus
ſuis effecerunt,opem implorabunt.Ego vero ti
bi ſemper adero,vt te præſidio meo protegam;
ego te firmiſſimo quodam robore muniui; ego
te,ab vltimis terris,ad notitiam mei numinis,
& ad cultũ pietatis,euocaui; ego te,vt ſeruum
fideliſſimum, elegi, in meamq. fidem recepi,
promiſique, me numquam tibi, ullo tempore,
10 defuturum. 10 Ne timeas igitur. Tecum enim
ſemper ſum.Ne malum ullum formides.Ego e-
nim Deus tuus ſum,qui te ſpiritus mei virtute
corroboro; qui tibi opem fero; qui te iuſtitiæ
11 meæ præſidio ſuſtento.11 Ecce iam ignominiæ
ſempiternis maculis inurẽtur, qui te, ardentes
furore,& ſcelere, perſequuntur; & ad nihilum
tandem recident;& omnes denique,qui te op-
12 pugnant,interibunt.12 Ne ueſtigia quidem eo-
rum hominum,qui contra te arma capiunt,ex-
ſtare conſpicies.Omnes,inquam,qui tibi bellũ
13 inferent,euaneſcent. 13 Ego namq. ſum Deus
tuus,quem metuis,& diligis;cuius fiducia nite
ris; qui te dextera mea confirmo; qui operam
meam tibi polliceor; qui crebris uocibus, ani-
mum pulſantibus,ne timeas,admoneo,cum ti-
14 Noli timere vermis Iacob. bi ſemper ſim auxilium allaturus. 14 Ne demit
tas animum,plebs mea,quæ nũc abiecta es;quæ
nec opibus, nec ullis uiribus,firmata es; quam
gentes,propter tenuitatem,& imbecillitatem,
contemnunt,atq. deſpiciunt. Nec enim te plu-
ris, quam vermiculum,faciunt; paucitatemq.
tuã nihili pendunt.Ego enim tibi ſubſidio præ-
ſens occurram. Hæc enim non mortuorum o-
racula vaniſsima,nec numina falſa,promittũt;
ſed ſummus ille Dominus,rerum omnium con
ditor, atque moderator, qui te redimit; qui
Iſraelem inuicto præſidio tegit, numineq. ſuo
confirmat; cuius nec potentia frangi,nec fides
15 vacillare,aut claudicare, poteſt. 15 Ecce, qui
nunc humilis,& abiecta, eras, omniumq. pedi-
bus proculcata,iam eris viribus Diuinis firma-
Poſui te quaſi plauſtrum triturans. ta,& ſtabilita; tantasq. opes obtinebis, vt om-
nes aduerſarios tuos comminuas. Feci enim, vt
eſſes, quaſi quædam traha, aut tribula noua,
in quam ſint frequentes, & ualidi, dentes inclu
ſi. Montes enim conteres; colles editos com-
minues; omnesq. tyrannide, ut ariſtam com-
minutam, diſpelles; omnium hoſtium tuorum
16 arces, atque munimenta, deiicies; 16 uenti-
labis eos, & uentus eos tollet, & excitata tem
peſtas, atque procella, diſſipabit. Tu uero mu-
neribus, & beneficiis, quæ a Deo, ſuorum in-
uicto præſidio, accepiſti, læta triumphabis, il-
liusq. nomine gloriabere. Tunc enim auxi-
lium ſuum attulit, cum omnis humani auxilij
ſpes erat intercluſa. 17 Homines afflicti, & e- 17 Egeni, & pauperes, quærunt aquas.
gentes, aquas ſitienter appetunt; omnem-
que ſuum conatum eo comparant, vt ſitim,
qua perpetuo cruciantur, exſtinguant.
Quo autem maiorem operam in ea cura con
ſumunt, eo maiore indigentia, premuntur,
vſque adeo, vt eorum lingua, atque fauces, are
ſcant. Nec enim vllis laboribus poteſt huma-
num genus ad id,quod ardenter appetit,perue
nire; nec vllis opibus cupiditatem,qua flagrat,
explere; nec vllis rebus ad voluntatem fluenti
bus infinitam auiditatem ſatiare. In ſempiter-
nam igitur miſeriam nati ſunt, qui neſciunt
bonorum omnium fontem requirere, ut,illius
vbertate completi,conquieſcãt, & opibus ſum
mis, cum ſumma animorum iucunditate,per-
fruantur. Homines tamen, qui ſuam inopiam
agnoſcunt, cum vident ſeſe ſiti ardentiſſima
conflictari, in me reſpiciunt; opemq. meã ſup-
pliciter implorant; confitenturque, non poſſe
ſe,quod cupiunt, niſi per me ſolum, obtinere.
Ego Dominus, cuius numine omnia continen-
tur, repente eorũ preces exaudio;&, qui Iſrae
lem protexi,minime quidem eos, qui ſimili ad
me fide confugiunt, derelinquam. 18 Aperiam 18
ſubito in locis editis flumina, & in ſubiectis
campis crebros fontes eliciam; terrarum olim
ſterilium vaſtitas, atque ſolitudo, ſtagnanti-
bus aquis redundabit; & terra,ſiccitatibus im-
modicis exuſta, frequentibus aquarum dedu-
ctionibus irrigua, plantas, & gramina, germi-
nabit. 19 in loco olim deſerto cedros, & alias 19
eiuſmodi arbores, quæ ſimili frondium amœ-
nitate totum circumquaque locum opacare
poſſint, & myrti denſa nemora, & frequentes
oleas, conſeram,omnemq. illam vaſtitatẽ abie
tis, & vlmi, & buxi, frequenti viriditate ve-
ſtiam; efficiamque, vt, quæ erant olim horri-
da,& inculta, multisq. flagitiorum immanita-
tibus efferata,ſint repente maximarum, atque
Diuinarum, virtutum plantis, in omni ætate, vi
rentia, ſuauiſſimosq. odores late diffundant.
20 Sic enim explorate cognoſci poterit, & ocu 20 Videant, & ſciant, & recogitent.
lis omnium clare perſpici, & mente comprehẽ
di,hãc tantam viriditatem, & amœnitatẽ,non
eſſe natiuam,& inſitam; nec hominum cultura
excitatam; ſed,Dei ipſius munere, ſubito e ter
ris exſtitiſſe;ita,vt,quidquid in moribus homi-
nũ excellere,& eminere,videbitur,id nulli nec
indoli,nec ingenio,nec diſciplinæ, nec inſtitu-
tis ciuilibus, neque legis ſacris, & cærimoniis,
adſcribi poſsit; ſed totum ſit ad Diuini ſpiritus
numen, & potentiam, reuocandum;qui aquas
gratiæ ſuæ perennes induxit; qui hæc omnia
conſeuit; manuque ſua dimenſus eſt; qui ſu-
bito loci naturam commutauit, vt ex terra
ſummis ardoribus exuſta viridarium amœniſ-
ſimum

ſimum, in quo Deus ipſe ſeſe oblectaret,redde
retur. Homines enim idiotas ſapientiæ mune-
ribus inſtruxit;incontinentes decore,& elegan
tia,moderationis,& honeſtatis, exornauit; fe-
ros, & immanes,ſtudio benignitatis,& carita-
tis,inflammauit;perfecit denique,vt animi,cu
piditatum ardoribus incenſi,flagitiorumq.om
nium aſperitate vaſtati, eſſent repente gratiæ
2 Diuinæ muneribus affluentes. Hæc opera ſatis
declarant, non modo quantum ſit Dei ſummi
numen,atq. potentia; verum etiam quam ſin-
gulari præſidio ſuorũ vitam, & ſalutem, tuea-
21 tur.21 Nunc agite,inquit Dominus,videamus,

Prope ſacite iudicium veſtrum.

quæ ſit vis,quod numen,quæ poteſtas,quę pro-
uidentia eorum,quos gẽtes, erroribus obcæca
tæ,Deos habẽt.Adeſte,inquit Rex ille ſummus,
quem nunc colit,& obſeruat Iacob; cauſſamq.
veſtram defendite;illiusq. poriſſimũ fitmamen
22 tum,in quo conſiſtat,aperite.22 Inſector vltro,
& inſto diis omnibus,vt accedant,& annuntiẽt
nobis,qnid euenturum ſit;& antecedentes etiã
cauſſas,quæ ſunt priſcis temporibus antegreſ-
ſæ,quas humana mens cõſequi ratione nequit,
aperiant.In poſterum,inquam,multo ante prę-
dicite;futuraq. nobis prænuntiate;vt animad-
uertere poſſimus, quantum ſit numini veſtro
tribuendum; &, qui rerũ exitus futuri poſt hæc

23 Annuntiate, quæ ventura ſũt in futurum.

ſint,ex vobis clare audiamus.23 Inſto,inquam,
& vrgeo,vt aliquo ſigno Diuinitatem veſtram
perſpicuam efficiatis. Quæ vẽtura ſunt igitur,
prænuntiate;diuinationesq. veſtras veriſsimis
euentis comprobate; vt exploratum nobis eſſe
poſſit, vos deos eſſe;aut,ſi hoc minime poteſtis
efficere, ſaltem date operam, vt iis, qui veſtra
numina perpetuo cultu venerãtur, benigne fa
ciatis; & eos,qui hoſtili animo in eos inuehun
tur, euertatis. Veſtris,inquam,cultoribus,in re
bus afflictis, & perditis, ſuppetias afferte; eo-
rumq. hoſtes exſtinguite; perficiteque, vt,ali-
quo ſigno mirabili,teſtatũ apud omnes ſit, vos
poteſtatem habere,vel ſubleuandi,vel affligen
di,vel deniq. bene quidquam,aut male,facien-

24 Ecce vos eſtis ex nihilo.

di.24 Sed,quid vel animo deſignare, vel euen-
turum portendere, vel denique moliri, poteſt
is,qui totus eſt ex mendacio,& inanitate,cõfla
tus? Vos omnes,profecto, quemadmodũ ex ina
nitatis fonte profluxiſtis, ad hominum mentes
pernicioſis erroribus occupandas; ita inaniſsi
mum opus edetis; & eos, qui veſtræ potentiæ
confidunt,inaniſsima ſpe deludetis.Apparebit
enim, quam deteſtabile facinus ſuſceperint ij,
qui vobis Diuinitatem tribuerunt. 25 At nunc
25 omnes animũ erigant,vt, quod euenturum ſit,
ex me multo ante percipiant.Excitabo a Septẽ
trione,ab iis partibus, quæ ad ortum Solis ſpe-
ctant,virum acrem, & impigrum, qui populo
meo ſeruiendi finem afferat;hoſteſq. illius inui
cto robore perfringat.Is,per Principum ſtrata
corpora,quaſi per luteum ſolũ,gradietur; & il-
los,quaſi figulus lutum,pedibus ſuis proculca-
26 bit.26 Num quiſquã ex diis, quos iſti veneran-
tur, hæc ita fore diuinauit? Denuntio teſtimo-
nium omnibus; prodeant in lucem; aliquid ab
iis a principio prædictum afferant,quod poſtea
certiſsimo rerum exitu fuerit comprobatum;
vt dicamus,eorum cauſſam eſſe iure nixam.Ne

Non eſt annuntians, nec prædicens.

mo fuit profecto inter vos, qui hoc, vel quid-
quam aliud, futurũ nuntiauerit;nemo,qui cer
tum aliquid euentutum ſuis ante prædixerit;
nemo, qui teſtificari vere poſsit, ſe reſponſum
aliquod huiuſmodi a vobis accepiſſe. Vnde
colligitur, quam amentes ſint ij, qui in illis co
lendis ſtudium ponunt; & in eorũ cultu perpe-
tuam operã cõſumunt,a quibus,nec iuuari,nec
admoneri, poſſunt, nec aliquem fructũ, vel ad
incolumitatem vitæ, vel ad mentis intelligen-
tiam,aliquãdo percipere.27 At vero Deus ſuis

27 Primus ad Sion dicit, Ecce adſum.

adeſt;ſuos erudit;nec eos inſtituendi, atq. mo-
nendi,ſtudiũ intermittit. Quemadmodũ nunc
eis, qui Sionẽ incolunt,hæc fore prædicit,vt ci
ues ſeruitute liberati in patriã redeant; & per
miniſtrum ſuũ Ieroſolymæ fauſta,feliciaq. mul
to ante denuntiat.28 Nunc vero videamus, an 28
eorũ aliquis,ſimili prædictione,poſsit vim pro-
prij numinis indicare,hominesq. mentis cõpo-
tes ad ſui cultũ perducere. Vt igitur oculos at-
tollã,& in omnes partes circumſpiciã, neminẽ
videbo,qui,vel ope,vel cõſilio,homines ſuo cul
tui penitus addictos,& cõſecratos,iuuare, aut

Et vidi, & non erat nec exitus quidquam.

conſulentibus reſpondere,poſsit.Hem, religio
nis puritas,& ſanctimonia;hem,cultus caſtiſsi-
mus,pietatiſq. pleniſsimus; hem,cur omnẽ vi-
tam in ſacrorũ procuratione conſumendã ſta-
tuas;vt,poſtquam ætatẽ in religione contriue-
ris,fruſtra deorũ fidem implores;fruſtra operã
ab illis flagites;fruſtra deniq. ad eos conſulen-
dos accedas; vt denique hoſtibus tuis ludibrio
ſis;nec ſolum bonis omnibus euertaris,ſed ma
culis ignominiæ ſempiternæ defornieris.29 Ec

29 Ecce omnes iniuſti.

ce omnes,qui ſimulacris dediti, exſecrandiſq.
ſacris alligati ſunt, in ſumma quadã vanitate
verſantur;inanitatemq. operibus nefariis con-
ſectãtur; eorumq. ſimulacra non modo nullam
opem illis in rebus aduerſis afferent; verum e-
tiam exitium,& vaſtitatem,importabũt. Qnid
igitur de gentibus fiet,cum omnes hac impura
& nefaria, ſuperſtitione conſtrictæ ſint,nec ad
ſe redire velint,vt,operibus naturæ admonitæ,
Deum verum agnoſcant,illiq. ſolum,qui natu-
ram vniuerſam condidit, gloriam tribuant,&
numina falſa deteſtentur? Num erit omnino
ſalus eorum deſperanda? Minime, inquit Do-
minus. Ego enim, qui Regem potentiſsimum
adducturus ſum, vt populum meum Babylo-
nis dominatu liberet, & in patriam ſuam re-
ſtituat, illum ſeruum fideliſſimum, vltimis hu
ius ſtatus temporibus, excitabo, qui Regem
Cyrum opibus, atque potentia,vincat; vt non
Iudæi tantum, ſed cuncti mortales,in illius Di
uinæ virtutis magnitudine, adſpectu defixi,
illum ſequantur; illiuſq. virtute liberati,ſempi
terna libertate potiantur. Huius igitur opera,
conſilio, virtute, meritis, religione, gentes,
hunc errorem,quo ſunt penitus infectæ, deto-

ſtabuntur; ſeſeq. ad veri Dei cultum, inflam-
matis animis, applicabunt.

## 1 CAP. XLII.

1 Ecce enim ſeruus meus, vnus omnium fide-
liſsimus, qui numquam ſe contagio labis vllius
maculabit, nec quidquam contra voluntatem
meam molictur, aduenict, cui tãdem totus in-
*Cõplacuit ſibi in illo anima mea*
cũbam. Hic erit a me delectus; omnibusq. ſum-
mis viris, qui vmquam in terris pietatis gloria
præccllentes exſtiterunt, antelatus. Solus enim
*Dedi ſpiritum meum ſuper eum.*
perfecte, pleneque, ſatisfaciet. Spiritus enim
meus in illo ſempiternum ſibi templum ædifi-
cabit. Hic gentibus errorem detrahet; easq. pie
tatis muneribus inſtruet; ſanctiſsimisq. iuſtitię
2 diſciplinis erudiet. 2 Nihil enim inſidebit in il
lius animo, quod mihi aliquam offenſionem af
ferat. Non enim, iracundia elatus, clamores
extollet; nec, cuiuſquam gratia delenitus, a iu-
ris ſanctitate diſcedet; non auram popularem
3 captabit; nec opes ſuas foris oſtentabit. 3 Arun
dinem aliqua ex parte fractam minime perfrin
get, & conteret; nec lignum fumãs prorſus ex-
ſtinguet. Nec enim is erit vllo modo, qui boni
alicuius reliquias malis oppreſſas exſtinctas eſ
ſe velit; ſed potius, mala omnia detergẽdo, per-
ficiet, vt quidquid inerat boni, excitetur; quod
fractum, conſolidetur; quod propemodum ex-
ſtinctum, lumen recipiat. Eueniet ita, vt, qui, le
uitate, & iactatione, ducti, humanitatis officia
colebant, illius præceptis inſtituti, ea officia ad
ad ambitionem minime cõferenda putent; &
ita firmius, & ardentius, in ea incumbant; &,
qui pietatis aliquod lumen ſub flagitiorũ collu
uione conſeruabant, depulſis flagitiis, clariſſi-
*In veritate educet iudicium.*
mis pietatis ignibus inflammentur. Non fictam
ſpeciem ſanctitatis animis imprimi patietur;
non iuſtitiæ vmbras, & imagines, amplexabi-
tur; non adumbratam virtutem tradet; ſed ve-
riſſimam iuſtitiæ diſciplinã proferet; ſuorumq.
animos veriſſimis virtutum omnium muneri-
*4 Non erit triſtis.*
bus exornabit. 4 Nec error, nec temeritas, in iu
dicio illius verſabitur: nam nec mens illius erit
hebes ad verum cernendum; nec animus præ-
ceps ad iudicandum. Summos labores ſuſtine-
bit, vt tandem in terris olim a iuſtitiæ cultu de-
relictis Remp. cæleſti iuſtitia fundatam conſe-
rat; &, iudiciorum ſuorum æquabilitate, pacẽ,
cem, & otium, cum dignitate, conſtituat. Om-
nis igitur ſpes gentium, in illius vitali, atque ſa
lutari lege, quæ non lapideis tabulis, ſed animi
5 præcordiis, erit inciſa, collocabitur. 5 Hæc qui-
dem ſpondet, atque promittit, ſummus ille Do
minus; cuius nec virtus infringi, neq. fides la-
befactari, poteſt. Quidquid igitur ille futurum
pollicetur, plene, cumulateque, perficiet. Is e-
nim eſt, qui cælum a principio condidit; qui ter
ræ faciẽ dilatauit, plantarumq. multiplici varie
tate diſtinxit; qui vitã hominibus inſpirat, au-
6 raq. vitali animantia cuncta ſuſtentat. 6 Hic igi
tur Dominus ſic hunc ſeruum ſuum ſanctiſsi-
mum, quẽ rebus omnibus præfecit, alloquetur:
*Ego Dñs vocaui te in iuſtitia.*
Ego te vocaui, vt iuſtitiæ meæ diſciplinam tra-
deres, illiusq. muneribus omnes, qui tibi con-
fidunt, inſtrueres. Ego manus tuas inuictis vi-
ribus, atq. robore, confirmaui, vt hoſtiles exer-
citus profligares. Ego te finxi, & informaui, Di
uinisq. excultum muneribus exhibui, vt ſempi
ternum fœdus, cum populo meo, fidei religio-
ne ſancires, & gentibus vniuerſis clariſsimum
lumen præferres; 7 vt cæcis viſum redderes; ut 7
vinctos e vinculis eximeres; & tenebris inclu-
ſos in lucem vindicares. 8 Ego quidem ſum ille 8
ſummus Dominus; cuius vt natura ſtabilis, atq.
ſempiterna eſt, ita verbum nullam ſubire mu-
tationem poteſt. Hoc igitur ſanctiſsimo nomi-
ne, cuius quãta ſit vis, nec verbis explicari, nec
cognitione quidem comprehendi poteſt, quod
tamen indicat, & potentiam meam nullis ter-
minis circumſcribi, & fidem, atque benignita-
tem meam, nullis difficultatibus intercludi, fa-
cillime fidem de tanto munere, & beneficio, cõ
*Gloriam meã alteri non dabo.*
ferendo confirmat. Tunc igitur apparebit, mei
ſolius præſidio nitendum, atque confidendum.
Nec enim gloriam meam cum alienis diis com
municabo; nec honorem mihi debitum ad mu-
ta ſigna transferri patiar. Oſtendam enim, non
eorum ope, ſed meo præſidio, fuiſſe lucem, & li
bertatem, hominibus allatam. Itaque illorum
inanitatem redarguam; gloriamq. meam ope-
*9 Quæ prima fuerũt, ecce venerunt.*
ribus magnificis illuſtrabo. 9 Prima quidem, 9
vt a me deſignata, conſtituta, atq. prædicta, fue
rant, euenere: Noua autem rurſus vobis, ante-
quam exſiſtant, ne fides vmquam veſtra vacil-
let, annuntio. 10 Quocirca, erigite animos; ala- 10
cres, atq. læti, volitate, in certiſsimam ſpem fu
turæ ſalutis impulſi, cantibus inſignem Domi-
ni clemẽtiam celebrate; nouũ carmen in illius
*Cantate Dño canticũ nouum.*
laudem concinite. Nouum enim, & inſolitum,
beneficium, nouum, & inauditum, carminis, &
ſymphoniæ, genus efflagitat. Vltimæ terræ Do
mini ſempiterna laudatione perſonẽt. Aequum
enim eſt, cum ad omnes muneris Diuini fru-
ctus perueniunt, vt omnes, vna mente, atque
voce, de Diuina gloria prædicãda, cõſentiant;
&, cum gentes vniuerſæ Diuini beneficij con-
ſortes exſtiterint, vniuerſæ ad gratias agẽdas
ſingulari alacritate cõſpirent. Cum igitur hoc
tantum donum, & munus, non ſit Iudææ finibus
includendũ, ſed in omnes orbis terrarum par-
tes incredibili celeritate deferendum, oræ ter-
rarum extremæ, litoraque omnia, cum iis, qui
curſus maritimos nauigando conficiunt, & in-
ſulæ, cum earum cultoribus, & habitatoribus,
exſultent, Dominique nomen laudibus in cæ-
lum efferant.
11. 12 Deſerti loci vaſtitas, & ſolitudo, ci- 11.12
uitates, atque pagi, in quibus habitant Arabes,
ad Cedar, aſperam, & incultam, regionem, per-
tinentes, & rupes etiam incolentes, clamores
tollant; voces eximiæ lætitiæ ſignificantes, aſ-
ſidue iactent; & gaudio, & gratulatione, com-
pleti, de montium iugis inclament. Nam de-
ſerta loca conſerentur; arida fontibus ſcate-
bunt; horrida, & inculta, Diuino cultu fient a-
mœniſſima. Omnes deniq. ciuitates gentium,

quæ

quæ fuerunt hactenus multis malorum fluctibus agitatæ, Deo gloriam tribuant; & in omnibus inſulis Dei laudes annuntient. 13 Dominus

13 Dñs enim ſicut fortis.

enim, quaſi vir eximio, atque ſingulari robore
circumſæptus, egredietur, &, tãquam bellator
egregius, incluſam vim, & ſtudium ſui decoris,
hactenus reconditum, excitabit, hoſtemq. ſubi
to clamoribus, & vociferatione, minaciter ex-
terrebit, & in hoſtium ſuorum ſtrage, gloriam
14 ſuam mirabiliter amplificabit. 14 A principio,
inquit, multa tacui; multa diſsimulaui; multa
pertuli; iam ratio gloriæ meæ non patitur, vt
diutius tantam indignitatem ſuſtineant. Nec
enim iam flagitiorum turpitudinem, atq. ſcele
rum immanitatem, nec communis peſtis atro
citatem, nec hoſtis importuni faſtidium, ferre

Sicut parturiẽs loquar.

poſſum. Nunc igitur, quaſi mulier parturiens,
dolorisq. magnitudine ſuperata, clamabo, cre
broq. gemitu, atque ſuſpirio, quibus curis affi-
ciar, expromam, operamq. dabo, vt me de ho-
15 ſtium impudentia vindicem. 15 Montibus va-
ſtitatem, collibus exitium, herbis inflammatio
nem, inferam; fluuios, atq. paludes, exſiccabo;
perficiamque, vt aquis nimia ſiccitate conſum
ptis inſulæ frequentes emineant. Quidquid igi
tur in hoſtium fortunis amplum, & excelſum,
quidquid amœnum, & floridum, quidquid deni
que affluentium bonorum copia cumulatum,
eſſe videbatur, deprimam, & exſcindam, &, faci
16 bus coniectis, exuram. 16 Contra vero, eos, qui
contra ſpiritum meum rebellionis, & impu-
dentiæ, arma non ſumpſerint, neque, ſuper-
bia inflati, meum munus, & beneficium, aſper-
nati fuerint, quamuis antea furioſi, atq. demen
tes, exſtiterint, ſapientiæ muneribus inſtruam;
&, quod eſt conſequens, omnibus Diuinis opi-

Et educam cæcos in viã, quam neſciunt.

bus egregie locupletabo. Cæcos enim in viam,
quam numquam ante oculis adſpexerant, de-
ducam; & ſemitam, quam penitus ignorabant,
illis monſtrabo, per quam, ductu, & imperio,
meo, ad beatam, immortalemque, vitam, re-
cta perueniant. Tenebras ab eorum oculis late
diſcutiam, eorumq. mentes clariſsima luce cõ
plebo. Ne vero quidquam eos retardet, & cur-
ſum virtutis, & pietatis, impediat, omnes vitæ
amfractus, & obliquos tramites, ad rectæ, pla-
næque, viæ rationem, opera mea diligentiſsi-

Hæc verba feci eis, & non dereliqui eos.

me reuocabo. Hæc beneficia, quæ verbis oſten
do, illis reipſa conferam; nec eos vmquam ope
ra mea nudabo; ſed omnibus præſidiis eorum
17 vitam muniam. 17 Hæc quidem præmia manẽt
eos, qui fide vitam dirigent; qui firmiſsimum
vitæ præſidium in mea gratia ponent; qui non
propria cupiditate, ſed mei ſpiritus modera-
tione, beate viuendi rationem metientur; qui
denique, nec ſimulacrorum ope, nec vllius ho-
minis præſidiis, quæ non multum a ſimulacro-
rum inanitate diſtant, ſed mea ope, atque gra-

Conuerſi ſunt retrorſum.

tia, nitentur. At vero, qui ſimulacris confi-
dunt, & ſtatuas pro ſalute, & incolumitate, ve
nerantur, & dicunt imaginibus, Dij noſtri e-
ſtis vos, retrocedant, & in fugam compellan-
tur, omnibusq. turpitudinum notis inurantur.
18 Sed hoc eorum flagitium longe tolerabilius 18
eſt eorum ſcelere, qui, cum & legis diſciplina,
& ſacrorum inſtitutis, ſint, ad pietatem, erudi
ti, tamen, propriis cupiditatibus excæcati, ne-
que Diuinis iuſsis obtemperant, nec ſalutarem
diſciplinam accipiunt. Audite, ſurdi, qui au-
res veritati claudere ſtatuiſtis. Cernite, cæci,
qui de induſtria veſtris flagitiis adſpectum a-
miſiſtis. 19 Quis enim vere cæcus nominari po 19
teſt, niſi Hebræum genus, quod quidem ſe mi-
hi prorſus addictum eſſe profitetur, & tamen
non videt ſe omnibus vitæ ſtudiis cum volun-
tate mea pugnare? Quis recte ſurdus appella-
ri poteſt, niſi populus, quem ad reliquas gen-
tes erudiendas, & commonendas, & ab impie-
tatis ſceleribus auocandas, legare cogitabam,
qui tamen me audire noluit, imperiumq. meũ
impie, & nefarie, detrectauit? Quis, inquam,
cæcus eſt, niſi is, qui fuit, a primis annis, omni-
bus ſanctiſsimis artibus, Diuinarumq. artium
diſciplinis inſtructus, & tamen, poſt tantos in
ſtudio progreſſus, minime cernit, ſe præcipitẽ,
in ſeruitutẽ duriſsimam, ſponte ſua ferri? Quis
oculorũ ſenſibus orbatus eſt, niſi is, qui ſe per-
fectum Domini ſeruum profitetur, & minime
videt, ſe, armis, omni ſcelere imbutis, pro im-
pietate, contra religionis ſanctitatem, decer-
nere, ſummiq. Dei numen violare? 20 Quæ te 20
tam cæca cupiditas ad ſuppliciũ ſempiternum
rapit; vt nec tantis diſciplinis inſtructus, tan-
tisq. monitis eruditus, intelligas, te, iſta ani-
mi tui pertinacia, tibi peſtem, & exitium, ma-

Qui vides multa, nonne cuſtodies?

chinari? Qui tam multa vidiſti, nonne tandem
aliquando perſpicies, ſalutem tuam ſalutari o-
bedientia, atque iuſtitiæ cultu, contineri? Nec
multum referre, quo habitu corporis, aut qua
religionis ſpecie, diſcrimineris; ſed, quanta fi-
de pietatem colas, & iuſtitiæ auctorem ſuſci-

Qui apertos habes aures, nonne audies?

pias? Qui tã multa auribus accipis, non ne tan-
dem audies, atque perſpicies, in quo tandem
ſit legis ipſius finis, cuius te ſtudioſum profite
ris, collocandus? Et, cum gentes, quarum nec
oculi vera cernebant, nec aures ad diſciplinam
cæleſtem patebant, & verum contueantur, &
Domino libenter auſcultent, tu ſolus, & lucem
fugies, & ſalutarem diſciplinam aſpernabere?
Et, cum cæci lucem reſpiciant, tu, qui recte cer
nebas, lucis adſpectu priuabere? 21 Sed, quid 21
tandem eſt, quod tuam fidem infirmauit, & ſu-
ſtulit? Diuini beneficij magnitudo, quam ani-
mi tui anguſtiæ minime capient, & inſolitæ lu-
cis ſplendor, quem mentis tuæ acies minime
ſuſtinebit. Quaſi quidquam ſit magis Diuinæ
magnificentiæ conſentaneum, quam inſignis,
& admiranda, quæ nec ſenſibus, nec ratione,
comprehendi poſsit, benignitatis amplitudo;
quam clementiæ infinitæ documentum; quam
caritatis in vniuerſum genus humanum im-
menſæ ſignificatio. Dominus enim, propter
nominis ſui gloriam, vt iuſtitiæ ſuæ opes oſten
deret, fidemq. ſuam liberaret, &, quod olim

promiſerat, cumulate perficeret, voluit, legem
ſuam, opera ſerui illius ſanctiſſimi, magnifice,
atque ſplendide, in mentibus humanis inſcribe
re; & vires inuictas dare, quibus omnes, qui fi-
dem ſancte colunt, ea, quæ ſunt lege ſancta, per-
22 ficiant. 22 Hoc tantum beneficium Iudæorum
genus ingrate repudiabit. Hæc autem cauſſa
eſt, quæ populum hunc nefarium, & impurum,
vehementer affliget. Hoſtes enim illum diue-
xabunt, & fortunis omnibus ſpoliabunt, oppreſ
ſumq. duriſſimo dominatu continebunt. Non
tamen, iis tantis incommodis affectus, in viam
redire volet; ſed operam enixe dabit, vt adole
ſcentes ſuos eodem ſcelere colligatos in eandẽ
fraudem impellat. Doctrina enim ſcelerata, &
impia, illos a teneris annis imbuet; &, tãquam
laqueos, ad eos improuida ætate capiendos,
intendet. Omnes igitur erunt peccatorum vin
culis duriſſimis alligati; obſcuriſq. locis, & ad-
modum tenebricoſis, incluſi, diripientur; ne-
moq. illos defendet; conculcabuntur; nemoq.
ab illis contumeliam prohibebit. 23 Ecquis eſt
interim in vobis, qui hæc audiat, & animũ dili-
gẽter attendat, vt cautior ſit, multoq. in poſte-
24 rũ prouidentior? 24 Quis enim dedit Hebræũ
genus hoſtibus ſuis vexandum, & diripiendum,
& omni contumelia lacerandum? Num obſcu-
rum eſt, ipſum Dominum, qui nos olim præſidio
ſuo muniebat, quem in nos perfidia noſtra con
citauimus, nobis aduerſari? & ærumnis innu-
merabilibus vniuerſum noſtrum genus oppri-
mere? Nec enim voluerunt veſtigiis illius in-
gredi; nec leges, & inſtituta, perſequi; ſed
potius, dum ſe libenter viæ ſuæ committunt,
Dei viam deſerunt, &, dum iuſtitiam ſuam ni-
mis amplexantur, veram iuſtitiam, Dei bene-
ficio collatam, incredibili furore, & immani-
tate, deſpiciunt. Faſtidium igitur, & arrogan
tia, miſeros homines, in tanta mala, præcipita-
bit. 25 Dominus igitur vehementer inflãmatus
illos omnibus pœnis excruciabit; & bellum ad
eorum exciſionem concitabit; omnia circum-
quaque ferro, & flamma, commiſcebit; & ta-
men, nec iis tantis ærumnis, atque ſuppliciis,
tracti, & lacerati, ſenſum recipere voluerunt,
vt intelligerent vim ſceleris exſecrandam, pro-
pter quam in tantam vim calamitatis incide-
rant. Et, cum ira Domini acriter in eos exar
ſiſſet, grauiſſimumque illis vulnus inflixiſſet,
nec ſic tamen voluerunt hæc animis ſecum re-
putare; vt, vitæ conſilio commutato, Domini
clementiam implorarent, ab eoq. ſanitatem re
ciperent, a quo vulnerati fuerant.

Ipſe autem populus direptus, & vaſtatus.

23 Quis eſt in vobis, qui audiat hoc.

25 Et effudis ſuper eũ iram indignationem furoris ſui.

CAP. XLIII.

1 Tu vero, plebs ſancta, quæ fidem datam mi
nime violaſti, & patris tui, Iacobi, viri ſanctiſſi
mi, veſtigiis inſtitiſti, gaude iſto tãto bono, pie
tateq. perfruere. Nam, cum tantis ærumnis ho
mines perfidi vexati fuerint, tu, Diuino præſi-
dio circumſæpta, triumphabis. Sic enim te
ſummus ille Dominus, qui ſuam in te ſpeciem
incluſit, animumq. tuum noua quadam forma
decorauit, alloquitur. His, inquam, verbis
te optimus ille parens, qui ſpiritu ſuo te ge-
nuit, & informauit, in ſpem gloriæ cæleſtis, &
immortalis, impellit: Ne timeas, inquit. ego
enim te a ſeruitute, & interitu, liberaui; &,
quod eſt egregiæ familiaritatis indicium, no-
minatim appellaui; ſingulariq. beneuolentia
complexus ſum. Quando igitur a me tantum
egregiæ voluntatis pignus habes, fac, vt ex ani
mo tuo timorem omnem depellas; excelſoq.
animo ſis, & ſemper inuicto. 2 Nihil enim e-
rit, quod tibi nocere poſſit. Cum pedibus ma
re tranſmiſeris, tibi præſens adero; ne flumina
quidem altiſsima te, præſidio meo cinctam, ob-
ruere poterunt. Si per medios ignes inceſſeris,
non te calor infeſtus aduret; neque flamma-
rum ardore conflagrabis. 3 Ego namque ſum
præpotens ille Deus, cuius eſt poteſtas immen
ſa, & fides ſempiterna, in quo omnem ſpem vi-
tæ tuæ collocaſti. Ego ſum illud ſanctiſsimũ, at-
que firmiſsimum, Iſraelis præſidium, qui num-
quam eos, qui ſeſe ad me contulerunt, ſalu-
temq. ſuam mihi crediderunt, ope mea deſti-
tui. Ego denique ſum is, qui tibi ſalutem at-
tuli, nec patiar eam rurſus affligi. Pro te Ae-
gyptios, Aethiopes, & Arabes, oppreſsi; om-
nes denique orbis terrarum nationes, quæ te
perſequuntur, ad tuæ gloriæ materiam, tole-
raui; eaſq. tandem exitio dedidi; atque perfe-
ci, vt non modo tibi nihil hoſtes nocere poſ-
ſent, ſed ex omnibus eorum perditis conati-
bus magnus tibi decoris, & gloriæ, cumulus
accederet. Sic enim omnes res humanas ad-
miniſtro; vt omnia tandem ad eorum, quos
elegi, vtilitatem, & amplitudinem, referan-
tur. Eorum igitur oppugnatione, quaſi pia-
culo quodam, omni criminis contagione libe-
raberis; ex eorum interitu, & exitio, creſces;
&, illis vaſtitate conſumptis, tu, meo numi-
ne liberata, triumphum duces. 4 Poſtquam
enim in eo ſummum ſtudium poſuiſti, vt mihi,
qui non in corporis habitum, ſed in animi cul-
tum, reſpicio, placeres, neq. religionis adum
brata ſpecie, ſed ornamentis veræ fidei, men-
tem excoluiſti, in magno apud me pretio fui-
ſti; ex quo ingentis gloriæ magnitudinem fuiſti
conſecuta. Nam te egregie caram habui; am-
pliſſimiſq. muneribus auxi; ſummiſq. ornamen
tis affeci. Sic igitur, pro tuæ ſalutis incolumita
te, & decoris amplitudine, reliquos homines,
atq. nationes vniuerſas, exitio deſtinabo; perfi
ciamque, vt, quo te vehementius oppugnaue-
rint, eo tu clarius illuſtreris, & illi grauius ex-
crucientur; omniaq. tandem ad ſalutis, atq. di
gnitatis, tuæ ſummam reuocentur. 5 Neq. cum
cernis eos, qui te propinquitate ſanguinis at-
tingũt, & eadem ſtirpe procreati ſunt, propter
perfidiam expulſos, & electos, & a regionis tuę
finibus exterminatos, ea res tibi mæſtitiam af-
ferat; grauioremq. metum incutiat. Tecũ enim
ſum, vt te numero prope infinito multiplicem.
Nec enim cognatio tua, ſanguinis, & ſeminis,
propagatione, ſed fidei ſanctitate, & religione,
conti-

2 Cũ tranſieris aquas, tecum ero.

4 Ex quo honorabilis facta es in oculis meis.

5 Dabo homines pro te.

continetur. Nec ſemen tuum eſt ad naturam
corporis tui, ſed ad ſpiritus mei fecunditatem,
referendum. A Solis igitur ortu, multiplicem
tibi ſobolem adducam; & ab occaſu tibi filios
6 congregabo. 6 Ab Aquilone genus tuum repe-
tam; & Auſtro, ne illius libertatem impediat,
imperabo. Omnes imperio meo obedire com-
pellam;& efficiam,vt mihi, ex vltimis terris,fi-
lios meos adducant; & omnia tandem ſic diſci
plinæ cæleſti pateant, vt in omnibus orbis ter-
rarum finibus innumerabiles filij,verbi mei fa-
7 tu,generentur. 7 Ne opinione labaris,in eumq.
errorem inducaris,vt exiſtimes,clemētiæ meæ
magnitudinem eſſe Iudææ finibus circumſcri-
ptam; & telluris, olim parentibus tuis aſſigna-
tæ, terminis incluſam; eosq. ſolos filios meos
eſſe,qui, ſecundum humani ſeminis rationem,
ab illis ſanctis hominibus orti ſunt.Non ita eſt;
ſed omnis, qui ſe nomini meo mancipauerit,
qui vitæ ſtudium ad gloriam meam contule-
rit, ex quocumque genere hominum ille ſit, in
quacumque ora, atque parte terrarum, conſi-
ſtat, erit in ſobole mea numerandus; &, ea de
cauſſa, in ſanctorum patrum ſtirpe cenſendus.
Nec enim is fuit eam fidem,& pietatem, ex hu
mano ſtudio,& induſtria, ſed ex mea gratia,&
benignitate, conſecutus. Ego igitur illum, qui
ſimili fide numen colit,denuo creaui;ego illum
informaui;ego denique illum ſpiritus mei mu-
8 neribus expoliui. 8 Vt autem clariſſime cerni
poſſit,hoc admirandum opus non eſſe natura,
aut ſtudio,ſed numine meo,perfectum, ingens
vbique miraculum edam. Si enim produxeris
populum cæcum, mentisq. luminibus orbatū,
qui numquam cæli lucem conſpexerit, ſed tæ-
terrimis ignorantiæ tenebris immerſus ſit, &
amentia præceps in exitium rapiatur, vbi pri-
mum illi diſciplinæ meæ lumen affulſerit, ad-
ſpectum ſubito recipiet,vt ſceleris ſui deformi
tatem videat;& Diuinæ formæ ſpeciem,& pul-
chritudinem, contempletur; atque ita repēte
a peſtifero cupiditatis ſtudio ad pietatis cultū
traducatur. Similiter ſurdi, qui aures clauſas
habebant, ne poſſet vmquam ad eas vox cæle-
ſtis diſciplinæ peruenire, auditum recupera-
bunt;incenſoque, & inflammato, ſtudio,ſapien
tiam perdiſcent;& incredibili alacritate iuſſis
Diuinis obedient. Quo autem maior eſt vis a-
nimi,quam corporis, eo magis declarat numi-
nis mei præſentiam, ſalutare remedium ſubito
animi morbis allatum, quam corpori oppreſ-
ſo,& afflicto, ſanitas reſtituta. Cum igitur ani-
maduerſum fuerit,homines cæcos, vera,recta,
& ſimplicia, contueri, & Domini magnificen-
tiam puris animis contemplari; cum explora-
tum cunctis fuerit,eos, qui doctrina mitigari,
& molliri,non poterant,& naturæ voces aſper-
nabantur, & diſciplinarum monita repudia-
bant,repente auribus cæleſtem diſciplinā hau-
rire, præceptaq. ſalutifera complecti; cum de-
nique perſpicuum fuerit,homines,flagitijs om
nibus coopertos, infinitisq. ſceleribus alliga-
tos, repente ſtudio iuſtitiæ, atque pietatis, in-
flammari, omniumq. maximarum virtutum
muneribus illuſtrari, nemo, qui mentis fuerit
compos, dubitabit; quin opus illud omnium
maximum ad ſolum Deum reuocandum,& ge-
nus illud hominum ad Diuinam ſtirpem, & ſo-
bolem,referendum ſit.Nihil eſt enim,quod cla
rius Dei numen illuſtret, & cæleſtem nobilita-
tem indicet,quam veræ iuſtitiæ decus,& orna-
mentum. Ergo, cum tanta hominum multitu-
do fuerit ſubito e flagitiorum tenebris in iuſti-
tiæ lumen vindicata,nomen Domini erit noua
tunc, & inſolita, prædicatione celebratum; &
Iudęorum cœtus,qui ſanctorum patrum,a qui
bus originem traxit,fidem, & religionem,imi-
tatus fuerit,gaudebit,gentis ſuæ numerum tā-
tis acceſſionibus amplificari. His quidem ope-
ribus Dominus vim nominis ſui aperte ſignifi-
cat. 9 Nunc reliquum eſt, vt videamus, quibus
ſignis numina a gentibus ſingulari cærimonia
culta Diuinitatem ſuam oſtendant; quo modo
ſuis cultoribus in precibus,& votis,occurrant;
quibus prædictionibus eorum rebus cauerint;
qua fide prædicta compleuerint;quid denique,
quo melior eſſet eorum ſtatus,atque condicio,
in res communes attulerint. Conueniant gen-
tes vniuerſæ; conferant inter ſe omnes natio-
nes rationem, qua deorum ſuorum cauſſam
tueantur.Doceāt,num ab aliquo eorum a prin
cipio tanti beneficij, atque muneris, amplitu-
do prænuntiata fuerit. Ipſiq. dij prodeāt in me
dium;teſtes adducant;cauſſam dicant; vanita-
tis a ſe ſuſpicionem depellant;vt hominum ſen
tentijs abſolui poſſint. Faciant denique,vt ho-
mines,qui circumſteterint,audiant,eorū cauſ-
ſam iure defendi;atque fateantur,illos Diuini-
tate præditos eſſe.Num eſt aliquis inter homi-
nes, qui eorum ſacris obligati ſunt, qui poſſit
aliquod opus afferre, quo teſtificetur, eos eſſe
Deos,& humanis rebus gratia, & ope,conſule-
re? Non certe.10 At vos vniuerſi,qui meum nu
men ſancte colitis,& ſeruus meus, quem elegi,
vt vos illius oratione de rebus futuris præmo-
nerem, mihi Diuinitatis clariſſimum teſtimo-
nium dare poteſtis. Ideo namque id multo an-
te denuntiaui,vt numen meum exploratum,&
cognitum, haberetis; mihiq. ſoli crederetis; &
intelligeretis denique, nec ante me Deum vllū
informari potuiſſe, nec poſt me futurum fuiſſe;
cum ego,ab omni ſemper æternitate, omnipo-
tens,immenſus,& infinitus,extiterim;& omni
bus ſæculis ſim in eodem ſtatu permanſurus.
11 Ego ſum,ego ſum Dominus;nec eſt,qui ſalu 11
tem dare poſſit præter me. Vt enim ſolus om-
nia finxi, & informaui, ita ſolus omnia conſer-
uare poſſum.12 Quod quidem nō ſemel exper- 12
ti fuiſtis. Veſtram namque fidem prædictione
veriſſima confirmaui; oſtendiq. futurum, vt
vos ab interitu vindicarem,ſalutemq. veſtram
conſtituerem. Deinde,cum maturum fuit, fidē
meam liberaui; vobisq. ſalutem contuli. Hæc
quidem vt apud vos teſtata eſſent, curaui; vi-
diſtisq.

Ab oriente adducā ſemen tuum.

Et omnem, qui inuocat nomē meū.

Educ foras populum cæcum.

9 Quis in vobis annū tiabit illud?

10 Vere vos teſtes mei, dicit Dominus.

diſtisq. nullum Deum alienigenam his meis,
vel prædictionibus, vel operibus, ſe admiſcuiſ-
ſe; vt ea de cauſſa ſuſpicari poſſitis, mihi cum
illo officium communicatum, & munera inter
nos, ad vnius operis perfectionem, partita, at-
que diſtributa, fuiſſe. Vos, vos, inquit Dñs, te-
ſtes eſtis, quam multis in locis ſubſidio vobis
occurrerim, numenq. meum in ſalute veſtra
tuenda declarauerim, Diuinitatemq. meam
13 admirandis operibus teſtificatus ſim. 13 A prin
cipio ſemper vnus, & idē, mihiq. ſimilis, in om-
ni æternitate permaneo, nullamq. mutationē
Nemo eſt, qui de manu eruat. vllis vmquam ſæculis habiturus ſum. Cum in
ſcelera vindico, nemo poterit nocentes a meis
manibus eripere, & a conſtituto ſupplicio libe
rare; cum rurſus opus ad ſalutem cōferendam
deſigno, nemo poterit me, vel a magnitudine
benignitatis auocare, vel opus meū vllis viri-
14 bus, & machinis, impedire. 14 Hæc præterea
Dominus, in quo eſt firmiſſimum Iſraelis præſi
dium poſitum, adiecit, vt fortius fidem ſanci-
ret, ſuorumq. animos ſalutis ſpe firmiſſima cō
firmaret, oſtenderetque, omnia, quæ molitur, &
efficit, ad ſuorum ſalutem, atque dignitatem,
conferri. Vt vos ex hoſtium impotenti domina
tu liberarem, Medos, atque Perſas, vt arma cō
tra Babylonem caperent, incitaui; perfecique,
vt, perfractis vectibus, & repagulis reuulſis, vr
bem fœdiſſima cæde vaſtarent, & Chaldæorum
arrogantiam, & gloriæ naualis inſolentiam,
15 omnino comprimerent. 15 Me igitur vnum in-
tuemini; me vnum reueremini; me vnum amo-
re proſequimini. Solus enim ſum ſummus ille
Dominus, in quo eſt omne veſtræ ſalutis præſi-
dium collocandum. Ego namque Iſraelem for-
maui, muneribusq. Diuinis ornaui, & inſtruxi.
Ego veſter Rex ſum; cuius maieſtatem vereri,
cuius imperium ſequi, cuius legibus vitam in-
16 ſtruere, debetis. 16 Tum etiam hæc addidit:
Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam. Vetera beneficia mente recolite, vt ad certam
ſpem futurorum ardentius rapiamini. Ego ſum
ille ſummus Deus, qui vobis in mari iter ape-
rui, & in medijs fluctibus viam muniui, qua pe-
dibus profundi pelagi gurgitem tranſmiſiſtis;
17 17 qui currus, & equites, exercitumq. robuſtiſ
ſimum, eduxi, quem numine meo proſternerē,
atque veſtri cauſſa fluctibus marinis obruerē.
Ea ruina ſimul omnes oppreſſi iacuerunt, vt e-
rigi numquam poſſent. Inſtar incenſi ligni ſic
exſtincti ſunt, vt numquam vel tenuiſſimam vi
18 tæ ſcintillam conciperent. 18 Sed hæc nimis an
Nec meminerítis priorum. tiqua in obliuionem tandem adducite. Non,
quod vllum Dei beneficium ſit ex memoria fi-
delis hominis euellendum; ſed, quod præteritū
ſit amplitudine, & magnificentia, futuri doni,
atque muneris, obſcurandum. Vt enim vmbra
corpori concedit; vt lucernæ lumen in ſplendo
rem ſolis incurrens euaneſcit; ſic intelligite,
memoriam antiqui beneficij ( quo, tamquam
imagine, fuit adumbrata, & expreſſa, Diuinæ
gratiæ, atque muneris, amplitudo ) eſſe futuri
beneficij veritate, & conſtantia, deponendam;

& illud legis lumen ſplendore Diuini ſpiritus
obruendum. 19 Animos igitur erigite: in cælū 19
aciem mentis intendite; multoq. maiora vo-
bis, & ampliora, proponite. Iam enim opus
nouum, & inauditum, molior, quod breui erit
omnibus opibus Diuinis, atque ſempiternis, flo
rentiſſimum. An non vel huius tanti operis mi- Ponā in deſerto viam.
raculum animos veſtros, ad meam potentiam,
& benignitatem, multo clarius intelligendam,
commonebit? Nam rurſus in terra vaſta, & in-
culta, in qua numquam fuit humanitatis, & pie
tatis, veſtigium impreſſum, viam latam, & illu-
ſtrem, aperiam; & in regione arida, atque ſoli-
bus peruſta, fontes ſubito prorumpent; flumi-
na labentur, quæ ſitim reſtinguant, totamque
telluris illius faciem, herbarum, atque arborū,
amœnitate veſtiant. Perennes enim ſpiritus
mei aquas in animos, olim ab omni cultura de-
relictos, & nefariæ cupiditatis ardoribus inflā
matos, inducam, quæ facile ſitim expleant; &
virtutum omnium cultum, & amœniſſimam de
coris, & honeſtatis, viriditatem eliciant. 20 Ho 20 Et glorificabit me beſtia agri.
mines, olim immanitate cupiditatis efferati,
qui omnes animi conatus ad aliorum perniciē
comparabant, qui humanam ſocietatem mini-
me colebant, & lucem, atque celebritatem, fu-
giebant, vt qui, tamquam ſerpentes, vt veneno
multos mortales interimerent, latitabant, hu-
manos ſenſus recipient, ſuumq. ſtudium ad cul
tum nominis mei ſubito conuertent, benignita
temq. meam ſummis laudibus extollent; cum
viderint aquas gratiæ meæ in loco deſerto, &
inculto, profluere, & fluuios cæleſtium donorū,
& munerum, in arida, & exuſta, regione dima-
nare, vt populi mei, quem mihi fide conciliaui,
ſitim expleant, & omnium Diuinorum bono-
rum copia cumulēt. Et, cum nec opes vllæ, nec
honores, & imperia, nec exquiſitiſſimæ volu-
ptates, poſſint vllo modo immenſam, & infini-
tam, hominum cupiditatem ſatiare; immo, quo
magis affluunt, eo magis cupiditatem irritēt,
ita, vt cum eorum affluentia creſcat ſimul ino-
pia, & indigentia; qui tamen ſpiritum meum
hauſerint, ita erunt omnium bonorum copia,
& vbertate, completi, vt nihil amplius in vita
deſiderent. Erunt enim veris opibus egregie
cumulati, & honoribus ſummis amplificati, &
voluptatibus ſempiternis affluentes; ita, vt ni-
hil relinqui poſſit, cuius incenſa cupiditas eo-
rum animos excruciet. 21 Hunc populum ſin- 21 Populū iſtum formaui mihi.
gulari quadam ratione creaui, & informaui, in
eiusq. mente ſimilitudinem meæ virtutis im-
preſſi, ita, vt ſit nouum quoddam opus, noua
ſpecies, atque figura, excellenti opere perfe-
cta, manibusq. meis ſingulari artificio perpoli-
ta, cuius omne ſtudium in gratiam meam per-
petua laudatione celebrandam conferatur. In
tanto vero, & tam obſtupendo, munere, & be-
neficio, quid tandem eſt, quod genus humanum
in medium afferre poſſit, quo me ſibi obligatū
afferat, humanisq. meritis hæc tanta bona tri-
buta confirmet? Num gentes feræ, & indomi-
tæ, om-

tæ, omnibusq. turpitudinum notis inuſtæ, po-
terant vita impia, & ſcelerata, meum ſibi nu-
men adſtringere, vt tantum eis beneficium cō-
ferrem? Ne ipſæ quidem gentes tantum ſibi aſ-
ſumere audebunt, vt meritis ſuis numen adſtri
ctum putent. Vt de illis igitur ſileamus, num
Hebræum genus, quod tanta ſedulitate omne
vitæ ſtudium in ſacris peragendis, & in religio-
ne multifariam colenda, conſumpſit, potuit il-
lis ſacrificijs, illis cærimonijs, illa magnificen-
tiſſimi templi ſanctitate, tantum de meo numi-
ne promereri? Minime profecto. Nec enim hu-
manis ſtudijs opes Diuinæ debentur; nec terre
21 nis muneribus cæleſtia comparantur. Quid au
tem præterea eſt, quod homo in ipſis ſacris ter
renis inſoleſcat, cum ipſe ſceleri ſit affinis, &
ſcelus ipſum, quod Deum alienat, naturaq. ſua
benignitatem illius a cura humanæ ſalutis a-
22 uertit, ſacris illis expiari non poſſit? 22 Ne igi
Non me inuocaſti, Iacob.
tur erres, Iſrael; ne in fraudem inducaris, Ia-
cob. Nec enim preces tuæ me flexerunt; neque
labore tuo, in expianda religione conſumpto,
23 placatus ſum. 23 Non mihi pecudem ad ſacrifi-
cium obtuliſti; nec, hoſtijs, & victimis, tuis, mihi
debitos honores detuliſti. Non ego tibi mune-
ris onus impoſui; nec a te thuris ſuffimenta ve
24 hementer expetiui. 24 Neque, cum argento o-
dores mihi emeres, eorum fragrantia delecta-
tus ſum; nec ſacrificiorum tuorum adipe dele-
nitus. Quem enim fructum mihi eiuſmodi ſa-
cra offerre potuerunt? Quid in illis exſtitit,
quod me, per ſe, poſſet ad gratiam inflectere?
Et tamen, cum illis operam dabas, iram in te
meam prouocabas. In animo enim tuo ſcelus
inhærebat, cuius delendi gratia ſerui formam
indui, doloresq. immenſos excepi. Tu igitur
me per flagitia tua ſeruire compuliſti; tu, ini-
quitatibus tuis, mihi grauiſſimos labores attu
liſti. Si igitur te diligenter excuſſeris, & omnes
animi tui latebras exploraueris, nihil in te inſi-
dere conſpicies, quod me tibi propitium red-
dat; multa vero, quæ in te numen meum incen-
25 dant. 25 Comprime igitur ſpiritus; arrogantiā
ſeda; inſitum ſcelus agnoſce; animumq. tuum,
quantum potes, abijce; neque in te tantum au-
daciæ crimen admittas, vt cauſſam ſalutis tuæ
Ego ſum, ego ſum, qui deleo iniquitates tuas.
meritis tuis aſſignes. Ego, ſum, ego, inquam,
ſum, qui, propria benignitate, & clementia, pro
uocatus, rebellionis tuæ ſcelus profligaui; pec-
cataq. tua ſempiterna obliuione contriui. Si
nunc igitur caſtus, ſi integer es, ſi pietatem, &
iuſtitiam, colis, id totum eſt mihi in acceptis
26 referendum. 26 Si ſecus opinaris, velim mihi
ſuggeras, ſi forte fuit aliquid a me prætermiſ-
ſum. Age, iam, ſi libet, iudicio diſceptemus, vt,
ſi iuris æquitate niteris, litem obtineas. Narra
igitur, quid habeas, ob quod, merito ſingulari,
poſſis partem aliquam iuſtitiæ ad merita tua
27 reuocare? 27 Num ſingularem naturæ præſtan
tiam, & acumen ingenij, cum præſtantiſſima
Pater tuus prius peccauit.
virtutis indole coniunctum? At ille, primus hu-
mani generis parens, cū omnibus naturæ præ-
ſidijs, & ornamentis, redundaret, tamen turpiſ
ſime lapſus eſt, & deteſtabile in ſe ſcelus admi-
ſit. Num, legis piaculis, & inſtitutis, credis, te
iuſtitiæ puritatem retinere? At illi ſummi legis
interpretes, qui tantum reliquis omnibus reli-
gionis ſtudio præſtabant, a me nefarie deſciue-
runt. 28 Viri igitur ſanctitatis opinione præ- 28
cellentes, ſceleris a me conuicti ſunt; & popu-
lum Iſraelis vniuerſum, cui primum lex data
eſt, exitio deuoui, & cœtum illum, Iacobi ſtirpe
propagatum, exſecratione deuinctum, exitio,
& vaſtitate, conſumpſi. Non igitur in natura,
nec in lege, ſunt tibi conſtituenda vitæ præſi-
dia; ſed omnia tandem ſunt tibi ad meam be-
nignitatem referenda.

1 Audi nunc igitur, Iacob, qui te voluntati 1 CAP. XLIV.
meæ penitus addixiſti, vt mihi perpetuo ſerui-
res. Audi, Iſrael, cuius ego fidem elegi, iuſti-
tiæq. ſummis ornamentis decoraui. 2 Hæc di- 2
cit Dominus, qui te finxit, & informauit, atque
iam ab vtero matris tuæ ad ampliſſima mune-
ra reſeruauit, præſentiq. auxilio protexit. Ne
Noli timere, ſerue meus, Iacob.
metus vllus animum tuum frangat, quando
ſeruus meus es, & iuſtitiam ſancte colis. Nec
enim fieri poteſt, vt ſerui mei, quos in fidem
meam recepi, alicuius iniuria violentur; &, qui
iuſtitiæ muneribus exculti ſunt, a me ſupplicio
dedantur. Ne te vel nefaria cupiditatis imma-
nitas, vel naturæ imbecillitas, ita conturbet, vt
caſum, atque ruinam, pertimeſcas. Ego enim
te, ſi in fide permanſeris, ope mea confirmabo,
vt facile poſſis contra omnes cupiditatis impe
tus ſtatum animi tueri, & honeſtatis ornamen-
ta retinere, & iuſtitiæ opibus Diuinis affluere.
3 Aquas enim in ſitientem tellurem demittā; 3
& flumina in aridam terram deriuabo. Fac igi-
tur, vt, cum hoc vnum expetas, hoc vnum ardē
tiſſime ſitias, hoc aſſiduis precibus efflagites,
vt animum tuum, iuſtitiæ cupiditate flagran-
tem, expleam, ſitimq. tuam gratiæ copia, &
vbertate, reſtinguam: ſpiritum enim meum, nō
ſuper te tantum, ſed ſuper omnes filios tuos,
hoc eſt, in omnes, qui fidem tuam imitati fue-
rint, ſeq. exemplo pietatis tuæ cōformauerint,
effundam. 4 Creſcent, quaſi plantæ, in terra her- 4
bida, & amœna, conſitæ; & tamquam ſalices,
quæ perennium aquarum deductionibus alluū
tur. 5 Erit igitur in terris, ad quas cæleſtis diſci 5
plina peruaſerit, mira ſtudiorum commutatio,
& repentina vitæ conuerſio; ita, vt alienigenæ,
& ſimulacrorum cultui dediti, qui fuerant er-
roribus innumerabilibus obcæcati, & flagitio-
rum omnium maculis infecti, ſubito in lucem
reſpiciant, & vitæ ſanctimoniam colant, & ad
Iſraelis cœtum aggregentur. Hic enim ſe Do-
Iſte dicet, Domini ego ſum.
mini ſeruum appellabit; ille, ſe Iacobi fidem ſe-
qui, profitebitur; alius, litterarum monumenta
Domino conſecrabit; & Iſraelis cognomē aſſu-
met. 6 Hæc dicit præterea ſummus Dominus; 6
qui Regio imperio Iſraelem continet, atque
moderatur; qui populum ſuum a ſeruitute redi
mit; quem vnum Imperatorem cæleſtes exer-
citus

citus ſummo ſtudio, & alacritate, ſequuntur.
Ego ſum rerum omnium ſons, & principium, a
quo cunctæ naturæ profluxerunt; ego ſum finis
rerum omnium, in quem inſita cupiditate refe
runtur. Ego igitur ſolus omnia ſempiterna vi,
imperio, numine, poteſtate, complector; nec,
præter me, vllus eſſe poteſt, in quem Dei nomē
7 conueniat. 7 Quis enim, inter illos, quibus gen-
tes Diuinitatem tribuunt, mei ſimilis eſt? Quis
opera ſimilia deſignauit, rebusq. mirabilibus
vim ſui numinis indicauit? Prodeat in mediū;
virtutis ſuæ documentum det; mecumque, fa-
ctorum ſimilitudine, & imitatione, contendat;
vocet ea, quæ nondum ſunt; ipſius vocis poten-
tia nouas formas, atque naturas, efficiat; &, vt
magis probet ea, quæ creāda ſunt numine ſuo
in lucem proferenda, & primum futura prænū-
tiet; modnm, & ordinem, & conuenientiam,
qua naturam omnem obligaui, ſi poteſt, imite-
tur; atque, a mundi primordio humanę naturæ,
a me conditæ, & conſtitutæ, rationem repetēs,
eam potentia, & artificio, conſequatur; & ijs, a
quibus colitur, quæ ſunt euentura, præmon-
ſtret. Quod ſi nec vlla vi, nec ratione, nec rerū
prænotione, poſſunt Diuinitatis ſuæ ſignifica-
tionem dare; certe conſtat, eos eſſe dementiſſi-
mos, qui ab illis pacem expoſcunt; eorumq. nu
mina, quæ nulla ſunt, nec eſſe poſſunt, ſupplici-
8 ter, atque demiſſe, venerantur. 8 Ergo, cum ali-
qua tempeſtas in res communes inuaſerit, per-
Nolite timere.
culſi formidine, trepidabunt; bonisq. omnibus
euerſi, proſternentur; ſeroq. intelligent, ſe om-
nes ſpes ſuas in vanitate repoſitas habuiſſe.
Vos autem, qui, numinis mei fiducia, vitam co-
litis, quorum opes meo præſidio fulciuntur, cū
aliquis rerum motus, atque perturbatio, in re-
bus humanis exſtiterit, ne metuatis, nec ani-
mis concidatis. Quid enim eſt, quod vos con-
turbet? An non illa vobis multo ante prouiſa,
atque meditata ſunt? Numquid non ſunt a me
vobis ante prædicta, ne incurſu repentino ve-
ſtras mentes de ſtatu dimoueant? Num parū
intelligitis, me vobis, in rebus aſperis, ſubſidio
affuturum? Vos enim mihi teſtes eſtis, nullum
aliud eſſe calamitatis, & miſeriæ, perfugium,
nullum aliud firmum vitæ præſidium, non aliā
eſſe ſalutis, atque dignitatis, arcem, quam illā,
quæ meo numine continetur. Vt enim nemo
alius rerum opifex eſſe poteſt; ita nemo alius
poteſt ſuorum ſaluti, & incolumitati, conſule-
re. Et tamen tantus furor hominum mentes op
preſſit, vt hanc arcem tutiſſimam, atque muni-
tiſſimam, deſerant, aliq. ſibi præſidia compa-
rent, & numina ſibi falſa, & inania, confingant.
Plaſtæ omnes Idoli nil ſunt.
9 Profecto omnes, qui ſimulacra formant, at-
que figurant, quæ deinde venerentur, ſunt er-
roris, inanitatis, & amentiæ, pleniſſimi. Quæ e-
nim maior amentia cogitari poteſt, quam id
ardenter expetere, ex quo nullum in vita fru-
ctum conſequi poſſis? Cuius quidem rei ipſi,
qui ſigna colunt, teſtes eſſe poſſunt. Explorate
enim cognoſcunt, ea neque videre, nec intelli-
gere; tantum abeſt, vt valeant cultoribus opitu
lari. Ideo, cum eos calamitas oppreſſerit, præ-
ter ſceleris cruciatum, amentiæ ſempiternam
ignominiam, & turpitudinem, ſubibunt, atque
ſuſtinebunt. 10 Quis enim poterit, pro dignita- 10
te, tanti furoris immanitatem verbis exprime-
re? Num Deum homo formabit? aut propitiū
ſibi numen, cuius ſubſidio nitatur, effinget? ma-
ioremq. vim in opere a ſe facto, quam in ſe, qui
illud effecit, ponendum arbitrabitur? Et tamen
ſumma pertinacia in amentia perſeuerat, &
imaginem ſummo ſtudio conflat, cuius religio
ne iuuari minime poſſit. Iuuari, inquam? Immo
ex ea ſibi peſtem, & exitium, comparabit; inſi-
gnemq. dedecoris ignominiam accipiet. 11 11
Conueniēt enim omnes.
Omnes enim, qui tanti ſceleris participes fue-
rint, & fabros etiam, qui minime viderint ſe
homines eſſe, fieriq. non poſſe, vt Deum ars hu
mana formet, amentiæ ſuæ pudebit; extremaq.
ignominia deformabuntur, cum fuerint exper
ti, nullum ſibi præſidium illam religionem im-
puram, in quam omnia ſtudia vitæ contulerāt,
attuliſſe. Conueniant vniuerſi, atque animum
colligant; ſcelusq. ſuum reputēt, & ad cæli ad-
ſpectum contremiſcant; ſummiq. Dei ſanctiſſi-
mum numen exhorreant, & in recordatione ſu
ſcepti facinoris erubeſcant. 12 Faber forcipe 12
ferrum verſat in prunis; malleoq. contundit;
excuditq. tandem figuram; in eaq. perficienda
omnes ſuas vires, animiq. neruos, intendit; fa-
me, ſiti, laboreq. nimio, feſſus, tanto tamen ſtu-
dio in opus incumbit, vt ne aquam quidem gu-
ſtet, ne quidquam de contentione remittat. 13 13
Ecce tibi alius, qui ſigna ex lignis dolat, regulā
applicat, atque rubrica formam deſignat; do-
labram deinde, atque ſcalprum, adhibet, & cir-
cinum circumducit; lignumque in hominis ha-
bitum, formamque, figurat; hominis illi cultum
affingit, vt in ædibus collocet. 14 Neque ſolum 14
opus, quo Deus e ligno fingitur, eſt humano ar-
tificio factum; verum etiam ipſa materia hu-
mana induſtria comparatur. Homines enim ſe
accingunt in denſa ſilua, vt cedrum præcidant,
& ilicem, & tiliam, & quercum, & eiuſmodi ar-
bores cæſas, conuehant; quin ipſi ſæpenumero
cedros conſerunt, quæ, pluuijs irrigatæ, in iuſtā
altitudinem aſſurgunt. 15 Tum, vbi materiam 15
illam variam, atque multiplicem, diſſecant, do-
mumq. ſubuehunt, ex ipſis pyram exſtruunt,
ignemq. ſubijciunt, vt frigus depellant; & par-
tem etiam in furnum immittunt, vt panes co-
quant; poſtremo, ex eodem ligno Deum ſcul-
punt, ad cuius ſe pedes abijciunt; eumque, cor-
poris habitu nimis abiecto, atque demiſſo, ve-
nerantur. 16 O deteſtabilem amentiam, deplo- 16
randamq. animorum cæcitatem. Tantum ne fu
rorem hominum mentes inuaſiſſe, vt, Deo ve-
ro nefarie derelicto, e reliquijs materiæ viliſſi-
mæ, quam in quotidianos vſus vitæ conferunt,
deos ſibi faciant, atque, pro ſalute, & incolumi-
tate, ſua, ligna venerentur? Conuehit homo li-
gna; partē in focum conijcit; parte carnes co-
quendas

quendas ſedulo curat; comedit deinde, atque
ſaturatur,& igne concaleſcit; & ait, Mihi belle
eſt;depuli frigus,& concalui; lucemq. ex lignis
17 adſpexi. 17 Tum, ipſorum lignorum reliquias
ita dolat,vt ex illis Deum efficiat. Illum igitur,
quem manibus ſuis ex inutili ligno perpoliuit,
adorat; ad illius pedes ſternitur; ab illo pacem
expoſcit,& inquit, Serua me,obſecro: nã Deus
mens es tu. 18 Non ſentiunt, nec intelligunt;

18 Libera me, quia Deus meus es tu.

ſenſibus orbati ſunt; oculi eorum, quaſi tecto-
rio inducto, penitus obſtructi ſunt; mens eorũ,
obductis tenebris, obſcurata eſt; ita, vt neque
videant,neque mente recogitent, quam ſcele-
19 ſtum in ſe facinus admiſerint. 19 Nec enim ſe
conſulunt, nec vllam animaduerſionem adhi-
bent,nec ſaltem hæc ſecum aliquando loquun-
tur: Ex parte ignem feci; panem in prunis co-
xi;carnes etiam eodem igni aſſas comedi; ex li
gni vero reliquijs tætrum, & deteſtãdum,opus
deſignaui, vt coram ligno, quaſi coram Deo,
20 procumberem. 20 Hæccine ſcelera? Hæccine
portenta? Tam deteſtabilis amentia vexabit
animum,flagitijs excæcatum, vt coram ligno,
cineris ſocio,atque adeo germano,(illius enim
iam maxima pars conſumpta flammis, & in ci-
nerem redacta eſt) ſe abijciat; & ſimulacrum,e
leuiſſima materia factum, in tantam fraudem
impellat hominem mentis, atque rationis par-
ticipem,vt lignum,impia,& exſecranda,ſuper-
ſtitione, veneretur? Et ab illo auxilium poſtu-
lat,qui nullam opem poteſt ſupplicibus ſuis af-
ferre, nec vitam ab interitu vindicare? Et ta-
men in ſcelere pertinaciſſime perſeuerant,nec
illam ſaltem cogitationem ſuſcipiunt, vt dubi-
tent interdum, num ea religio, qua ſe obſtrin-
xerunt,ſit inaniſſima, & mendacij, fraudiſque,
21 pleniſſima. 21 Hæc tecum animo meditare;
hæc memoria repete, Iacob; recogita,quãtum
beneficium acceperis,Iſrael; quando hoc aſſe-
cutus es,vt diriſſimæ religionis portenta relin-
queres;nec inaniſſimis ſimulacris,ſed mihi,ſup
plicares,teq. ab immaniſſimo ſcelere ad numi-
nis mei cultum traduceres. Nunc igitur ſeruus
meus es, vt ſit tibi diligentiſſime præcauendũ,
ne quidquam, contra voluntatem meam, mo-
liaris;& ſerui nomen,quod quidem eſt pleniſſi-
mum decoris,& dignitatis,amittas. Nec enim,
22 ſi fidem retinueris,tui vmquam obliuiſcar. 22
Vide enim, quantum in te beneficium contule
rim, cum te omnium malorum maximo, quod
beneuolentiam in te meam, & amoris mutui
vinculum,dirimebat, liberauerim. Nam perfi-

Deleui vt nubem iniquitates tuas.

diam,atque rebellionem, tuam, quaſi denſam,
& atram, nebulam, diſcuſſi, & omnia peccata
tua, quaſi nubem, ſpiritu meo diſſipaui. In me
igitur tantum reſpice;facitoque, vt omnia ſtu-
dia tua ad me traducantur, quando ſolus te a
23 ſempiterno exitio liberaui. 23 Quibus laudi-
bus,quibus canticis, quibus acclamationibus,
poterit tantum munus, atque beneficium, ho-
minũ generi vniuerſo collatum,celebrari? Cæ-
lum lætiſſimo clamore circumſonet. Dominus

Laudate cæli, quoniam miſericordiam fecit Dominus.

enim ipſe, per ſe,ſalutem ſempiternam conſti-
tuit, opuſq. omnium maximum, quod omnes
in ſe poteſtatis, atque benignitatis, & ſapien-
tiæ,numeros continet,admirabili ratione per-
fecit. Terræ etiam vniuerſæ profunditas,ingen
tes voces, lætitia exſultans, emittat. Montes
etiam maximos clamores edant; ſaltus, atque
nemora, & arbores cunctæ gaudio completæ,
tripudient; omnis denique natura populo Dei,
de Diuina clemẽtia,gratuletur. Redemit enim
Dominus Iacobi progeniem, non tam genere,
quam fide, a reliquis nationibus ſegregatam;
populumq. ſuum ſummis muneribus honeſta-
uit. 24 Audi,plebs ſanctiſſima, quæ te in Domi- 24
ni fidem contuliſti;& intellige,vt pleniore quo
dam gaudio cumuleris, quantæ curæ ſummo
Deo ſis. Sic enim ait Dominus,qui te e peccati
dominatu,& a tyrannide mortis,eripuit,qui te
in vtero matris tuæ finxit,atque ad tantum bo
num maturo tempore perfruendum reſerua-
uit: Ego ſum ille ſummus Dominus, per quem
omnia effecta ſunt. Solus enim cælos extendi;
terræq. faciem, meo tantum numine ſubnixus,

Ego Dominus faciens omnia.

explicui;& in omnes partes dilataui. Mihi igi-
tur ſoli immolandum,& ſupplicandũ eſt;meiq.
ſolius nomen eſt, in omni æternitate, laudibus
efferendum. Nec eſt enim aliud numen, præter
me; nec ſapientia vlla, quæ nomine ſapientiæ
digna ſit, ſi a meo ſpiritu ſeiungatur. 25 Ego 25
namque irrita facio ſigna eorum, qui præſti-
gijs mentibus illudunt. Ego ſum, qui Diuinos
inanitatis,& amentiæ,conuinco; qui ſapientes
retrorſum præcipites impello; eorumque pru-
dentiam ſtultiſſimam, pleniſſimamq. inconſi-
deratiſſimæ temeritatis, oſtendo; 26 qui, quæ- 26
cumque ſeruus meus, numine inſtructus meo,
prædixit, veriſſimo rerum euentu confirmo; &
conſilium eorum, quos ad homines erudiẽdos
legaui,perficio;qui,numine,& imperio,meo,fa
cio,vt Ieroſolyma,poſtquam ei fuerit exitium,
atque vaſtitas illata,rurſus ciuium frequentia,
& multitudine,celebretur; & Iudææ ciuitates,
armis hoſtium dirutæ, rurſus ædificentur; qui
collapſa, atque vaſtata, in priſtinum ſplendorẽ
reſtituo; 27 qui profundo mari, vt exareſcat, 27
præcipio;qui fluminum alueos,vt exſiccentur,
meiſq. tutum tranſitum præbeant, imperio co
go; 28 qui Cyrum excito, vt populum regat, 28
&,illo liberando,volũtati meæ pareat, &,quod
iam pridem deſignaui, perficiat; qui nutu meo
multos mortales impello, vt Ieroſolymam in-
ſtaurent, & templum rurſus ædificent.

1 CAP. XLV.

1 Hæc deinde dicit Dominus Regi ſuo Cy-
ro, quẽ honoribus ſummis augebit, omnibuſq.
Regijs opibus, atque muneribus, inſtruet,& ad
ſummum extollet. Illum,inquit,robore confir-
mabo,vt ante ſe gentes, belli vi perculſas,ſter-
nat; Regumq. vires infringat, atque debilitet;
aditum illi in vrbes pateſaciam;nec quiſquam
illum aditu prohibere poterit. 2 Ego tibi præi- 2
bo; meoq. præſidio omnes viarum aſperitates
facili contentione ſuperabis; & ſine vlla offen-
ſione

ſione recta via, a me ante munita, ad hoſtium
vrbem peruenies. Portas æneas effringam; ve-
ctes ferreos excidam; omnia denique clauſtra
reuellam, vt nihil tibi ſit impedimento, quo mi-
nus in hoſtium fortunas inuadas, illorumque
3 opes diripias. 3 Obſtruſam, & reconditam, ga-
zam, multis ætatibus hominum auaritia coa-
ceruatam, locisq. tenebricoſis incluſam, tibi
tradam; vt noueris, me Deum verum eſſe, qui
tibi præſens adero, teq. benignitate ſingulari
complectar. 4 Hæc autem omnia ornamenta
in te congeram, vt populus meus ope tua libe-
retur. Omnia ſiquidem, quæ molior, & efficio,
ad eorum, quos elegi, ſalutem & incolumitatē,
& amplitudinem, cōferuntur. In hoc igitur te,
antequam mei notitiam caperes, excitaui, mul-
tisq. rebus geſtis, & ſummi honoris inſignibus,
5 illuſtrem reddidi. 5 In me vnum intuere; meo
præſidio nitere. Solus enim Deus ſum; nec, præ-
ter meum numen, aliud eſt, in quo ſit vitæ præſi
dium reponendum. Ego te, antequam me co-
gnoſcas, inuicto robore ſæpiam, animiq. ſingu-
6 lari alacritate confirmabo; 6 vt, ab ortu ſolis
ad occaſum, apud omnes mortales, hoc inſigni,
mei numinis, atque poteſtatis immenſæ, docu-
mento, teſtatum ſit, me ſolum Deum eſſe; & ho-
mines, qui commenticia numina venerantur,
7 & colunt, in ſumma inanitate verſari. 7 Ego lu-
cem excito; ego tenebras offundo; ego pacem,
& tranquillitatem, facio; Ego rurſus bellum, &
belli calamitates, importo. Nullum eſt enim
vitæ commodum, quod a me non manet; nul-
lum rurſus incommodum, quod volūtate mea,
& conſilio meo, non hominibus inferatur. Ego
Dominus, ad cuius voluntatem hæc omnia ad-
miniſtrantur; vt vel beneficijs mortales alliciā;
vel, propoſitis minis, abſterream; vel pios homi-
nes præmijs ampliſſimis ornem; vel impios ex-
tremo exitio, atque clade, conficiam.

4 Protect ſeruū meū Iacob.

Ego Dominus faciens omnia hæc.

Hæc quidem Iſaias, ſub Dei ipſius perſona, de futura libertate, quæ erat Cyri opera reſtituenda, diſſeruit. Hoc autem in loco, quod quidem non ſolum illi, ſed omnibus ſanctis hominibus, vſu veniebat; vt, in medio curſu orationis, maxime autem cum de rerum Diuinarum vmbris, & imaginibus, ſermonem faciebant, ſubito, ad cogitationem ſempiternæ libertatis, inflammato ſtudio, raperentur; exclamat; & ad alterius libertatis cupiditatem, quæ quidem non a Cyro, ſed a Chriſto, danda erat, exardeſcit. Nec enim vir Diuinus ſigna, ſed veritatem ſignis expreſſam, requirit; neque libertatem Cyri imperio partam, quæ breui erat amittenda, ſed Chriſti beneficio conſtitutam, quæ nullis ſæculis erit labefactanda, flagitat; nec Cyri denique Regnum, quod tandem erat euertendum, ſed Chriſti Regnum ſempiternum, per illud deſignatum, admiratur. De illo igitur cogitans, illius cupiditate flagrans, illiusq. ſubita admiratione defixus, cælum, atque terram, inclamat, inquiens:

8 O cælum, iam ſalutarem illum rorem ſu- 8
perne demitte; o nubes, illum iuſtitiæ imbrem
in terras effundite. Iam tandem virgo ſanctiſ-
ſima, Diuini ſpiritus inflatu, concipiat; fru-
ctumq. tandem edat, per quem eſt hoſtis ſem-
piterni tyrannis exſtinguenda; & ſalus ſempi-
terna, Diuinis bonis egregie cumulata, homi-
num generi conferenda. Non Cyri opes expe-
to; non magnopere Babylonem exſtinctam cu-
pio; non valde reſtitui meum genus in terre-
nas ſedes, a quibus demigrabunt, exopto: Illud
me Chriſti deſiderium incendit, illam Regis
ſempiterni victoriam depoſco; cupiditate il-
lius Regni, illius libertatis, quam iuſtitiæ mu-
nus ampliſſimum afferet, ſolito vehementius
inflammor. Hæc omnia, inquit Dominus, numi-
ne meo, atque benignitate, perficiam. Nunc
quidem libertatem hanc, quæ illam eſt adum-
bratura, conſtituam; & ea de cauſſa Cyrum ad
Babylonis exitium euocabo; tum demum, cum
maturum fuerit, Regem illum, quem ardenter
expetis, excitabo, vt mortis, atque peccati,
tyrannidem deleat, iuſtitiæq. fructum in ter-
ris efferat.

Rorate cæli deſuper.

Ego Dominus creaui eum.

Sed hic potuiſſet aliquis, vt eſt hominū genus audax, & temerarium, impium ſermonem inducere: Si Deus tanti facit eos, quos ſemel in fidem recipit, cur illos antea vexari, tantisq. ſimul ærumnis affligi, permiſit? Non potuit hoſtium conatus impedire? Non impetum a ciuitate ſibi conſecrata repellere? Non poſtremo exercitum hoſtilem, incendio excitato, conſumere? in quo quidem melius fidē præſtitiſſet, rectiusq. gloriæ ſuæ conſuluiſſet. Nam aperte cerneretur, quanta fide eos defenderet, qui ſeſe ad cultum illius contulerunt; & ſimul numinis ſui vim, atque poteſtatē, memorabilibus operibus indicaret. At, inquies, Dominus tandem eos ab exſilio reuocabit; ſed multo certe commodius fuiſſet, eos numquam, exſilij cauſſā, ſolum vertiſſe, quam poſt tam multos labores exhauſtos, & longiſſimi auxilij diuturnam vexationem, in patriam dirutam, & incenſam, reuerti. Deinde, cur non citius opem ſuis attulit? cur tam multos e populo ſuo in ſeruitute mori ſuſtinuit? Cur illud beneficium, quod tam ſæpe futurum oſtendit, non tandem exhibet, vt hominum genus errore liberet, gloriæq. ſuæ proſpiciat, neque tā multos mortales interire patiatur?

Hæc,

Hæc,& his ſimilia, conuicia iactant homi-
nes profligati, atque perditi, quibus in ſe
Dei ſanctiſſimum numen concitant, &
iram illius acriter incendunt. In eos igi-
tur Iſaias inuehitur; eorumque impuden-
tiam eiuſmodi oratione inſectatur:

Væ,qui cõtradicit factori ſuo.

O effrenatam temeritatem; o deteſtabilem, &
exſecrandam,audaciam; o diram conuicij indi
gniſſimi petulantiam.Homuncio ne illum natu
ræ conditorem, a quo creatus eſt,impudentiſ-
ſima oratione laceſſet? audebitq. iudicio cum
illo cæli rectore contendere, cuius ratione, &
æquitate, omnes naturæ partes fultæ ſuſtinen-
tur,& admirabili ſapientia gubernantur? Quid
enim eſt homo, niſi fictile quoddam vas, fragi-
le,& caducum,atque ſubito conterendũ? Hæc-
cine ſcelera? vt lutum figuli artem vituperet?
& in artifice rationem requirat? & eum ipſum,
a quo formatum eſt,accuſet? Si vas fictile loqui
poſſet,& his verbis figulum increparet: Cur me
ad hunc modum figuraſti? cur non mihi aliam
ſpeciem venuſtiorem affinxiſti? Opus tuum eſt
rude,& impolitum, nec vllam artificij ſollertiã
declarat. Hæc ſi vas fictile diceret, nonne por-
tenta loqueretur? At,quãto furioſius,& impru
dentius, ſe gerũt, qui ne cum vaſe quidẽ luteo,
ſi ad ſummum mundi opificem reſpicias, conſe
rendi ſunt;& tamen ab illo operis rationẽ repo
ſcunt, & ſummæ benignitati flagitium imma-
10 nitatis affingunt? 10 Quid? numquid filij mole-
ſte ferunt, ſe fuiſſe in lucem ſuſceptos? num de
patre, quod eos genuerit, aut de matre, quod
fuerit enixa, conqueruntur? Quæ igitur tanta
impietas eſt,quæ tam proiecta audacia,& impu
dentia,vt audeant homines, a Deo formati,tã-
tiſq. beneficijs affecti, in optimum illum paren
tẽ inuehi, in quo eſt Iſraelis præſidium conſti-

11 Hæc dicit Dominus ſanctus Iſrael plaſtes eius.

tutum? 11 Vos ſcilicet,inquit ille,me de officio
meo commonebitis; &, quid in poſterum de fi-
lijs meis ſtaruẽdum ſit, interrogabitis; &,quod
mihi ſit munus obeundum, oratione præſcribe
12 tis? 12 Ego quidem terram fundaui; & hominũ
genus,quod eã coleret,creaui;manibuſq. meis
cælũ explicaui; aſtraq. omnia meo imperio cõ
dita,& cõſtituta ſunt;nec meorũ res,qui ſe mi-
13 hi dediderunt,vnquã neglexi. 13 Cũ igitur ma
turum,& magis ad eorũ ſalutẽ,& dignitatẽ, ac
cõmodatum fuit, tũ illum excitaui, qui eos in
libertatem vocaret,& muneribus,atque orna-
mentis,afficeret. Vt igitur nunc Cyrum accire
conſtitui, qui populum meum debitis pœnis ex
piatum, & iam ad officinm calamitatibus eru-
ditum, in patriam reſtituet; ſic tandem vnicũ
illũ generis humani liberatorem excitabo; iu-
ſtitiæq. muneribus exornabo; omneſq. vias il-

Ipſe ædificabit ciuitatẽ nominis mei.

lius curabo, vt abſque vlla offenſione gradia-
tur. Is ciuitatem meam ædificabit;& exſules,&
extorres,qui in fide mea manſerunt,in liberta-
tem reſtituet;idq. nec pretio,nec meritis vllis,
adductus,ſed inſita benignitate prouocatus,ef
14 ficiet. 14 Sic autem Dominus Cyrum,aut,vt re
ctius dicam,Regem illum ſempiternũ,qui qui-
dem eſt imagine Cyri luculenter expreſſus, al-
loquitur: Tibi Aegyptiorum opes multo labo-
re quæſitæ deferentur; tibi merces Aethiopũ,
& Arabum,comparabuntur;ad te ſummi prin-
cipes ſtudium ſuum libenter applicabunt; tibi
ſeruient; te ſectabuntur; legumque tuarum
vinculis alligati, veſtigia tua perſequeutur; ex
omnibus denique nationibus, vndique con-
fluent viri pietate præcellẽtes,qui ſeſe genibus
tuis aduoluant; qui tibi ſupplicent; qui numen
tuum venerentur. Sic autem ad te ſupplices
adibunt; hiſq. verbis a te opem, atque præſi-
dium, efflagitabunt. Profecto in te verum nu-

Tantum in te eſt Deus.

men inhabitat;nec eſt alius Deus,præter eum,
qui te ſecum vinculo indiſſolubili colligauit.
15 Profecto in te Diuinitas incluſa latet; hu- 15.
manaq. in te natura ſempiternum Dei numen
occultat. Tu es ille verus Deus,penes quem Iſ-
raelis ſalus conſiſtit. 16 Florentes,atque beati, 16
ſummiſq. decoris ornamentis honeſtati,erunt
omnes, qui fidem erga illum conſeruauerint:
Illi vero, qui ſimulacra faciunt, quæ ſuperſti-
tioſe colant, erubeſcant; vniuerſiq. turpitudi-
num maculis inurantur; ignominiaq. ſempi-
terna deformentur. 17 At Iſrael, qui vere hoc 17
nomen vſurpat,id eſt,qui fidem ſancte præſtat,
Regiſq. ſempiterni veſtigijs inſiſtit,Domini be
nignitate ſaluus, & ornatus erit. Nec erit illud
beneficium exiguo vitæ curriculo circumſcri-
ptum; ſed in omni æternitate vigebit. Is enim
ſalutem a Domino ſempiternam conſequetur;
nulliſq. vnquam ſæculis erit ei aliqua labes de
decoris adſperſa. 18 Sic enim ait Dominus,qui 18

Hæc dicit Dominus creans cælos.

cæleſtem naturam condidit,terramq. a ſe crea
tam ſtabiliuit, Non temere,nec ſine cauſſa,tan
ta opera in terra creanda poſui; ſed eam,vt ha
bitaretur,exſtruxi. Nec eſt numẽ aliud,quod il
li ſtabilitatem det, atque fixam in illius ſede
contineat. 19 Iam vero legem,quam ſanxi,non

19 Non in abſcondito locutus ſũ.

in tenebris ſanxi; neque diſciplinam meam ce-
latam eſſe volui;ſed publice, atque palam,tra-
didi; multiſq. prodigijs illius ſanctitatem de-
claraui; eamque ſacroſanctis monumentis, ad
ſempiternam memoriam,conſignaui. Quid igi
tur? num exiſtimatis,me,ſine reſpectu, ad ali-
quem meorum fructuum, tantum ſtudium, in
lege poſteritati Iſraelis promulganda, conſum
pſiſſe? ſi hoc in animum inducitis,temere ſuſpi-
camini. Non enim eſt meũ, aliquid ſine cauſſa
moliri. Ergo,ſi naturam condidi,ſi legem dedi,
ſi viros ſanctos inſtruxi,ſi illos ad populum cæ-
leſtibus diſciplinis imbuendum miſi, certe con
ſtat, me hæc omnia eorum cauſſa ſuſcepiſſe,
qui ſeſe ad meam fidem, atque patrocinium,
contulere. Secus enim, minime illos admo-
nuiſſem, vt mentem meã inquirerent,vitamq.
ſuam mea voluntate, atque diſciplina, con-
formarent. Non, inquam, temere Iacobi ge-

Non dixi ſemini Iacob fruſtra,quærite me.

nus admonui, vt me ſequeretur, opemque
meam aſſidue flagitaret. Ego enim Dominus
ſum, qui iuſtitiam doceo, & rectam diſcipli-

nam trado. Non igitur iuſtitia mea patitur, vt
hominibus mihi addictis illudam; nec ratio æ-
quitatis, vt eos a recto tramite ſalutis aberra-
20 re ſinam. 20 Cōgregamini, & venite; propiuſq.
vniuerſi ſimul accedite, qui reliqui à communi
calamitate facti eſtis, gentiumq. manus effugi-
Neſcierūt, qui leuant ſignum ſculptura.
ſtis. Ipſi certe noſtis, quam ſine mente ſint, qui
ſignum extollunt, & ex eo factum ſimulacrum
dedicant, & illud, quod omni ſenſu caret, nec
poteſt opem vllam afferre, tamquam Deum,
21 pro ſalute deprecantur. 21 Vos autem, qui Deo
rum inanium ſectam ſequimini, cauſſam eorū
ſuſcipite; factum aliquod præclarum eorum
proferte, in mediumq. adducite. Omnes inter
ſe conſultent, qua nam ratione religionum ſua
rum ſanctitates probabili ſaltem ratione tuean
tur. Ecquis vmquam ex illis ſimile opus deſi-
gnauit, vt hominum generi, tam admirabili ra
tione, conſuleret? vt multo ante firmiſſimam
ſpem ſalutis, atque dignitatis, oſtenderet? vt
in poſterum euentura multis ante ſæculis an-
nuntiaret? nemo prorſus eſt, qui ſui numinis
ſignificationem dare poſſit. Ego enim ſolus
Deus ſum; nec, præter me, alius eſt, in quem
hoc ſanctiſſimum, & auguſtiſſimum, nomen
conueniat. Nec enim alius eſt iuſtitiæ fons; non
alia veritatis, & æquitatis, origo; non alius ſa-
lutis auctor, & incolumitatis, atque ſempiter-
22 næ dignitatis, architectus. 22 Vos igitur ap-
pello, nationes vltimæ; vos admoneo, & ob-
teſtor, vt iſtam amentiam, & ſcelus, quo al-
ligati eſtis, deteſtemini. In me vnum reſpici-
te, & ſalutem repente conſequemini. Nec e-
nim eſt alius verus Deus, qui vobis opem af-
23 ferre poſſit. 23 Hoc quidem, opera illius vni-
ci liberatoris, efficiam, vt, ſimulacris abiectis,
orbis terrarum mei ſolius numen extimeſcat.
In memet ipſo iuraui.
Nam per meipſum iuro; meamq. fidem, quæ
numquam infirmari poterit, adſtringo; atque
verbo meo, quod numquam irritum fiet, futu-
rum confirmo; vt in omnibus mundi partibus
honor mihi deferatur; meq. ſolum gentes me-
tuant, atque venerentur. Solum enim Dominū
teſtem inuocabunt; fidemq. ſuam nomine illius
ſanctiſſimo confirmabunt; flexiſq. genibus nu-
mini illius ſupplicabunt; intelligentq. tandem,
inquit Dominus, mihi ſoli confidendum eſſe,
24 meumq. numen metuendum. 24 Solus enim
ſum, iuſtitia, atque fide, ſempiterna, poteſtate-
que immenſa, præditus; ita, vt neque fidei negli
gentia poſſim vmquam a meorum præſidio de-
duci; neque virium imbecillitate prohiberi,
quo minus, & pietatem remunerem, & de im-
pietate ſupplicium ſumam. His quidem verbis
Dominus aperte futuram gentium conuerſio-
nem prænuntiat, qua, a ſimulacrorum inaniſſi-
mo cultu ad pietatis ſtudium traducti, ſalutem
aſſequentur. Ad illum enim vndique hominum
concurſus fiet; inflammatiſq. animis ad illum
multi mortales adibunt, & pudebit omnes ſce-
leris, & impietatis, qui religionem illius oppu-
25 gnabant. 25 Omnes vero, qui ad Iſraelis cogni
tionem pertinent, hoc eſt, qui eadem fide con-
ſenſerint, ſeq. vere, & ex animo, ad Dei ſtudiū
adiunxerint, & illi ſupplicauerint; iuſtitiam
obtinebunt, illiuſq. muneribus ampliſſimis or-
nabuntur.

Hæc quidem de libertate illa, quæ Chri
ſti numine, atque præſidio, parta fuit,
quam libertas ea, quam attulit Cyrus o-
lim, deſignauit, dicta ſunt. Deinde lon-
go rurſus interuallo repetit Babylonis rui-
nam, & occaſum, quo fuit adumbrata
tyrannidis illius ruina, qua Satanam, &
omnes illius ſatellites, oppreſſit. Rurſus
igitur in calamitate perditæ, & profliga-
tæ, ciuitatis inſultat, & deos, quibus in-
nitebatur, qui nullam opem ſuis afferre po
tuerunt, irridet. Inquit enim:

1 Bel, quem ſingulari cærimonia Babylon 1 CAP. XLVI.
colebar, concidit; Nebo ſimiliter ſtratus eſt;
omneſq. ciuitatis illius dij iumentorum tergis
impoſiti ſunt. Nec enim fuit in illis vis aliqua
ad hoſtium impetum reprimendum; ſed po-
tius auri, & argenti, materia ad cupiditatem
irritandam. Victi igitur, capti, atque dire-
pti fuiſtis; pondereq. veſtro iumenta graui-
ter oppreſſiſtis; vſque eo, dum nimia defati-
gatione frangerentur. Non igitur tantum cul-
tores ſuos, verum etiam iumenta, onere into-
lerando depreſſerunt. Atqui Dei officium eſt,
ſuos onere leuare, non pondere eos, a quibus
vehitur, affligere; libertatem dare, non ſerui-
tutis ſocietatem inire; in ſede ſua ſtabilem
permanere, non in longinquas terras prædam
aſportari. 2 Conciderunt, & ſtrati ſunt illi 2
Et non potuerūt ſaluare portātem.
dij, tanta religione culti; nec potuerunt eos,
a quibus vnice colebantur, e magnitudine ca-
lamitatis eripere; aut ſaltem iumenta, quibus
portabantur, ne ſuccumberent oneri, ſuſten-
tare. Omnis eorum vis, quod magis eſt onus,
quam numen, exiſtimandum, cum iumentis,
quibus portabatur, ab hoſtibus in ſeruitutem
adducta fuit. Omne ſiquidem aurum, & ar-
gentum, e quibus dij facti fuerant, hoſtes, vt
in vſus ſuos conuerterent, auide detraxerunt.
3 Huius cæcitatis exemplum a vobis deteſta- 3
Audite me, domus Iacob.
mini, qui a Iacob originem ducitis; ſimilemq.
ſceleris exitum perhorreſcite omnes, in quibus
fidei, quam coluit Iſrael, reliquiæ reſident,
ne vmquam in tam ſceleſtum facinus incida-
tis. Me vnum audite; mihi confidite; meis
iuſſis obtemperate. Non enim ego vobis one-
ri fui; immo vos, iam inde ab eo tempore, quo
vos mater aluo continebat, portaui; veſtræ-
que vitæ tutelam, quaſi quoddam graue pon-
dus humeris impoſitum, ſtudio, cura, vigi-
lantiaque, mea, ſuſtinui, multaq. peccata ve-
ſtra, clementia mea, pertuli. 4 Nec hoc ſtudium 4
mihi omittendum puto. Idem enim ſum; ea-
demq. benignitate vos ad extremam vſque æ-
tatem amplectar, atque ſempiterna clementia
fouebo.

Ego feci, ego ferã.

fouebo. Ego,qui vos feci,& effinxi,vos feram;
Ego vos, meis humeris impoſitos, ſuſtinebo;
Ego vos ab omni mole impendentis calamita-
tis eripiam. Cauete igitur, ne, me neglecto, ad
aliud numen, quod vos tueri non poſſit,ingra-
5 te,& impie, confugiatis. 5 Nec in illam fraudẽ
inducamini, vt exiſtimetis, meo numini hono-
res inſtitui, qui ad ſimulacrum aliquod defe-
runtur, quaſi illo ſit ſpecies, & figura,meæ vir-

Cui aſſimilaſtis me?

tutis, atque Diuinitatis, expreſſa. Ad quod e-
nim exemplum, quæſo, ſignum, quod ſpeciem
meam referat,effingetis? Ex cuius forma,ima-
6 ginem,quæ mihi ſit ſimilis, exprimetis? 6 At vi
dete hominum furorem, & inſaniam,qui tanto
ſtudio properant, ſimilitudinem Dei, cuius
numquam ſpeciem contemplati ſunt, humanis
artibus imitari,& ad Diuinam naturam homi-
num imbecillitatem transferre. Aurum ſine
modo conferunt; argentum ſimiliter appen-
dunt; magna mercede artificem conducunt;
quamuis ſint auariſſimi, nullis tamen ſumpti-
bus parcunt;& pecuniam,cuius parandæ cauſ-
ſa labores immenſos excipiunt, in tantum ſce-
lus libenter inſumunt, vt Deum, hominis ma-
nibus, & artificio, factum, videant, ad cuius ſe
pedes abijciant, quem ſupplices,& demiſſi ve-
7 nerentur. 7 Illum tollunt humeris ſuis; illum

Portant illum in humeris geſtantes.

baiulant; in baſique ſuo collocant; qui deinde
in loco conſiſtit, ne ſe quoquam vllo pacto cõ-
moueat. Nec enim id ſaltem aſſequitur, vt,
quod minimis etiam animantibus conceſſum
eſt,ad motum, operis hominum non indigeat.
Cum clamoribus opem illius quiſquam implo-
rat, minime reſpondet; cum ab eo auxilium in
calamitate poſtulatur, omnes preces irritæ
8 fiunt.8 Hæc memoriæ tradite; &, ex alieno fu-
rore, & amentia, quid ſit in vita fugiendum,
prouidete; animosque veſtros fidei robore cõ-
firmate. Vos vero, ad quos tanti ſceleris con-
tagio peruenit,qui ſimili mentis errore, & pra
9 uitate,infecti fuiſtis,aliquando reſipiſcite; 9 &
ex antiquitatis memoria, atque adeo ab ipſius
mundi primordio, quæ ſunt meo numine deſi-
gnata, & conſtituta, mente recolite; rationeq.
percipite, me ſolum Deum verum eſſe, nec
aliud numen exſiſtere, quod ſimilitudinem
10 meam aliqua ex parte repræſentet. 10 Is enim
ſum ego, qui euentura præmonſtro, &, ante-
quam fiant, multo ante denuntio; qui facio,
vt conſilium meum confirmetur, & certo exi-
tu concludatur; qui denique omnia, quæcum-
11 que volo, perficio; 11 qui, cum præſtituta dies
aduenerit, virum impigrum, & ad res geren-
das animoſum,& acrem,a regione Solis orien-
tis, a diſiunctiſſimis terris euocabo; qui incre-
dibili celeritate ad diripiendas Babylonis for-
tunas inuolabit. Hic enim vir,meo conſilio,ad
ſummas opes perueniet. Nemo dubitare pote-
rit,omnem viri illius cauſſam,meo conſilio,vo-
luntate,numine,transfigendam.Ego enim id fu
turum prædixi; quod autem prædixi, ad exitũ
deducam.Ego deſignaui;quod autem deſigna-
ui,perfectum, numerisq. omnibus abſolutum,
reddam. 12 Audite me, viri rebelles, & contu- 12

Audite me, duri corde.

maces,qui a ſtudio iuſtitiæ,& æquitatis,abhor-
retis; neque, tantis opibus Diuinis admoniti,
me fide,& pietate,colendum exiſtimatis.13 Vi 13
dete, num Deus aliquis,ex ijs,quorum impura
religione voſipſos obſtrinxiſtis, ſimilia opera
conſilio decernat,oratione prænunciet,fide mo
liatur, poteſtate confirmet. Primum enim, vt

Prope feci iuſtitiam meam.

fore prædixeram,hoſtibus iudicio meo, per Cy
rum, euerſis, populum meum iuſtitiæ compo-
tem efficiam,& in ſedes patrias, ſaluum, & in-
columem,reducam. Non tamen hanc ſolum li-
bertatem, atque ſalutem, ſed aliam multo ma-
gis claram, & illuſtrem, omnibus votis arden-
tius expetendam, allaturus ſum. Nam peccati
tyrannidem delebo; & omnes, qui ſeſe ad no-
men meum adiunxerint, iuſtitiæ opibus orna-
bo. Iam enim tempus appropinquat, quo non
adumbrata iuſtitia,quæ legis vmbris,& imagi-
nibus,continetur, ſed ſolida, & expreſſa, orna-
mentisq. Diuinis exculta, quæ mea gratia, &
benignitate, conceditur, & in perfecta virtu-
tum, & officiorum, omnium functione conſi-
ſtit, effloreſcet, e qua vera libertas, atque ſem-
piterna ſalus,orietur. Tunc enim omnibus, qui
pure religionem meam, & fidem, conſeruaue-
rint, & pietatis imitatione ſe ad Iſraelis no-
men aggregauerint,ſalutem, & gloriam,dabo,
& in cæleſti ciuitate conſtituam.

Hæc vbi de fidei fructu prædixit, rurſus in Babylonem inuehitur, vt demonſtret, quanta peſtis inferri ſoleat ijs, qui non religione,ſed peſſimis artibus, fidei ſanctitati contrarijs, vitam muniendam putant. Sic igitur inquit:

1 CAP. XLVII.

1 O ciuitas,quæ hactenus, tamquã virgo in-
corrupta,vim a nemine paſſa es, in cuius opes,
atque fortunas, nullus, ante hunc diem, hoſtis
inuaſit, imperij tui interitum deplora. Solio e-
nim tuo detruſa,humi,puluere conſperſa,deſi-
debis.Humi ſede;miſera, & calamitoſa. Iam e-

Non eſt ſolium filiæ Chaldæorum.

nim ſella tibi non eſt,in qua populis,tibi ſubdi-
tis, ius dicas. Iam enim fortunæ tuæ corrue-
runt; iam eſt imperium illud, quod tibi ſpiri-
tus afferebat, exciſum; iam omnis ſuperbiæ, &
immanitatis, tuæ materia ſubtracta eſt. Poſt-
hac igitur nemo te,vt dominã moroſam,intue-
bitur; &, quaſi feminam delicijs omnibus af-
fluentem,appellabit.2 Honoris inſignia tibi de 2
trahe; imperij ornamenta depone; ancillarem
veſtem,miſeriæ conuenientem,indue; &,ad ſer
uilia munia obeunda compulſa,plagis accinge-
re; molam corripe; frumentum mole; cultum
capilli, quem tanta arte componebas, omitte;
nudis pedibus, detectisq. ſuris, obuia flumina
tranſmitte. Nullos enim currus, nullos equos,
habebis,quibus inſideas.3 Omnis igitur turpi-
tudo tua, quam olim ornamenta imperij tege-
bant,omne flagitiorum dedecus, & ignominia,

3 Reuelabitur ignominia tua.

quam opes immanes operiebant, detractis or-
namentis; & euerſis opibus, erit in oculis om-
nium mortalium poſita. Acerrimum de te, in-
quit Dominus, ſupplicium ſumam; nec vllis hu-
manis precibus, aut votis, ad lenitatem infle-
ctar; debitasq. tandem mihi ſceleris, & imma-
nitatis, pœnas exſolues. Hæc quidem tibi Do-
minus minatur. Tu igitur, quæ noſtris ærumnis
inſultabas; quæ ſummi Dei numen, præ tuo im-
perio, atque libidine, contemnebas, hanc gra-
4 uiſſimam cladem accipies: 4 At nos, qui Dei
clementia nitimur, in libertatem vindicabi-
mur. Vindex enim noſter, vitæq. noſtræ defen-
Redẽptor noſt. Deᵒ. ſor, atque ſalutis, & dignitatis, auctor, non Be-
lus, nec ſimilia numinum inanium portenta
ſunt; ſed ſummus ille Dominus, cui cæleſtes
exercitus parent, cuius ſanctiſſimum nomẽ eſt
immortalibus laudibus in omni æternitate prę
dicandum; qui numquam ſalutem Iſraelis veri
5 neglexit. 5 Tu vero, tantum abfuit, vt in hoc
ſummo Domino ſpem haberes, vt potius per
ſummum ſcelus numen illius oppugnares. Nũc
Sede tacens. igitur ſceleris tui pœnas lue; tacitaque ſede;
nec iam, vt faciebas olim, cum florebas impe-
rio, voces extollas, vt terrorem ſubiectis incu-
tias. Quin ipſa horrebis, atque timebis; nimioq.
panore concuſſa, trepidabis. Abde te in tene-
bras, Chaldæorum Reſp. latebras omnes cir-
cumſpice; ingentemq. animi tui, perculſi, &
abiecti, conſternationem demonſtra: non enim
poſthac Regum domina vocaberis; immo do-
minatu grauiſſimo premeris. Vt igitur tunc,
opibus, & imperio, inſolenter elata, & inflata,
cunctos mortales deſpiciebas, & omnibus ter-
rorem inijciebas; ita nunc, libertate ſpoliata,
6 potentis Domini adſpectum extimeſces. 6 Nec
enim ſolum, inquit Dominus, maieſtatem meã
Iratus ſum ſuper populum meũ. arrogantia tua violaſti; ſed & crudelis, & imma
nis, exſtitiſti. Populi quidem mei ſceleribus of-
fenſus, illum afflixi; & nationem, quam præci-
pua, atque ſingulari, diligentia, quaſi heredita-
riam poſſeſſionem, colueram, quæ fuerat olim
præſidio meo ſacroſancta, religionis præſidio
nudaui, eamq. tuæ poteſtati permiſi. Tuum ve-
ro officium erat, ita victoriam moderari, vt, te
humanæ imbecillitatis non eſſe prorſus imme-
morem, rebus oſtenderes. Quod ſi feciſſes, ali-
quam certe humanitatem victis tribuendam
exiſtimaſſes. At tu omnem prorſus humanita-
tem exſuiſti; nec miſericordiam vllam homi-
nibus, qui ſub mea tutela fuerant, tribuiſti;
quinetiam ſenes, qui tibi iam vſui eſſe non po-
terant, oneribus grauiſſimis oppreſſiſti; nec, vt
ætas illa, quæ clementia, & lenitate, ſubleuan-
da fuerat, aliquantulum a communi clade re-
7 ſpiraret, conceſſiſti. 7 Exiſtimaſti enim, te per-
petuo rerum potituram; nec tecum, quid tibi
in poſterum accidere poſſit, animo reputaſti.
8 8 Nunc igitur audi, voluptaria, quæ nullum in
vita malum formidas, quæ ſic tecum loqueris,
quaſi fieri non poſſit, vt tibi ſit vllum in vita
malum ſubeundum. Sic enim ais: Ego quidem
ſola ſum, quæ opibus, atque potentia, omnibus
gentibus antecello; nec eſt in orbe terrarum ci
uitas, quæ quidem, mecum collata, ſit in aliquo
numero reponenda. Fieri autem non poteſt, vt
has opes egregie fundatas, & firmis præſidijs
ſtabilitas, amittam. Numquam enim ero vi- Non ſedebo vidua.
dua, nec liberis orbata. Nec enim Regis poten
tiſſimo conſortio carebo; nec ciuium frequen-
tia ſpoliabor. 9 Hæc quidem duo mala, quæ mi- 9
nime verebare, vna die in te incurſabunt. Nam
Regis conſortio nudaberis; & ciuium multitu-
dine ſpoliaberis; & cumulata clade vehemen-
ter opprimeris. Hanc tibi peſtem, veneficiorũ,
& incantamentorum, tuorum, nefaria diſcipli
na importabit. 10 Maleficijs enim tuis confide- 10
bas; nec in Deo, vnico ſalutis humanæ præſi-
dio, ſed in ſcelere tuo, ſpem omnem vitæ repo-
nebas; &, cum tanta ſcelera ſuſciperes, exiſti-
mabas, ea, quæ in tenebris moliebare, minime
a Deo videri. Hem, ſapientia, qua tumebas;
hem, prudentia, quæ tibi animos faciebat. hoc
fuit illud acumen, quod inſolenter oſtentabas,
quod te a Deo, in cuius cognitione ſapientia
ſumma conſiſtit, penitus auertit, & in exitium
præcipitem exturbauit. Dum igitur tibi ſapiẽ-
tiam arrogabas, tum vel maxime furore, & a-
mentia, flagrabas. In tanta igitur ignoratione
verſabaris, vt tecum ſtatueres, te ſolam eſſe, in
quam gentes omnes intueri deberent; nec eſſe
præterea quidquam in terris in aliquo loco nu
merandum. 11 Eris igitur improuiſo, ea ma- 11
gnitudine cladis, atque tetræ caliginis, op-
preſſa, e qua numquam emerges, vt lucem re-
ſpicias; ea ſubito in te calamitas irruet, cuius
vim effugere nequaquam poteris; illa tempe-
ſtate iactaberis, quam antea numquam men-
te, atque ratione, proſpexeras. 12 Conſiſte 12 Sta cum incantatoribus tuis.
nunc, ſi potes; maleficarum artium præſidia
compara; magicas diſciplinas, in quibus om-
nem ætatem a pueritia contriuiſti, ſummo ſtu-
dio reuoca; & vide, num poſſis ex illis aliquam
tibi opem in tantis malis polliceri. Experire,
quæſo, num tibi ex illis aliquod miſeriæ ſummę
perfugium, aut firmæ vitæ præſidium, conſe-
quare. 13 Tu quidem, dum non quod rectum, 13
& honeſtum, videbatur, ſed quod tibi libitum
erat, ſuſcepiſti, omniaq. vitæ conſilia non ad
naturæ legem, ſed ad tuam libidinem, contu-
liſti, ſummo quodam labore defatigata es; om-
nemque operam in illis artibus, quas moribus
tuis aptas eſſe cognoueras, conſumpſiſti. Nunc
igitur videamus, quem ex illis fructum perci-
pias. Excita nunc illas vniuerſas, ad auxilium-
que tuum euoca; & vide, num tibi ſalutem da-
re poſſint, teq. e tantis malis, quæ te vndiq. cir
cũuallant, eripere. Cõparent ſe, vt tibi ferãt au
xiliũ, qui ſiderum curſus ſpeculantur, & men-
ſtruas corporũ cæleſtium conuerſiones obſer-
nant; certaq. aſtrorum cum rebus humanis af-
fectione diligenter notata, & animaduerſa, ſe
ſcientiam tenere profitentur, qua futura prędi
cent, & recentes euentus ad cæleſtes cauſas re
ferant.

Google

14 ferant. 14 Num tibi opem aliquam in rebus af-
flictis attulere? tantum profecto abfuit, vt tibi
poſſent opitulari, vt ipſi potius, tamquam ari-
Facti ſunt ſicut ſtipula.
ſtæ, ſubito incendio deflagrarent. Si ipſi vitam
ſuam e flammis defendere non potuerunt, quo
modo te miſeram e malis, quæ te circumſtant,
eripiẽt? Nec enim ignis, quo homines malefici
conficiuntur, is eſt, qui frigus depellat, qui cor
pus modico tepore confoueat, cuius gratia ad
focum aſſideas, vt cum voluptate concaleſcas;
ſed qui ad illum etiam appropinquantes flam-
15 mis late depopuletur. 15 Cum igitur illi pœnas
dabunt, tu, qui illos conſulebas, eodem ſuppli-
cio cruciaberis. Hęc eſt laboris tui merces; hoc
præmium erit tibi, pro ſtudijs maleficarum ar-
tium, in quibus vitam contriuiſti, perſolutum.
Qui vero tecum commercium habebant, & a
primis annis fuerant ſocietatis fœdere colliga
ti, te repente deſerent. Quilibet eorum, quo ſe
ſe fuga proripiat, & terras etiam incognitas
metu peragret, animaduertet; nec denique re-
linquetur, qui tibi ſubſidio ſit.

1 CAP. XLVIII.
1 Hæc audite, qui eſtis Iacobi ſtirpe genera
ti; qui clarum nomen Iſraelis, hereditario iure
partum, retinetis; qui a Iuda, viro inter omnes
fratres ſuos excellente, quaſi a puriſſimo fon-
te, profluxiſtis; qui, ſummi Dei ſacris alligati,
ſanctiſſimaq. religione conſtricti, per nomẽ il-
lius iuratis, memoriamq. illius crebris ſermo-
nibus vſurpatis; cum tamen ſtudio, atque volũ
tate, fidem, & iuſtitiam, quam oratione profite
mini, impudenter oppugnetis. Nec enim vos
patris nomen, neque generis claritas, neque ſa
2 De ciuitate enim ſancta vocati ſunt.
crorum religio, a ſcelere impietatis auocat. 2
Nec nomen quidẽ ipſum ſanctæ ciuitatis, quã
habetis, & cuius nomine gloriamini; nec ipſius
ſanctiſſimi Domini numen, in quo eſt Iſraelis
præſidium poſitum, vos ab immanitate facino
ris peſtiferi deterret. Nam, cum vos Dei præſi-
dio niti, atque cõfidere, dicatis, alia tamẽ vitæ
ſubſidia, vitæ cõtraria, & inimica, comparatis;
ementitaq. fide, illius voluntatem læditis, cuius
3 vos ſeruos eſſe teſtificamini. 3 Iam tandem ad
vos redite; & Babylonis caſum, & ruinam, per-
timeſcite. Nec enim poteſtis ſcelus veſtrũ ali-
qua inſcitiæ excuſatione defendere, cum tam
multis ſignis numen, atque potentiã meam, cõ
Prior exitium annũtiaui.
probari cernatis. Quę enim iampridem exſtite
runt, a me præmonſtrata fuerant. Ego verbis
meis futura denuntiaui; &, quæ deſignaueram,
apertiſſime teſtificatus ſum; &, cum mihi vi-
ſum fuit, ea ſubito perfeci; & ita, vt prædixerã,
4 euenere. 4 Noui enim, vos eſſe duros, rebelles,
& contumaces; nec fide mitigari, nec religione
molliri, ad meum imperium accipiendum. Cer
uices enim veſtræ ferreæ, frontes veſtræ æneæ
ſunt, ita, vt nec iugum vllo pacto ſubeatis, nec
vos pudeat ſceleris, & impuritatis, cum proie-
cta quadam audacia, & impudentia, voluntati
5 meæ perpetuo repugnetis. 5 Ideo igitur vobis,
quæ euentura fuerant, ante prædixi; & conſiliũ
meæ mẽtis aperui; ne quiſquam, quod eſſet nu-
mine meo geſtum, ad ſceleris ſui defenſionem
reuocaret; atque diceret, Non ſine cauſſa ſimu
lacra mea religioſe colui, quandoquidẽ eorum
ope, & imperio, victoriam inſignẽ, bonorumq.
multorum affluẽtiam, conſecutus ſum. 6 Hæc 6
6 Quæ audiſti, vide omnia.
quidem audijſtis; exituq. tandem veriſſimo om
nia probata eſſe cõſpexiſtis. Quid igitur eſt im
pedimento, quo minus, tantis, tamq. admiran-
dis, rebus admoniti, vim nominis mei conſide-
reris, meq. ſolũ Deum verum eſſe cernatis? Nõ
igitur hæc tandem omnia, quæ poteſtis memo-
ria repetere, denuntiabitis? Non tandẽ aliquã-
do numen meum prædicatione celebrabitis?
Nec fidem excitabitis, vt minime vel de impio
rum hominum ſtrage, & interitu, vel de præ-
mijs, quæ ſunt pijs oſtenſa, dubitetis? 7 Alia nã- 7
que noua, abſtruſa quidẽ, atque recondita, præ
monſtro, quæ quidem minime intelligere po-
tuiſtis. Nondum facta fuerant, cum ea ventura
prædixi. Cum mihi placuit, in lucem prodie-
runt; nec ante illum diẽ exſtiterunt; nec de il-
lis ad vos quidquam delatum fuit, ne quiſquã
id ſibi exploratum, & cognitum, fuiſſe conten-
dat. 8 Quinetiam, cum te præmoneo, vt exitiũ 8
caueas, & impendentem calamitatem deuites;
oſtendoq. futurum, ſi in ſcelere perſeueres, vt
omnibus ſimul bonis euertaris, & Chaldæorũ
dominatu premaris; neque mihi auſcultas; ne-
que, quid dicã, attendis; neque aures mihi præ-
bes; ſed orationẽ meam contumaciter aſperna
ris. Equidẽ noui mentis tuæ effrenatæ proter-
Scio, quia prævaricãs prævaricaberis.
uiã, qua perpetuo meũ detractas imperium; le-
gumq. mearum vincula perfringis; omniaq. Di
uina iura perrumpis. Siquidem, iam inde ab vte
ro matris tuæ, rebellionis, atq. perfidiæ, ſcelus
in te concepiſti; ita, vt merito fuerit tibi popu-
li proterui, & contumacis, nomen impoſitum.
9 Quocirca par erat, vt a te debitas, pro tãta in 9
ſcelere pertinacia, pœnas expeterem; ſed, pro-
pter decus, & gloriam nominis mei, ne videar
nuntijs, qui non mentis tuæ prauitatem peni-
tus inſpexerunt, eos, qui ſunt in tutela mea, de-
ſerere, ſeueritatem meam differo; &, ne laudis
meæ ſplendor indigno conuicio maculetur, irã
meam contineo; ne confeſtim te extremo exi-
tio, & vaſtitate, conficiam. 10 Sed iam te pœnis 10
debitis inſequar, & ſupplicijs excruciabo; &,
quaſi igne, conflabo; in quo tãdem modum ad-
hibeo; ne, dum te, quaſi argentum, igne vehemẽ
tius excitato, expurgare conor, totum te pro-
pemodum abſumam. At, poſtquam fueris mul-
tis vexatus incommodis, rerumq. inopia, & e-
geſtate, quaſi quodam camino, conflatus, & in
puritatem reſtitutus, tum te rurſus eligam, in
quem beneficia mea conferam. 11 Non obſtri- 11
ctus vllis hominum meritis, non officijs tuis
obligatus, te gratia, & ope, mea protegã; ſed vt
nomen meum a calumnia defendam, & in te,
quantæ ſint clementiæ meæ opes, oſtendam; at-
que benignitatis meæ magnitudinem declarẽ.
Propter me, propter me, inquam, te in liberta-
Propter me, propter me faciam.
tem vindicabo; ſalutemq. tuam conſtituam, ne

nomen meum hominum maledictis conſcinda
tur. Quo modo enim patiar, vt, ſi non inſignem,
& illuſtrem, operam in populo meo liberando
præſtitero, gloria mihi debita ad numina falſa
transferatur? Ne igitur vel fidem violare vi-
dear, ſi gentem mihi commiſſam deſeruero;
vel gloriam meam negligere, ſi quiſquam ſeſe
in huius operis ſocietatem offerre voluerit;
non obſcure populo meo fauebo; ſed, claris, &
admirandis, operibus, quibus facillime præſen
tia mea declaretur, illius ſaluti, atque liberta-
12 ti, proſpiciam. 12 Audi me, Iacob, & Iſrael,
quem ad ſalutem voco, verboque meo iuſtitiæ
compotem efficio; quæ dicam, tota mente com
plectere. In me vnum reſpice; me vnum vene-
rare; in me ſolo vnicum præſidium vitæ con-
Ego ipſe, ego primus, ego nouiſſimus. ſtitue. Ego namque ſolus ſum rerum omnium
principium, a quo cuncta fluxerunt; ego finis,
in quem omnia referuntur. 13 Manibus meis
13 terram fundaui, dexteraq. mea cælum dimenſa
eſt; ego naturam vniuerſam, cum nondum eſ-
ſet, euocaui; omniaq. repente formas ſuas aſſe-
cuta conſtiterunt, vt mihi obedirẽt, imperioq.
14 meo, atque nutu, mouerentur. 14 Congregami
ni, gentes vniuerſæ, & audite, vt deorum cauſ-
ſam, ſi lubet, ſuſcipiatis. Num poteſtis dicere,
hæc, quæ futura prænuntio, deorum veſtrorum
numine, & potentia, gubernanda? Minime gen-
tium. Quis enim ex illis ea prænuntiauit? Quis
hæc omnia ſuo conſilio deſignata, atque con-
ſtituta, demonſtrauit? Summus Dommus, qui
omnia poteſtate infinita complectitur, eſt is,
qui Cyrum ornauit, & inſtruxit, & ad ſummum
gradum honoris euexit; non illi, quos, errore
Dominus dilexit eũ, & faciet voluntatem ſuam in Babylonia. mentis obcæcati, veneramini. Cyrus igitur,
Domini benignitate confirmatus, in Babylo-
nia Domini voluntati parebit; imperiumq. il-
lius exſequetur; vt Iudæos in libertatem aſſe-
rat, & vi, virtuteque, Chaldæorum opes exſcin
15 dat. 15 Ego, inquit Dominus; ego me virum
hunc miſſurum dixi; ego, cum cõmodum fuit,
euocaui, & induxi; &, vt, quacumque faceret
iter, omnia illi felicia, & fauſta, contingerent,
16 Accedite ad me, & audite hoc effeci. 16 Adeſte animis, &, quæ dico, diligenter
attendite; meæq. Diuinitatis argumentum cer
tiſſimum, vel ex hoc opere, quod numine meo
perfectum cernitis, accipite. Primum enim nõ
obſcure hoc ita futurum præmonui; ſed publi-
ce, atque palam, id teſtatus ſum. Deinde, cum
ad rem ipſam, quæ fuerat ante prædicta, ven-
tum eſt, multis admirandis rebus numinis mei
præſentiam indicaui. Nec hic tantum homi-
num perditorum furorem, & amentiam, con-
uincam; ſed multo clarius, & magnificentius,
poteſtatis meæ documentum dabo, cum nefa-
riam, & impuram, ciuitatem, quæ perniciosis
legibus, & flagitioſis moribus, & tyrannico cu-
piditatis imperio, conſtituta eſt, & impiorum
multitudine continetur, euertero; & tyranni
truculentiſſimi regnum, ſuperbia, & impieta-
te, fundatum, numine meo deleuero; & omni-
bus, qui, fide incenſi, ad me confugerint, liber-
tatem attulero; & denique non Diuinarum di-
uitiarum, & facultatum, imagines, ſed ſempi-
ternam libertatem, atque cæleſtes opes, muni-
fice, & large, conceſſero. Ad hoc enim miſſus in Nunc Dominus miſit me, & ſpiritus eius.
terras a Patre ſum; in eum finem me, ſecundũ
humanæ naturæ rationem, ſpiritus illius mune
ribus Diuinis inſtruxit, & caritatis ardentiſſi-
mæ facibus inflammauit. 17 His quidem ver- 17
bis, o Iſrael, te Dominus, qui te ab exitio redi
mit, & a ſeruitute liberat, benigne, & clemen-
ter, alloquitur; vt te erudiat, animumq. tuum
confirmet, atque plurimum a via ſalutis aber-
rãtem, in viam reducat. Ego, inquit, ſum Deus
tuus, qui te finxi, & informaui; in quo eſt tibi
omnis beatæ vitæ ratio collocanda. Nec ſolum
parens, & conditor naturæ ſum, verum etiam
doctor, atque magiſter, qui te per ſpiritum
meum de officio tuo commoneo; viamq. mon-
ſtro, qua, ſi velis, ſine errore, & ſine offenſione,
ad immortalitatem peruenias; huiusq. vitæ cur
ſum cum laude, & ampliſſimo fructu, conficias.
Nec enim tibi quæſtiones inutiles propono; ne-
que vana, & inania, quæ magis ſint in iactatio-
ne, & leuitate, quam in fructu vitæ, poſita, tra-
do; ſed vtilia & ſalutaria, quæ vitam omnem cõ
tinẽt, doceo; neque via, per quã te duco, eſt am-
fractib. inciſa, lubrica, & infeſta, ſed recta, & ex-
pedita, magnaq. bonorum omnium copia, & v-
bertate, cõpleta. 18 Quam vellem in ſtudium le 18 Vtinam attendiſſes mandata mea.
gis incubuiſſes, operamq. dediſſes, vt præcepta
mea diligẽter obſeruares. Profecto pax tua, cũ
bonorum omnium affluentia, fluminis inſtar, re
dundaret; & iuſtitia tua, quaſi fluctus maris, ex
ſurgeret. 19 Tunc certe facillimum tibi fuiſſet 19
promiſſum conſequi, quo principem tui gene-
ris, atque nominis, ad ſpem ſobolis innumerabi
lis excitaui. Fuiſſet enim ſoboles tua, cum are-
na maris, & cum illius lapillis, multitudine cõ-
paranda. Nulla deinde vis potuiſſet filiorũ tuo-
rum nomina exſcindere, nec a conſpectu tuo
genus a te propagatũ exterminare. Eſſet enim
tunc genus illud ſanctũ, Diuinoq. fidei ſemine
ſuſceptum, quod numquam, vllis temporibus,
poſſet aboleri. 20 Remoue te a peccati conſor- 20 Egredimini de Babylone.
tio; cupiditatis indomitæ tyrannidẽ fuge; quan
tũ potes, accelera, vt Babylonis fines euadas;
&, contẽto ſtudio, curſuque, Ieroſolymã petas;
vt, e peccati tenebris emerſus, in iuſtitiæ lucẽ,
cum admirabili iucunditate, reſpicias. Iã enim
vobis poteſtatem in patriam reuertendi faciã,
cum hoſtilem ciuitatem, quę te impotenti do-
minatu premit, excidero. hoc tamẽ multo ma-
gnificentius præſtabo, cum, diaboli tyrannide
deleta, a ceruicibus veſtris iugũ peccati depu-
lero, immaneq. imperium mortis exſtinxero.
Exite protinus Babylone; fugæq. ſimilem cele-
ritatem ſuſcipite; vt vos a Chaldæorum conta-
gione ſecernatis. Clamores, lætitiæ, ſummæq. In vocem exſultationis annuntiate.
voluptatis, indices, attollite; quantum benefi-
cium acceperitis, annuntiate; magnitudinẽ Di
uini muneris ſignificate; perficite denique, vt
in extremas oras tã nouæ, & inauditæ, clemen-
tiæ

tiæ fama peruadat. Dicite, quam admirabili
ratione Dominus populum ſuum e duriſſima
ſeruitute redemerit, & e tenebris ereptum in
21 lucem, atque libertatem, reuocauerit. 21 Cum
per aridam, ſolisq. ardoribus exuſtam, regio-
nem ducti eſſent, numquam eos ſitis afflixit. An
tiqua namque miracula inſtaurata rurſus, atq.
renonata fuerunt. Nam e rupe vis aquarum re
pente emanauit; percuſſaq. a Deo ſilice, lati-
ces ſubito profluxerunt, qui gentis piæ ſitim
reſtinguerent. Numquam enim indigentia vl-
la eos vexare poteſt, qui ſunt ad illum peren-
nem fontem adiuncti, e quo omnia bona ema-
nant, & fluunt, ſalutariq. ſpiritu cupiditatem
ſnorum explet; ſummoq. gaudio, atque iucun
ditate, perſundit. Qui igitur peccata, qnibus
fuerant adiudicati, & addicti, deſerunt, & ſce-
leris immanitatem, qnamdiu perpeſſi fuerant,
deteſtantur, ſeq. ſummo ſtudio ad pietatis, at-
que iuſtitiæ, cnltum conferunt, bonorum om-
22 ninm copia cumulati, triumphant. 22 Cum il
li interim, qui in flagitio permanent, & pecca-
torum vinculis impediti detinentur, ſcelerum
Nō eſt pax impiis, dicit Dñs. ſuorum pœnis agitentur, & huc, & illuc, turbu
lenta animorum tempeſtate, iactentur, & aſſi-
duo conſcientiæ cruciatu miſetrime torquean
tur. Nec enim, inquit Dnminus, impiis con-
ceſſum eſt, in aliqua incundæ pacis tranquilli-
tate verſari.

Hactenus, quidē Iſaias ſub Babylonis
euerſione, & Iudæorum libertate, dæ-
monis exſtinctam tyrannidem, & generis
humani opera Chriſti conſtitutam liber-
tatem, prædixit; ampliſſimaq. beneficia,
quibus erant afficiendi, qui ſeſe, a cupi-
ditate liberati, totos ad legis Diuinæ ſtu-
dium contuliſſent, aperuit; nunc vero mul
to clarius, Babylonis imagine remota, de
peccati euerſione, atque iuſtitiæ amplitu-
dine, diſſerit; ipſumq. Dei filium, rerum
omnium conditorem, humaniq. generis li
beratorē, ſub humano habitu, atq. forma,
latentem inducit, gentes alienigenas his
verbis ad ſtudium pietatis euocantem:

1 CAP. XLIX. 1 Audite me, gentes vniuerſæ, quæ terras ex-
tremas, multis perturbationum fluctibus cin-
ctas, incolitis: vos, vltimi populi, qui regiones,
ſitu diſiūctiſſimas, habitatis, orationem meam
percipite. Ad vos enim non modo fama meæ
virtutis emanabit; verum etiam verborū meo-
rum vehementia penetrabit; vt, quod familia-
res, atque domeſtici, audire nolnerunt, vos
auribus, & animis, accipiatis; viq. meæ oratio-
nis incenſi, ad immortalem gloriam adſpire-
tis. Nec ea vos fallat opinio, vt hominis oratio-
nem, & ſententiam, audire puretis. Deus enim,
Dñs ab vtero vocauit me. qui menti meæ inſidet, eſt is, qui vos omnes al-
loquitur; qui ad libertatem vocat; qui vobis
certiſſimam ſpem cæleſtis hereditatis oſten-
dit. Nnmquam enim me numen illius deſeruit,
ex quo primum tempore me ſecum in meæ ma
tris vtero colligauit; nomenq. mihi clariſſi-
mum, quod muneris, & officij, memoriam per-
petno repræſentet, impoſnit. 2 Is igitur ea me 2
diſſerendi facultate, & vehementia quadam
orationis, inſtruxit, vt non aures tantum di-
cendo permulcerem, ſed intimos hominū ſen-
ſus penetrarem; &, quaſi acuto gladio, animos
vulnerarem, & impios acrimnnia verbi confi-
cerem. Neque tamen, cum multos mortales
grauitate orationis offendam, mihi quiſquam
nocere poteſt; cū Dominus ipſe me manu ſua
protegat, innictaq. virtute communiat. Ne-
que ſolum oratione cominus pugnam capeſſo,
verum etiam eminus tela coniicio, quæ in ani
mis adhæreſcant. Hanc enim vim a Domino cō Poſuit me ſicut ſagittam.
ſecutus ſum, vt eſſem inſtar ſagittæ exterſæ, at-
que politæ, ita, vt e longiſſimo interuallo vox
mea, contentione ſpiritus emiſſa, multos ſau-
ciaret; nemoq. mihi, quantumuis grauiter of
ſenſus, perniciem inſerret. Præſidio namque
ſuo me, quaſi pharetra, contexit, & ab hoſtium
incurſione liberauit. 3 His autem verbis me 3
ad munus mihi delegatum alacriter exſequen-
dum adhortatus eſt: Setuus, inquit, meus es,
Iſracl, quem ego miniſtrnm glnriæ meæ conſti
tui. Quem enim proprius ſerunm appellare poſ
ſum, quam eum, qui numquam cupiditati pa-
ruit; ſed omnes curas, & cogitationes, omniaq.
vitæ conſilia, & ſtudia, ad uoluntatem meam
direxit; neque, dum mihi ſeruiret, vllum vel
laborem, vel cruciatnm, recuſauit? Quem ve
rius Iſraelem nominare licet, quam eum, qui
cum Deo congreſſus eſt; magnitudineq. virtu-
tis, ſanctitatis, religionis, aſſiduisque preci-
bus, quaſi lacertorum viribus, illum quodam-
modo expugnauit, dum eum generi humano
placauit, & a debita ſeueritate in gratiam, &
benignitatem, traduxit. Hæc quidem Domi-
nus ad me. 4 Ego vero, cum gentis meæ perfi-
diam, & in ſcelere pertinaciam, animaduerto, 4
diſcrucior. Video namque, me fruſtra in illa
erudienda defatigatum eſſe, ſineq. fructu vllo In vacuum laboraui.
ſtudium conſumpſiſſe. Hoc tamen vtor ſolatio,
quod nihil fuerit a me, quod ad gentis huius ſa
lutem pertineret, omiſſum. Deum, quem nihil
poteſt latere, iudicem habeo, cui cauſſam meā
probabo. Scit enim ille, me, vt gloriæ ſuæ ſer-
uirem, omnes conatus meos ad hunc popnlnm
monendum, & inſtruendum, comparaſſe; ma-
gnumq. in eo opere moliendo laborem ſuſce-
piſſe. Non igitur per me ſtetit, quo minus ad
illius cognitionem perueniret. 5 Dominus au-
tem, cum me videret afflictari, eo quod mini- 5 Hæc dicit Dñs. Formās me ex vtero ſeruum ſibi.
me perfeciſſem id, quod mihi delegatum fue-
rat; (ideo namque me in vtero matris finxit, ſi-
biq. ſeruum addixit, vt Iacobi genus ad eū re-
duceré; quod quidem beneficium, gens hæc ni-
mis ingrate repudiauit) cum igitur videret Do
minus, me hac de cauſſa dolnre grauiſſimo di-
ſtineri, & gentis impuræ labem, & temporis
iactu-

iacturam, lamentari, a mæſtitia repente meum
animum huiuſmodi verbis auocauit. 6 Non eſt,
cur adeo dolenter patiaris, Iacobi progeniem
nunc quidem minime eſſe per te ſtabilitã; Iſrae
liſq. vaſtitatem ad ſtudium pietatis ab impuri-
tate, qua detinebatur, haudquaquam eſſe con-
uerſam. Cumulatiſſime namque hoc vnius im-
pię, & ingratæ, gentis intertrimentum, innu-
merabilis gentium omnium multitudo com-
Dedi te in lucem gentium. pensabit. Non ſolum enim te, vt Iudæos ad
me reuocares, miſi; ſed multo etiam magis,
vt gentibus vniuerſis lucem præferres, & in o-
ras etiam terrarum extremas lumen ſalutis, nu
7 mine meo conſtitutæ, diffunderes. 7 Tum illud
addidit idem Dominus, in quo fidelis nationis
ſalus, atque dignitas, tota conſiſtit; hiſq. ver-
bis illum, cuius vita fuit, propter iuſtitiæ ſtu-
dium, nefariis gentibus inuiſa, qui ſerui for-
mam induit, & dominorum contumelias iu-
ſtitiæ cauſſa ſuſtinuit, affatus eſt: Omnia ma-
ledicta, quæ in te coniiciuntur; omnes contu-
meliæ, quæ tibi ab improbiſsimis imponuntur,
in decus, & gloriam tuam, redundabunt. In
Reges videbunt. te enim Reges intuebũtur; coram te Principes
aſſurgent; omnes mortales te ſupplices adora-
bunt, propter Dominum, qui tanta fide pro-
miſſum beneficium, & munus, exſoluit; teq.
elegit, in quo ſempiternum ſibi domiciliũ col-
locaret; operaq. tua ad ſe gentes vniuerſas al-
8 liceret. 8 Ait deinde, Cum tempus gratiæ, atq.
benignitati meæ præſtitutum aduenit, conti-
nuo preces tuas exaudiui; &, cum primum ma
turum fuit, vt ſalutem darem, & vniuerſis ho-
minibus benigne conſulerem, meritis, & reli-
gione tua, humano generi placatus ſum; teq.
præſenti auxilio contra omnes impetus hoſtiũ
confirmaui. Cuius quidem operæ, tibi præſtitę,
me minime vmquam pænitebit; immo te ſem-
per cuſtodiam; ampliſsimumq. tibi munus de-
legabo; nempe, vt populum, fidei ſacris expia
tum, mihi fœdere ſempiterno deuincias; euer-
ſamq. terram recrees, atque reficias; & homi
nes, e cæleſti hereditate pulſos, in hereditatis
poſſeſſionem mittas; & vaſtata, atque deſerta,
loca, cultorum multitudine, & frequentia, re-
9 pares; 9 vinctos e vinculis eximas; tenebris in-
cluſos in lucem vindices; & omnes denique,
quibus fidei lumen attulerit, bonis omnibus
expleas. Viæ, per quas iter in cæleſtem pa-
triam ſuſcipient, illis lata pabula profundent.
Colles editi, & excelſi, abunde illis omnia pro-
ferent; ita, vt nihil deeſſe illis poſsit, qui ſeſe ad
10 Non eſurient. fidem tuam applicauerint. 10 Neque enim eſu
rient; neque ſitient; neque eos æſtus vllus adu
ret; neque illis erit vmquam ardor ſolis infe-
ſtus. Qui enim eos clementer amplexus, mi-
ſericordiaq. ſua proſecutus eſt, eorum iter di-
riget; atque per loca, fontibus vndique pro-
rumpentibus irrigua, rerumq. omnium vberta
11 te completa, deducet. 11 Omnium bonorum
Diuinorum copia cumulati, gradientur; &,
quamuis ab hoſtibus inſidiæ comparentur, &
eorum copiis oppugnentur, illi tamen, auxilio
meo conſtipati, facillime, atque cum ſumma
animorum iucunditate, curſum conficient.
Ipſe nãque omnes rerum aſperitates molliam;
&, per magnas etiam viæ difficultates, viam
aperiam, qua facile eo, quo peruenire cupiunt,
euadant. Per omnes enim colles rectam viam
muniam; & rupes aſperas complanabo; & con
ualles, atque depreſſa loca, complebo. 12 Ex 12
omnibus itaque terrarum partibus, & extre-
mis etiam orbis nationibus, homines ad me,
inflammatis animis, concurrent. Hi quidem Ecce iſti de longe venient.
ab Auſtro venient; alij rurſus a Septemtrione,
cõtento ſtudio, profluẽt; nec minor interea nu
merus ab Oriẽte, & a Sinarũ plaga, vt gratiam
meã conſequantur accelerabit. Nullus erit lo-
cus, ad quẽ non tãtæ felicitatis ſplendor, & cla-
ritas, incredibili celeritate perueniat; ita, vt
etiã in omnibus extremis terrarũ angulis mul-
tos mortales cupiditate immortalitatis inflã-
met. 13 O Diuinæ clementiæ, & benignitatis, 13
immenſitatem; o infinitam gaudiorum mate-
riam; o ſempiternæ lætitiæ fontem, & cauſſam,
cantibus, atque tripudiis, omniq. penitus inſi-
ræ iucunditatis ſignificatione, celebrandam;
o Diuinum, & immortale, quod numquam ali
quis optare auderet, hominum generi collatũ
beneficium, digniſsimum certe, in cuius com-
memoratione nõ modo terra gaudio exſultet,
verum etiam cælum voce maxima gratuletur.
O cælum, lætis clamoribus terræ gratulare.
Tu, terra, lætitia exſulta; montes voces ia-
ctent; diuiſaq. prædicatione perſonent; om-
nis denique natura feſtos dies agitet, nouoſq.
Deo honores inſtituat; eo quod populũ ſuum,
fide illius numini conſecratum, conſolatus ſit.
Homines humiles, & abiectos, qui ſibi nihil ar
rogabant, immo, propriam inopiam, & imbecil
litatem, agnoſcentes, ad illum ſupplices acce
debant, erexit; &, ab hoſtium immanitate libe
ratos, in ſũmo honoris gradu locauit. 14 Quis, 14
hanc Dei clementiam animo concipiens, non
audeat ſibi cuncta, de gratia Diuina, pollice-
ri? Et tamen erit quiſquam, qui demittat ani-
mum? qui ſpem abiiciat? qui fidem infringi, &
debilitari, patiatur? Sioniſq. mentes einſmo-
di cogitationes peruagabuntur. Ait enim, De-
reliquit me Dominus, meiq. penitus oblitus
eſt. 15 Num, inquit Dominus, mulier obliuio- 15 Numquid obliuiſci poteſt mulier infantis?
ni tradet infantẽ, quẽ aluo cõtinuit, & cum do-
loribus ſummis enixa eſt? An non ſanguinis ſen
ſus obſiſtit huic immanitati, atque natura vni-
uerſa reclamitat? Vt id tamen fieri poſſit, quod
quidem erit monſtri, atque prodigij, ſimile;
ego tamen tui, quem ſpiritu meo generaui, &
ad effigiem, & ſimilitudinem, meæ mentis ex-
preſſi, nullis vmquam ſæculis obliuiſcar. 16 In 16
manibus meis habeo nomen tuum ſcriptum, &
inciſum, ita, vt nulla tui vmquam me capere
poſſit obliuio. Quin ſic ratio meorum operum
inſtituta eſt, vt omnia ad tuam ſalutem dirigan
tur. Muri, quibus circumdata es, atque muni-
men-

menta tua in conſpectu meo poſita ſunt, vt ea
17 reficiam, atque defendam. 17 Filij tui, qui pro
te arma ſumpturi ſunt, ſummo ſtudio, & ala-
critate, ad te venient; qui autem te euertere
conantur, & contra religionem conatus neſa-
rios comparant, internecinumq. bellum con-
tra pietatem, ſtatumq. tuum fide fundatum,
18 Leua in circuitu oculos tuos.
ſuſcipiunt, a te demigrabunt. 18 Tolle oculos,
aciemq. mentis intende, & in omnes partes cir
cumſpice. Cernis, quanta hominum multitu-
do ad te ſumma inter ſe pietatis conſpiratio-
ne cõſentiens aggregetur? quam inflammato
ſtudio ad pietatem excitetur, & ad ſpem cæle-
ſtis hereditatis meo ſpiritu concitata rapia-
tur? Omnes hi, quamuis exteri ſint, mini-
meq. te ſanguinis communione, atque propin
quitate, contingant, non alienos exiſtimabis.
Tibi enim agnatione cæleſti coniuncti ſunt; tui
ciues, tui filij ſunt; eandem fidem colunt; eun-
dem generis parentem habent; eodem ſunt in-
ter ſe vinculo ſanctiſſimæ neceſſitudinis alliga
ti: Omnes igitur veniunt, vt tecum in vnum
corpus coaleſcant; vt, ciuium numero multis
acceſſionibus amplificato, maiores in dies o-
Viuo ego, dicit Dominus.
pes, & amplitudinem, conſequaris. Per vitæ
meæ æternitatem iuro, fore, vt, tamquam
ſponſa, omnibus decoris, & elegantiæ, orna-
mentis exculta, horũ omnium virtutibus exor
neris; atque tamquam monilia tibi, magnitu-
dinem ſplendoris, & honeſtatis, quæ in illis e-
19 minebit, appendas. 19 Nunc quidem euerſa,
vaſtata, & diruta es. Iacet enim fides; remiſ-
ſum eſt pietatis ſtudium; ſerpit peccandi con-
ſuetudo; moresq. hominum corrupti, atque
deprauati ſunt, vſque adeo, vt pauciſſimi ci-
ues numerandi ſint, apud quos pietatis, atq.
ſanctitatis, ſtudia vigeant: At tunc tanta ci-
uium multitudo ardore Diuini ſpiritus ad te
vndique commeabit, vt in locorum anguſtias
compellenda ſis. Hoſtes enim tui, qui te popu
labantur, & omni crudelitate lacerabant, &
conficiebant, a finibus tuis exterminabuntur.
20 20 Exſtinctis igitur bellis, hoſtibusq. pulſis, &
eiectis, creſcet filiorum tuorum numerus, &
ciuium innumerabili multitudine frequentabe
ris. Veniet enim tempus illud, cum audias
quemlibet ex filiis, qui in orbitate ſumma na-
ti, neque ſecundum rationem humani generis,
& ſeminis, ſed ſecundum fidem, verbiq. Diui-
ni propagationem, generati ſunt, alium alij di
centem: Anguſtus eſt mihi locus; cede, quæ-
ſo, paullulum, vt ſedere poſſim. Nec vrbs vna,
neque Iudæa vniuerſa, neque vna orbis terra-
21 rum pars, tãtam multitudinem capiet. 21 Hæc
Et dices in corde tuo.
igitur animo tecũ agitabis: Quę tanta vis fuit,
quæ tanta verbi fecunditas, quæ tam multos
mihi filios procrearet, hominesq. mortales ſtu
dio immortalitatis incenderet? Num id poſ-
ſum ullo modo naturæ meæ, vel induſtriæ, vel
ardenti ſtudio legis, adſcribere? Non certe.
Sum enim orba, & infecunda, viriq. conſortio
deſtituta. Nec enim vmquam potui, quamuis
eſſem adſtricta lege, Regiæq. moderationi, &
imperio, copulata, filios parere, hoc eſt, ci-
ues pietatis ſtudioſos, & veriſſimæ honeſtatis
appetentes, in lucem edere. Nec enim Reip.
ſtatus, nec Regis imperium, nec legis diſcipli
na, tantum valuit, vt vel vnam gentem, angu
ſtiſſimis orbis terminis incluſam, in officio con
tineret, & a teneris annis imbutam in ſanctita
te legis enutriret. Quis igitur modo, cum ad
naturæ infecunditatem viduitas acceſſerit,
cum exſul, & extorris, & eiecta ſim ego, tãtam
mihi ſobolem enutriuit? Cum vniuerſum pro-
pe genus humanum eſſet erroribus innumera-
bilibus implicitum, & infinitis ſceleribus alli-
gatum, cum ego ſola in orbe terrarum relicta
fuiſſem, in qua pietatis ſemen, atque tenues
admodum fidei reliquiæ reſiderent, vbi tan-
dem erant iſti filij mei, qui tam ſubito in rebus
perditis, atque deploratis, exſtiterunt? Non
naturæ præſtantia, non pietas mea, non meri
tum, non religio, hanc Diuinam ſobolem, uel
aluo concipere, vel in lucem edere, vel alere,
atq. ſuſtentare potuit. Alia profecto maior vis
eſt; alia diſciplina clarior; aliud meritũ virtutis
excellentius. 22 Ecce, inquit ſummus, & præpo
22 Hęc dicit Dñs Deus, ecce leuam ad gentes manũ meam.
tens Dominus, iam tibi rationem exponam,
qua tanto filiorum numero multiplicanda ſis.
Gentibus manum meam porrigam; ſpirituq.
meo multos ad me mortales alliciã; ſignumq.
tollam, ad quod omnes conueniant, & quod
ſequantur ij, qui mihi ſacramentũ dicturi ſunt.
Noua igitur, & illis inaudita, diſciplina ſancti-
tatis incitati, & ſigno propoſito, quod meam
erga genus humanũ benignitatem exprimat,
vehementius inflammati, ſubito commutabun
tur animis; abiectaque, & contempta, cupi-
ditatis indomitæ turpitudine, Diuinam quan-
dam formam induent; & tecum fidei ſimilitu-
dine coniungentur. Omnia erunt illis peruia;
nihilq. tandem illos impediet, quo minus ſe ad
te applicent, teque parentem agnoſcant. Nam
ipſæ illæ gentes, quæ te concerpebant, quæ pie
tatem totis viribus impugnabant, quæ Diui-
nis inſtitutis, & legibus, aduerſabantur, quæ
erant multis impedimento, quo minus ſe ad
te aggregarent, inſolitæ virtutis admiratione
perculſæ, filios tuos ad te adducent, eoſq. gre-
mio, atque ſinu, fouebunt; filiasq. tuas ſuis hu
meris ad te portabunt. Illis enim libentiſſi-
me miniſtrabunt, quorũ opera cernent, te, quo-
tidie, e tenebris emerſos, in lucem Diuinam, at-
que ſempiternã, reſpicere. 23 Reges opibus ſuis 23
te nutrient; &, qui ſe excellentius in pietatis
ſtudio gerent, aliosq. diſciplina inſtituendos,
& regendos, ſuſcipient, gratiſſima te volunta-
te proſequentur; vultu in terram demiſſo, ad
te venerabundi, atque ſupplices, accedent; fi-
dei tuæ conſenſionem, & ſententiam, uerebun
tur; propoſitasq. a te minas extimeſcent; ex-
periundoque, diſces, me eſſe Dominum, cuius
ſolius ope nitendum ſit, & cuius præſidio maxi
me gloriandum. Nec enim quiſquã ex illis, qui
mihi

mihi confidunt,omneq. vitæ præſidium in me
collocatum habent,deſertus a me,atq.deſtitu-
24 tus,ignominiam ſubibit.24 Num poteſt præda
e manibus viri fortiſſimi,atq. victoris, qui non
dolis,& inſidijs,ſed vi,virtute, iuſtoq. prœlio,
bellũ profligauit,extorqueri? Nã,ſi dolis viciſ-
ſet,eſſet aliqua ſpes iniecta,ſpoliatis,ea,quæ ne
gligentia amiſerant,rurſus viribus, & diligen-
tia recuperandi:Cũ vero fuerint aperto Marte
deuicti,& in ſeruitutẽ adducti, quænã reliqua
ſpes illis libertatis eſſe poterit? aut quo tandẽ
modo confident,ſe rebus iam perditis victoris
a ſe impetum repreſſuros; cum id ne viribus
25 quidem integris vllo modo potuerint?25 Verũ
ſic Dominus ait:Vt a viro fortiſſimo,bellorũq.
omnium victore,capti,alicuius ope liberentur,
vt præda iuſto bello parta per vim de manibus
ſtrenui ducis eripiatur; at numquam prædam
meam mihi quiſquam eripiet, nec victoriæ iu-
ſtæ ſpolia detrahet.Nam neque vllis viribus po
terit virtus mea frangi;nec ſapientia mea vllis
hoſtium fraudibus eludi. Equidem in eos, qui
te ſceleris falſo damnarunt,animaduertam; fi-
lioſq. tuos,ex eorum crudelitate ereptos, ſal-
26 uos, & incolumes, conſeruabo. 26 Illi vero,
per quos afflicta fuiſti, ſeditionibus inteſtinis
pœnas mihi dabunt; & alij alios inſita crudeli-
tate lacerabunt; multoq. ſanguine ſuorum fu-
renter exhauſto, tamquam muſto ebrij, ſenſus
amittent; atque in mutuam cædem, in ſui ſta-
tus extremam perniciem erumpent. Cum fue-
rint hoſtes tui, iudicij mei ſeueritate,conſum-
pti,intelligent tandem omnes mortales,me ve
rum Deum eſſe,qui ſalutis tuæ curã ſuſcipio,
firmiſſimoq. præſidio, Iacobi progeniem,mihi
fide copulatam,meaq. benignitate redemptã,
tueor,atque defendo. His quidem verbis Do-
minus eos alloquitur, qui fide, atque pietate,
Iudaici nominis ſplendorem,patriæq. dignita-
tis honeſtatem,retinuerunt;gentibuſq.cæleſtẽ
diſciplinam tradiderunt; Chriſtiq. numen ſan-
ctiſſime venerati ſunt.

24 Numquid tolletur a forti præda?

Eos vero, qui iudicauerint te, ego iudicabo.

CAP. L.

1 NVNC in ipſam impiorum Iudæorum ſce-
leratam Remp. aſperis verbis inuehitur.1 Ve-
nit,inquit,ne vobis in mentem, cogitare, quæ
tanta fuerit illa offenſio, quæ me matri veſtræ
repudium renuntiare compulerit? An exiſti-
ſtimatis,me,leui cauſſa offenſionis interpoſita,
cum illa Rep. e qua eſtis progeniti, quæ meum
matrimonium tenebat,diuortium feciſſe? Hoc
certe dici non poteſt,me, leuibus cauſſis indu-
ctum,illam repudiaſſe. An illud dicitis, me,ne-
ceſſitate coactum, vt creditoribus meis ſatiſ-
facerem, eam venalem propoſuiſſe,vt, quaſi re
dacta pecunia,fidei meæ conſulerem? Scilicet
gentibus exteris obſtrictus eram,earumq. me-
ritis obligatus; & icciirco neceſſe fuit, vt Iu-
dæorum gentem euerterẽ,eorumq.ruina gen-
tes alias erigerem, & in dignitate collocarem?
Quid? adeo ne me inopẽ exiſtimatis,vt,niſi au
ctione proſcripta,ſuſpicemini non poſſe me ijs
ipſis gentibus benigne facere? Non eſt,non eſt
illud profecto. Nec enim vllum meum commo
dum,nec vlla mediocris offenſio, nec vlla ino-
pia,potuit meam clementiam, meam æquita-
tem,meam potentiam,a ſtudio ſolitæ benigni-
tatis abducere. Sed nefarium ſcelus veſtrum,
o viri perditiſſimi, dirumq. facinus, inſitaq.
ad imperium meum perpetuo detrectandum
contumacia, rebellioniſq. minime ferenda fla
gitia, vos euerterunt, & vendiderunt; veſtraq.
ciuitas, atque patria communis,propter dirũ,
& immane, ſcelus perfidiæ, quod in ſe impu-
2 denter admiſit,a me repudiata eſt.2 Non enim
vſitato more, neque ſolita ratione, peccauit.
Parum enim illi fuit, Moſen non audire, quod
ipſum capitale crimen,erat extremo ſupplicio
vindicandum; non ſatis habuit, Prophetas
contemnere, quod erat inexpiabile ſcelus ha-
bendum; ſed me,meipſum,inquam, non ſolum
miniſtros meos,contempſit,abiecit,pro nihilo
putauit.Veni enim,meq. illis præſentem exhi-
bui; numenq. meum operibus admirabilibus
indicaui;nemo tamen ex illis mihi præſto fuit.
Vocaui illos ad ſalutem; ad pietatem, & offi-
cium,aſſiduis vocibus, cohortatus ſum; nullus
tamen orationem meam ad aures admiſit, ſe-
ſeq. ad imperium accipiendum comparauit.
Quam enim,queſo,aliam cauſſam veſtræ cala-
mitatis eſſe ſuſpicamini? Num, meam manum
contractam eſſe, dicetis,benignitatemq. meã
interclusam, ſtudiumq. illud clementiæ, quo
ducebar olim, aliqua rem cumulandi cupidita
te,atque malignitate, reſtinctum? At neque
fons meæ benignitatis exhauriri, nec clemen-
tia circumſcribi,poteſt;neque voluntas ab ho-
minum cura reuocari. Num exiſtimatis, vires
meas vetuſtate conſenuiſſe; nec iam in me ro-
bur illud priſtinum remanere, quo Patres ve-
ſtros a circumſtantibus malis eripui? Sed vis
mea, roburq. meum, non poteſt vetuſtate cõ-
fici,aut ægritudine debilitari. Idem ſum; ea-
dem potentia,eodemq. numine,cuncta mode-
ror; eademq. ſeueritate rurſus hoſtium ſtragẽ
faciam;& omnibus,qui in me ſpem habuerint,
eadem benignitate proſpiciam.Iam enim ma
re,a me vultu increpitum, exareſcet; & fluuij
exuſti ſiccitate, in aridam,& incultam,terram
ſubito conuertentur; & piſces,in ſicco deſtitu-
ri,& ſiti cruciati,morientur.Omnes hoſtes no
minis mei,iudicio meo peruertam; atque per-
ficiam,vt,qui copijs affluere videbantur, opi-
buſq. immanibus elati, tenues pauperum for-
tunas deſpiciebant, ſint, cum magna meorum
gloria,inopinata calamitate perculſi; extre-
maq. rerum inopia,& egeſtate,& vaſtitate,cõ-
fecti.Cum homines fideles pedibus mare tranſ
miſerint, impij fluctibus obruentur; cum bo-
norum copia redundauerint,illi ſiti conſumen
tur;& in medio felicitatis humanæ curſu, bo-
norum fructu deſtituti,peribũt.Nec enim ma-
re,nec tellus, nec flumina, illis vllum fructum
in rebus aduerſis,& afflictis,afferent,qui in me
ſcelerati,& in meos crudeles,exſtiterũt.3 Neq 3
cælum

Quis eſt iſte liber repudij.

Veni, & nõ erat vir.

Ecce in increpatione mea deſertum faciam mare.

cælum quidem illis iucundæ lucis aliquam par
tem concedet. Vniuerſum namque cælum te-
nebris obducam, atque, quaſi lugubrem veſtẽ,
aſtris obtendam, ne lumine ſuo impiorum ho-
minum oculos colluſtrare queant. Non igitur
abeſt a me fides, ad eos, qui ſeſe mihi credide-
runt, tuendos; neque potentia ad hoſtes eorum
euertendos; ſed improbitas veſtra facit, vt non
modo ſitis a me deſerendi, ſed etiam, tamquam
hoſtes, ſuppliciis omnibus excruciandi. Quo e-
nim maius beneficium illud exſtitit, quod im-
pie repudiaſtis, & in illius auctorem tæterrimi
fuiſtis, eo ſcelus veſtrum grauius eſt, & atrocio-
re ſupplicio vindicandum. Veni ſiquidem ipſe,
vt eos erudirem; illi vero me contumeliis om-
4 Dominus dedit mihi linguam eruditam. nibus conſciderunt. 4 Dominus, ſecundum hu-
manæ naturæ, quam mecum inexplicabili ra-
tione coniunxi, rationem, me eruditiſsimo ge
nere eloquentiæ, facultateq. iucundiſsimæ ora
tionis, inſtruxit, vt nullam docendi, & erudien
di, opportunitatem prætermittam; rationéq.
teneam, qua homines, diſciplinæ cæleſtis pæ-
nuria, quaſi grauiſsima quadam ſiti, confectos,
erigam, atq. ſuſtentem; verbisq. meis ſitim, quã
miſerabiliter affictabantur, exſtinguam. Nec
doctrina hæc, quam trado, mea eſt: nec enim
ego quidquam a me promo, quod non ſit mihi
a patre traditum: in illius volũtatem reſpicio;
illius mentem conſulo; illius diſciplinã haurio;
illi me vſque adeo obediẽtem præbeo, vt nullũ
ſupplicium, obedientiæ cauſſa, ſubire reformi-
Dominus Deus aperuit mihi aurem. dem. Dominus ipſe me perpetuo, tãquam ma-
giſter, de rebus a me adminiſtrandis erudit; &
ad ſummum, atque ſingulare, obedientiæ ſpe-
cimen ſingulis diebus diluculo inſtruit; vt nul-
lum in vita officium, atque munus, quantum-
uis ſpecie præclarum ſit, quod illius voluntati
præuertam, ſed omnia, quæ mihi agenda ſunt,
ad conſilium, & imperium, illius accom-
modem.
5 5 Dominus enim, qui mentem meam inco-
lit, animum meum promptum, atque paratum,
ad aſſignatum mihi munus alacriter exſequen
dum exhibuit. Vt eſſet igitur id, quod imperat,
quantumuis aſperum, & graue, perpeſſuq. dif-
ficile, numquam tamẽ imperium recuſaui; nec
6 laborem vllum fugi; 6 vltro, atque libenter, cor
pus meum obtuli; quod hoſtes importuni vul-
neribus inflictis deformarent; genasq. meas,
& barbas, conuellerent; faciemq. meam, vt
palmis contunderent, & ore exſecrando con-
7 ſputarent. 7 & tamen his hominũ perditorum
conatibus, contra meam dignitatem compa-
ratis, cum præſentis Dei præſidio munitus eſ-
ſem, numquam fuit in me vllum dedecus im-
preſſum. Immo omnes illorum contumeliæ cla
rius nomen meum reddiderunt; documentoq.
fui mortalibus, gloriam eſſe in ignominia, iu-
ſtitiæ cauſſa, ſuſtinenda, atque perferenda, con
ſtitutam. Ea igitur de cauſſa, me ad conuicia,
atque contumelias, inuicto animo ſubeundas
confirmaui; faciesq. mea, inſtar ſilicis, ad tole
randa conuicia, & plagas, obduruit: nec ta-
men erubui. Nec enim fui a Deo meo dereli-
ctus; nec decus meum fuit obtritum; immo
multis gloriæ ornamentis excellentius illu[illegible]
tum. 8 Præſto mihi Dominus eſt, qui me ſen- 8
tentia ſua iuſtum pronuntiat. Quis igitur tam
impudens eſt, vt mihi litem intendat, reumq. Quis contradicit mihi?
peragere conetur? In ius ſimul eamus; iudicio
diſceptemus; accuſationem inſtituat, qui vo-
let; vt videat, num me poſsit crimine aliquo
condemnare. Quis, inquam, tam proiecta
audacia eſt, vt me accuſare audeat? Acce-
dat; iam periculum creet; in eoque neruos
contendat, vt me criminis alicuius, aut ſaltem
peccati leuiſſimi, conuincat. 9 Dominus eſt co 9
gnitor iuris mei; ipſeque, mihi ſanctitatis, atq.
iuſtitiæ, teſtimonium dat; ſubſidioq. ſemper ac-
currit, vt me a profligatorum hominum calum
nia defendat. Quis igitur tãto ſcelere, & amen
tia, flagrat, vt me, contra Domini voluntatem,
contra ſapientiſſimi rectoris auctoritatẽ, con-
tra veritatis ſempiternæ teſtimonium, contra
rectiſſimi iudicis ſententiam, condemnet; &
ei, quem ex operibus Diuinis potuit intellige-
re eſſe Diuinæ cuiuſdam probitatis, atque vir-
tutis, exemplum, iniuſti, & malefici, hominis
nomen imponat? Certe omnes eos, qui tam
ſceleſtum facinus commiſere, conſcientiæ cru
ciatus exedet; &, tamquam blatta veſtem, ſic
animum eorum, rodendo, conficiet. 10 Quod 10 Quis ex vobis timẽs Dominum?
ſi aliquis eſt in vobis, qui Deum metuat, & ſer
ui illius ſanctiſſimi orationẽ exaudiat, iuſſisq.
illius obtemperet, erit certe a communi cala-
mitate, quæ reliquis omnibus impendet, ope
Diuina liberatus. Quamuis enim verſetur in te
nebris, neque Diuinam lucem reſpiciat, vbi pri
mum ſe in Domini fidem contulerit, repente
Diuina quadam luce collucebit, & ius cæleſtis
hereditatis, Patribus ſanctis promiſſæ, conſe-
quetur. Vos vero, qui nomen tantum Iſrae-
lis obtinetis, quid vero nomen ipſum valeat,
ignoratis, ſempiterni ſupplicij hereditatem
adibitis. 11 Etenim non ego vobis exitio fui; 11
non interitum veſtrum concupiui; non pe-
ſtem vobis voluntate mea comparaui; ſed vos,
ſcelere, & amentia, vobisipſis ignem excita-
ſtis, qui vos flammis ſempiternis exurat. Nec
enim ſolum vos angor conſcientiæ, ſed ignis
incendium, torquebit. Sponte namque veſtra,
ſalutem oblatam neglexiſtis; & in peſtem ante
oculos poſitam furenter irruiſtis. Abite iam Ambulate in lumine ignis veſtri
igitur in ſempiternam peſtem, flammis ſcintil
lantibus accincti; in ignem ueſtrũ, emiſſis ſcin
tillis, omnia circumquaq. populantem, quem
ipſi vobis incendiſtis, penetrate; ut perfidiæ pœ
nas meritas exſoluatis. Hoc enim ſupplicium
eſt iampridem a me ſceleri ueſtro, quando ita
uoluiſtis, conſtitutum; itaq. ſummo dolore cru-
ciati, iacebitis.
1 Vos autem, qui lõge ab horum hominũ mo 1 CAP. LI.
ribus abhorretis, ut flagitia ſub imagine ſan-
ctitatis aſſimulatæ minime contegatis, ſed ue-
ræ

ræ iuſtitiæ ſtudio flagratis, & in Dei ipſius cultum incitamini, domeſticũ virtutis exemplum vobis ad imitandum propoſitum aſſidue retractate; & in generis veſtri principem intuemini. Si vultis, inquam, in ſancta poſteritate cenſeri, atque gloriæ, quam ille conſecutus eſt, principes fieri, in illam fidei conſtantiam, atque virtutis munitiſſimam rupem, vnde fuiſtis, quaſi lapides ad ædificium meæ domus, exciſi, reſpicite; matriſq. veſtræ, quæ vos enixa eſt, inclytum in fide robur, atque virtutis egregiæ firmi

Attendite ad petram, vnde exciſi eſtis.

2 tatem, mente recolite. 2 Abrahamum, qui vos genuit, vobis ad exemplum religionis proponite. Saræ, quæ vos peperit, virtutes imitamini. Vnus ille generis veſtri princeps, in quo ſingulare fidei ſpecimen elucebat, a me vocatus, & in meam amicitiam receptus, muneribusq. Diuinis, & ornamentis, affectus, & innumerabili ſobole auctus, & amplificatus eſt. Quod autem illum delegi, quod illi benedixi, quod ſobolem illius innumerabilem fore præmonſtraui, id nõ eſt generi, quod mea cauſſa contempſit, ſed fidei, quam coluit, attribuendum. Qui igitur voluerit ſe filium illius exiſtimari, promiſſamq. generi illius hereditatem cernere; fidem illius imitetur; illius veſtigijs ingrediatur; & ſic tan-

3 dem Dei gratiam ſimiliter obtinebit. 3 Reſpiciet enim Dominus Abrahami progeniem; & Sionis montis ruinam conſolabitur. Euerſa namque, & diruta, mœnia reficiet; & ſolitudinem rurſus hominum multitudine frequentabit; tellurem vaſtatam, atque derelictam, cultam, & nitidam, reddet; tantaq. plantarum omnium amœnitate florentem, vt ſit cum horto Domini, voluptatis, atque deliciarum, cauſſa, conſito, comparanda. Inſtaurabitur enim religio; omnes virtutes excitabuntur; Diuinaque ſubſidia, ſempiterniq. dedecoris ornamenta, cæleſtem Ieroſolymam in ſumma dignitate cõtinebũt. Sic igitur eueniet, vt, vbi fuerat olim, propter horridam, & incultam, ſolitudinem, mæror, & luctus, exſiſtat repente voluptas, atque lætitia; omniaq. gaudio cumulentur; & carminibus, & cantibus, in Domini laudem compoſitis, cum ſumma animorum iucunditate,

Exponet desertum eius quasi delicias.

4 circumſonent. 4 Animum aduertite omnes, qui pertinetis ad populum meum; &, quæ dicam, diligenter attendite; vt intelligatis, quantum beneficium ſim hominũ generi collaturus. A me namque lex promulgabitur; rectiſſimaq. vitæ ratio ſancietur; quæ gentes, tenebris immerſas, cæleſti ſplendore colluſtret; & animos, aſſidua perturbationum tempeſtate iactatos, in pace, & tranquillitate, conſtituat. Nec enim erit in lapidibus inciſa, ſed in hominum præcordijs ſcripta. Tenebit igitur faciliime cupiditates; libidinis impotentiam coercebit; peccati vires elidet; vt animi, gratia mea ſanati, ſpirituq. meo ſtabiliti, cum voluptate, & animorũ alacritate, in legis ſempiternæ ſtudium incum-

5 bant. 5 Iam enim tempus appropinquat, quo iuſtitiæ meæ ſplendor orietur; & ſalus mea, quæ iuſtitiam ipſam conſequitur, omnibus hominibus, qui illam amplexati fuerint, afferatur. Nõ, inquam, iuſtitiam, legis inſtitutis, & ſacris, adũbratam, qua dum corpus luſtratur, minime tamen animi ſordes eluuntur, neque ſalutem, humanis opibus partam, aut breuis ſpatio definitam, ſed ope mea in ſempiternum tempus conſtitutam. Et hanc quidem non vni tantum genti præcipue, ſed omnibus nationibus, quæ ſeſe in fidem meam contulerint, allaturus ſum. Numen enim, atque potentia mea gentes ſceleris, & erroris priſtini, conuincet; ſpirituſq. meus hominum mentes impellet, vt, de ſcelere ſuo confeſſi, mihi obnoxij reddantur; & ab impuritate ad pietatem, iudicio meo redarguti, conuertantur. In me deinde gentes intuebuntur; earumq. ſpes in mea clementia tantum innitetur; omneq. vitæ præſidium in meo numine col-

Brachia mea populos iudicabunt.

Me insulæ expectabunt.

6 locabunt. 6 Hæc quidem munera, quæ ſpiritus mei benignitate continentur, ſola expetenda, conſectanda, ſummoque ſtudio amplectenda ſunt. Sola enim ſunt ampla, diuina, immortalia; reliqua omnia, quamuis ſpeciem illuſtrem habeant, & firmiſſime fundata, & ſtabilita, videantur, ſunt fluxa, caduca, ſenio, atque vetuſtate, conſumenda. Tollite oculos veſtros in cælum, vt aſtrorum fulgorem, & cæleſtis naturæ pulchritudinem, adſpiciatis: adſpectum rurſus in terræ ſoliditatem conuertite, vt illius ſtabilitatem oculis notetis. Nam cælum ipſum tãdem, inſtar fumi, diſſipabitur; & terra, ſicut, attritum veſtimentum, vetuſtate conſumetur; & omnes terræ cultores, & habitatores, ſimiliter interibunt: At ſalus, quam ſum daturus, ſempiterna permanebit; & iuſtitia mea numquã violabitur. Vnde colligitur, opes eorum, qui ſeſe ad nomen meum adiunxerint, nullis viribus exſcindi, nulla vetuſtate conſeneſcere, nulla calamitate peruerti poſſe, cum ſint immortales, atque Diuinæ, nec in ipſius mundi totius ſtrage, & interitu, labefactandæ. Nec enim fieri poteſt, vt beneficium, ſempiterno Dei verbo firmatum, intereat; aut fides a Deo data concidat. Concideret porro fides illius, ſi eorũ opes, quos ſpiritu ſuo tuendos ſuſcepit, exſtingui pateretur; beneficiumq. illius omnium maximũ funditus interiret, ſi mors, & interitus, in hominum fidelium opes inuaderet. Ex quo ſequitur, eos, qui fidem ſancte colunt, iuſtitiæq. Diuinis opibus exculti ſunt, eſſe Diuinitatis participes. Soli namque ſunt immortales; ſoli florentes, atque beati; ſoli poſtremo a peſte, & exitio, ſecuri, Diuinaq. gloria cumulati in omni æternitate permanebunt. Vt enim corpus extinguatur, atque ad certum tempus ſepultum aſſeruetur; animus tamen numquam a vita deſeretur; immo tunc ſolito vehementius exſultabit, cum, liber ab omni terrena concretione, ſeſe in cælum contulerit. 7 Audite igitur, o viri, qui iuſtitiam ſancte colitis, qui legem meam animis inſcriptam tenetis, veſtræ dignitatis memores; humana negligite; terrenas opes deſpicite;

Leuate in cælum oculos veſtros.

7 Audite me, qui ſcitis iuſtum.

ſpicire; omnia, quæ cernitis oculis, infra vos poſita, iudicate. Non vos probra ab hominibus obiecta perturbent; nec vlla vos conuicia a mentis ſtatu deijciant. Quamuis in ſtudio iuſtitiæ ſit vobis ignominia perditorum hominum opera ſubeunda, omniumq. mortalium conuicia ſuſtinenda, hæc omnia forti, & inuicto, animo tolerate, impetusq. cæcos furoris humani contemnite. 8 Illos enim, tamquam tinea veſtem, ſenecta conficiet; illorűq. animos ſcelerum conſcientia, quaſi quidam vermis, paullatim exedet. At opes iuſtitiæ meæ in animos veſtros congeſtæ nullis vmquam ſęculis interibunt; & ſalus, quam vobis afferam, in ſempiternum tempus ſacroſancta & inuiolata, permanebit.

Hæc quidem Dominus, ad fidelium animos confirmandos, effatus eſt. Iſaias vero, cupiditate tanti muneris inflammatus, atque moræ totius impatiens, inclamat; Dominumq. precatur, vt celeritatem incitet; nec, dilatione, numen illius deſpici, atque contemni, ſinat.

9 Conſurge, conſurge, induere fortitudinem brachium Domini.

9 Excita, inquit, & exere; brachium tuum, nomen Domini; roburq. illud inuictum, quo ſæpe hoſtium copias euertiſti, & afflixiſti, aſſume; ne diutius recondita iaceat acies potentiæ, atque iudicij tui, qua ſempiternos hoſtes nominis tui vulnerabas; & eos, qui tuam ſpem fidenter implorabant, ex eorum faucibus eripiebas. Numquid non es ille tu, qui tyranni ſuperbiſſimi ferociam, tęterrimiq. ſerpētis immanitatem exſtinxiſti? 10 Numquid non es tu ille, qui in profundo maris gurgite viam aperuiſti, qua homines, clementia tua, e ſeruitute redempti, per medios fluctus tuti, pedibus transfretarent? Idem inquit Dominus. Nec enim quidquam ætas de potentia mea decerpere potuit; nec vlla fraus hominum ſtudium meæ fidei, atque benignitatis, exſtinguere. 11 Ergo, quemadmodum olim mare populo in Dei ſidem recepto peruium fuit, nec vlla aquarum moles potuit curſum illius impedire; ſic breui perficiam; vt omnes, qui, beneficio meo redempti, ad ſempiternam lętitiam vocati fuerint, omnia impedimēta diſijciāt, & per omnia obſtantia tuti, atque liberi, gradiantur; neque quidquam ſit tantis rerum aſperitatibus implicatum, aut tantis molibus impeditum, quod curſum piæ nationis impediat. itaq. ab exſilio, in quod ſcelere impulſi fuerāt, ad patrias iuſtitiæ ſedes remigrabunt; cum vocibus, gratulationis, & lætitiæ, ſignificantibus, in templű venient; eorumq. mētes erűt ſempiterno gaudio cumulatæ, & ſumma quadam voluptate, atque ſpiritus ſuauitate, completæ, omniſq. mæſtitia, & gemitus, ab eorű finibus emigrabit. Nec enim póteſt anxietas cum iuſtitia ſocietatem inire; nec vlla lugubris lamētatio cum fructu pietatis habitare. Quod igitur huius vitæ ſtatu erit cumulate perfectű, cű exſtincta, atque deleta, morte, nullű mæroris veſtigiű relinquetur; nec diurioris caſus acerbitas, quæ mortalem condicionem natura cōſequitur, illű immortalem, atque diuinum, piorum hominum ſtatum attinget; iam magna ex parte piorum cœtus, poſtquā illum ab iniquitate liberauero, in ſe completű ſentiet. Nec enim illű angor excruciabit; nec ſollicitudo conturbabit; nec luctus, aut triſtior vlla cura, conficiet.

11 Et nunc, qui redempti ſunt a Domino, reuertentur.

Fugiet dolor, & gemitus.

12 Ego enim, ego ſum, qui cunctam ex animis veſtris moleſtiā depello; qui vos in omni caſu cōſolor; qui intima quadam iucunditate mētes veſtras, in omni etiam rerum aſperitate, permulceo; animosq. veſtros inuicta virtute, atque ſecuritate, cōfirmo. Quid.n. metues, o homo, quem mecum fide, & amore, coniunxi? Num times, ne te quiſquam de ſtatu tuo conuellat, aut peſtē tibi, & interitű, machinetur? An ignoras condicionem tuā; quantaq. ſit tuæ dignitatis amplitudo, quantumq. virtutis, atque roboris, firmamentum, parum ſapienter attendis? Fide namque, inflammatoq. pietatis ſtudio, eű es ſtatum aſſecutus, quē nulla vis labefactare, nullę fraudes inquinare, nulla tempeſtas euertere, poſsit. Etenim es Diuinæ naturæ cōſors, immortaliq. dignitate præditus. Quo modo igitur tu, cű Dei filius ſis, ab homine metuas? Cű immortalitatis munere fruaris, a mortali extimeſcas? Illi enim morientur; &, quāuis cultu, atque nitore, ſplēdeant, magnasq. opes habere videantur, tamen, inſtar herbæ, protinus exareſcent; ita, vt nec veſtigium illorum exſtet. Quid? adeo ne eris tuijpſius immemor vt ab hominibus, quibus nihil eſt in vita fragilius, malum formides?

Quis tu es, & timeas ab homine mortali?

13 Et interim Domini tui obliuiſceris, qui te formauit, qui, tui ſtatus conſeruādi cauſſa, cæleſtem naturam explicauit, & terram, quæ tibi fructus multiplices effunderet, exſtruxit? Nű Dominum tibi auxilio affuturum minime confidebas? Aut opes illius parum validas exiſtimabas? Quid igitur venit tibi in mentem, humanas, atque mortales, opes timere, & perpetuo tyrānum illum, qui tibi vaſtitatem inferre cogitabat, horrere, & ad conſpectum illius trepidare? Vbi nunc eſt furor ille tyranni, qui cuncta vaſtitate parabat? compreſſa eſt illius immanitas, impetus fracti, tyrannis exſtincta.

Vbi nunc eſt furor tribulātis?

14 Liberator enim tuus, quē, vt tibi opem in rebus prope perditis afferret, miſi, nullā morā faciet; neque vlla ſegnitie impedietur, quo minus tibi feſtināter accurrat. Accelerabit.n. & ſumma quadā alacritate contendet, vt carcerē aperiat, & uinctos emittat, eisq. uitā det omniűq. bonorű copiā largiatur. Neque.n. poterit is, aut ſpeluncis Erebi cōtineri, aut mortis vinculis impediri, aut frumenti inopia cōflictari. Ergo, cum tartari clauſtra reuellerit, ſuos neque diutius tenebris includi, neq. dñarū mortis opprimi, neq. egeſtate vlla vexari, patietur; ſed oēs e uinculis eximet, ut in ſum-

ma libertate, & vitæ iucũditate, maximorum
bonorum affluẽtia, ævo ſempiterno, perfruan
tur. 15. Ego namque ſum ſummus ille Domi-
nus, cuius tanta eſt potentia; & tam præſens
erga meos in omni calamitate benignitas, vt
illorum gratia mare diſcindam. Tumeſcent
quidem fluctus, atq; fremitus ingentes edent;
non tamen poterunt, quamdiu fuerint impe-
rio meo coerciti, diffundi rurſus, & in curſum
ſuum impetu ſolito concitari. In quo quidem
ſatis oſtendo, mortis impetum meo numine
reprimendum eſſe, ne in eos, qui in mea tute-
la latent, inuadat. Hæc quidem fixa, atque ra-
ta fore, credenda ſunt. Stabili namque, & ſem
piterno Imperatoris ſummi decreto conſti-
tuta ſunt, cuius nomen, & naturæ æternita-
tem, & fidei inuiolabilis ſanctitatem, in omni
temporis ęternitate deſignat.

His deinde verbis Chriſtum affatur:

16 16 Ego te, o libertatis humanæ vindex, popu-
liq. mei cuſtos, atq. defenſor, opibus Diuinis
confirmabo, vt facillime tantum munus ab-
ſoluas, atq. perficias. Ego namq. te cõpotem
Diuinæ potentiæ, & virtutis, effeci, vt verbis
meis, quorum tibi facultatem cõceſsi, cuncta,
quę tibi cordi eſſent, expedires. Nec, cum ope
ra admiranda molitus fueris, vlla tibi fraus, &
inuidia, nocebit. Te nãq. dextera mea prote-
gam, numineq. meo fulciam, vt, quod in mũdi
principio deſignaſti, nũc multo clarius, & ma
gnificentius, præſtes. Nouum enim orbẽ crea
bis; cęlumq. maiore quodam fulgore collucẽs
explicabis; terramq. aliam ſede firmiore ſta-
bilitam fundabis. Nouum enim genus homi-
num naturæ nouitatem requirit; aliudq. cæ-
lum flagitat; alium ſplendorẽ clarioris Solis
exoptat. Remp. enim cæleſtem in terris cõſe-
res; nouas leges, & inſtituta; cõdes, nouaſq. for
mas in mentibus humanis inſculpes; eaſq. Di
uina luce colluſtrabis; fideliumq. hominũ na-
tionem, populum tuum appellabis. Tibi enim
ſeruiet; in te ſpem beatæ vitę conſtituet; tuoq.
præſidio nitetur; tu vero illis ſemper aderis;
nec vllis vmquam temporibus populum tibi
amore coniunctũ ope tua deſtitues, a tyrãni-
17 deq. mortis diſcerpi ſuſtinebis. 17 Excitare,
excitare de ſomno tuo, Ieroſolyma: ſurge iã,
& ebrietatem iſtam, quæ te tætro ſopore cõſo
pinit, exhala, vt priſtinam mentem recipias.
Poculum enim de manu Domini plenum ira-
cundię, & indignationis, hauſiſti; viniq. mera
ciſsimi, quod tibi mentẽ, & ſenſus, eripuit, fæ-
ces etiam ebibiſti; furore, & amentia, multa-
rumq. ærumnarũ grauitate, perfidiæ pœnas
18 luiſti. 18 Nec enim erat interim aliquis ex fi-
liis tuis, quos peperiſti, & educaſti, cum ebria
eſſes, & a via ſalutis aberrares, atq. languida,
& confecta letifero vino paſsim concideres;
qui te in viam reduceret, greſſuſq. tuos manu
19 ſua ſtabiliret. 19 Duo mala ſimul in te incurre
runt, dira telluris vaſtitas, & fœda hominum

*E[illegible]are, leua[illegible] [illegible]nſurge Ieruſalem.*

excidio. E quibus quis tandẽ veſtrum effugiet?
fames intulit vaſtitatem; diſtrictus in te gla-
dius excidionẽ. Qua tandem te ratione conſo
labor? 20 filii tui peſtifero bello cõfecti ſunt; & 20
in ipſo plateарũ ingreſſu procubuerũt; atque,
tamquam feræ venatorum laqueis ad cædem
irretitæ, iacent. Ira nãq. Domini multis cladi
bus cumulata, iudicijq. illius ſeueritas ampli
ficata illos oppreſsit. 21 Nunc igitur, miſera, 21
quæ tantis malis exagitata fuiſti, quæ non vi
no, ſed ſcelerum pœnis, ebria, ſenſum amiſiſti,
audi iã hoc a Domino, vt illius verbi potentia
reuiuiſcas. 22 Sic enim dicit Dominus tuus, 22
& Deus tuus, cuius & potentiam revereri, &
benignitatẽ amare, debes: Cũ primum ad fidẽ
redieris, Dominus, qui perpetuum populi ſui
patrociniũ ſuſcepit, a te mala omnia propul-
ſabit. Iã enim inquit, detraxi de manibus po-
culum illud, quod te ſomno grauiſsimo conſo
pitam, & ſtupiditate mentis oppreſſam, in ca
lamitate detinebat; nec poſthac fęces meæ ſe-
ueritatis, & indignationis exhauries. 23 Irã 23
namq. meã in eos conuertam, qui te affligũt;
funeſtumq. illis poculum porrigam, qui tibi
nimis inſtabant, vt totum ebiberes; qui te pe-
dibus proculcant, & proterunt, & per corpus
tuum cõtemptim, quaſi per forum, gradiũtur.

*Ecce tuli de manu tua calicẽ ſoporis.*

Hæc quidem Dominus: At Iſaias, con- CAP. LII.
ſideratione tam felicis libertatis, excla-
mat, & populo Dei de ſalute tributa ma-
xima voce gratulatur.

1 Exſurge, inquit, exſurge, ſancta plebs, quæ 1
te a flagitiis, & impietate, ad fidei ſanctitatẽ
tranſtuliſti virtutisque, & roboris tui cultum
recipe, ornamẽtisq. glorię tuę, o cæleſtis ciui-
tas, exornare; & nomine diuinitus partę liber
tatis exſulta. Iã enim non ſeruies cupiditati,
neq. libidini; nec impurus, & cõtaminatus ho
ſtis per te incedet, tibiq. tributa flagitij, dede
coris, & turpitudinis, ĩperabit. 2 Excita te de
puluere; cõſurge iã, & in ſolio tuo cõſiſte, Iero
ſolyma; expedi te e vinculis, quibus collũ tuũ
adſtrictum antea tenebatur, o multitudo, quę
ad Sionem pertines, & captiua fuiſti. Iã enim
cupiditas in te regnũ minime poſsidebit; neq.
te peccati prauitas inquinabit; neque tyrãni
ſẽpiterni vis vlla peruertet. 3 Sic enim Domi 3
nus eos, qui fidẽ illius profitentur, alloquitur.
Vos quidem libertatem veſtram abſque vllo
pretio venalẽ habuiſtis; vos ipſos ſine emolu-
mento, & fructu immanitati cupiditatis, atq.
peccati, penitus addixiſtis; & ſine vlla hoſtiũ
iactura ab illis in ſeruitutem abducti fuiſtis:
nunc vero gratis etiam eritis in libertatẽ re-
ſtituti. Nec enim meritis veſtris, ſed clemẽtia
tantum mea, iugum ſeruitutis vobis impoſi-
tum a ceruicibus veſtris deiicietis. 4 Adiũxit
præterea Dominus: Populus quidem meus o-
lim, non vi belli coactus, ſed voluntate ſua in
Aegyptum migrauit, vt ibi peregrinaretur.
Nõ igitur ius vllum habebant in eum Aegy-
ptij,

*2 Excutere de puluere.*

*4 In Aegyptũ deſcendit populus meus in principio.*

prij,& tamen illum, quaſi belli iure captum, multis incommodis violēter oppreſſere. Hoc quidem fuit primum exſilium, quod populum meum grauiter afflixit; e quo tamen fuit in ſedes patrias clementia mea reuocatus. Alterū vero multo grauius fuit illud, in quod Regū Aſſyriorum vi, atque potentia, fuit abſque vlla graui cauſſa compulſus. Nec enim populus hic in eorum fines inuaſerat, neque eorum rebus aliquod damnum intulerat, vt ea gratia eſſet bello vaſtandus; ſed præceps dominādi, omneſq; regiones armis occupandi libido Aſſyrios inſtigauit, vt hominibus, a quibus offenſi non fuerant, arma inferrent, & cauſſas dictu ſpecioſas nefariæ cupiditati prætenderent: ſic autem eos bello profligarūt, vt nullum ne in eo quidem bello incommodum ab illis acciperent.

5 Et nūc qd mihi eſt hic.

5 Nunc vero, quod ius neceſsitudinis eſt mihi cum hac ciuitate, in qua etiam populus meus poſt illas ruinas ſine vlla graui cauſſa fuit, vt diriſsimam ſeruitutem tolleraret, hoſtium immanitate compulſus? Quid igitur geram hoc in loco, in quo populus meus dominatu graui premitur; & ab impotentiſsimis dominis contumelijs omnibus laceratur? Diſsimulabo ne? meamq. potentiam, & benignitatem, continebo? Et, cum tam admirandis rebus hunc populum ab Aegyptiorum dominatu redemerim, nunc, quando per ſummā iniuriam ſine cauſſa Babylonem captiuus adductus eſt, eum diutius in duriſsima ſeruitute verſari patiar. Non equidem, ait Dominus. nec enim ferendum eſt, vt nomen meum diutius quotidiano conuicio maculetur. Nam, dum gentem hanc propter illius ſcelus vexari, & affligi, permitto, multi dictitant, aut me fidem non ſeruare, cum populum, quem tuendum ſuſcepi, in calamitate deſero; aut vires non habere, quibus hoſtium opibus obſiſtam.

6 Propter hoc ſciet populus meus nomen meū.

6 Nunc iam experiūdo diſcet populus meus, quanta fide, & quanta potentia, gloriæ nominis mei conſulam, & quam inſigni benignitate populo meo proſpiciam, cum eos etiam ex hoc exſilio in libertatem vindicauero, in patriaſq. ſedes reduxero; intelligetq. tandem, eum eſſe me, qui olim gentem meam præſenti ope texerim, qui numquam eos, qui ſeſe mihi dedidere, neglexerim; qui illis, cum primum inclamarent, occurrerim; qui ſalutem primū verbis oſtenderim; & fidem, quam dedi, præſtiterim; & meipſum præſentem eorum rebus aduerſis obtulerim. Ergo, cum nominis mei maieſtatem, præſentiſsimi numinis fidem, & auxilium, mente perſpexerint, minime profecto dubitabunt, me illis ſemper affuturum, vt eos non ſolum ab Aegyptiorum, aut Aſſyriorum, aut Chaldæorum, dominatu liberem; ſed quod eſt longe maius, a libidinis immanitate, a peccati tyrannide, ab hoſtis ſempiterni truculentia, a mortis denique faucibus, ereptos in ſempiterna ſalute, atque libertate, conſtituam. Nam, ſi eos hominum impotenti dominatu diutius conflictari minime paſſus ſum; quo modo tandem eos hoſtis immanis, atque ſempiterni, vinculis adſtringi, mortiſq. tyrannide premi, ſuſtinebo?

Hæc quidem oratione Dominus, eam præcipue libertatem pollicetur, quæ in iuſtitiæ fructu conſiſtit. Iſaias vero felices eos prædicat, qui erant huius tantæ libertatis, & felicitatis, nuntios terris omnibus allaturi. In tanti muneris igitur amplitudinem reſpiciens, & miniſtrorum etiam virtutem, & alacritatem, admiratus, in hęc verba prorumpit:

7 Quā pulchri ſunt pedes annuntiantis & prędicantis pacem.

7 Quam amplum, & excelſum, ſtudium eſt corum hominum, qui, cum virtutis gloria pręcellant, in locis in altum propoſitis, & editis, felicitatem Diuino munere, & beneficio, conceſſam mortalibus cunctis annuntiant? Hoc enim erit illis aſsignatum munus, vt bona Diuina proponant hominibus, vt ſalutem allatam publice teſtificentur; vt tyrannidem exciſam eſſe demonſtrent; vt regnum Dei in terris florentiſsimum, bonorumq. omnium copia cumulatum, prædicent; vt dicant Sioni, Gaudio exulta, plebs ſancta. Nam Deus tuus iam regnum ſuum in terra conſtituit.

8 Vox ſpeculatorum tuorū.

8 Rectores tui in ſpecula manent, ne quid incidat improuiſo, quod tibi perniciem afferre poſsit; ſuntq. de ſtatu tuo valde ſolliciti, Clamores edunt maximos; magnitudine lætitiæ, atque voluptatis, elati, ſimul inclamant, & voces in cælum tollunt, & incredibiliter exſultant. Nec enim iam vmbris legis admoniti, neque obſcuris imaginibus eruditi, de reſtitutione ab exſilio, atque libertate, loquuntur. Ipſi namque oculis conſpexerunt libertatis iucūdiſsimæ fructum, iuſtitiæ claritatem, & pulchritudinem, Diuinæq. gratiæ magnificentiam, qua plebs Domini, quæ, propter admiſſum perfidiæ ſcelus, a iuſtitiæ finibus exſulabat, propter fidem, qua vnicum illum liberatorem generis humani complexa fuit, eſt in patriam iuſtitiæ hereditatem reſtituta.

9 O Ieroſolymæ vaſtitates, mœniaq. ruinis ſtrata, in lætos clamores erumpite; & voces in laudem Domini, quanta maxima vi poteſtis, intendite. Nam reſpexit Dominus ciuitatem ſuam, eamq. ab exſilio reuocauit. & omnia, quæ fuerant collapſa, refecit; & ordinē Reip. perturbatum, cum maximo bonorum omniū cumulo, & egregiæ dignitatis amplificatione, reſtituit. 10 Nec enim vni tantum populo, nec vni tantum nationi, ſed vniuerſo generi humano, vim numinis, atque potentiæ ſuæ, in qua ſola eſt omne ſuorum præſidium collocatum, aperuit; benignitatiſq. ſuæ magnitudinem in omnium gentium conſpectu propoſuit. Omnes enim oræ terrarum extremæ, & omnes vltimæ nationes, ſalutem a Domino ſingulari ratione tributam conſpexerunt; &

ex illa fructum ſalutis, & immortalitatis, &
gloriæ, perceperunt.
11 11 O beati viri, qui tanti boni participes
exſtitiſtis, qui ſacris ſanctiſsimis initiati fui-
ſtis, qui ſacra Domini procuranda ſuſcepiſtis,
veſtræ vobis dignitatis in mentē veniat, vt &
gaudio triumphetis, & ſimul etiam, ne tantæ
opes de manibus elabantur, cum cura, & ſolli
citudine, metuatis. Prouidete, ne vos vlla con
tagio impuritatis inficiat, aut conſuetudo
hominum, cum quibus in exſilio vixiſtis, ali-
quo flagitio decus veſtrum contaminet. Ab-
ſcedite, abſcedite; conſuetudinem improbo-
rum hominum deteſtamini; e medio impuræ,
atque nefariæ gentis egredimini; ſummam
in relinquendis iniuſtitiæ finibus celeritatem
ſuſcipite, vt in patriam amiſſam citius remi-
gretis, rem pollutam, & inquinatam, nolite
contingere, qui Domini vaſa circumferetis,
vt rem Diuinam rite cōficiatis. Nec enim fas
eſt, ſacerdotij ſanctitatem ſordibus flagitij
maculari; nec aliquid impurum in Domini
templo conſtitui; neque denique puritatis in-
ſtrumenta impuritatis labe profana fieri.
Mentis igitur puritatem Diuina gratia par-
tam ſolliciti retinete, & animi caſtitatem in
omni vita ſummo ſtudio conſeruate.

Recedite, recedite.

12 12 Nec enim poteſtis dicere, difficillimum
vobis eſſe, in tantis vitæ difficultatibus, quan-
tæ ſunt illis ſubeundæ, qui a peccato, apud
quod exſulabant, ad iuſtitiam traducuntur,
ſanctimoniam tueri. Facillimum namque id
vobis erit, dummodo vobis ipſis deeſſe noli-
tis. Nec enim vos hoſtes a tergo, vt olim, cum
ab Aegypto educti fuiſtis, inſequentur; nec in
feſtis armis oppreſsi tumultuabimini, & effu-
ſa fuga trepidabitis. Nam Dominus vos ante-
cedet, ne quiſquam a fronte poſsit in copias
veſtras impetum facere. Idem etiam agmen
coget, ne a tergo in vos hoſtis incurſet. Præſi-
dio igitur illius confirmati, facillime prouide
bitis, ne qua labes impuritatis vobis adſper-
13 gatur. 13 Nec interim, inquit Dominus, a ſer
uo meo, qui non modo veſtræ libertatis vin-
dex, & cuſtos, verum etiam Dux, & Impera-
tor veſter eſt, oculos deijciatis. Illum ſequimi
ni; illius exemplo vitam conformate; ad illius

Præcedet enim vos Dominus.

nomen vos animis incenſis adiungite: Diuina
ſiquidem ſapientia ſibi commiſſum munus
adminiſtrabit; & in loco excelſo, & edito, in la
tiſsimoq. dignitatis, & imperij, faſtigio collo-
cabitur; & in ſumma, atque ſempiterna glo-
ria florebit. 14 Atque principio quidem mul 14
ti mortales in ſupplicia, quibus eſt tamquam
iniuſtus, atque maleficus, excruciandus, in-
tuentes, obſtupeſcent. Quanto autem ſtupo-
re, o Chriſte, multorum animos magnitudine
acerbiſsimi cruciatus oppreſsiſti, tantam of-
fenſionem ſpecie dedecoris illius, & ignomi-
niæ, multis mortalibus attuliſti. Nullus enim
homo fuit vmquam, cuius vel ſpecies eſſet tan
ta plagarum fœditate contuſa, vel nomē tan-
tis conuicijs, & ignominia, deformatum.
15 Sic autem illis tormentis, & cruciatibus, 15
illis contumelijs, & opprobrijs, illa denique
crucis offenſione, multas nationes expiabit,
& ſcelerum notas penitus inuſtas, puritate
ſanctitatis, atque religionis, abſterget. Sic
enim erat ſalutis humanæ rationi conſenta-
neum, vt ignominia crucis veram, atque ſem-
piternam, gloriam conſtitueret; & mortis
acerbitas viam ad immortalitatem aperiret.
Itaque non ſanguine victimarum, ſed pro-
prio ſanguine, vt nouum fœdus ſanciat, mul-
tas gentes adſperget; humanasq. mentes, om
ni ſcelere ſolutas, ſibi fide conſtringet. Nec ſo
lum hominum multitudo, ſed ſummi etiam
Reges, & Principes, ſtupore perculſi, coram
eo ſilebunt, & magnitudinem caritatis, quæ il
lum adegit, vt pro generis humani ſalute gra
uiſsimam ignominiam ſubiret, & mortem, &
cruciatum, expeteret, vehementer admirati,
numen illius venerabuntur. Nam ad gentes
vniuerſas, quæ nullis ſacrarum litterarum di-
ſciplinis inſtructæ fuerant, neque quidquam
de Chriſto ad illuſtrandas terras mittendo
acceperant, illius fama peruadet; & exteræ
gentes, apud quas nefando quidem auditum
fuerat, genus humanum fore Chriſti opera li
berandum, morteq. illius, ſempiternæ mortis
imperium delendum, diſciplinam illius acci-
pient; totasq. ſe ad ſtudium illius applica-
bunt.

HIERO-

# HIERONYMI OSORII LVSITANI

## PARAPHRASIS IN ISAIAM

## LIBER QVINCTVS.

### *PROOEMIVM.*

CVM Diuina Chriſti virtus multa miracula in terris ediderit,haud facile dixerim , fuerit ne opus aliquod illius ea fide , quam fecit in terris, admirabilius . Nam , ſi humanæ mentis anguſtias ratione conſideres , cum ea nihil ſibi perſuadere poſsit , niſi quod ſenſibus obiectum ſit , aut euidenti, & perſpicua ratione concluſum ; nullo modo poterunt adduci plerique mortales , vt credant,id quod non ſolum cum ſenſibus pugnat ; verum etiam omnibus humanæ rationis argumentis aduerſatur . Omnes enim homines duce natura flagrant beatæ vitæ cupiditate . Beatam porro vitam malorum omnium depulſione , & honorum complexione,definiũt . Bona autem ea plerique numerant,quæ communis hominum vita ſitienter appetit, nempe diuitias,voluptates, honores, imperia, vires, & pulchritudinem , & reliqua eiuſmodi, quæ vel in corpore ſita ſunt , vel ad illius commodum , & oblectationem, maxima ex parte,conferuntur. Quid igitur difficilius,quam perſuadere hominibus , omnẽ beatæ vitæ rationem corporis appetitu metientibus,vt voluptates aſpernentur,& commoda vitæ deſpiciant, vt opes,& imperia,contemnant, vt dedecus, & ignominiam ſuſtineant,vt denique,cum opus ita fuerit, crucem ſponte ſubeant , vt eum ſequantur, a quo fuit beatæ vitæ ratio crucis ignominia præclariſsime conſtituta ? Quod ſi te ad eos erudiendos,qui ſapientiæ ſtudent,applicueris, te prorſus amentem iudicabunt,cum ea ſane fidenter aſſeras , quæ neque ſenſibus , neque ratione, probare potes ; in eoq. labores , vt homines ſapientiæ ſtudio incẽſos ſtultitiæ tuæ, vt inquiunt illi , patticipes efficias . Quid enim,inquit ille, qui ſapiens ſibi videtur, amentius illa fide,qua ſibi perſuadent homines, præcellentiſsimum illud beatiſsimæ mentis numen ita ſe abieciſſe , vt non ſolum humanam formam indueret , ſed etiam doloribus ſummis excruciari, & in crucem denique tolli , cum dedecore , & ignominia , ſuſtineret ? Non diſputo , an fieri poſsit tanta naturæ Diuinæ cum humana, infinitis ab illa gradibus diſtante, coniunctio , vt ſummus ille Deus, qui naturam vniuerſam numine ſuo coercet , & continet,homo repente fiat,humanis miſerijs, & ærumnis,obnoxius. Sed,vt id demus, quod in hominis ſani rationem non cadit,illud quæro,quæ tandẽ cauſſa fuit, cur Deus , ſuæ maieſtatis oblitus , homo fieri vellet, & omnes acerbitates,quibus humana vita premitur,experiri ? Num,vt hominum vitæ, atque dignitati, conſuleret? Quorum, inquis,hominum ? Sapientium ne ? At illi pauciſsimi ſunt; & ij,qui ſunt , in nullo malo verſari poſſunt . Inſipientium igitur,inquis . Ergo,vt inſipientium dignitati ſeruiret, a dignitate diſceſſit ; &, vt homines cruciatu digniſsimos a debita peſte ſeduceret , ſe crudeliſsima morte mactari pulchrum eſſe iudicauit ? At id nec Deo decorum fuit ,nec æquitati illius conſentaneum . Præterea,ſi tanta cupiditas Deum tenebat generis humani liberandi,num in tantas anguſtias fuit numen illius compulſum ,vt non aliam rationem inire poſſet ſalutis humanæ conſtituendæ,quam eam,quæ miſeriæ extremæ perfunctione , ſummiq. dedecoris offenſione,continetur? Fruſtra igitur homines minime mali eam curam ſuſcipiunt , vt nos , qui ratione ducimur,vnamq. naturam ,optimam viuendi magiſtram ſe-

quimur, impellant ad credendum ea, quę ratio omnino reſpuit, vniuerſaq. natura repudiat. Hæc quidem Philoſophus. Iam vero Iudæi, qui, diſciplina legis inſtituti, potuerunt intelligere, non in corporis voluptate, ſed in animi grauitate, & conſtantia, beatæ viuendi rationem collocandā, neque popularis offenſionis ignominiam eſſe pertimeſcendam ijs, qui ad immortale decus adſpirant, & qui ſanctarum litterarum ſtudio excitari facilime poterant, ad ſpem ſalutis, Chriſti meritis, atque religione, recipiendæ, tantam ſalutis ſuæ rationem multo acrius, & infenſius, quā reliquæ nationes, oppugnant. Humi namque ſtrati ſunt; res terrenas admirantur; mentem ab oculorum conſuetudine auocare non poſſunt; nihil intueri queunt, quod non ad corporis naturam referatur; omniaq. promiſſa Diuina, vitæ commodis, & terrena felicitate, metiūtur. Itaque Regem exſpectant opibus, & imperio florentem; maxima imperia, ſumma belli contentione delentem; ſuis non modo libertatem, ſed immanes diuitias, liberaliter, & munifice largiētem; & omnes, qui ſe cum illo coniunxerint, omnibus dignitatis ornamentis egregie cumulantem. Quo tandem igitur modo credent, eundem Regem illum eſſe, quem inopia conflictatum, & omni crudelitate laceratum, & cruci denique ſuffixum, adſpiciūt? Cū igitur omnes homines, ſiue idiotæ illi fuerint, ſiue artium diſciplinis exculti, ſiue religionis antiquæ ſacris initiati, ſiue a Iudæorum ſacris abhorrentes, naturæ quodā corruptæ, atque vitiatæ ſenſu, & odio penitus inſito, Chriſti diſciplinā fuerint perſecuti; qua tandem humana ratione effici potuiſſet, vt homines eam diſciplinam acciperent, quam & ſenſus exhorret, & ratio nullo modo conſequitur? Nam ſenſus naturæ lenocinijs, & blandimentis, alliciuntur; & ratio non niſi argumento argute concluſo conuincitur: At Chriſti diſciplina, & crucem oſtentat, quā ſenſus maxime deteſtatur, & res ab humana cognitione remotiſsimas rationi proponit, quas humana ratio nullo modo prorſus admittit. ſed, quo magis humana natura fidei huius ſanctitati repugnat, eo magis eſt vis fidei ipſius admiranda, quando ſic omnes ſenſus oppreſsit, & rationē ſub imperium Chriſti ſubiunxit, vt nulla pars animi extra cancellos a fide circumlatos egrediatur. Sic igitur fit, vt, qui fide illuſtratus eſt, nullo modo ſenſibus, nec humana ratione, ſed fide, vitam moderandā exiſtimet. Quis enim fuit ita ſenſibus addictus, vt nō intelligeret interdum, quam fallax eſſet illorum iudicium? Quis vmquam ſic id, quod argumentis efficiebat, tuendum ſuſcepit, vt mortem perferret, intolerabiliq. dolore cruciari mallet, quā ſenſum, quem habebat vi argumētorum, & copia, confirmatum, deponere? At omnibus, qui vere ex animo ſeſe ad Chriſti fidem contulere, ſic infixum fuit omne id, quod Chriſti diſciplina continebat, vt cū illis actum eſſe præclare admodum iudicarent, qui pro Chriſti nomine mortē, & cruciamēta omnia pertuliſſent. Sic enim Chriſtum per omnes flāmas inuictis animis ſequebantur, vt non modo cruciatus non horrerent, ſed etiam nihil optarent ardentius, quam vitam in ſummo cruciatu pro gloria Chriſti profundere. Et, cum nullus vmquam philoſophus tantum vel ſubtiliter argumentando, vel ample. & copioſe, diſſerendo valeret, vt hominum vulgus a flagitijs, quibus erat irretitum, ad honeſtatis ſtudium traduceret, ij, qui ſeſe ad homines Chriſti diſciplinis imbuēdos toto animo contulere, cum neque vllo diſſerendi artificio, nec ſplēdidæ orationis ornatu, nec vllis denique opibus humanis, inſtructi eſſent, tamen non vnum tantum genus hominum, nec vnam tantū nationem, ſed incredibilem multitudinē virorum, & mulierum, & virginum, & puerorum pęne infantium, atque adeo totū orbem terrarum, ſic & Chriſti amore commouerunt, & in ſtudium veriſsimæ virtutis incitarunt, vt in omnibus terrarum regionibus facillimū fuiſſet inuenire quam plurimos homines, non ſolum ſummo ingenio præditos, & artibus præclaris inſtitutos, ſed rudes etiam, & impolitos, qui mortem pro Chriſti nomine; atque iuſtitiæ fructu, contemnerēt, & vltro, atque libenter, ſeſe in extremum vitæ diſcrimen inijcerent. Ergo, cum nulla ratione, nulla diſciplina, nullo præmio, & emolumento, adduci poſsit is, qui eſt addictus libidini, vt cōpreſſa libidine virtutē vnice colat; quid exiſtimādū eſt, cū nō corporis

vllum

vllum c ommodum, ſed laborem immenſum,proponis? cum non ad vllam naturæ iucunditatem, ſed ad crucis ſocietatem, inuitas? cum non ſpem alicuius præſentis vtilitatis, ſed illius, quam neque ſenſibus vſurpare, neque ingenio conſequi, quiſquam valet,oſtendis? Si igitur id pręſenti Dei numine perfectum minime fuiſſet, quo tandem modo fieri potuiſſet, vt quiſquã naturæ ſenſum repudiaret, & hominis illius gratia, quem numquam vidiſſet, ſed tantum audiiſſet fuiſſe cruce cum extremo dedecore, & infamia necatum, pro vitæ iucunditate, cum res ita poſceret, dolorem, pro commodis egeſtatem, pro dignitate ignominiam ſubiret? Nullo modo. Ergo,cum antiquitatem memoria repetis, & tantam vitæ conuerſionem in vniuerſo terrarum orbe factam eſſe conſideras;vt,qui antea toti erãt in cupiditatis impuriſsimæ dominatu, ſic ſe totos, Chriſti excellentibus meritis excirati, ſtudio tantæ dignitatis, quam fide comprehenſam animo continebant,incenſi ad ſtudiũ pietatis applicarent,vt nullis tyrannorum opibus,aut Satanæ machinis,ab eo deduci potuerint,non poteris vllo modo dubitare,quin id ſolius Dei numine,poteſtate, beneficio,perfunctũ exſtiterit. Is enim eſt, is eſt;qui tenebras,& caliginẽ,diſcuſſit,vt poſſint homines puris animis intueri,quãtæ opes incluſæ lateant in Chriſti diſciplina; quam multa ſint inſtrumenta dignitatis in cruce; quantam vim rerum Diuinarum contineat religionis Chriſtianæ myſterium. Explicat enim nobis immenſam Dei potentiam, & ſapientiam cum admirabili benignitate coniunctam, opeſque ſempiternas æquitatis, atque clementiæ Diuinæ,pæne in conſpectu proponit,menteſq.noſtras ſtudio ardentiſſimo Diuinitatis inflammat. Non igitur fuit aliquid in Chriſti religione(vt perditi homines arbitrantur)de gloria Diuina detractum; immo, ea multo clarius Dei gloriam illuſtrauit. Nec enim magnum,nec Dei maieſtate dignum opus fuiſſet, quod homines intelligere potuiſſẽt;&,quo minus homines ingenio conſequuntur, quo modo Deus ſecum humanam naturam coniunxerit,eo magis,quanta fuerit illius potentia,atque ſapientia, clare perſpicitur. Non autem a dignitate ſua diſceſſit, cum maximum in genus humanum beneficium ita contulit, vt nullam partem ſuæ maieſtatis imminui pateretur. Nec enim ſtatus Diuinæ naturæ conuelli,aut labefactari aliqua ex parte poteſt, quãuis hominibus ſingulari aliqua ratione prouideat. Ita enim prouidet, vt interim minime ſe,vel a numine, & potentia, qua naturam vniuerſam complectitur,vel a cæli totius imperio,atque procuratione,remoueat. Et,quamuis homines eſſent inſipientes, & flagitioſi, vt ſunt omnes,qui Dei gratia ſanati non ſunt, in hoc multo magis emicuit illius benignitas,cum hoc tam admirando beneficio illos,& ſapientes,& moderatos,effecit,omnibuſq. virtutibus ornatiſſimos. Pro illis igitur, quos erat ſapientiæ opibus ornaturus, hoc tantum opus effecit, quo nullum exſtare potuit,vel amplius, & magnificentius,vel Dei bonitati conuenientius. Quid enim eſt magis decorum Deo, illiuſq. immenſæ benignitati conſentaneum, quam homines,quorum gratia omnia,quæ ſunt oculis ſubiecta,condidit,& in quibus imaginem ſuæ mentis impreſsit,a ſempiterna peſte redimere? Quæ autem ratio melior excogitari poteſt humanæ ſalutis conſtituendæ,quam ea,quæ Dei cognitione cõtinetur? Quid autem magis nos potuit ad Dei cognitionem inſtruere,quam immenſæ caritatis illius explicatio, qua Dei filius ſeſe nobiſcum ita coniunxit, vt debitum,quo eramus obſtricti, diſſolueret,ſceluſq. noſtrum ſanctiſsimis ſacris expiaret, & ſpecimen Diuinæ virtutis in terris exhiberet,quod intueremur,& ſequeremur, ſi vellemus Deo placere, & in cæleſtes illas ſedes adſcendere? Sed conturbat homines,virium humanarum imbecillitate, & penitus inſita prauitate, Diuinã vim,atq. bonitatem metiẽtes, amplitudo muneris, atq. beneficij;nec intelligunt,immenſæ,& infinitæ bonitati, immenſum, & infinitum beneficium conuenire, illudq. ipſum eſſe maximum Chriſtianę religionis,atque veritatis,argumentum, quo ipſi ad oppugnãdam religionẽ perditis ſuis conatibus abutuntur. Sed,quanta ſit erga genus humanum Diuinæ clementię magnitudo, hinc cerni facillime poteſt. Cum enim ſtatuiſſet,hoc tam obſtupendo beneficio humanũ genus afficere,& vidiſſet nihil eſſe difficilius,quã perſuadere hominibus,id quod

nec

nec ſenſibus, nec ratione, conſequuntur, a primordio generis humani, & promiſſis, & ſignis, & Diuinorum hominum prædictionibus, viam ad faciendam fidem egregie muniuit, ne poſſent homines de tanti beneficij magnitudine dubitare, cum viderent, quam apte fuerit id rerum exitu feliciſsimo comprobatum, quod multis ante ſęculis imaginibus adumbratum, & Diuinis oraculis prædictum exſtiterat. Deinde, quod eſt multo clarius, & magnificentius, mentes eorum, qui non munus hoc ingratis animis aſpernantur, ſplendor ſui ſpiritus illuſtrat, & Diuinæ ſapientiæ muneribus inſtruit, & ſtudio quodam vitę immortalis incendit. Ex quo ſequitur, eos eſſe ſolos ſapientes, qui fidem Chriſto debitam vnice colunt, nec ab illius imperio deficiunt. Qui enim ſenſus ſequũtur, e quibus tam multæ inſidiæ comparatæ ſunt animis in ſumma dementia verſantur. Qui ingenio ſuo confidunt, & ratione nituntur, cum ea, ſi fidem ſecluſeris, tenebris immerſa ſit, quò illi ſibi magis ſapientiam arrogant, eo maioribus furoris, & amentiæ, pœnis agitantur. Soli igitur, qui fidem Chriſti ſanctam habent, cum ſe Deo in diſciplinã tradiderint, ſapientes appellandi ſunt. Nec enim ſenſibus, nec ratione, ſed Dei verbo, & ſententia, quæ numquam fluctuat, innituntur. Inſidet enim Diuinus ſpiritus in animis, Chriſtoq. ſanctitatis, atque Diuinitatis, clariſſimum teſtimonium dat, mentesq. noſtras incendit, & incitat; atque poſtremo facit, vt, futili, & inani voluptate contempta, veris voluptatibus affluamus, & ad ſtudium rerum Diuinarum inflammatis animis adſpiremus. Non igitur mirandum eſt, ſi, cum huius diſciplinæ, quam profitemur, Deum magiſtrum habeamus, ita noſtris animis infixum ſit, quod Chriſtus nobis tradidit, vt hoc vnum in vita teneamus, reliqua omnia deliramẽta quædam, atque ſomnia, putemus. Vt autem ad Iſaiam redeamus; cum cerneret oculis vir Diuinus, quantum fidei repugnet, hominum, qui terrenis rebus affixi ſunt, improbitas, atque pertinacia, illudq. myſterium, quod maxime eſſet humanæ rationi contrarium, tractandum ſuſciperet; nempe, quo modo filius Dei ſub humana ſpecie, & probris conſciſſus, & tormentis excruciatus, exſtiterit; exclamat, atque credendi difficultatem verbis exaggerat, vt clarius cerni poſſit, fidei munus, & officium, non eſſe humanis viribus adſcribendum, ſed ad Dei nomen, atque ſempiternam clementiam, reuocandum. Sic igitur ait:

1 O REM mirã, & ſtupendam? Quis enim 1.CAP.LIII
mortalium, qui terrena nimis intuentur, no-
ſtræ prædicationi fidem adhibebit? Quo mo-
do enim poterit quiſquam eorum tantum
mente, atque ratione, conſequi, vt illud Diui-
num numen, immenſamq. ſummi Dei poten-
tiam, ſub ſpecie imbecillitatis humanæ laten-
tem, contempletur? Hic enim ſummus impe-
rator cælitum, & clementiſsimus humani ge-
neris conditor, atque liberator, ita ſe demiſit,
vt nullis honoris inſignibus amplitudinem
ſuæ maieſtatis indicaret; ſed oculis hominum
ſpeciem extremæ humilitatis obijceret. Sic Aſcendit ſicut virgultũ
enim, poſtquam fuit exortus, ſe coram Domi coram eo.
no, ad cuius voluntatem, & gloriam, omnes
actiones dirigebat, in terris erexit, vt non
multum exſurgeret; ſed, inſtar teneri cuiuſdã
virgulti, ſe in principio depreſsit; &, quaſi ra-
dix in arida terra, vim ſuam cohibuit; ita, vt
neq. trũci proceritate, aut frondium amœ-
nitate, ad ſe mortales alliceret, nec fibras ita
late diffunderet, vt virẽs inde ſilua pullularet.
Illud igitur eximium decus, quod in cælo, vim
ſummi, atque ſempiterni amoris incendit; il-
lud ſummũ pulchritudinis, & honeſtatis, exem
plum, cuius adſpectu cæleſtes animi ſatiari
non poſſunt, ita fuit in terris ornamentis om
nibus nudatum, & omni contumelia deforma
tum, vt nullum decus in corpore illius emine-
ret, quod oculos meæ gentis oblectaret; nul-
lus elegantiæ cultus, qui eam ſui ſtudio vehe-
menter incenderet. 3. Immo ſic fuit contem- 3
ptus, & abiectus, vt eſſet omnium mortalium
deſpicatiſsimus. Nec enim is vllo modo fuit,
quem dolor non attingeret, aut ægritudo mi-
nime conturbaret. Quinetiam ſummos dolo-
res, & cruciatus, hauſit, ægritudinis acerbita
tem maximam perpeſſus eſt. Tantis vulneri-
bus fuit in exitu vitæ conciſus, tantiſq. dede-
coris, & ignominiæ maculis affectus, vt ocu- Vnde nec reputauimus eum.
los ab eo auerteremus, ne tantam indignita-
tem contemptiſsimi hominis vſurparent.
Sic enim fuit à nobis deſpectus, vt ne homi-
nem quidem illum duceremus. 4. cum interim 4
ille morbos, & ægritudines noſtris ſceleribus
debitas exciperet; & dolores, qui nobis erant
ſubeundi, ſuſtineret; vt, cruciatu ſuo, nos ab
exitio, & cruciatu, ſempiterno liberaret. At
nos, cum videremus illum tam indignis ſuppli
ciis excruciatum, atq. in ſumma dolorum om
nium acerbitate derelictum; eum non ſolum
hominibus odioſum, & inuiſum, verum etiam
Diuino iudicio percuſſum, meritiſq. pœnis a

Deo

Deo perditum,& afflictum, iudicauimus; neque ſolum hominum ſentẽtiis, ſed etiam ſummi illius iudicis ſeueritate, conuictum. 5. At

5 Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.

is, propter impietatis ſcelus, quo noſipſi conſtrinximus, vulneratus fuit,& propter iniquitate, quas in vita ſuſcepimus, acerrime contuſus; vt hoc ardentiſsimo pietatis, & caritatis, ſtudio, quod illum impulit, vt corpore ſuo pœnas conſceleratis hominibus irrogandas exciperet, humanum ſcelus expiaret, & iniquitatis noſtræ maculas elueret. Eramus nos quidem Dei iudicio coercẽdi; &, cum numen illius erga nos grauiter intẽſum haberemus, neceſſe erat, vt pœnas ſceleris, & improbitatis, quibus eramus digni, penderemus. At is ſe medium interpoſuit, vt omnem impetum Diuinæ ſeueritatis exciperet, exitiumque, quod omnibus nobis imminebat, a capitibus noſtris auerteret. Hoc igitur fuit illi munus impoſitum, vt pro nobis omnibus iuſtitiæ Diuinę ſatisfaceret, & debitum, quo eramus obſtricti, diſſolueret. Nos igitur, nos illum in crucem egimus; nos illi mortiferum vulnus inflximus; noſtra illi ſcelera cauſſam acerbiſſimi cruciatus attulerunt. Hæc enim omnia ſponte ſua ſuſcepit, atque ſubiuit, vt nos a ſempiterno cruciatu redimeret. Illa namque vulnerum deformitas, ille corporis cõtuſi liuor, ſanitatem vulneribus noſtris intulit; & illius tormẽtis e morbis mortiferis, quibus opprimebamur, emerſimus. 6. Omnes nos, quaſi oues diſpulſæ, vagati ſumus, & a recta via deflex imus. Quilibet enim a diſciplina legis aberrauit, & in eam viam ſe dedit, in quam ſua quemque cupiditas, atque præceps, & inconſiderata libido, ingredi compellebat.

Liuore eius ſanati ſumus.

6 Omnes nos quaſi oues errauimus.

Fuit igitur hoc errore mentis humanum genus infinitis ſceleribus alligatum. Ac Dominus, cum excellentibus meritis humana ſcelera condonare ſtatuiſſet, effecit, vt is, qui numquam legem tranſgreſſus eſt, ſe pro maleficis,& iniuſtis, qui iura omnia conculcauerant, offerret,& hac tam admirabili caritate, & religionis ardentiſsimæ ſanctitate, numen placaret. Sic igitur Diuino iudicio, atque voluntate, omnes hominum iniquitates, & ſce-
7 lera, in caput illius redundarunt. 7. Quæ tamen omnia tanta virtute, atque patientia, tolerauit, vt, cum ſceleris alieni pœnas lueret, eſſetq. doloribus ſummis afflictus, ne os quidem ſuum aperuerit, vt eos, a quibus crudeliſsime vexabatur, aliqua verborum contumelia perſtringeret. Sicut ouis ducetur ad victimam,& quaſi agnus coram tonſoribus ſuis ſe mitem, atque manſuetum, præbebit, & ad hominum ſceleratorum conuicia penitus ob-
8 muteſcet. 8 Nec erit in damnatione illius iudicium vſitato more, & diſciplina conſtitutũ; ſed tanto ſcelere, & amentia, flagrabunt homines odio ſanctitatis excæcati, vt illum in publica cuſtodia retinere, vt e vinculis cauſ-

Sicut ouis ad occiſionem ducetur.

ſam dicat, nullo modo patiantur; ſed cum indicta cauſſa nimis feſtinanter ad ſupplicium trudant, nec, vt vllam æquitatem iuris obſeruẽt, ſed vt quam primum crudelitatem ſuam ſupplicio illius explicant, elaborabunt. O facinus hominum illius ætatis, omnium, quæ poſſunt cogitari, ſceleſtiſsimum? Quis enim poterit tantam immaniſsimi ſceleris atrocitatem, non dico vi orationis explicare, ſed mente, atq. cogitatione, complecti? Illi enim, qui vitam dabat, necem attulerunt; & ſalutis auctorem e terra ſuſtulerunt; in eoq. neruos intenderunt, vt non modo vitam, ſed nomen illius, extinguerent. Propter ſcelus populi mei fuit ei tantum vulnus impoſitum. Nec enim numinis offenſio ex ſcelere, & impietate, ſumpta, poterat, niſi ſumma quadam pietate,& hominum caritate, deleri; nulliuſq maior caritas eſſe poterat, quam illius, qui, vt corpore ſuo intentas omnibus Diuini iuris plagas exciperet, ſupplicium nullum recuſauit, ſeſeq. pro ſalute omnium deuouit. 9. Vt

Propter ſcelus populi mei percuſsi eum.

9 igitur Dominus, illius ſanctitate peccatorum omnium maculas hominum generi penitus iniuſtas abſtergeret, illum improborum hominum poteſtati, atq. libidini, permiſit; vt, quaſi in Deum impium aliquod facinus ſuſcepiſſet, nomen illius ex hominum memoria euellere conarẽtur; aut, quaſi per vim,& fraudẽ, hominum opes auertiſſet, illum omni ſupplicio torquerẽt, illaq. pœna, qua perditi homines multandi erant, illud ſummum iuſtitiæ ſpecimen, quod nemini iniuriam attulit, aut vllam fraudem machinatus eſt, afficerent; & abſolutiſsimum illud virtutis, & probitatis, exemplum nece,& grauiſsimis tormentis, excruciarent.
10 10. Pro aliorum igitur ſceleribus voluit Dominus ſanctiſsimum illius corpus afflictari, vitamq. illius exhauriri. Sed, quid venit in mentem illi iuſtiſsimo Regi, atque moderatori, cuius mens ad iniquitatem inflecti non poteſt, vt iuſtum pro ſontibus,& ſceleratis, ad necem traderet, & ſupplicia perditis hominibus irrogãda imagini ſuæ probitatis inferre conſtitueret? Quia in ſupplicio illius non hominum tantum ſaluti, ſed ipſius Chriſti gloriæ, & dignitati, conſulet, quam Diuinis ornamentis,& muneribus, amplificabit. Si enim Chriſtus ſeſe piaculum pro peccatis obtulerit, vitamq. ſuam fuerit pro ſalute generis humani largitus, huius admirandę virtutis, atque pietatis fructum feret ampliſsimum. Nam,& genus ſempiternum ex ſe Diuini verbi ſatu procreatum adſpiciet; & vitam opibus, & imperio, florentiſsimam in omnem ſæculorum ęternitatem propagabit; & voluntas Domini, manibus illius adminiſtrata, proſperos exitus conſequetur. 11 Nam propter laborem, atque dolorem, inquit Dominus, quem inuicto animo perferet hic ſeruus meus, qui nullam vmquam in ſe labem impuritatis admittet, ſe opibus affluentem cernet; & bonorum Diuino-

Si poſuerit pro peccato animã ſuam, videbit ſemẽ longæuum.

11 Pro eo, quod laborauit, anima eius videbit, & ſaturabitur.

uinorum copia egregie cumulatum ; ſcien-
tiaq. ſua multos mortales errore liberabit;&
cognitione Diuini numinis illuſtrabit,vt non
ſolũ ipſe iuſtus ſit,ſed oẽs etiã,pro quibus pœ-
nas grauiſsimas perferet,a prauitate vitæ cõ
uerſos,iuſtitię Diuinis opibus,& ornamentis,
12 afficiat. 12. Perficiam enim,inquit Dominus,
vt ſpolia cũ multis hominibus diuidat;& ma-
nubias illis , qui ſub eius imperio fortiter , &
animoſe, dimicauerint, largiatur. Bellorum
namque omniũ victor exſiſtet;& hoſtibus ſpo-
lia detrahet,& viros , qui egregiam illi operã
in bello cõtra pietatis hoſtes ſempiternos iui
tio nauauerint, donis ampliſsimis,ob virtutẽ
donabit ; & hoc tantum imperium, cum ſum-
ma rerum omnium facilitate,& affluentia,cõ
ſequetur , eo quod vitam pro Diuini numi-
nis gloria profundet ; eamq. ignominiam ſua
ſponte ſubibit, vt impuris, atque perditis, ho
minibus adnumeratus ſit, cum ipſe pro multo
rum hominum peccatis pœnas exſolueret. Tã
tum vero aberit,vt in eos,qui illum excrucia-
uerint,incitetur,aut, contumeliarum indigni
tate laceſsitus , a ſuæ benignitatis conſtantia
dimoueatur;vt etiam pro ſceleſtiſsimis homi-
nibus,qui illi ſunt necem, & cruciatum,allatu
ri,ſupplices ad Patrem preces adhibeat,illiſq.
facinoris infandi veniam deprecetur.

Hæc vbi de Chriſti morte prædixit, il-
liuſq. fructum ſummatim expoſuit, ora-
tionem continuo ad Eccleſiam, quæ erat
ex gentibus alienigenis euocanda , con-
uertit:

S. CAP. LIV. 1 Exſulta,inquit,gaudio,tu,quæ in orbitate,
& ſolitudine,verſaberis,nec vllos filios peperi
ſti;quãdo tanta ſelicitatis amplitudine,Chri-
ſti precibus,& religione,cumulata fuiſti;illiuſ
Multi filii deſerti magis, quã eius quę habebat virũ
que ſpiritu grauida, Diuinam progeniem par
tu feliciſsimo in terris edidiſti , lætos clamo-
res profunde, vocibuſq. maximis conceptam
mente lætitiam teſtificare;&,quantum fructũ
ex Chriſti coniunctione perceperis , omnibus
ſummæ lætitię ſignis oſtende. Tu enim,o Reſp.
ex gentibus alienigenis,& a ſtudio pietatis a-
uerſis,congregata,quę nupta non eras,inquit
Dominus, poſtquam ſe tibi Chriſtus fide con-
iunxit , multo quidem plures filios edidiſti ,
quam Reſp. Iudæorum,quæ legis matrimoniũ
2 tenebat. 2. Tantus enim erit filiorum tuorũ
numerus , vt mediocribus finibus includi non
poſsit. Dilata igitur locum, in quo ſunt tibi ta
bernacula , ad eos omnes excipiendos, atque
nutriendos,collocanda;tabernaculorum vela
in omnes partes intende;operamq. da,ne quiſ
quam locorum anguſtijs excludatur . Neque
tibi laxitatis tantum , verum etiam ſecurita-
tis,& firmitatis,cura ſit. Funes,quibus vela,ne
circumflata ventis diffluant,cohibẽda , atque
deuincienda ſunt,fac,vt ſint quam longiſsimi;
eos clauis ingentibus in firmiſsimo ſolo defi-
xis arcte conſtringe, ne poſsint tentoria labe
factari. 3 Multitudo nãque ſobolis tuæ in om- 3
nes partes erumpet; & cunctas nationes diſci
plina,& imperio, continebit; & loca ab hoſti-
bus ſempiternis euerſa , flagitiorumq. omniũ
colluuione vaſtata, recuperabit; in illiſq. rur-
ſus ſedes,& domicilia opulentiſsima, colloca-
bit. Omnia quidem priſtinum virtutis , atque
iuſtitiæ,ſplendorem multis acceſsionibus am
plificatum recipient. 4 Ne timeas: nec enim 4
eris vmquam ab ope mea derelicta,vt ea gra-
tia debeas ignominiæ notis inuri,atque vere-
cundari. Neque te recordatio ſcelerum, quæ
olim in te admiſiſti,conturbet;neque turpitu- Confuſionis adoleſcentię tuæ obliuiſceris.
do,qua fuiſti contaminata,fiduciam tuam cõ-
fringat. Eris enim gratia mea ita ab omni tur
pitudinis, & flagitii , contagione liberata , vt
nullum in te veſtigium dedecoris appareat .
Non tibi veniat in mentem adoleſcentiæ tur-
piter actæ;ſiquidem omnes illius maculæ ſunt
penitus eluendæ. Neque viduitatis tuæ recor-
daberis, quando omnes dedecoris illius notæ
delendæ ſunt. 5 Dominus enim, qui te ſibi ſta 5
bili , atque ſempiterno, matrimonio copula-
bit,eſt is,qui te finxit,& informauit; qui cæli-
tum imperator,& Dominus,appellatur;& qui
te ab exitio redemit, in quo eſt Iſraelis ſalus ,
non Iſraelem tantum ſed omnes terrarum pla
gas benignitate ſua complectetur ; omneſque
tandem nationes,illum,Dominum vocabunt,
maieſtatemq. illius,& imperium,verebuntur.
6 Fuiſti tu quidem olim,inquit Dominus,qua 6 quia vt mulierem derelictã & mœrentem ſpiritu vocauit te Dominus.
ſi mulier a viro dimiſſa, atque dolore contabẽ
ſcens,tamquam mulier in adoleſcentia a ma-
rito repudiata : 7 At, ſi temporis illius acer- 7
bitatem cum præſentis temporis felicitate cõ
pares, facile intelliges, quam fuerit illa mole-
ſtia,præ hac gratiæ iucunditate , contemnen-
da. Nam tempus illud,quo a me deſerta fuiſti,
fuit breui æui ſpatio definitum : At beneficia ,
quibus te nunc recreo,atque reficio,ſunt ma-
xima , & ſempiterna. 8 Exiguo quidem tem- 8
pore, ſi cum miſericordiæ poſtea tributæ diu-
turnitate conferatur,a ſalute,& dignitate tua
auerſus fuit: At nunc te clementia ſempiterna
protexi,inquit Dominus, qui te a ſempiterna
peſte,atque pernicie,vindicauit. 9 Tum etiã il 9 Sicut in diebus Noe iſtud eſt mihi
lud addidit, Poſtquam terras eluuione vaſta-
ui , hominumq. genus flagitijs corruptum, &
contaminatum aquis deleui ; fœdus egi cum
Noe ; meamq. fidem iureiurando conſtrinxi ,
ne vmquam terras ,aquis effuſis , euerterem ;
ſic numine ſanctiſsimo iureiurando deuinxi ,
ne tibi deinceps iraſcar,aut animum tuum ve
hementius inſecter. Vt enim fides tunc pauciſ
ſimos homines ligno incluſos tutos,& inuiola
tos,in communi calamitate conſeruauit,& in
orbis terrarum poſſeſsione conſtituit , vt eas
colerent,& celebritate frequentarent; ſic nũc
fides tua,crucis myſterio nixa,quæ te mihi cõ
iunxit,efficiet,vt,in communi rerum humana
rum exitio, numquam a mea coniunctione di
uellaris; nec ornamenta tuæ dignitatis amit-
tas.

10 tas. 10 Monres enim locum ſuum mutabunt;
& colles a ſedibus ſuis emigrabunt: At miſeri
cordia mea numquam a te diſcedet; & pacis
meæ fœdus,quod tecum ſanxi, numquam mu-
11 tationem vllam ſuſcipier. Adiunxit deinde: 11
Animaduerte, quam felix in te rerum omniũ
conuerſio facta ſit. Eras tu quidem inopia,&
egeſtate, confecta, aduerſiſq. tempeſtatibus,
atque malorum omnium fluctibus, agitata,
opeq. mea deſtituta: At nunc non modo opi-
bus ſummis affiues, verum etiam in loco mu-
nitiſsimo tuta conſiſtes, ne deinceps te vlla tē
peſtas,aut turbo,conuellat. Arcis namque tuę
fundamenta in carbunculis ponam;& ſaphy-
12 ris illam ædificabo. 12 Feneſtras tuas ex iaſpi
de polito perficiam; ianuaſq. tuas e lapidibus
pretioſis exſtruam; omnes fines tui erunt cla-
riſsimis gemmis conſtrati. Eris itaque pieta-
te fundata, & cupiditate rerum cæleſtium ve-
hementius inflammata,& inuicto robore ani-
mi, Diuinaq. conſtantia, munita; omniumq.
virtutum maximarum claritate,& ſplendore,
collucebis:ita,vt Diuino præſidio cincta ſis,&
opibus Diuinis egregie locupletata, & cumu-
13 lata,triumphes. 13 Nec mirum,ſi tanta digni
tatis,& amplitudinis,ornamenta in te conge-
renda ſunt, cum ſis cęleſti diſciplina, qua om-
nia Diuina munera continentur, erudienda.
Omues namque filij tui Dominum,doctorem,
& magiſtrum,habebunt. Spiritus enim illius
eos inſtruendos,atque docendos, ſuſcipiet; &
omnes fideles homines de ſingulis officiis dili
genter admonebit. Sic autem,& iuſtitiæ com-
potes erunt,&,quod eſt ueceſſatio cõſequens,
ſumma,atque tranquilliſsima,pace,& otio iu
14 cundiſsimo, perfruentur. 14 Status tuus, in-
quit Deus, etit iuſtitia fundatus,& ſtabilitus:
procul a te abetit omnis vis,& iniuria:omnes
ſiquidem tyrannides a te procul arcendæ, &
auertendæ ſunt,ita;vt, quãuis tibi nimis atro-
citer minitentur, minime ſit tibi vaſtitas, &
15 exitium, ab illis metuendum. 15 Multi quidē
ſeſe ad te non tamen ſpiritu meo incenſi,& in
citati fraudulenter aggregabunt,& in ficta re
ligionis ſpecie inteſtinum ſcelus occultabunt.
Omnes igitur aduenæ, qui tecũ ita vixerint,
& inſidias contra ſtatum tuum nefarie com-
parauerint,de ſtatu ſuo concident,atque fun-
16 ditus interibunt. 16 Ego enim tyrannos crea
ui,qui quaſi fabrili folle prunarum incendium
excitent,quo perditos, atque profligatos,ho-
mines,qui ſceletibus ſuis populum meum cor
rumpebant, vltricibus flammis abſumam, &
eos,quos ſordibus ſuis infecerant,inuectis ca-
lamitatibus, ab eorum fęcibus expurgem; &
tamquam igne conflatos ab omni contagio-
ne ſecernam. Ego idem creo illum,qui tyran-
nidem importunam exſtinguat, & deleat,me
ritumq. ſupplicium de perditorum crudelita-
17 te ſumat. 17 Reliquum igitur eſt, quando om
nium tyrannorum immanes conatus, & om-
nia belli inſtrumēta, in mea poteſtate ſunt po

Vniuerſos filios tuos doctos a Domino.

Ecce ego creaui fabrũ ſufflantem.

ſita, & tu totam ſalutem, atque dignitatem
tuam in meam fidem contuleris, meiq. ſolius
ope, atque patrocinio,nixa ſis, diſciplinaque
mea deuincta, prouideas, ne flagitio aliquo
meum numen a te abalienes; vt nulla tibi res,
quamuis alijs horribilis, atque pertimeſcen-
da,tibi metum afferre, animumq. debilitare,
queat. Nullus enim hoſtium impetus cõtra te
ſuſceptus,nullus conarus contra ſtatum tuum
ab omnibus impiis comparatus, nullum bel-
licum inſtrumentum,nullę armatorum copię,
nulla tormenta,felices exitus habebunt. Nec
enim tibi hoſtes perniciem inferre poterunt.
Tu illos facillime fundes, fugabiſque,& ab om
nibus finibus tuis procul eijcies. Quod ſi tibi
calumniam adhibere voluerint, linguiſq. ſuis
peſtilentibus, & exſecrandis, innocentiam
tuam circumuenire cogitauerint,tu ſcelus il-
lorum redargues,æquiſsimoq. iudicio maledi
centiam refutabis;ita, vt ſemper ab eorum cõ
greſſu,cum victoria,& ampliſsima dignitate,
diſcedas. Hoc eſt emolumentum,& præmium,
ijs,qui Domino ſeruiunt,propoſitum. Ego,in-
quit Dominus, qui illos expiaui,atque ex fla-
gitioſis,& impuris,iuſtos,& ſanctos,effeci, be-
neficium meum tuebor, eorumq. puritatem,
atque ſanctitatem contra omnes hoſtium co-
natus præſidio meo conſeruabo. Ait deinde:

Omne vas, quod fictũ eſt cõtra te non dirigetur.

1 CAP. LV. Omnes ſitientes venite ad aquas.

1 O homines, quos infinitæ cupiditatis ſi-
tis excruciat, quam nullis opibus exſtingue-
re,atque ſedare,poteſtis,ad aquas tãdem dul-
ces,& perēnes,accedite,vt puras, & liquidas,
voluptates hauriatis, & ſummis,ſempiterniſ-
que,opibus affluatis,ita,vt nihil præterea deſi
deretis. Ad ſpiritum, inquam, meum animos
veſtros adiungite, qui vos bonorum omnium
copia,& vbertate, complebit, æternoq. gau-
dio cumulabit. Sed inquit fortaſſe aliquis: Cõ-
parent ſibi aquas iſtas, qui virtutum meritis
hoc aſſequi poſſunt, vt fontes illius aditu non
excludantur. At is,apud quem numquam vir-
tutis vllum ſtudium viguit,nec eſt ijs honeſta-
tis opibus excultus,vt ad illũ admitti debeat,
quo tandem modo poterit ad bonorum Diui-
norum affluentiam adſpirare? Non ita eſt,in-
quit Dominus. Quam ſitis inopes,& exhauſti,
ſcio; nec poſſe vos pretio tanti boni partici-
pes fieri,exploratum habeo. Non igitur meri
ta virtutum a vobis, vt ad me adeatis,exigo;
cum ſitis contaminati flagitijs, & criminibus
ſummis obnoxij; non munera pietatis, atque
ſanctitatis efflagito; cum ſceleribus innume-
rabilibus alligati ſitis;nõ denique par,& ęqua
le, tantis bonis pretium poſco; cum fieri non
poſsit, vt tantum opibus valeatis. fidem tan-
tum incenſam, & incitatam, requiro,vt eam
non ſecundum debitum,ſed ſecundum ampli-
tudinem gratiæ meæ,Diuinis opibus,& orna-
mentis iuſtitię,remunerem;vt deinceps,quod
nunc minime poteſtis, omnia virtutum maxi
marum officia perſequamini. Quodammodo
igitur gratiæ meæ publicum mercatum inſti-
tuo,

Qui non habetis argentum properate.

tuo, benignitatemq. meam cunctis mortali-
bus venalem propono, illudq. tantum pretiũ,
quod humana imbecillitas, mei ſpiritus im-
pulſu, & inſtinctu, commota, præſtare poteſt,
efflagito. Quin igitur acceditis omnes? Cur
non emitis abſque argento, aut pari aliqua
pretij compenſatione, vinum illud, quo beatæ
mentes exhilaratæ ardore Diuino concale-
ſcunt, & gaudijs ſempiternis exſultant; illudq.
lac dulciſsimum, atque iucundiſsimum, quo
teneri animi nutriuntur, vobis inflammato
animo comparatis? Hæc enim omnia præſtat
ſpiritus mei intimis animis comprehenſa diſ-
ciplina. Vt enim paruulos mollioribus, dulci-
bus tamen, & ſuauibus, nutrimentis educat,
nouaque, & inſolita, voluptate perfundit; ita
in fide progreſſos, & exercitatione robuſtos,
pabulo ſolidiore nutrit, & ardẽtioris ſpiritus
2 Quare appenditis argentum, & non in panibus. hauſtu lætificat. 2 Quid igitur omne ſtudium
veſtrum in vanitate conſumitis? Cur omnes
induſtriæ neruos ſine vllo fructu in beata vita
perſequenda contenditis? Quæ tanta vos ve-
xat amentia, vt ſummis laboribus fruſtra cõ-
flictemini? In eo enim laboratis, vt animos ve
ſtros expleatis, & tamen fame in dies grauio-
re contabeſcitis; eo quod inaniſsimis opibus,
qui vos alere, & ſuſtentare, nõ poſſunt, coacer
uãdis incumbatis. Agite iam, miſeri; ludibria
vitæ contemnite; ſtudia inanitatis abijcite; cõ
ſilia perdita deteſtamini; animoſq. tandem ve
ſtros ad ſtudia felicitatis veriſsimæ reuocate,
quę in ea ſolum benignitate continentur. Om
nium bonorum, quorum cupiditate flagrat,
compos erit, qui ſeſe totum in meam fidem
contulerit. Hoc autem obedientia fideli con-
Audite audiẽtes me, & comedite bonũ ſequetur. Si igitur cupitis bonorum omnium
complexione potiri, ſummiſq. opibus, atque
diuitijs, expleri, me audite, præceptiſq. meis
obtemperate, legemq. meam ſempiterna me-
moria continete; & eritis repente bonorum
Diuinorum vbertate completi; animiq. veſtri
præ rerum cæleſtium ſaturitate, & copia, erũt
3 ingenti gaudio cumulati. 3 Aures mihi præ-
bete, & ad me propius accedite, mihi diligen
ter auſcultate, atque, vt vno verbo dicam, fidẽ
ſanctiſsime colite; vt anima veſtra reuiuiſcat,
ſpirituq. ſempiterno perfruatur. Si enim fi-
dem ſanctam habueritis, vos mihi ſempiter-
no fœdere deuinciam, vt numquam a vobis di
uellar; ſed ſemper ſitis mihi iuſtitiæ ſimilitudi
ne, & amoris vinculo, coniuncti. Hac igitur fi-
de eum ſtatum aſſequemini, quem nulla vis ho
ſtium labefactare queat, aut vetuſtas vlla con
ſumere. Societatem enim cum Chriſto meæ
ſempiternę clementiæ, atque benignitatis, ini
bitis. Vt enim ille firma, ſempiternaque, glo-
ria floret, meæq. gratiæ magnitudine ſempi-
ternum imperium adminiſtrat; ita & vos, ſi
fueritis illius veſtigia perſecuti, eritis a me, fi
deli gratia ſtabiliti, & in ſempiternæ dignita-
4 Ecce teſtẽ populis dedi eum tis amplitudine collocati. 4 Illum namque cũ
ctis gentibus teſtem meæ virtutis exhibui; il-
lum cunctis nationibus ducem, & imperato-
rem, præfeci, vt illius diſciplinam acciperent;
& imperium, ſi vellent beatam vitam conſe-
qui, alacres, atque lætæ ſequerentur. 5 Ma- 5
gnus motus, o Chriſte, vi diſciplinæ, & ſplen-
doris inſoliti nouitate, in cunctis terris exſi-
ſtet. Gentes enim a te alienas, quæ plurimum
ab omni ſtudio tuæ ſanctitatis abhorrebant,
euocabis; & nationes illæ, quæ nullis inſtitutis
fuerant ad ſpem ſalutis, quam eras terris illa
turus, excitatæ, cum primum ad eas virtu-
tis tuæ fama peruaſerit, illarumq. animis diſ-
ciplinæ tuæ ſplendor affulſerit, ad te repente
ſtudio inflammato concurrent, vi numinis,
quod in te habitat, commotæ, & incitatæ, &
ſpiritu Domini, qui Iſraelem verum, atque
germanum, præſidio ſuo regit, & qui te hono-
ribus ſummis illuſtrat, incenſæ. 6 Prouidete, 6 Quærite Dominum dum inueniri poteſt.
cuncti mortales, ne tantam occaſionem amit
tatis; ne ſegnitie, torporeq. veſtro tantæ opes
e manibus elabantur. Dum tempus eſt, dum
Deum poteſtis inuenire, illum, Chriſti ductu,
diligenter inquirite; atque, vt ab illo gratiam
ineatis, ſummo ſtudio contendite; &, qua ra-
tione ſit colenda fides, animaduertite. 7. Om- 7
nis vitæ peſtis, ſcelerumque omnium ſemina-
rium, in voluntate veſtra conſiſtit. Hinc enim
noxiæ cupiditates exſiſtunt; hinc libidines o-
riuntur; hinc omne flagitium ad perniciem
humanæ ſocietatis erumpit; hinc poſtremo
numinis contemptus ad omne ſceleſtum, at-
que nefarium, facinus excitatur. Amor enim
ille cæcus, quo ſe homines amplectuntur, fa-
cit, vt, Dei imperio contẽpto, & abiecto, ſi-
biipſis obſequantur, & præ inſita libidine, ſan-
ctiſsimis illius inſtitutis, & placitis, quæ om-
nem vitam continent, aduerſentur. Si igitur Derelinquat impius viam ſuam.
vultis in Dei gratiam veſtris cupiditatibus a-
miſſam reſtitui, opus eſt, vt vitam veſtram de-
ſeratis, cupiditatemq. veſtram acerrime com
primatis; omneſq. cogitationes, & ſtudia, ad
Dei voluntatem conferatis; vt ſic tandem a-
pud illum in gratia ſitis. Dum igitur præſen-
tem ſe oſtendit, dum opes ſuas offert, dum, ad
eas perfruendas, omnes mortales inuitat, de
ſerat impius iam viam ſuam; qua, dum inſi-
tæ cupiditati paret, in miſeriam ſempiter-
nam impetu cæco, atque furibundo, ruit.
Vir maleficus, & iniuſtus, conſilia ſua, qui-
bus non diuitias, vt opinatur, ſed inopiam, &
egeſtatem, ſempiternam ſibi parat, exſecre-
tur; & a ſeipſo diſcedat; & ad Dominum con
uertatur; qui repente illi peccatorum om-
nium veniam tribuet. Non enim eſt illius mi-
ſericordia certis finibus, quaſi cancellis, cir-
cumdata; non eſt clementia illius ſpatijs an-
guſtis circumſcripta; vt ea de cauſſa putent
ij, qui ſibi fuerint multorum ſcelerum conſcij,
perpetuo fore ſibi aditum ad clementiam il-
lius interclusum: vt omnibus flagitijs cooper-
ti, infinitiſq. ſceleribus adſtricti ſitis, cum pri-
mum fueritis a veſtra cupiditate ad illius cul-

tum,

tum,& imperium,tota mente cõuerſi, omniũ
repente ſcelerum, & flagitiorum, veniam im-
petrabitis.Eſt enim ille perennis, & inexhau-
ſtus,clementiæ fons,ad benigne faciendũ ma-
xime propenſus,omnibus erratis hominũ,qui
ad illum confugiunt,facillime veniã tribuens.
8 non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ.
8 Nec enim,inquit,cogitationes meæ ſunt co-
gitationum veſtrarũ ſimiles; neque rationes
meæ,ſunt aliqua ex parte rationibus veſtris fi
nitimæ,vt ea de cauſſa ſuſpicemini,fore me a-
cerbum,atque difficilẽ, pœnaſq. de ijs,qui nu-
men meum læſerint,quamuis ſe ad meam vo-
luntatem rurſus aggregent, acerrime repetẽ-
tem, incluſumq. ſemel odium ad extremum
cum pertinacia retinentem; aut ſaltem,cũ ve
niam me tribuere dico, non omnẽ penitus of-
fenſionem obliuione voluntaria conterentem.
Longiſsime abeſt a mea natura odij pertina-
cis acerbitas,atque prauitatis humanæ ſimili
9 tudo.9 Quantũ enim cęli altitudo a terræ pro
funditate diſtat, tantũ naturæ meæ clementia
ab humanæ clementiæ ſimilitudine diſsidet,&
a moribus veſtris immanibus, & importunis,
abhorret. Sic igitur fit,vt inuitus quodammo
do humanum ſcelus vlciſcar;libẽtiſsime vero,
& cum ſumma quadam voluptate , veniã pec-
10 at quomodo deſcendit imber,& nix de cælo.
canti concedam;homineſq. ſupplices,&-abie-
ctos,diuinæ virtutis robore confirmem.10 Vt
enim a cælo demiſſus imber, minime reuoca-
tur;& nix eo,vnde deſluxit, vltra non remeat,
ſed terrã irrigat, atque fecundam reddit, ita,
vt cum multiplicato ſemine cibum cunctis ho
11 minibus large ſuppeditet; 11 ſic verbum meũ
ex ore meo ſemel emiſſum nõ fruſtra in terras
exibit,neque ſine fructu in humanas mẽtes pe
netrabit;ſed opus,ad quod efficiendum,miſsũ
fuit, ſumma celeritate perficiet, & abſoluet.
Nec enim meum eſt,miſericordiæ tributæ pe-
nitere;neque dona,atque munera mea rurſus
ab ijs,ad quos feliciter emanarũt,eripere.Er-
go mentes fidelium , gratiæ meæ imbribus fe-
cundatæ, virtutũ fruges latiſsimas effundent;
&,cum ſumma quadam alacritate, meis inſti-
tutis,& legibus,obtemperabũt;& omnia, quæ
12 mihi cordi eſſe intelligent,exſequentur.12 cũ
lętitia namque,& eximia quadã voluptate,ex
acerbo dominatu cupiditatis exibitis, &, om
nium bonorum copia referti,in iuſtitiæ fines,
montes, & colles cantabũt coram vobis laudem.
vnde fuiſtis expulſi, reſtituemini. Vobis mon-
tes,& colles,de recuperata libertate gratula-
buntur;quin etiam ſiluę,atque nemora,conce
ptam veſtri cauſſa lętitiam plauſu maximo ſi-
13 gnificabunt.13 In locis deſertis,horridis,& in
cultis,noua repente rerum facies,& iucundiſ-
ſima quædam amœnitas,apparebit. Nam pro
rubis abietes exiſtẽt;pro vrticis myrteta pul
lulabunt;vaſtaq. loca, & flagitiorũ ſpinis hir-
ſuta,virtutum omnium cultus veſtiet, altiſsi-
mæq. dignitatis frondes occupabunt.Hic au-
tem tatus ornatus , atque tanta felicitas, in
Domini nomen, & gloriam, quæ numquam
deinceps infringi queat, magnificentiſsime
redundabit . Hæc deinde adiunxit Dominus:
1 Excitate mentes veſtras, animoſq. 1 CAP. LVI. Audite iudicium.
ad tantum beneficium accipiendum præpa-
rate, quibeatæ vitæ cupiditate flagratis. Re-
ctum animi iudicium conſeruate; iuſtitiam,
& æquitatem , colite; omniaq. vitæ officia ad
legem meam perpendite; fideiq. munera re-
tinete , ne quidquam priſtinæ prauitatis in vo
bis reſiduum ſit,quod oculos veſtros ab adſpe
ctu tanti ſplendoris auertat . Iam enim ſalus,
quam ſum cunctis mortalibus allaturus, ap-
propinquat; iam illa cæleſtis , atque Diuina,
iuſtitia , quæ , non lege, ſed gratia mea , con-
tinetur; quam tamen ipſa lex expreſsit, & ad
quam viam muniuit; explicatur, & in om-
nium conſpectu proponitur. 2 O beatos illos, 2
qui ſeſe tanti muneris, & beneficij,fructu non
priuant; qui incenſi fide, hæc monita, atque
præcepta,mea animis recte comprehendunt,
& omni conſtantia retinent,atque conſeruãt.
Qui ſabbatum rite cuſtodit; hoc eſt, qui re-
quiete animi, quam iuſtitia parit,iucundiſsi-
me fruitur,& ab omni vitæ moleſtia,& ſollici-
tudine,conquieſcens, omnem vitam in Domi
no , a quo eſt & conditus, & liberatus , omni-
buſq. ſanctitatis muneribus, & ornamentis,il
luſtratus, laudando,& celebrando,conſumit;
& cauet,ne requietis huius ſanctitatem, ope-
re aliquo flagitioſo contaminet , & ſacramen
tum illud polluat,quo ſe Chriſto liberatori de
uinxit. 3 Ne dicat alienigena,qui ad nomen 3
Domini adiunctus eſt : Vt mecum actum eſſe
præclariſsime putem , non tamen potero ad
Iudaici nominis dignitatem adſpirare,(hunc
enim populum Deus voluit omnibus genti-
bus antecellere,& præcipua quadam decoris,
& dignitatis , amplitudine a mea cognatione
diſtingui). Nec animum demittat eunuchus;
exiſtimetque , ſe , tamquam aridum lignum ,
quod nullum fructum profert, eijciendum; eo
quod filios non gignat . Nec enim certi gene-
ris habenda ratio eſt,ſed fidei;nec multum in
tererit ad dignitatis præſtantiã, qua quiſque
ſtirpe procreatus ſit, ſed quanta religione vi-
tam inſtituat,atque moderetur.Sic etiam nõ
refert , quam multos quiſque filios ſecundum
carnem procreet, ſed quã multos ad pietatis
ſtudium exemplo virtutis incendat . 4 Sic e- 4 Hæc dicit Dominus eunuchis.
nim dicit Dominus ad eunuchos,qui ſeſe,pro
pter excellentioris ſanctitatis ſtudium,a mu-
lierum conſortio reuocauerũt, vt liberi,& ex
pediti,ardentius in ſtudium religionis incum
berent.'Illi,qui matrimonij vinculo deuinctus
non fuerit,& ſabbatum meum,hoc eſt,iuſtitiæ
pacem,& tranquillitatem conſeruauerit,libi-
dinemq.ſuam fide profligauerit, omniaq. ſtu-
dia vitę , voluntati meæ conſecrauerit, eoq.
conatus omnes comparauerit , vt ea tantum
moliatur,& efficiat,quæ mihi placere perſpe-
xerit , & conſtanter in fœdere meo permanſe-
rit : 5 Dabo locum in domo mea , in qua non
adumbrata,ſed vera,religio ſumma ſanctita-

te colitur, neque quadrupedum ſanguine, ſed
fide, litatur; & intra muros ciuitatis meæ,
quæ fidelium numero continetur, illum cla-
rioribus dignitatis ornamentis afficiam, quã
ſi multiplicem ſobolem genuiſſet. Nec cum
corporis interitu nomen illius exſtinguetur,
vt, ea cauſſa, ſit mors illius grauius pertime-
ſcenda, imnio in gloria ſempiterna vigebit;
6 & immortali vita fruetur. 6 Porro autem alie
nigenæ, qui ſeſe fide cum Domino coniunxe-
runt, vt illi miniſtrarent, ad ſtudiumq. nomi-
nis illius exardeſcerent, & illius ſerui fierent,
ſi diligentia ſingulari prouiderint, ne ſabba-
tum verum, quod in animi requiete conſiſtit,
ſcelerate contaminent, & iuſtitiæ ſanctitatem
polluant, fideiq. ſempiternum fœdus alicuius
7 flagitij deformitate violent. 7 non externi re
putandi ſunt, nec a cœtu populi mei, ſanctiſsi-
mæq. multitudinis, alieni; ſed in eadem ciui-
tate, ſine vlla dignitatis imminutione, cenſen
di, nec a ſacerdotij quidem ſanctitate repel-
lendi. Quamuis igitur lege, & alienæ gentes,
& eunuchi, ab aditu templi, & iure ciuitatis,
arcerentur, poſt gratiam Chriſti opera con-
ſtitutam, omnibus erit aditus, qui cum fide ad
cultum ſanctiſsimæ religionis acceſſerint, im
mensa clementia patefactus. 7 Adducam enim
eos in montem ſanctum meum, & in æde mea
non cæſis victimis, ſed caſtis precibus conſe
erata illorum preces exaudiam; & mentes eo
rum voti compotes ingenti gaudio cumula-
bo. flammis conſumpta ſacrificia, atque victi-
mæ, quas ſuper altare meum immolabunt, e-
runt mihi acceptiſsimæ. Non enim brutorum
animantium ſanguine aras meas imbuent; nõ
carnium nidore numen meum placabunt; nõ
terrenis ſuffimentis mihi vota perſoluent; nõ
denique ſacris illis, quæ ſunt mihi faſtidio, lita
re conabũtur; ſed flagranti fide, ardentiq. pre-
candi, auxilijq. mei aſsidue flagitandi ſtudio
gratiſsima mihi ſacra conficient. Templum
enim illud meum, quod eſt numini meo ædifi-
candum, non ex pecudum ſacrificijs, quæ ſunt
antiquanda, ſed ex ſanctiſsimis precibus, quæ
ſunt perpetuo a fidelibus offerendæ, nomen aſ
ſumet. Domus enim orationis vocabitur; nec
Iudæorum tantum, quĩ fidem habuerint, natio
ni, ſed cũctis gentibus, quæ cum fide vixerint,
aditus ad illam patebit. Nullum enim erit ge-
neris, aut condicionis, aut ſortunę, diſcrimen.
8 Hęc quidem dicit ille ſummus Dominus, qui
diſsidentia connectit, & diuulſa conglutinat,
& diſperſos, atque diſsipatos, vnum in locum
compellit. Omnes enim, qui ſunt in ſtirpem
Iſraelis inſerendi, quamuis modo diſsideãt, &
procul a cæleſtis ciuitatis regionibus in exſi-
lio verſentur, tandem congregabit, &, ſiue illi
Iudæi ſint, ſiue Gręci, ſiue ab vltimis terris cõ-
ueniant, vnico fidei vinculo, ſingulariſq. amo-
ris fœdere, inter ſe deuinciet. Ad Iudęos dein-
de conuerſus, inquit: Iam collectas etiam
gentes externas aggregabo, vt omnes in vnũ

8 Adducam eos in montẽ ſanctum meũ

Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus.

populum Diuino iure deuinctum coaleſcant.
Omnes ſiquidem erunt, quaſi oues meis ſæ-
ptis incluſi, præſidioq. meo circumuallati, ne
bellųę immanes, & truculentæ, illis perniciem
inferre poſsint. 9 Quid autem de illis fiet, 9
qui extra ouile Domini incuſtoditi perman-
ſerint, qui ſeſe, perfidia cæci, ab illius ductu,
& imperio, ſegregauerint? erunt illi quidem
quaſi oues a paſtore derelictæ in ſiluis paſsim
errantes, atque vagæ, ferarum morſibus cru-
deliſsime laniatę; meritaſque pœnas ſceleris
immaniſsimi luent. Paſtoris namque ſapien-
tiſsimi vigilantiam ſpreuerunt; illiuſq. a ſe
cuſtodiam repulerunt; &, dum libidini ſuæ
obſequerentur, lætiſsima pabula contemp-
ſerunt, & a vitæ fonte obſtinatis animis auer
ſi ſunt. Dent igitur pœnas amentię; ſubeant
ſupplicium ſceleris immanitati debitum; per-
inde, ac meriti ſunt, omni crudelitate lace-
rentur. O feræ cunctæ, quæ campos, quæ ne-
mora, & ſaltus, inſidetis, accelerate, vt im-
petum in perditos homines faciatis, & eo-
rum carnes auidiſsime deuoretis. O imma-
nes tyranni, o hoſtes ſempiterni, in opes ho-
minum impiorum deſertas, atque deſtitutas,
inuadite; crudelitatem veſtram illorum ſan-
guine ſatiate. Nec enim erit, qui veſtrum
impetum ab illis arceat. Cum primum enim
verum paſtorem a ſe abalienarunt, falſoſque
ſibi paſtores adſciuerunt, omnium luporum,
atque ferarum, laniatibus obiecti ſunt. 10 Nã 10
ſpeculatores eorum cæſi ſunt, Diuinæq. legis
ignari; ita, vt nemo illorum poſsit eorum ſa-
luti, quos vigilantia ſua tuendos ſuſcepit, cer
ta ratione proſpicere. Canes, qui debuiſſent
belluas exterrere; ita muti ſunt, vt latrare
non poſsint. Somno torpidi, iacent; cum vi-
gilant, mira dormiendi cupiditate tenentur.
11 Hi tamen canes, qui ſeſe loco non commo- 11
uent, qui torpore nimio langueſcunt, qui num
quam vigilant, vt, ſi qui fures, aut lupi, in gre-
gem impetum tulerint, id latratu ſignificent,
mirum eſt, quam acres, atque vehementes,
ſint ad cibum incredibili auiditate deuoran-
dum. Nec enim eorum ingluuies expleri po-
teſt. Sic igitur fit, vt, qui in officio ſuo muti
ſunt, & quaſi veterno vehementer oppreſsi,
vbi primum ſpecies vtilitatis obijcitur, quæ
illorum cupiditatem incitare valeat, ita ex-
citentur animis, vt vix tunc poſsit eorum cla
mor, & impetus, ſuſtineri. Iam vero paſtores
ipſi omnem rationem ſui muneris ignorant;
neque, quid gregi ſibi commiſſo, expediat, ſed
quid eos libido facere admoneat, animaduer-
tunt; Diuinaq. lege contempta, omnia officia
vitæ propria cupiditate metiũtur. Omnes de-
nique auaritiæ ſtudent, & quæſtum immanem
ligurriunt; operam quiſque dat, vt quam ma-
ximas poſsit, opes domum congerat, & pecu-
niam vndique coaceruet. Quaſi multo vino e-
brij, perniciẽ imminentem non vident; nec, vt
impendentem procellam deuitent, elaborant;
ſed,

ſed,libidine cæci,& auaritia ardentes,per om
nia facinorum genera feruntur, nec vllo timo
reducti a flagitiorũ immanitate reuocantur:
immo in dies magis inſitam cupiditatem no-
uis criminum acceſsionibus accumulant. Vbi
enim ſemel animus nefaria cupiditate deuin
ctus labi incipit,atque per pręcipitia deuolui,
ſuſtineri non poteſt,quin magis, atque magis
ruat,impetuq. furibundo in extremam, & in-
fimam , malorum colluuionem detrudatur.
12 12 Se namque ipſos mutuis vocibus exhor-
tantur, vt quotidie aliquid addant ad flagitio
ſæ cupiditatis improbitatem. Nam paſtores
ipſi,qui eos ab infeſtis pabulis , & a locis peri-
culoſis,abſterrere debuiſſent,verbis, & exem-
plo,eos in fraudem impellunt,libidiniq. pro-
priæ,quaſi truculentiſsimæ belluę,lacerandos
rradunt. Agite, inquit quilibet, vinum vobis
porrigam, & cupiditatibus veſtris obſequar;
& indulgentia mea flagitijs aſſentabor ; ad e-
brietatem vſque perpotemus;nec vllum diem
abſque voluptate præterfluere ſinamus. Cra-
ſtina quidem dies non erit , vt quidam homi-
nes ſtultiſsimi ſomniant , turbulenta ; ſed no-
uorum commodorum,atque gaudiorum,ma-
teriam præbebit. Multo igitur maiore poſt-
hac bonorum,atque voluptatum,copia redun
dabimus; & animo ſolutiore bibemus ; & cum
maiore vini copia dies feſtos agitabimus. Nõ
igitur inſitum voluptatis exquiſitiſsimæ com
parandæ ſtudium remittamus ; ſed, vt magis
delicijs omnibus affluamus,leges, & iura om-
nia,quæ nobis aduerſaria ſunt, maiore in dies
impudentia conuellamus ; vt illis bonis , quæ
ſola bona dicenda ſunt ; quæ videlicet ad cor-
poris oblectamentum pertinent , impunius
frui poſsimus . Hic eſt animus,hic ſenſus,hæc
ſententia eorum,qui iam ad extremum flagi-
tiorum omnium gradum peruenerunt; nec ſo
lum mentem,ſed etiam pudorem, amiſerunt;
& inſanabilibus morbis oppreſsi, & impediti
ſunt.

1 CAP. LVII 1 Tunc igitur ira Domini, quam in ſe per-
ditiſsimi homines concitauerant,neceſſe tan
dem eſt,vt effundatur,eoſq. ſupplicio acerbiſ-
Iuſtus perijt. ſimo depopuletur.Cum vero Dominus multis
prius pœnis improbos inſequatur , tum illud
non mediocre ſupplicium exiſtimandum eſt,
quo eos bonorum conuictu ſpoliat , & homi-
nes pietatis laude præſtantes ab impietatis
contagione liberat , & a communi calamita-
Et non eſt, qui recogitet tis acerbitate,quæ rebus communibus impẽ-
det,oblata mortis opportunitate ſeducit. At
homines terrenis rebus addicti , cum vident
hominem iuſtum , atque pietatis laude præ-
cellentem,in robore ætatis extingui,non re-
putant , quam præclare cum illo actum ſit a
Domino , qui tanta cura bonorum omnium
ſtatum tuetur ; exiſtimantq. ſtudium pietatis
inutile;& amentem arbitrantur eum, qui , ob
iuſtitiæ , & pietatis , ſtudium , commoda vitæ
contẽnit. Nec enim vident nihil mali in mor-
te bonis accidiſſe ; ſed potius , eos , qui ſcele-
rate viuunt,eorum abſceſſu condemnari.Nec
enim relinquetur eis, cuius vel admonitu,vel
exemplo, vel alicuius ſaltem pudore , interdũ
a flagitio reuocentur, vel cuius cauſſa Domi-
ni iudicium prorogetur. Nam , quantum ad
ſtatum attinet eorum,qui iuſtitiam vnice co-
luerunt,& ſtudia vitæ in hominum caritatem,
& miſericordiam,contulerunt,certe, ſi homi-
nes mala,quæ omnibus rebus impendent, ani
mo prouidiſſent,intellexiſſent plane,non ere-
ptam vitam bonis,ſed mortem donatum eſſe;
nec eos , qui ex hac vita cum pietate diſce-
dunt,miſeros;ſed,qui flagitioſe viuunt, infeli-
ces,& ærumnoſos, exiſtimandos. Nam,ſi bo-
norum vita in corporis, & animi, coniunctio-
ne conſiſteret,miſerum certe fuiſſet illis,a cor
poris coniunctione diuelli : At, cum tota illo-
rum vita ſit in Dei gratia,& Diuini amoris cõ
iunctione, conſtituta , a qua numquam ſeiun
gi poſſunt, cum excedunt e corpore, non ex-
ſtingui , ſed curis moleſtiſsimis , quæ e natura
corporis exſiſtunt,liberari putandi ſunt.2 Ne 2
mini tamen interim venit in mentem , homi- Veniat pax.
nes pios morte ad Deum aggregari, & cũ reli
quis ſanctis hominibus ſimilitudine vitæ con-
iungi , immortaliq. vita perfrui , & malorum
acerbitate redimi,quibus ſunt homines nocẽ
tes,atque facinoroſi, qui in viã redire nolunt;
acerrime cruciandi . Iuſtus enim tempeſtiua
morte ſublatus non videbit ſuorum ciuiũ ſce-
lera;non patriæ ruinam;non regionis vaſtita-
tem;non exitiũ ſuæ gentis adſpiciet; non acer
biſsimum dolorem ex ciuitatis occaſu,& inte
ritu,capiet;non,quod grauiſsimum eſt,Domi
ni legem contemni , atque conculcari,perſpi-
ciet:neque denique illud periculum,quod ma-
xime ſemper exhorruit,ne ſe ſceleris commu-
nis contagione macularet , adibit . His ergo
malis omnibus erepti,qui recta via ingrediun
tur,in tranquillitate ſumma conſiſtent;& illo-
rum corpora,quaſi ſuauiſsimo ſomno, & quie
te,conſopita,in ſepulcris iacebunt, vt excita-
ti reuiuiſcant;fructumq. iuſtitiæ, & æquitatis
ſuæ cumulatum capiant. 3 Vos autem, homi- 3
nes peſtiferi,inquit Dominus,quos non ſancta
mater,vt inſolenter iactatis,enixa eſt, ſed ve-
nefica peperit; neque Domini lex iuſtitię mu
neribus,atque moribus caſtis informauit, ſed
ſcelerata diſciplina mortiferis venenis infe-
cit,accedite iam huc,vt pœnas , veſtro ſceleri
debitas,capiatis.4 O genus hominum,adulte 4
rijs,& libidinibus , inquinatiſsimum, in cuius
cõtemptum, & contumeliam,omnibus modis
voluptatem conſectati fuiſtis?Contra quẽ lin-
guam iſtam maledicentia corruptam exercui
ſtis?An exiſtimatis, cõtumelias,quas in homi
nes ſanctos intorſiſtis , non ad ſummum illum
Dominum, a quo ſunt miſsi,pertinere? illiuſq.
vos iudicio,cuius imperiũ cõtempſiſtis, mini-
me peruertẽdos? Et tamẽ vos genus ſanctũ eſ
ſe iactatis,Diuiniſq. diſciplinis imbutũ, atque

adeo Dei ipſius ſummi,& ſempiterni,ſatu generatom. Quaſi vero ſit obſcurum, vnde orti ſitis,aut ad quam ſtirpem generis veſtri principium referendum ſit. Vos certe impietas peperit;atq. mendacium, & iniuſtitia, ſatu ſuo procreauit.

> Numquid nō vos filii ſceleſti?

> 5

5 Commiſſa a vobis olim ſcelera, mecum recognoſcite,vt intelligatis,vnde veſtrum genus exſtitiſſe putādum ſit. Vos enim, Dei veſtri ſanctiſsima religione neglecta, ad cupiditatem impuriſsimæ religionis exarſiſtis;vos quercus,& nemora,coluiſtis;& ſub opacularum arborum denſis ramis, & frondibus, ſacra diriſsima cōfeciſtis;vos propter torrentes,& flumina, ſub eminentiū rupium vmbra, filios veſtros in falſorum Deorum honorem immaniſsime iugulaſtis. 6 Omne religionis ſtudium,o gens ſceleſtiſsima, in leues lapides, atq. lubricos, quos torrētis fluminis aſsiduus curſus expoliuit,contuliſti, vt ibi funeſtas victimas immolares. Non igitur in mea benignitate,ſed in exſecranda ſuperſtitione, vitæ tuę patrimonium collocaſti. In locis illis,quos ſcelere tuo coluiſti, hereditatem tuam eſſe conſtitutam exiſtimaſti. Ita,me neglecto,te totam ad cultum lignorum,& lapidum,cōuertiſti. Ex illis igitur fructum amentia tua dignum percipies. In illis namq. libamenta per ſummum ſcelus effudiſti;illis munera,& dona, nimis ſuppliciter obtuliſti; animumq. tuum nefaria ſuperſtitione penitus obſtrinxiſti. Num in tantis ſceleribus conniuebo? aut tam immane facinus inultum eſſe patiar?Nō profecto. Nec enim id flagitium ferendum eſt, ſed ſeueriſsime vindicandum.

> Num ſuperbis non indignabor?

> 7

7 Nam matrimonij ſanctiſsimi fœdus, quod mecum inieras, fregiſti;corpuſq. tuum omnibus Dijs falſis, peruulgaſti; cubiliſq. tui caſtitatem,& pudicitiam,adulteriis innumerabilibus contaminaſti,in locis enim editis ,& excelſis,cum diis nefarie te coniūxiſti,diriſq. ſacris religionis integritatem ſtupraſti. Illuc enim etiam adſcendiſti,vt ſacrificares.8 Nec enim ſolum in conuallibus, & in collibus, nefarij ſceleris impreſſa veſtigia reliquiſti; verum etiam poſt oſtij valuas,& poſtes,eiuſdem facinoris inſigne monumentum ſtatuiſti. Præceperam equidem,vt legis meæ memoria ſemper in oculis tuis verſaretur,& in poſtibus, & liminibus etiam domus,ſigna haberes, quorum admonitu, de præceptis, & inſtitutis, meis acrius,& diligentius, cogitares: At tu, pro ſanctitatis,& iuſtitiæ,monumentis, ſceleris monumenta in omnibus locis ,in quibus aſsidua es,conſtituta eſſe voluiſti,vt,quacumque pergeres,ſemper tibi ſceleris tuis in mentem veniret. A me namq. nefarie deſciuiſti; turpitudinemq. inſignem in omnium conſpectu reddidiſti. Velamenta namq. tua tibi detraxiſti;vt dedecus tuum omnium oculis notari,& animaduerti,poſsit. In montium igitur cacumine conſcendiſti, in quibus lectum latiſsimum, qui complures amatores caperet, inſterneres; vt fidē mihi datam violares, & matrimonij ſanctitatem multiplici adulterio corrumperes. Fœdus cum multis dijs, ex illis, quos gentes exteræ cum inſigni amentia,& cæcitate,venerantur,percuſsiſti. Itaq. omnem amorem in illos transfudiſti; & oculis loca, in quibus cum illis inceſte concumberes, deſignaſti.

> 8 Et poſt oſtiū, & retro poſtē, poſuiſti memoriale tuum.

> 8

> 9

9 Cum autem illorum animi,qui ſeſe a Deo remouent, & alia ſibi ſubſidia vitæ comparant, ſint ſemper anxij, & de propria ſalute, & incolumitate, ſolliciti, nec in aliquo certo vitæ firmamento poſsint acquieſcere,factum eſt,cum tu,me neglecto, omnem amorem,& cupiditatem tuam ad numina falſa tranſtuliſſes, vt nullo modo ita vitam tuam eorum auxilio fore munitam confideres, vt non plura alia adiumenta requirenda putares. Minime igitur,contenta religionis impuræ,& infauſtæ,præſidio,vt regum opes tibi pararres,operam dediſti. Ad regem igitur, opinione tua,potentiſsimum, cum vnguentis exquiſitiſsima arte confectis, & cum pigmentis,& odoribus, vt illum tibi muneribus propitium redderes,contendiſti,legatoſq. in longinquas regiones miſiſti, vt amicitias cū illo coniūgeres, & quæ ſummo illi Domino,qui,numine ſuo,cæleſtia, atq. terreſtria,moderatur, ſubijci nolueris, ſalutareq. illius imperium ſuperbiſsime recuſaueris, te ad hominis impuriſsimi pedes abieciſti;tuęq. dignitatis oblita, adulando, & aſſentando, & nimis humiliter, atq. demiſſe,ſupplicando, teipſam ad inferos vſque manes depreſsiſti.

> miſiſti legatos tuos procul.

> 10

10 Vnica tu quidem ratione,quæ tota in vera pietate conſiſtit, vitam tuam præclare munire potuiſſes: ſed tu, tum perfidia tua hanc vitæ tuendæ viam deſeris,& vijs tuis,quas tibi multiplex,& infinita, cupiditas monſtrat,ingrederis, tantis ſubito erroribus nullum exitum habentibus implicaris,vt numquam vllo in loco conſiſtas.Ergo modo in hanc partem,modo in illam, diſcurris;& alia,atq. alia tibi ſubſidia conquirenda putas;nec in vllis aliquando conquieſcis. Nec enim fieri poteſt,vt animus,mendacio,& inanitate,ſubnixus,in ſecuritate verſetur.Et tamen,cum te multiplex iſta cura,atq. ſollicitudo,ſine vllo fructu conficiat, neque tam longo errore defatigaris, vt in rectam viam redire ſtudeas, & ab iſta vanitate, quæ te ſollicitam tenet,& triſtiſsimis curis exagitat, ad veriſſimam ſalutis,atque dignitatis, rationem reuoceris.Sic enim te amas, ſic ſtudia tua meis placitis anteponis,vt nec in tantis malis,quę tibi ex teipſa contingunt, vlla defatigatione frangaris, vt ab iſta peſte, in quam præcipiti curſu ruis,aliquando refugias.Malle igitur videris,dum voluntati tuæ,& ſtudijs,obtemperas,interire,quam,dum voluntati tuę,vt mihi obędias,obſitis,firmiſsimis vitæ præſidijs redundare.

> [illegible]

> [illegible]

> [illegible]

11 O te miſeram,o te infelicem, & calamitoſam? Num intelligis, quem metuas? cuius adſpectu cōturberis?ad cuius nutū contremi-

> 11 Pro quo ſollicita timuiſti.

tremiſcas? cuius cauſſa fidem mihi debitam
prodas? Carnem,& ſanguinem,paues; Inani ſi
mulacrorũ terrore cõcuteris;& interim mei,
quem ſolum timere,atque reuereri,debuiſſes,
memoriam abijcis;neque,quam ſeuere in ſce-
lera vindicare poſsim, tecum aliquando repu
tas, vt numen meũ a te grauiter offenſum ex-
12 horreas. 12 Num propterea, quod me conti-
neo, neque confeſtim in cõmiſſum facinus ani
maduerto,exiſtimas eſſe tibi flagitiorum tuo
rum ſempiternam impunitatem tribuẽdam?
Num arbitraris, me a recta iudicãdi ratione,
atque ſententia,deductum,&,ea cauſſa,me mi
n me tibi formidandum exiſtimas? Equidem
inanitatem iſtius iuſtitiæ fallacis,& aſsimula-
tæ,quam oſtentas, coarguam; incluſaſq. tuas
libidines,& impuritates, iudicio meo connin-
cam,vt non modo meritis pœnis excrucieris,
verum etiam ignominia ſempiterna deforme
13 Cum cla maueris, liberent te congregati tui. ris. 13 Tunc igitur neque cultu iſtius religio-
nis,quam impuriſsime coluiſti,nec opibus Re
gum, ad quas te ſupplicem contuliſti, poteris
a te ſuppliciorum acerbitatem redimere. Vi-
de,nũ tibi aliquid opis afferre poſsint, vel dij,
quos tibi adſciuiſti,vel Reges,quos ad tui præ
ſidium muneribus, atque precibus allexiſti.
Cum circumuenta malis inclamaueris;accur
Omnes eos aufert ventus. rant tibi;copias ſuas adducant,vt hoſtes tuos
a te depellant,teq. a periculis,quæ te vndique
premunt,eripiant. Illos quidem omnes, quos
tecum fœdere iunxiſti,ventus diſpellet,& ina-
nitas ipſa repente ſublatos omnino conficiet.
At,qui omne vitę præſidium habuerit in mea
gratia,& benignitate conſtitutum, heredita-
tem in regione feliciſsima poſsidebit, ſempi-
ternamq. ſedem,& domicilium, in monte,ſan
cto meo,cum ſumma amplitudine dignitatis,
14 obtinebit. 14 Ait deinde Dominus illis, quos
Viam facite. populo ſuo inſtituendo præfecit: Munite, mu-
nite viam; rectũ iter aperite,atque perpurga-
te;omnia,in quę poſſunt, qui ſuſceperint iter,
incurrere, a via remouete; ne quidquam ſit,
quod curſum populi mei a ſeruitute liberati,
atque in cæleſtem patriam properantis,impe
diat,aut ſaltem aliqua offenſione interpoſita
15 Hęc dicit excelſus. remoretur. 15 Sic enim ait excelſus, & altus
Dominus,qui inſidet æternitati, cuius augu-
ſtiſsimum nomen eſt omni ſanctitate colen-
dum,ſempiterniſq. laudibus efferendum. In lo
co quidem editiſsimo,atque ſanctiſsimo,ſem-
per inhabito; & tamen humiles homines, qui
terram colunt,haudquaquam deſpicio. Siqui-
dem eorum etiam mentes,qui,ſcelerum con-
ſcientia perculſi,& abiecti,rurſus in me reſpi-
ciunt,& humiliter a mea benignitate veniam
petunt, incolo, vt ſupplices meos in vitam re-
uocem, & animos omnium, quos impuritatis
ſuæ pænitet, & qui, dolore confecti, ad me con
16 uertuntur, recreem, atque reficiam. 16 Non
enim perpetuum certamen mihi cum populo
meo inſtitutum arbitror, vt ea cauſſa ſemper
cum illo contendere, atque iram ſempiternã

retinere,debeam. Nec enim meum eſt, ſponte
mea moliri perniciem, aut libẽter,& ſtudioſe,
peſtem hominibus cõparare. Me namque non
mortis auctorẽ,ſed vitæ,atque ſalutis,effecto-
rem eſſe profiteor. Spiritus enim vitalis, & ſa-
lutaris,cuius numine vita omnium cõtinetur,
a me ſemper emanat,vt omnibus vitam inſpi
ret; & animos omnes ego finxi, & informaui.
17 Eram igitur populum meũ, cui non medio 17
cria beneficia contuleram,amore non vulga-
ri complexus: Verum, cum ille auaritiam,&
cupiditatem,& iniquitatem, ſuſcepiſſet, & le-
gem meam contempſiſſet, illi vehementer ira
tus ſum. Illum igitur percuſsi,præſentiq. gra-
tia,& ope deſtitui,omnibuſq. pœnis inſecutus
ſum;cum rebellis,& contumax, a lege mea de
clinaret, voluntatiſq. ſuæ effrenatæ viam ini-
ret;& per omnes flagitiorum regiones infini-
ta cupiditate vagaretur. 18 Sed tandem illum 18
extorrem,& exſulem,& longe a patrię finibus
aberrantem,benigne reſpexi,cum primum ſi-
de reſipuit, & opem meam ſuppliciter implo-
rauit. Ergo nunc illum ſano; & in patriam, &
opes amiſſas,reſtituo;rurſuſq. ſpiritus mei ſua
uitate,atque voluptate, permulceo;& omni-
bus,qui commiſſa a ſe crimina acerbe lugent,
& lamentantur,lætitiam reddo; vt in ſanitatẽ
reſtituti,ingentiq. gaudio cumulati,mihi gra
tias agãt;nec cæſis victimis, ſed laudibus rite
tributis,vota perſoluant. 19 Dominus enim, 19 creaui fructum labiorũ
qui fructum labiorum creat, hoc eſt,qui ſpiri-
tu ſuo piorum mentes ad fundendas preces,&
gratias illi agendas; exſuſcitat,non vni tantũ
nationi,ſed omnibus gẽtibus,quæ ad illum cũ
fide adierint,pacem,atque ſempiternas opes,
clemẽtiſsime proponit. Pacem,pacem,inquã,
& immortales opes exteris gentibus,ab illius
cognitione quondam remotiſsimis; pacem ſi
militer & Iudæis cum illo legis fœdere colliga
tis denuntiat;vt omnes,ad illum aggregati,&
vnicæ fidei conſenſione deuincti, nomen illius
perpetua laudatione concelebrent. Hunc qui
dẽ ſtatum florentiſsimum, atque beatiſsimũ,
inquit Dominus,a me cõſequetur is,quem ſa-
nauero: 20 At impij, qui nec plagis quidẽ ad- 20 Impij autẽ quaſi mare feruens.
moniti in viam redire,& fidem colere, volue-
runt,ſed in ſcelere retinendo contumaciã inſi
gnem adhibuerunt,tamquam mare,tempeſta
tibus vehementiſsimis agitatum,ita iactabũ-
tur,vt nullo modo poſsint cõquieſcere;vt tur-
bidi,atque lutulenti,fluctus eijcientur, & cum
omni flagitiorum cœno conuoluti frangen-
tur. Nulla ſiquidem impijs,inquit Dominus,
ſpes pacis,& tranquillitatis, oſtenditur.

Hæc quidem Dominus ijs, qui a reli-
gione penitus deſciuerunt, ſeſeq. totos
ad immaniſſimæ ſuperſtitionis ſtudium
applicuerunt, acerrime comminatur; &,
quæ ſunt eis ſupplicia ſubeunda, prænun-
tiat. Sed, cum multi fuiſſent,eo tempore,
qui ſe quidẽ eo ſcelere minime contami-

narant, alijs tamen ſe ſceleribus nefarijs obſtrinxerant, quæ ſpecie quadam aſſimulatæ ſanctitatis, & pietatis, occulere nitebantur, &, cum eſſent a vera iuſtitia penitus abhorrentes, iuſtitiã tamen oſtentabant, &, religionis imagine ſubnixi, ſe tumidos inferebant, præcipit Dominus Iſaiæ, vt, quanta vocis, & laterum, contentione poſſit, eorum inſolentiam refutet, & arrogantiam deprimat, eosq. doceat, in quibus tandem rebus vera iuſtitia conſtituta ſit. Nec enim quidquam eſt tam aduerſarium iuſtitiæ, quam iuſtitiæ ſimulatio; nec tam ſaluti pernicioſum, quã temeraria, & inconſiderata, de ſalute ſecuritas. Illi quidem indignum eſſe putabant, ſe cum alijs conſceleratis hominibus, qui ſe ſacris nefandis adſtrinxerant, cõmuni calamitate vexari: at Deus oſtendit, illos non minora ſcelera concepiſſe, quam eos, qui ſe, relicto Domino vero, ad ſimulacra tranſtulerant. Nam pro ſanctiſsimi Dei lege cupiditatem ſuam colebant, nec in illius numine, ſed in corporis commodis, ſummum bonum ſtatuebant; & ea gratia ad corporis commoditatem omnia vitæ conſilia conferebant; & interim, Dei iuſtitia neglecta, in iuſtitia ſua, quæ tota erat in vmbris, & oſtentatione, conſtituta, præſidia vitæ collocabant, quod ſcelus erat magna vocis contentione refutandum. Inquit igitur Dominus:

1 CAP. LVIII.

1 CLAMA quantum potes, & ex gutture vocem profunde; nec publice vociferandi, & Deum conteſtandi, ſtudium remittas; quaſi tubæ ſonitum, clamorem tolle; populumq. meum, inani iuſtitiæ, & ſanctitatis, opinione inſanientem, redargue; &, in quanto ſcelere verſetur, & quam multis criminibus gens iſta Iacobi ſtirpe procreata ſe contaminauerit, clariſsima voce pronuntia. 2 Religionem, & pietatem, præſeferunt; inſignem vitæ ſanctimoniam vultu, atque verbis, oſtentant; ſingulisq. diebus numen meum ſacrificiis, & muneribus, & longa precatione, venerantur; legiſq. meæ ſtudio ſe teneri ſimulant; ſanctitatiſq. diſciplinam habitu corporis, & oratione, profitentur; quaſi gens, quæ veræ, & abſolutæ, iuſtitiæ muneribus, & officiis, egregie perfuncta ſit, Diuiniq. iuris memoriam non prorſus abiecerit. Et, cum id, in quo pietatis ſumma conſiſtit, euertant funditus, & ſceleribus infinitis ſocietatem humanam labefactent; tamen, ſe miro deſiderio teneri, dicunt, vitæ iure Diuino formandæ, & inſtituendæ; omnemq. a ſe operam in eo poſitam eſſe prædicant, vt ſeſe ad ſanctiſsimum Dei numen adiungant. Et interim, quaſi iam ad ſummum pietatis, & iuſtitiæ, gradum peruenerint, ita mecum verbis expoſtulant, quod illos in calamitate deſpexerim, & hoſtium prædæ, & direptioni, reliquerim. 3 Cur, inquiunt, Domine, nos ab ope tua deſertos eſſe pateris? Quod a nobis officium eſt in adhibenda religione prætermiſſum? num munus aliquod, quod ad numen tuũ nobis conciliandum pertineret, obire negleximus? Nec enim in eo ſolum laborauimus, vt te ſacrificiis coleremus, verum etiam ieiunio corpora noſtra compreſsimus; nec ſic tamen nos reſpexiſti; animosq. noſtros mærore perculſos abiecimus; nec tamen quidquam opis attuliſti. Fruſtra igitur fuit a nobis omne ſtudium in colenda religione poſitum? An vos me vel muneribus deleniri, vel ficta ſanctitatis ſpecie placari, vel ſimulatione, atque mendaciis, illudi, putaſtis? Gratum mihi quidem iſtud ieiunium fuiſſet, ſi id, cuius gratia inſtitutum fuit, in vobis perfectum animaduertiſſem, ideo namq. ſancitum fuit, vt corporis libidinem reſecaret, & cupiditatis immanitatem coerceret, animiq. faſtum deprimeret, & moderatione, & humilitate, conſtituta diſcordiarum omnium materiam amputaret, atq. denique improbitatem veſtræ voluntatis exſcinderet. At, cum in die ieiunij veſtri, voluntatis veſtræ peruerſitas vigeat, & tunc vel maxime vos auaritiæ furor ſtimulet, vt cum acerbitate nimia creditam pecuniam repetatis, nec vllam humanitatis, & clementiæ, rationẽ habeatis, vllam vobis vtilitatem ieiunium allaturum eſſe cõfiditis? Hæccine eſt humilitas, quam iſto ieiunio profitemini? Hæccine moderatio, quam iſta ciborum abſtinentia deſignat? Sic ea perficitis, quæ vos ieiunium iſtud facere admonet, vt tunc in ipſo die ieiunijs conſecrato, multo inſolentius in homines tenues, & difficultatibus implicatos, inuehamini? 4 Tunc enim multo acrius litem hominibus intenditis; & miſeris impie plagas imponitis; & animi veſtri odium, & acerbitatem, operibus inhumanis indicatis. Nolite igitur in eiuſmodi ieiunio ſtudium veſtrum ſine vllo fructu conſumere; ſi vultis, vt veſtræ preces in cælo audiantur, & ira mea a vobis auertatur. 5 An exiſtimatis, iſtud ieiunium a ſtudio pietatis, & humanitatis omnino ſecluſum, mihi iucundum vllo modo fore; atque non potius me tunc multo magis mendacio, impiaq. ſimulatione pietatis, irritari? An ego id volo, id cupio, id abſq. vlla ratione a vobis efflagito, vt animorum vim inedia comprimatis? vt, tamquam incuruum iuncum, molliter inflexa ceruice, caput demittatis? vt fracti, & debilitati, corporis languorem fracta voce, demiſſo vultu, molliq. ſtatu, & inceſſu, ſignificetis? vt lugubri veſte corpus amiciatis? vt pro

2 ne enim de die in diem quærunt.

3 quare ieiunauimus, & non aſpexiſti?

Ecce in die ieiunij veſtri

4

Nolite ieiunare ſicut vſque ad hanc diem.

lecto

lectocincrem ſternatis, & in ſordibns,& ſqua
lore , iaccatis? An ego mæroris ſimulatione
delector?An ſordes lugubres mihi tantum vo
luptatis afferre poſſunt,vt earum cauſſa a re-
cta mente deſiſtam? vt hominum cupiditati-
bus obſequar?vt ſtudijs ſceleratis indulgeam?
Vtrumne tandem id gratum mihi ieiunium
appellabis, & diem meæ gratiæ recuperandæ
præſtitutum?quotidie, cum dolorem ex ſcele-
ris a te commiſsi recordatione ſimules,nihi-
lo minus in ſcelere perſeueras. & ad inſtitutã
improbitatem facinus mẽdacij , & vanitatis,
6 adiungis?6 An illud potius, quo non ſolũ mæ-
res,& angeris ; verum etiam , quod eſt conſe-
quens , ab improbitate ad ſanctiſsimæ legis
cultum tota mente traduceris?Quare accipe

Diſſolue colligationes impietatis.

iam,qua ratione tibi ieiunium obſeruandum
ſit,vt me tibi propitium reddas.Nexu deuin-
ctos homines,quos tibi per impietatem,& ſce
lus,addixiſti, e vinculis exime;iugi lora , qui-
bus creditores tuos omnibus modis, ne ſe lo-
co commouere poſſent , adſtrictos tenebas ,
diſſolue;eos,quos iniuſto dominatu contra le
gem vehementer opprimebas, liberos abire
permitte,& omnem deniq. iniquitatem , qua
ſeruile iugum fratribus tuis imponebas, ciui-
lemq. ſocietatẽ violabas , perrumpe;totamq.
voluntatem tuam ab hominibus vexandis,&
opprimendis,ad eos ſubleuandos , omniq. ra-
tione fulciendos,conuerte;vt ſic tandem facil
lime poſsis in meam gratiam per tuum ſce-

7 Frange eſurienti panem tuum.

lus amiſſam reſtitui. 7 Ao non tandem reſpi-
cies,quo tibi poſsim munere,& ratione , pla-
cari ? Porrige eſurienti panem tuum;afflictos
homines , ſedibusq. ſuis expulſos , in domum
tuam recipe;cum videris nudum,veſte illum
contege ; homines tibi coniunctos , quamuis
inopes ſint, nolito contemnere ; omne deniq.
ſtudium tuum in omnibus iuuandis , & ope
tua confirmandis, collocandum exiſtima .
8 8 Hoc ſi feceris,tibi ſemper præſens adero,&
omnes mentis tuæ tenebras , & malorum ca-
liginem,repẽte diſcutiam, vt diuino quodam
ſplẽdore colluceas. Erumpet enim,tamquam
ſplendor auroræ,mentis tuæ lumen; & gratia
mea repente ſanaberis;&,quacumq. progreſ-
ſus fueris,te iuſtitiæ claritas anteibat; illiuſq.
opibus excultus,Diuina quadam gloria cumu
laberis ; & Domini ipſius inuicto præſidio vn-

9 Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet te.

diq. munieris. 9 Tunc igitur,cum opem illius
imploraueris , tibi confeſtim aderit ; & , cum
primum clamorem edideris , ſine mora præ-
ſentiam ſuam declarabit. Vt enim eſt impro-
bis,& ſceleratis,infenſus ; ita cum iis,qui vitã
ad normam legis dirigunt,humanamq. ſocie
tatem ſanctiſsime colunt,eſt fideli,atq. ſempi
terna,beneuolentia coniunctus . Si vis igitur
gratiam illius acquirere, Diuinisq. opibus io
rebus aduerſus ſuſtentari , reſeca dominandi
libidinem;& iniquitatem, qua ciuibus tuis du
rum iugum ſeruientis imponere contendis, a
te repelle,& caue,ne,ſublato digito,quemquã
minaciter exterreas,& contra aliorum opes,
atq. fortunas, iniuriam conſles , & verbis ca-

10 Cum effuderis eſurienti animã meã.

lumniam intendas.10 Illa tibi potius cura ſit,
vt,eſuriẽtis miſeratione commotus,illi te be-
nignum prębeas; & animum afflictum ſuble-
ues,atq. cibo reficias;opesq. tuas cũ ijs,quos
in rerum inopia verſari conſpexeris,benigne
communices.Quod ſi feceris,ſubito in mente
tua Diuinus quidam ſplendor orietur,&,tene
bris,quibus eras oppreſſus , omnino depulſis,
quaſi meridiana luce colluſtraberis. 11 Ne au 11
tem mentis cæcitate, & inſanientis animi te-
meritate , præceps a recta beate viuendi ra-
tione deducaris,& turbulentis erroribus im-
plicatus in ſempiternam peſtẽ, & perniciem,
rapiaris,ipſe Dominus te perpetuo ducet,per
viam , qua poſsis ad propoſitam felicitatem
ſine vllo errore peruenire ; omniumq. omne-
rum Diuinorum vbertate complebit. Vt igi-
tur omnes fruges ſint ſiccitate , nimioq. ſolis
ardore,conſumptæ,ipſe tamen,in extrema rẽ
rum inopia, atq. fame , deſiderium tuum ſa-
tiabit , oſſaq. tua ſaginabit , & bonorum om-
nium copia cumulabit;vt nihil ſit,quod præte
rea requiras.Eris enim quaſi hortus irriguus,

Eris quaſi hortus irriguus.

atq. adeo ex teipſo fons aquæ perennis , quæ
nullis vmquam ſæculis areſcat,emanabit; ita,
vt ſempiternis fructibus excultus cæleſti , &
immortali vita , cum incredibili amœnitate,
perfruaris. 12 Sic autẽ fiet,vt per te,quæ pro- 12
ſtrata, & diruta , fuerant , rurſus ædificentur;
ſempiternaq.pietatis,& religionis,fundamen
ta diuinitus excitentur;& virtutum maxima
rum ſtudia,quæ fuerant exſtincta , reuiuiſcãt;
& cæleſtis quædam Reſp. Diuinis opibus flo-
rentiſsima rena ſcatur. Immortale autem no
men his Diuinis operibus obtinebis . Omnes
ſiquidem te eo nomine laudibus ſempiternis
afficiẽt,quod mœnia collapſa reſeceris;quod
ſemitas deſertas , & incultas , & virgultis , &
frondibus,obſitas,rurſus aperueris; quod de-
nique viam, quæ ad ſempiternum illud domi-
cilium,& quietas ſedes,terat,& virtutis exem
plo,& pietatis diſciplina,munieris.13 His tan

13 Si auerteris a ſabbato pedem tuum

tis,atq. Diuinis,muneribus,& ornamentis , ſi
officio fungi volueris, exornaberis ; ſi pedem
retuleris,perditosq. animi tui conatus com-
preſſeris, ne in die ſabbati voluntati tuæ obſe
quaris;ideſt,ne,cum omnia tibi ad iuſtitię cul
tum conferenda ſint, aliquo flagitio,ad quod
te nefaria tua cupiditas impellit, quietũ ani-
mi tui ſtatum perturbes,& ira iuſtitiæ ſancti-
tatem polluas. Si hæc omnia diligenter obie-
ris,in ſummo otio, & tranquillitate , delicijs
omnibus afflues , & dies feſtos ſemper agita-
bis,vt Deo gloriam des,debitosq.illi honores
inſtituas,nomenq. illius extollas. Omnia tibi
feliciſsima contingent,ſi hoc vnum præcaue-
ris, ne volũtati tuæ pareas,ne temeritati tuæ
cupiditatis obtemperes,ne ſenſibus tuis indul
geas,ne in viam tuam ingrediaris , neq. deſi-
derio tuo ſatisfacias; aut deniq. verbũ tuum,
quod

quod libido tua ſuggeſſerit,exprimas,& peſtẽ
intus incluſam, verbis enunties. In te enim
omnis peſtis vitæ tuæ conſiſtit; tua volũtate,
tuo conſilio, tua deliberatione,omne malorũ
ſemen continetur; e tua ratione, cum ea eſt
ſpiritus mei ductu, & imperio,deſtituta, om-
nis ſtatus tui pernicies erumpit. Omnis igi-
tur ſalus, & dignitas tua, & omnis ſtatus tui
tranquillitas,omnis denique immortalis, at-
que beatæ vitæ tuæ ratio,in eo eſt poſita,vt te
oderis,tecum pugnes, a te deficias,te fugias,
omneſq. tuos ſenſus deteſteris; vt mihi ſem-
per adhæreſcas,nec officia vitæ cupiditate,&
conſilio tuo,ſed lege mea,meo numine,atque
voluntate,metiaris. 14 Vt autem,cum tuum

13 Tunc delectaberis ſuper Domino

conſilium ſequebaris, & cupiditas tua, qua-
cumque dabat imperium, te rapiebat, omnes
te peſtes,& ærumnæ, circumuallabant; & cu-
ris triſtiſsimis,& doloribus ſummis,temerita
tis,& perfidiæ,pœnas luebas;ſic,poſtquam vo
luntatem tuam deteſtata fueris, teq. totam
ad voluntatem meam contuleris, & ad ductũ
mei ſpiritus applicueris, te cum Domino ve-
hementer oblectabis, & illius ſuauitate per-
frueris. Egoquidem te conueham, & in ſum-
mo terrarum imperio collocabo;fructuq. pa-
triæ hereditatis,quam Iacobo,& illius ſanctæ
poſteritati,promiſi,ſatiabo.Hæc quidem pie-
tatis præmia,fixa, conſtantia, & ſempiterna,
ſunt, nec vllam poſſunt mutationem habere.
Ea namque Dominus futura cõfirmauit,ſem
piternaq. fide,& miſericordia,ſtabiliuit. Qua
re nulla cauſſa eſt, cur vobis admirationem
vllam commoneat; ſi, cum vel inedia corpus
affligitis, vel ad Deum ſupplices preces adhi
betis,is non exaudit, neque vos a malis, quæ
vos vndique circumſiſtũt,educit. Ea namque
pietatis munera, quæ ſunt illi gratiſsima,obi
re contemnitis;&,cum ſummis ſceleribus alli
gati ſitis,in eo operam ponitis,vt adumbratę
religionis officijs,& piaculis, ſi per ſe ſpecten
tur,inaniſsimis,animorum veſtrorum ſordes
eluatis,ſceleſtorumq. facinorum maculas ab-
ſtergatis. Quo fit,vt,cum id in vobis reſideat,
atque inhæreſcat penitus,quod cum illius ſan
ctitate bellum omni odio imbutũ,gerit, nem-
pe,flagitiorum omnium dedecus,& impuriſsi
mæ cupiditatis immanitas, mirum non ſit, ſi
vos ille non modo non liberat, ſed pœnis etiã
diriſsimis inſectatur.

CAP. LIX.

1 Non enim manus illius ita contracta
eſt,vt vobis ſalutem afferre non poſsit; neque
aures illius vſque adeo obtuſæ ſunt,vt ad ora
tionem veſtram patere nequeant: 2 Sed ini-
quitates veſtræ coniunctionem illam,quę fuit
olim vobis cum Deo veſtro,diremerunt;& cri
mina veſtra, illum a veſtra ſalute prorſus ab-
alienauerunt,faciemq. illius, quæ vobis olim
erat valde propitia, penitus auerterunt, ne
preces veſtras admitteret. 3 Manus enim ve-
ſtræ ſanguine infectæ ſunt; digiti veſtri iniqui

3 Manus veſtræ pollutæ ſunt ſanguine.

tatem, & iniuriam,concinnant; labia veſtra
mendacium loquuntur; & lingua veſtra per-
uerſitatem meditatur. 4 Nemo eſt, qui cum 4
iuſtitia proximum appellet, aut ab inſtituto
ſcelere illum auertere conetur. Nullum indi-
cium cum fide fit; ſed in omnibus, potentia,
gratia,metus,cupiditas, fraus,& improbitas
dominatur. Nec enim Deum ob oculos ha-
bent; nec numen illius exhorrent; nec vitam
ſuam illius benignitate, & gratia, muniẽdam
exiſtimant, ſed alias opes ſibi parant, quibus
fortunas ſuas ad omnes caſus egregie tutas
fore confidunt. Ergo,neglecta ſanctiſsimæ re-
ligionis fide, vitæ præſidium in vanitate con-
ſtituunt.

Certatim igitur omnes vanitate niti; ſo-
cium fallere;dolum machinari; ſollicite frau-
dem concipere; ſcelus & iniquitatem, edere.
5 Sed,quid tanta cura,ſtudio, ſollicitudine, il- 5
lis ad beatæ vitæ ſummam profectum fuit?
Nihil certe.Immo, quo magis, ut eſſent opi-
bus opulenti,& beatæ uitæ compotes,ſe labo-
re contriuerunt,eo magis exhauſti, magiſq.
miſeri ſunt, maioremq. ex labore ſuo peſtem
trahunt; ita, ut non modo ſint omnes illo-
rum conatus inanes, & irriti,uerum etiam il-
lis ipſis peſtilentes,atque pernicioſi: Oua aſpi
dum excuderunt;araneæ telas texuerũt. Qui
eorum oua comederit, morietur; qui illis in-
cubuerit, baſilici fetum ſuſcipiet. Ergo,cum
prima ſceleris inſtitutio exitiũ afferat, ipſius
certe perfectio, & abſolutio, ſtragem omniũ
rerum faciet, uniuerſumq. ciuitatis ſtatum
morſibus uenenatis interimet. 6 Ex eorum 6
enim telis non poterit ueſtis ulla confici, quæ
corpus contegat, & a cæli iniuria defendat.
Opera omnia, quæ moliũtur,inania ſunt. Ma
nibus ſuis fraudem concinnant; ſcelus con-
flant; per uim iniurias inferunt. 7 Pedes eo-

7 Pedes eorum ad malum currunt.

rum ſunt ad malũ alacres,& expediti; ut ſan-
guinem hominum piorum effundant,feſtinan
ter accelerant; &, cum ad rectum officium
fungendum pigerrimi ſint, ad ſuſcipiendum
ſcelus mira quadam alacritate feſtinant; at-
que ſemper ad facinus obeundum, ſe prom-
ptos,& paratos exhibent. Omnes illorum co
gitationes,ad iniquitatem,& iniuſtitiã,adipi
ſcant; omniaq. uitæ ſtudia eo conferuntur, ut
uaſtitatem efficiant;aliorumq. opes frangãt;
omniaq. tandem immaniſsime populentur.
8 Totam viam pacis ignorant; a iudicij ſan- 8
ctitate penitus auerſi ſunt;tantoq. ſtudio om-
nes iudicij rationes deprauant, & officij vias
peruertunt, vt omnibus, qui ſemel in illas in-
greſsi fuerint, neceſſe ſit a via pacis aberra-
re,omneq. ſtudium ſuum ad dirimendam ge-
neris humani ſocietatem, & Remp. funditus
euertendam, conferri.

9 Idcirco iuris Diuini ſanctitas a noſtris fi- 9
nibus commigrauit, & iuſtitia ſeſe procul a
nobis abduxit. Exſpectabamus lucem;& tenẽ
bræ nobis effuſæ ſunt: Diuini auxilij ſplendo-
rem nobis pollicebamur;at,atra quædam ca-
ligo

ligo mentes noſtras oppreſsit. 10 Ideo in re-
bus clariſsimis alucinamur; myſteriaq. diui-
næ benignitatis ignoramus;&,tamquam cæ-
ci,parietem palpamus; &,quaſi ſimus oculis
orbati, ita omnia circũquaque manibus ex
ploramus, vt offenſionem deuitemus. Et ta-
men in meridie, quaſi noctis tenebris offenſi,
concidimus;&,tamquam mortui, in vaſtis lo
11 cis,atque tenebricoſis,proiecti ſumus. 11 Vt
vrſi,cum lugubri querimonia, omnes nos fre-
mitum edimus;&,vt columbæ, frequenter in-
gemiſcimus. Spem habebamus, vt Dominus
iudicio ſuo in hoſtium noſtrorum immanita-
tem acerbiſsime vindicaret: quæ tamen ſpes
nos fruſtrata eſt. Salutẽ nobis proponebamus
ea tamẽ procul abſceſsit. 12 Nam multis mo-
dis, o Domine, in te rebelles,& contumaces,
exſtitimus;ſpirituiq. tuo nefarie,& impie,re-
pugnauimus;& iccirco criminum noſtrorum
pœnas grauiſsimas ſuſtinemus. Nam perfi-
diæ, rebellionisq. noſtræ nos aſsiduæ pœnæ
perſequuntur;& iniquitates noſtras nobis in-
13 feſtas eſſe ſentimus. 13 Hoc enim noſtrum ſtu
dium eſt;legem tranſgredi;repagula iuris ef-
fringere; ficto animo pietatis inanem ſpeciẽ
retinere;retrorſum a Dei cultu cõuerti,debi-
tamq. illius numini fidem ſcelerate violare;
calumniam intendere; omnibusq. modis a
pietate deficere; rectum officium prodere;
contumelias intorquere; & animo mendacia
comminiſci; atque ad hominum perniciem
fraudes callide machinari. 14 Ergo iudicium
iniquitatis magnitudine ſuperatum retroceſ
ſit; & iuſtitia repulſa in longinqua tandem re
gione cõſtitit. Nam veritas in hominum con-
uentu,& celebritate,prolapſa corruit,& æqui
15 tas ingredi recta nequiuit. 15 conſtantia in
promiſsis,atque fides,euanuit:qui vero a ma
leficio manus abſtinuit, aliorum præda fuit.
Omnes enim illum, qui iuſtitiam colit; ſpo-
liandum, omnibusq. fortunis euertendum,ſu
16 ſcipiunt. 16 Vidit hæc Dominus, & tantis ſce
leribus grauiſsime commotus eſt,eo quod nul
lum iuris,aut recti iudicij, veſtigium apud ho
mines, quos ipſe legis ſuæ diſciplina deuinxe-
17 rat,appareret. 17 Et circũſpexit, neminemq.
vidit,in quo aliquod officium reſideret; & ob-
ſtupuit,neminem eſſe,qui iuſtitiæ cauſſam ſu-
ſciperet; ſeq. medium interponeret, vt illius
numen reliquis,& pijs precibus,& ſanctitate,
placaret. Nullis igitur hominum meritis obli
gatus, nullis virtutibus illectus, ipſe ſolus ab
omnium hominum fide derelictus, in gloriæ
ſuæ cauſſam acriter ingreſſus eſt; ipſeq. ſolus
ſibi præſidio fuit,ſalutemq. ſuis peperit;robo-
req. ſuæ virtutis innixus, hoſtes ſuos impreſ-
ſione peruertit; nomenq. ſuum ab obſcurita-
18 te,& ignominia,vindicauit. 18 Se quidem iu-
ſtitia, quaſi lorica, muniuit, & capiti ſalutem
quaſi galeam aptauit; ſtatum ſuum,vlciſcendi
ſtudio,tamquam veſte,contexit; &,quaſi pal-
lium, acrimoniam iuſtiſsimæ indignationis

12 multiplicatæ ſunt. n. iniquitates noſtræ.

14 Conuerſũ eſt retrorſum iudicium.

Et ſaluauit ſibi brachium ſuum.

induit,vt hoſtis ſempiterni tyrannidem dele-
ret,& eos,qui rebellionem, & contumaciam,
illius imitantur, impetu facto,profligaret.
19 Nec enim ſecus, atque is, qui grauem ab 19
hoſtibus importunis iniuriam accepit,& acri
vindictæ cupiditate concitatur, ad vicem red
dendam, & iniuriam vehementiſsime perſe-
quendam,impijs,& ſceleratis,hominibus,qui
inſulas incolunt,hoc eſt, qui a cæleſti ciuitate
longiſsime diſsident,& perturbationum om-
nium turbidis fluctibus alluũtur, ſæuiſsimaq.
tempeſtate quatiuntur, pœnas debitas red-
det; ſuppliciaq. dira conſtituet. 20 Itaq. Iu- 20
dæis,propter perfidiam,euerſis, & afflictis,&
maxima ex parte conſumptis,gentes vltimę,
tam quæ ad ſolis occaſum ſpectant,quam quę
ad ortum ſitæ ſunt, ad Domini ſe imperium
adiungent; illiusq. numen metuent; & gloriã
laude perpetua celebrabunt. Vt enim fluuius,
coactis vento vehementi pluuijs, quo angu-
ſtius fluit,eo ſe vehementius incitat, atque ſu
per ripas effuſus arua etiam remota fecun-
dat; vtq. poſsit obiectis molibus in alium cur-
ſum deflecti, & contorqueri, non poteſt tamẽ
impetus illius impediri,quo minus agros inũ
det; ſic numinis cæleſtis curſus,vt obiecta gen
tis Hebrææ perfidia priſtinum alueum aliqua
ex parte deſerat,non tamen impetus illius ſu
ſtineri poterit,quo minus omnia obſtantia di
ſturbet, atque diſijciat, & gentium aliarum
animos inducta fecunditate lętificet. Facilius
enim erit, fluuium in fontes contrario curſu
conuerti, quam Diuini ſpiritus affluentiam,
ſine fructu,ad initium,vnde profluxit,remea-
re. In maximo igitur impiorum hominum
exitio, & vaſtitate maxima, piorum copia
repente orietur; & Diuinum quoddam virtu-
tis inſolitæ decus exſiſtet. Et,cum ſeueritatis
Diuinæ vis ſolito vehementior, & acrior, ap-
parebit; tum multo maius, & admirabilius,
Diuinæ benignitatis,& gratiæ, documentum
erit in omnium oculis conſtitutum.
21 Hoc autem non erit hominum meritis tri 21
butum, (nulla enim exſtare poterũt,quæ Deũ
a puniendi ſeueritate deducant) ſed meritis il
lius vnici liberatoris, atque religioni,conceſ-
ſum. Veniet enim tandem in Sion ille liberta-
tis humanæ vindex, qui ſalutem, & dignitatẽ
amiſſam reſtituet; & ſceleſtum rebellionis fa-
cinus, quo ſe Iacobi progenies contamina-
rat, expiabit; omniumq. ſcelerum maculas
abſterget. His quidem verbis Dominus, &
impios exterret, & omnibus, qui fide Chri-
ſti ſubnixi ad eum acceſſerint, opes immorta
les oſtendit. 22 Fœdus quidem, inquit Domi-
nus,quod cum illis ſanciam, non erit in tabu-
lis lapideis inciſum; ſed in animis exaratum.
Erit enim non lege,ſed ſpiritu meo ſancitum.
Hic enim idem ſpiritus,qui te incendit,& in-
citat, in eorum præcordijs inſidebit; verbaq.
mea, quæ numine, & inſtinctu meo pronun-
tias, fœderis mei vim ſempiternam confirma
bunt,

Et veniet Siõ redemptor.

22 Hoc fœdus meum cũ eis.

Hæc quidem Iſaias, ſub Domini per-
ſona, de futura Eccleſiæ felicitate diſſe-
ruit. Tum in eos, per quos primum fun-
damenta pietatis iacta ſunt, qui, Ieroſo-
lymis profecti, celeritate incredibili ter-
ras omnes, vt illi cæleſtem diſciplinam
traderent, lætiſſimaq. iuſtitiæ munera tri-
buerent, peragrarunt, intuens, incredi-
bili admiratione commotus, exclamat.

8 8 Qui ſunt, inquit, iſti, qui vt nubes volant;
&, vt columbæ, in columbarij feneſtras toto
impetu feruntur? Vt enim nubes pluuias de-
mittunt, quibus e terra lætiſsimas fruges eli-
ciant; ſic iſti doctrinæ cæleſtis imbre morta-
lium animos irrigant, atq. molliunt, vt, fidei
ſeminibus conſiti, iuſtitiæ maximos, & vber-
rimos, fructus efferant; &, perinde atq. colum
bæ, maxime autem, cum auis infeſta in illas
inuadit, vnum in locum præpeti volatu com-
pelluntur, nec longius a locis columbario fi-
nitimis euagantur; ſic iſti ſe, ſuosq. pullos, in
vnum locum, id eſt, in vnam fidei confeſsio-
nem, cogunt, incolumitatemq. ſuam eccleſiæ
muris, & ſoliditate, tuentur, neq. ſuos ab illius
finibus abſcedere patiuntur. Itaq. in fene-
ſtras ſe cõferunt, vt inde hoſtium inſidias ſpe-
culari, & loca, in quibus ij, quos fouendos, at-
que nutriendos, ſuſcepere, tuto paſcantur, ex-
9 Me enim Inſulæ exſpectabant. plorare poſsint. 9 Me enim, inquit Dominus
gentes intuebuntur; in meaq. benignitate vi-
ræ præſidia collocabunt; Phœniciæ naues, &
omnes opes humanæ, quæ nunc a nomine
meo penitus auerſæ ſunt, & a meis ſacris ab-
horrent, mihi ſeruient; vt a longinquis etiam
finibus tuos filios adducant; vt omnes cum
auro, & argento, conueniant, nomenq. Domi-
ni laudibus in cælum efferant; & illius ſancti-
tatem, qui te gloriæ Diuinæ ornamentis af-
fecit, cum incenſa fide, rerumq. cæleſtium, at-
que Diuinarum, cognitione, cum eloquentiæ
ſplendore, & magnitudine, concelebrent. Hoc
enim eſt illud aurum, quo templum Domini
fulget; hoc argentum, quo nomen illius in om
ni æternitate prædicandum in terris illuſtra-
10 tur. 10 Olim quidem omnes exteræ nationes
in te impetum faciebãt; muris tuis machinas
admouebant; propugnaculaq. tua diruebant:
Tunc vero longe ſecus erit. Alienigenæ enim
gentes muros tuos excitabunt; & reges tibi
miniſtrabunt. Alij namq. ſanctitatis egregiæ
exemplo, alij diſciplinæ ſeueritate, alij ſcri-
ptis, atq. monumentis, alij deniq. alijs opibus,
operam dabunt, vt diſiecta pietas excitetur,
exſtincta religio inſtauretur, fidei, & officij,
propugnacula reparentur. Ipſe namque, qui
infenſus tibi fui, itaq. te mea ſauciaui, te cle-
mentia mea ſanabo, opibusq. gratiæ meæ re-
11 ficiam. 11 Portæ tuæ perpetuo, noctes atque
dies, patebunt; nec vnquam claudentur, vt nu
merus ciuium tuorum adiuncto gentium ro-
bore multiplicetur; & reges etiam, cum ipſa
gentium multitudine, ad te perducantur.
12 Gentes enim, atq. regnum, quod fidem, & 12
officium tuum, ſecutum minime fuerit, & tibi
nõ obedierit, interibit; & nationes a pietate,
cuius ſtudium profiteris, abhorrentes, exſcin
dentur. 13 Omnis amœnitas, & pulchritudo Li 13 Gloria Libani ad te veniet.
bani ad te conuehetur; abies, ſimul cum buxo,
atque pinu, ad nouum cultũ, & ornatum, tem
pli ſancti mei comportabitur; & locum, in quo
pedem poſui, veſtigiaq. meæ benignitatis im
preſsi, inſigni gloria cumulabo. Nec enim tẽ-
pli lapides, neq. ligna, eiuſmodi erunt, quę poſ
ſint, vel machinis conuelli, vel ferro exſcindi,
vel coniectis ignibus inflammari. Non igitur
vllam materiam improbis nominis mei indi-
gna calumnia deformandi ſuppeditabunt,
quod templum meum hoſtium immanitate
exſcindi, & exuri, permiſerint. Erit enim, &
omnis illius materia templi ſempiterna, &
ipſum templum opibus Diuinis exſtructum,
ſempiternisq. gloriæ monumentis æternitati
conſecratum. 14 Eorum filij, qui te vexabant, 14 Et venient ad te curui filij eorũ, qui humiliauerunt te.
ad te venerabundi, atque ſupplices, accedent;
&, qui nomen tuum maledictis omnibus con-
figebant, ſeſe ad pedes tuos abijcient; voca-
buntq. te ciuitatem Domini, & Sion montem
numinis ſummi illius Dei, in cuius præſidio ſa
lus veri Iſraelis tota conſiſtit, religione ſan-
ctiſsima dedicatum. 15 Tunc igitur, quæ fue- 15
ras olim ope mea deſtituta, & in odium mei
numinis incurreras, & ciuium frequentia, &
celebritate, ſpoliata multos annos exſtiteras,
ad quam nemo, propter inſitum odium, diuer
tebat, a me repente gloriæ immortalis orna-
mentis illuſtraberis; ſempiternoq. gaudio 16
cumulaberis; 16 gentium opibus, quaſi la-
cte, nutrieris; & regum benignitate, quaſi
matris amantiſsimę diſtentis vberibus, ſuſten
taberis; ingenio, litteris, opera, induſtria, fa-
cultatibus, multarũ nationum, & principum
etiam, ſummis beneficijs amplificaberis; &
experiundo cognoſces, me eſſe Dominum
Deum, qui tibi ſalutem attuli; patremq. tuum
Iacobum virtute mea multis in locis ab exi-
tio redemi; intelligeſq. tandem, omnium mor
talium fidem, qui patris tui veſtigia fuerint
perſecuti, & a pietatis officio minime deſci-
uerint, eſſe ſalute, atq. dignitate, ſempiterna 17
remunerandam. 17 Pro ære, quo ſpoliata fui-
ſti, aurum tibi reddam; pro ferro argentum re
ſtituam; pro lignis, atq. lapidibus, æs, atq. fer-
rũ, tibi reponam; efficiam denique, vt ſis & ve-
ris opibus opulentior, & aduerſus omnem im
petum belli munitior. Pro adumbratis enim
opibus & ornamẽtis, quibus olim culta fuiſti,
veris ornamẽtis redundabis, & pro mœnibus,
quibus circũdata, nõ ita magno tempore a te
hoſtium impetũ repuliſti, inuicto præſidio mu
nieris. Pro carnis enim circũciſione, fidẽ am-
plexaberis; pro legis piaculis, puritatẽ Dei gra
tia partã retinebis; pro cęrimonijs, & reliquis
ſacris

ſacris inſtitutis , memoriam Diuinę benefi-
centiæ conſeruabis ; & pro ædificijs interitu-
ris,ædes,& mœnia,quæ numquam vel ab ho-
ſte dirui, vel ſenio conſumi, poſsint , ædifica-
bis.Sic igitur,pro inſtitiæ vmbris,& imagini-
bus,ſolidæ inſtitiæ, & ſanctitatis , ornamenta
conſequeris;& pro pace,ætatis exiguæ ſpatio
definita,ſempiternam pacẽ habebis.Pax ipſa
Reip.tuæ gubernacula tractabit; ipſaq. iuſti-
18 Nō audietur vltra iniquitas in terra tua. tia te lege ſalutari deuinciet . 18 Non igitur
amplius rapinæ mentio fiet in terra tua ; nec
vlla vaſtitas , & exitiũ,inferetur finibus tuis .
Salutis namque præſidio,quaſi muro,mnnie-
ris;portæq. tuæ,non militari ſtrepitu, ſed Di-
19 uinis laudibus,perſonabunt. 19 Lux illa , qua
perfrueris, non erit ea,quam Sol exoriẽs lon
ge lateq. diffundit;nec dies tuus, erit illius ce
leberrima conuerſione terminatus;nec Lunæ
lumen id erit,quod tibi in tenebris illuceſcet.
Ipſe namq. Donuinus erit tibi lux ſempiter-
na;Densq. tuus mentem tuam lumine ſempi-
20 ternæ gloriæ decorabit . 20 Sol igitur tuus
numquam occidet ; & Luna tua numquã ſeſe
ab oculorum tuorum adſpectu remouebit.Do
minus enim ipſe,& in ſecundis, & in aduerſis,
rebus,te ſempiterni ſplendoris radijs illuſtra
bit ; diebusq. mæroris , atque caliginis tuæ ,
erit tandem finis impoſitus . Non Solem igi-
tur iſtum animantibus cunctis expoſitum in-
tuebere ; nec ex luce iſta , quæ corporibus of-
funditur , magnam ſane iucunditatem perci-
pies . Ille tibi erit Sol clariſsimus , illa lux in-
cundiſsima,quæ mentem tuam ęrroribus in-
finitis liberabit,& rerum Diuinarum notitia
colluſtrabit;& rectæ iuſtitiæ via ad beatam vi
tam perducet.In hanc enim lucem e tenebris
emerſa , cum iucunditate reſpicies : hæc tibi
viam monſtrabit , hæc te ſummo gaudio , at-
21 que ſtabili voluptate,perfundet . 21 Hac illu-
ſtratus populus,ſanctitatem vnice colet; om-
nesq. ciues tui,iuſtl erunt;illamq. ſempiternã
hereditatem,propoſitam iuſtis,adibunt. Nec
ille iuſtitiæ cultus,nec probitatis lumen,quod
in eis lucebit,erit humanis opibus, & ſtudijs,
adſcribendum ; ſed meæ gratiæ,& eximiæ be-
nignitati,tribuendum . Nec enim terra plan-
tas eiuſmodi fundit ; nec hominum cultura
poteſt tantam amœnitatem in res humanas
inducere. Hi flores lætiſsimi opera mei ſpiri-
tus exſtiterunt. Ego has arbores iuſtitiæ ma-
nu mea conſeui,& hunc cultiſsimum hortum,
ad gloriam meam illuſtrandam , diligenter
22 minimus erit in mille. inſtitui. 22 Non igitur erit vmquam,ptopter
ſterilitatem, incultus; ſed innumerabilem ſo-
bolem , egregia cultura nitentem , propaga-
bit. Ex parentis enim humilis,& obſcuri,ſtir-
pe maximus liberorum numerus pullulabit ;
& e radice hominis tenuis, & imbecilli , gens
fortis exſiſtet,;ne quiſquam,quod meo numi-
ne gerendum eſt,ad vim naturæ reuocare poſ
ſit. Iam huius tantæ feliciratis maturitas ap-
propinquat. His enim tam admirandis operi
bus, inquit Dominus , miram celeritatem
adhibebo .

Hæc quidem de beneficijs ampliſsi-
mis,quibus erat ſanctorum hominũ Reſp.
afficienda , prædixit Dominus . Tum de
ſe,tamquam de veriſsimo totius felicita-
tis auctore, ſecundum rationem humanæ
naturæ , quam erat aſſumpturus, clariſsi-
me diſputauit; myſteriumq. ſalutis huma
næ in piorum oculis,atque mente,defixit.
Sic enim adiunxit : CA. lxj.

1 SPIRITVS Domini in me inſidet , vt 1
animum meum erudiat, & ad Regia munera
ſapienter obeunda , & ad Remp. feliciter ad-
miniſtrandam,viribus Diuinis impellat . Ipſe
namque me Regem populo ſuo præfecit, non
tamen ita,vt caput meum vnguento illo, quo
Reges olim,legis inſtituto, perfuſi ſunt, obli-
neret; ſed Diuini ſpiritus vnctione ſplendidiſ-
ſima mentem meam illuſtraret,Diuinarumq.
virtutum odoribus,atque mirifica ſuauitate,
compleret. Nec enim par erat,vt verus Rex,
non vera , ſed adumbrata , vnctione niteſce-
ret;Regnumq. ſempiternum non ſempiternã
ſuauiſsimi odoris fragrantiam,ſed fluxam,&
interituram,diffunderet. Regnum autem hoc
non eſt conferendum ad hominum perniciẽ ,
& vaſtitatem,nec ad populi mihi ſubditi ſerui
tutem, qualia ſunt ea, quæ hominũ dominan-
di cupidorum inſania comparantur : ſed ad
hominum ſalutem , atque libertatem . In hoc Ad annũtiandum manſuetis, miſit me.
enim miſſus a patre ſum, vt læta, atque iucun
da,abiectis,& afflictis,annuntiem: vt vulnera
eorum, quorũ animi ex ſceleris admiſsi con-
ſcientia dolore conciſi ſunt,obligem: vt liber-
tatem graui ſeruitute oppreſsis oſtendam: vt
vinctos e vinculis eximam : & tenebris inclu-
ſos in lucem reſtituam : 2 vt denique,tempus 2
illud votis omnibus expetendum aduenisse ,
prædicem , quo tempore ſummi Dei numen
eſt hominum generi placandum , & ſuppliciũ
de hoſtibus illius acerbiſsime repetendum .
Hominum igitur ſalute , atque libertate , per
Domini gratiam,conſtituta, hoſtibusq. fundi
tus euerſis,& Diuina vindicta conſumptis,re-
liquum erit,vt mæror,atque luctus,omnis de-
ponatur. 3 Hoc enim eſt mihi munus , & offi- 3
cium,delegatum,vt eos,qui pertinẽt ad mon-
tem Syon,hoc eſt, eos, qui cum fide viuunt, &
ſeſe pijs lacrymis,atque lamẽtis, aut propter
Reip. ruinam,aut propter commiſſa flagitia,
dediderunt,e ſordibus excitem, atque lætitia
mirabiliter afficiam : vt videlicet dem illis ,
pro ſordibus, & ſqualore, decus, & honorem:
pro luctus acerbitate, iucundiſsimi vnguenti
nitorem : pro ſpiritu deiecto , atque mæroris
acerbitate contracto, Diuinum gloriæ cultũ,
& ſummam gratię Diuinæ prædicandæ , im-
mortaliq. laude celebrandæ,materiã. Nouus,
Diuinusque,in illis ornatus orietur;ita,vt ni-
hil

Digitized by Google

hil in eis appareat, quod non ſit totum ad ma
gnirudinem Diuinæ benignitaris, & clemen-
tiæ,referendum. Appellabuntur autem arbo-
res iuſtitiæ, Diuinæq. planræ,quas Dominus,
ad ſui numinis gloriam, ſua manu conſeuit.
4 Hi igitur erunt meæ Reip.Principes;huma
niq. generis rectores, & moderatores; or-
bem terrarum doctrina cæleſti luſtrabunr; &
homines flagitijs inſames, a veri Dei cultu

*Aedificabunt deſerta a ſæculo.*

penitus abhorrentes,ab impuritate, & ſcele-
re,ad honeſtatis, & ſanctitatis, ſtudium tra-
ducent. Ea, quæ multis ante ſæculis proſtra-
ta,& dirura,fueranr,reparabunt; &,quæ olim
grauiſsimis ruinis oppreſſa conciderant, ex-
cirabunt; vaſtatas, atque deſertas,ciuirates
ſempirerno ciuium cultu, atque frequenria,
5 renouabunt. 5 Vobis, o Legari mei, qui ter-
ras vniuerſas peragrabitis, vr nomen meum
vbique prædicetis, multi alienigenæ operam
dabunt; gregesq. veſtros paſcent; vineas, &
arua veſtra colent; ſummaq. ſedulitate cura-
bunt,vt grex, cui illos præficietis, opimis iu-
ſtitiæ pabulis ſaginetur; & innumerabili mul-
titudine ſobolis augeatur; & ſundi veſtri,
qnos illis colendos rradetis, nitidiſsimi ſinr,
vberrimosq. pietaris fructus efferant; vt ſem-
per inſignem ex illorum fertilitate, & copia,
6 voluptatem capiatis. 6 Vos, reliqui fideles
inruebuntur;veſtrumq. imperium,& auctori-
tatem,ſequentur; veſtramq. ſapientiam con-
ſulent; pietate veſtra nixi, confidentius ad

*Vos autem ſacerdotes Domini vocabimini.*

Deum adibunt. Ampliſsimum enim ſacerdo-
tium obtinebitis; ſanctiſsimeq. munera om-
nia religionis adminiſtrabitis; vt Deum reli-
quis hominibus,& precibus,& ſanctitare, pla
cetis;hominumq. genus cum Domino coniũ-
gatis; illoq. pabulo ſuauiſsimo alenrur animi
veſtri, quod eſt in vigenti gentium fide atque
Diuinæ virtutis robore, conſtitutum. Hoc
enim ardenter optabitis, vt multæ gentes,
opera veſtra, a vitæ prauirate ad caſtiſsimæ
religionis ſtudium conuertantur; earumq.
pietare,quaſi cibo iucundiſsimo, vos oblecta-
bitis;& in illarum decore gloriabimini.
7 Pro ignominia, quam pro mei nominis am
plitudine, & dignitate, inter genres, ſuſcepi-
ſtis, gloriam omnibus ornamentis Diuinis
egregie cumulatam, conſequemini; &, pro
maculis, quibus multæ nationes veſtrum
ſplendorem adſperſerunt, æternum vobis in
earum regionibus nomen, & decus, compa-
rabitis. Perficiam certe, vt in omni celebri-
tate,& conuentu, hominum, quos hi Diuini
viri informandos, & cæleſtibus inſtirutis inſti
tuendos, ſuſceperunt, lætiſsimæ acclamatio-
nes audiantur; & nomen meum, opera eo-
rum,cum inſigni omnium voluptate,celebre-
tur. Omnes enim erunr in cæleſti parrimonio
collocati,& ij,qui ſeſe excellenrius in pietaris
ſtudio geſſ-rinr, multis partibus amplificatã
hereditatis ſempiternæ poſſeſsionem retine-
bunt; ſempiternaq. lætitia efferentur. 8 Ego
enim ſum Dominus, qni recto iudicio veram
animi pietatem ab imagine aſsimulatæ pie-
tatis internoſco;&,quemadmodum veram iu
ſtitiam amore ſummo complector,ita iniqui-
tatem in ſpecie fictæ religionis latẽrem,acer-
be,atque penitus,odi. Non igitur in animum
inducat,qui viram criminibus infinitis conta
minar,fieri poſſe,vt ſacrificijs illius inflectar.

*8 quia ego Dominus diligens iudicium.*

Nec enim terrenis muneribus animi ſordes
eluuntur; nec numen meum,improbitatibus,
& rapinis, infenſum, ficta religione placarur.
Quinimmo tunc maius odium aduerſus ini-
quirarem accipiam,cum aliquis non ſecus de
me,atque de impuriſsimis hominibus opina-
tnr; & exiſtimat futurum, vr, proprer illius
munera, me ab iniquitate puniẽda conrineã,
ſi,quaſi cum illo ſceleris ſocietatem inierim,
ita mecum prædæ partem diuidar. Qui igitur
mihi placere ſtuder, non legis piaculis effera-
tur; nec ſacrificijs immolatis inſoleſcat; nec
arbitrerur iniquitaris maculas penitus inu-
ſtas adumbrata religionis ſanctitate deleri;
neque denique legis vmbris,ſed ardenti fide,
nitatur. Hos enim amo,his benignitate mea
proſpicio,qui iniquitatem peius omnibus ma
lis oderunt; meq. vera fide venerautur,& co-
lunt. Hi namque ſoli non fruſtra,& inaniter la
boraut. Erit enim eis firmum, & ſtabile,præ-
mium operis a me perſolutũ; ſempirernumq.

*Et dabo opus eorum in veritate.*

fœdus cum illis ſeriam,vt illi me ſolum Deum
habeant; in meaq. benignitate omnia ſalutis
præſidia,& dignitatis ornamenta,conſtituãt;
& ego illos ope mea clementiſsime tuear;
& eorum fidem ſempirernis gaudijs, & glo-
ria immortali, remunerem. 9 Horum filij, 9
hoc eſt, genus hominnm eorum inſtitutis eru
ditum, & exemplis ad pietatem inflamma-
tum, erit inter omnes gentes inſigne; & faci-
le,quantum dignitate reliquis antecellat, ap-
parebit; omnisq. illorum poſteritas, qnæ vi-
delicet illorum veſtigijs ingreſſa fuerit, in
omnibus populis egregijs virtutum omnium
muneribus illuſtrabitur; vt omnes, in eorum
vitam oculos conijcientes,illis ſanctitatis, &
iuſtiriæ, teſtimonium dare cogãtur, eorumq.
pietate penitns animaduerſa, commoti, mi-
hi gloriam tribuant; & dicant: En populus,
quem certe Deus diuinis muneribus, & orna
mentis, affecir, & ſummis opibus egregie lo-
cupletauit. His quidem verbis Dominus,om
nibus, qui fidem amplexi fuerint, opes Diui-
nas pollicetur; & ſpem cuiuſdam Diuinitatis
oſtendit. 10 Gaudio igitur inſigni cumula- 10
bor; animusq. meus in Domini benignitate
incredibiliter exſultabit. Pulcherrimo enim
me veſtitu ſalutis induir; & Regio iuſtitiæ
ornatu contexit; &, quaſi ſponſum, magni-
fico cultu, ſplendidisq. ſummæ dignitatis in-
ſignibus, honeſtauit; &, tamquam ſponſam,
elariſsimis in omni genere eleganriæ monili-
bus, & ornamentis, excoluit. 11 Sicut enim 11
fertilis,& opima, tellus læta gramina produ-

cit; & quemadmodũ hortus amœnus omnia, quæ ſunt in illo ſata, procreat, magnumq. in dies incrementum plantis affert; ſic Dominus in oculis omnium gentium iuſtitiæ ſemen ſparget, vt virtutum omnium laudibus efferatur.

1 Cap. LXII

1 TANTVM, inquit Dominus, mihi cordi eſt ſalus, & dignitas, populi mei, vt omnes meas actiones eo dirigam, vt illum e ſeruitute peccati liberem, & Diuinæ iuſtitiæ ornamentis afficiam. Si igitur illum minis exterreo; ſi ſpe præmiorum, atque beneficiis, allicio; ſi tantam operam, & ſtudium, in hominibus erudiendis nauo; ſi hoſtes illorum acri impetu retundo; ſi denique eo me demitto, vt labores etiam innumerabiles, & indigniſsima perditorum hominum conuicia, ſuſtineam; in eum finẽ hæc omnia perfero, vt hoc tandem opus, omnium maximum, atque pulcherrimum, effectum reddam; meorumq. animos iuſtitiæ ornamentis excolam; in eorumq. mentibus clariſsimam meæ ſanctitatis ſpeciem inſculpam; eoſq. omni ſollicitudine liberos in quieta iuſtitiæ poſſeſsione conſtituam. Non igitur a labore, quem in hoc munere perficiendo ſuſcepi, conquieſcam; nec ſtudium ciuitatis meæ conſtituendæ, & opibus immortalibus excolendæ, intermittam; donec illius iuſtitię tanquam cæleſtis quidam fulgor oriatur; & lumen ſalutis illius, quaſi ſidus, ſplendeat.

2 2 Non igitur erit ea claritas Eccleſiæ ſanctæ, quæ finibus exiguis circumſcribi, & terminari, poſsit; ſed quæ latiſsime in oras etiam longinquas effundatur, multorumq. hominum oculos ſplendoris magnitudine perſtringat. Gentes innumerabiles, o ciuitas Dei, in iuſtitiæ tuæ decus intuentes admirabuntur; omneſq. reges amplitudinem glorię tuę contemplabuntur; nec nomen iſtud, quo nunc appellaris, ſed aliud nouum nomen, obtinebis, quod tibi Dominus imponet, quo quidem erit dignitas tua, quam ab illius filio accipies, nominis ampliſsimi notione conſignata.

3 Et eris corona glorię in manu Domini.

3 Spiritus Domini te ſanctiſsimi ſacerdotij gloria decorabit; teque manibus ſuis Regiæ maieſtatis inſignibus exornabit; vt cum amplitudine dignitatis, ſimul, & Deum caſtiſsime venerari, humanumq. genus optimis legibus & inſtitutis, moderari facillime poſsis.

4 4 Non poſt illud tempus appellaberis deſerta, quemadmodum olim, cum vinculo legis adſtricta viuebas, eandemq. legem nefarie perſringebas; nec animorum cultus erit derelictus, vt olim, cum terra tua, quam omnibus maximarum virtutum officiis colere debuiſſes, erat immanium morum aſperitate vaſtata. Nomen enim, quod erit tibi Diuinitus impoſitum, aperte deſignabit, omnem vitam tuam voluntate mea gubernari; nec in te cupiditatem tuam, ſed mei numinis imperiũ, dominari; ita, vt fieri non poſsit, vt a mea coniunctione diuellaris, & terra tua a me neglecta, atque deſerta, relinquatur. Vt enim, cum in te libido tua vigebat, quæ cum legis meæ ſanctitate bellum acerbiſsimo odio imbutum gerit, a me deſerta, atque derelicta, fuiſti; ita, poſtquam, vi mei ſpiritus incenſa, & incitata, cupiditatem tuam compreſſeris, omnemq. vitam tuam ad voluntatem meam applicueris, ita, vt nihil viuat in te, quod poſsit amorem in te meum exhaurire, tũc certe ea tecũ caritate coniungar, quæ nullis vmquam ſæculis dirimetur. Animus itaq. tuus non ope mea deſtitutus, ſed mecum ſempiterni matrimonij fœdere copulatus appellabitur. Non enim te conſilij tui conſiderata temeritas reget; non tuæ cupiditatis immanitas concitabit; tibique vaſtitatem, & exitium inferet; ſed voluntas mea te diriget; numenque, & imperium meum tibi moderabitur; & ita fiet, vt numquam terræ tuæ cultus a me deſeratur.

Vocaberis voluntas mea in ea.

Complacuit Domino in te.

5 Vt enim adoleſcens virginem, quam ardenter amat, cupide in matrimonium ducit; ſic filij tui erunt tibi certo, & ſtabili, matrimonio, atque ſingularis amoris fœdere, copulati: Et, quemadmodum ſponſus, ex ſponſa, quam egregie caram habet, voluptatem capit, & illius ſpecie delectatur, ſic Deus tuus ex te, & ex animi tui decore, & eximiæ virtutis elegantia, voluptatem ſummam percipiet. 5

6 Non ſolum eris igitur a filiis tuis ſummo cum ſtudio culta; verum etiam ope mea, atque præſidio, munita. Muris tuis, o ciuitas ſancta, cuſtodes præfeci; teq. valido angelorum, atque ſanctorum hominum, præſidio cinxi, qui noctes atque dies animis excubabunt. Nec enim patietur communis ſalutis cura, & ardentiſsimæ caritatis ſtudium, vt vllam quietis partem capiant; ſed ſemper vigilent, ne quod improuiſum malum Reipub. ſibi commiſſæ accidere poſsit; & tanta contentione me pro ſalute omnium deprecentur; vt numquam ſileant. Hæc quidem Dominus ait: Vos igitur, ſerui Domini, qui ciuitatis cuſtodiam, & patrocinium, ſuſcepiſtis, omnes animi neruos in curam communis ſalutis intendite; Dei memoriam ad cognitionem inſitæ benignitatis excitate; illum precibus aſsiduis expugnate, vt propitius Reip. fiat. Ne vmquam igitur oratio veſtra conticeſcat; ſed in monitis ſapientiſsimis, & in precibus ſanctiſsimis, omnem vitam conſumite. 6

Super muros tuos Ieruſalẽ conſtitue cuſtodes.

7 Nec ipſi quidem Domino quietis facultatem vllam concedatis; aut ſilendi poteſtatem faciatis; ſed illum orationibus veſtris obtundite; opem maximis clamoribus implorate; inſtate, & vrgete, nec vllo modo precandi, & obſecrandi, ſtudium remittite, donec ſtatum ciuitatis ſuæ conſtituat, Ieroſolymamq. cæleſtem ædificet; & præſenti numine tueatur; atque ſuis opibus egregie cumulatam, 7

ad

Digitized by Google

ad gloriam ſui numinis perpetuis laudibns
tribuendam, exſuſcitet.
8 Iurauit Dominus in dextera ſua.
8 Hoc enim ſanctiſsimum iuſiurandum per
dexteram ſuam, & per virtutis ſuæ robut in-
uictum, iurauit; fidemq. ſuam, quæ mutari nõ
poteſt, ſanctiſsima etiam religione conſtrin-
xit, vt multo fortius, atque vehementius, ſuo-
rum fidem, & ſpem, quam antea, confirmaret.
Hoc enim interpoſito iuramento, futurum
affirmat, ne vmquam frumentum eorum, qui
cenſi in ſancta ciuitate ſunt, ab hoſtibus diri-
piatur, nec eorum vinnm, quod ſummo ſibi la
bore patauerant, inimicis prædæ ſit. Nec
enim erit eorum labor inanis, qui fidem ſan-
ctam habent, & Domini gratia, atque beni-
9 gnitate, fulciuntur. 9 Qui, inquit ille, in colli-
gendo frumento laborauerunt, ipſi eo fruen-
tur, & animis cæleſti cibo ſatiatis Diuinam
beneficentiam ſummis laudibus exornabunt.
Similiter, & qui vinum congregant, illud bi-
bent; ſuauiſsimoq. potu vehementer exhila-
rati, in atrijs meis vota perſoluent. Sancti
namqne ſacerdotes erunt; & in conſpectu
meo muneribus meo numini dedicatis ſatu-
10 rabuntur. 10 Iam tempus huius tantæ felici-
tatis appropinquat; iam fama Diuinæ beni-
gnitatis ad omnes orbis terrarum partes in-
credibili celeritate perueniet; iam inſtat in-
numerabilis hominum multitudo, vt in Do-
Trãſite, tranſite.
mini tẽplnm introducatur: Vos, o diuini viri,
egreſsi porta, confeſtim occurrite, occurrite,
inqnam, gentibus exteris, quæ vndique, vt vo-
bis aggregentur, inflammata fide conue-
niunt. Cutate viam populo; munite viam;
ſaxa ex itinere, ne quidquam remaneat,
quod offenſionem afferat, remouete. Signum
ſublime tollite, ad quod popnli vniuerſi con-
11 curtant. 11 Petficiet enim Dominus, vt in vl-
timas etiam terrarum otas tanti muneris,
atque beneficij, fama peruadat; & apud om-
nes nationes clariſsimnm Chtiſti præconiũ
celebretur. Exſurgite, viri, quos Domini ſpiri
tus incendit; &, quamprimum poteſtis, huic
hominum piorum Reip. nuntium futuræ pro
pediem felicitatis afferte; diciteq. vniuerſæ
cæleſtium ciuium multitudini: Ecce iam tuæ
felicitatis auctor aduentat; mercedemque,
& præmium, operi, quod illius faciem antece-
dit, magnificentiſsime ptoponit; fidemq. ap-
pnlſu illius excitatam iuſtitiæ muneribus am
pliſsimis ornat; opibus Diuinis, atque ſempi-
ternis, opera cum pietate ſuſcepta compen-
12 ſat. 12 Omnes igitur cines tui, quos vnicę fi-
dei conſenſio inter ſe vno iutis, atque carita-
tis, eximiæ vinculo deuinciet, ſancti, Domi-
niq. gratia, & benignitate redempti, nomina-
buntur. Sic antem fiet, vt tu non deſerta, ſed
vltro etiam a Domino appetita, & quæſita,
vt te clementiſsime tueatur, appelleris.

I CAP. LXIII.
Hoc in loco Propheta, cum omnem
mentem in Chriſti virtutem, & res ab il-
lo contta hoſtes Eccleſiæ geſtas, inten-
detet, ipſumq. Dei filium victotia pat-
ta clatiſsimum ttiumphum ducere pro-
ſpiceret, mitificum ſermonem inſtituit.
Sic enim ingenti admitatione perculſus,
exclamat:

1 quis eſt iſte qui venit de Edom?

1 Quinam tandem eſt, qni nunc ex Idumæa, hoc eſt, ex hoſtium immanium regione, reuertitur, & ex eorum ciuitate munitiſsima, qui ſanctam ciuitatem infeſtiſsimis animis perſecuti ſunt, & omnem animi conatum ad pietatis exitium compararunt, ita ſe recipit, vt cædis ſigna, & veſtes cruentis maculis adſperſas, oſtentet? Non enim humanum eſt illius deeus, nec humana ſunt dignitatis inſignia, quibus veſtes illius diſtinctæ, & ornatæ ſunt. Facit enim humanæ naturæ claritas, quæ in illo lucet, & nouum, & inauditum, virtutum omnium decus, quod in illins operibus eminet, vt vis Diuina, atque maximum numen, humano habitu, quaſi velis, obtendi, & animo, atque mente, illius includi videatur. Quam ſplendido ornatu cultus incedit? Quanta roboris magnitudine ſe concitat, &, in quamcunque partem impetum dat, quanta alacritate virtutis inuadit? Si quæris, reſpondet ille, qui ſim, id ex officio, & munere, quod colendum, & efficiendum, ſuſcepi, plane cognitum, & exploratum, habere poteris. Ego ſum Doctor iuſtitiæ, qui omnes ad me adeuntes, pietatis, Diuinæq. virtutis, muneribns inſtruo; ego idem, qui virtutis amplitudine, inuictiq. roboris magnitudine, ſalutem omnibus affero, qui præſidio meæ benignitatis innituntur.

Ego, qui loquor iuſtitiã.

2 Maxima ſane, inquit Propheta, & Regia, atque plane Diuina, munera. Quis enim, vel iuſtitiæ diſciplinam tradere, & ab importnnitate cupiditatis ad ſanctitatis veriſsimæ cultum traducere poteſt, niſi ſummum illud iutis, & æquitatis, principinm, totiusq. iuſtitiæ fons, & origo? Quis ſalutem dare, ſuosq. perpetuo ab omni clade, & exitio, tntos, & incolumes, conſeruare, præter illum, cuius immenſa poteſtas, atqne ſempiterna fides, non poterit vmquam vllis hoſtium viribus impediri, aut dolis, & fraudibus, a ſnorum præſidio dednci? Vim igitur ſummi, & ſempiterni, numinis, in quo omnis recta morum diſciplina, & ſalus animorum, conſiſtir, agnoſco; ſed illud admiror, cultum iſtum, quem video, cum officio, quod præcipue profiteris, & quo maxime gloriaris, minime conſentire. Doctoti namque iuſtitię, atque ſalutis auctori, non ctuētæ veſtes, ſed candidæ, atque puræ, cõueniunt. At ego cõſpicio totam veſtem tuam cruẽtis notis adſperſam, ſanguineiſq. maculis infectam: qui cultus ma-

quare rubrũ eſt veſtimentum tuum.

gis decet Imperatorem, omnẽ dignitatem ex hominum ſtrage, & rebus in bello fortiter geſtis, acqnirentem, quam principem clementiſſimum, hominum ſaluti, & otio, conſulentem. Sic enim ſanguine tinctus es, & veſtis tua adeo eſt notis rubri coloris illita, atq. ſi vuas in torculari conculcaſſes; muſtoq. totum cultum corporis infeciſſes.

3 Torcular calcaui solus

3 Recte ſane, inquit ille. Nec enim abſque hoſtium immanium ſtrage meorum ſalus poterat vllo modo cum dignitate conſtitui. Non ſolum igitur in rectores tenebrarum, & tartareæ regionis principes, ſed in homines etiam, qui partes illorum ſequuntur, & meos ciues impugnant, inuaſi. Nec ſecus illos compreſſi, atque ij, qui muſtum exprimere volunt, vuas conculcant. Ego ſolus, abſque vllis humanis opibus, hanc inſignem victoriam conſecutus ſum, & hoſtes meos attriui. Nec enim in hoſtibus profligandis, & eijciendis, & exitio conſumendis, humanæ auctoritatis, vel dignitatis, vel eloquentiæ, vel humanarum denique facultatum, auxilijs vſus ſum. Nulla præſidia hominum, nullam potentiam, nullam artium diſciplinam, nullum denique ſtudium, in huius gloriæ ſocietatem adſciui. Nihil eſt igitur in rebus humanis, quod quidquam ſibi poſsit aſſumere, aut partem aliquam ex virtutis meæ pleniſsima laude decerpere. Meis igitur tantum viribus cupiditatis immanitatem compreſsi; maximorum principum tyrannidem exſtinxi; omnes terrenas opes affixi; & humanæ ſapientiæ faſtum demolitus ſum; hoſteſq. meos magna belli contentione ſuperaui. Illos autem acriter, & iracunde, ſolus oppreſsi; eorumq. ſcelere vehementer offenſus, omnes eos conculcaui; veſtemq. meam illorum ſanguine, vt ſeueritatis meæ monumenta in illis etiam apparerent, infeci; vt, illis conciſis, regnum meum fundarem, opibusq. ſempiternis ſtabilirem.

4 Dies enim vltionis in corde meo.

4 Iam enim inſtat dies ille, quem ad ſupplicium hoſtium animo deſtinaui; & annus ille, humilibus, & manſuetis, admodum ſalutaris: quo ſum eos, cum hoſtium pernicie, in libertatem vindicaturus. 5. 6 Porro autem, cum ad hoc munus efficiendum accingerer, in omnes partes acriter, & attente, circumſpexi, num aliquis eſſet in terris, quem mihi ſocium adiungerem. Nemo prorſus erat. Nec enim religio, nec fides, nec officium, vigebat; omnis pietas erat exſtincta; omnis ratio veræ ſanctitatis exſulabat; nulla cuiuſquam merita exſtabant, quæ me obligarent; nulla denique virtus, cuius ope conſiderem. adeo erant perculſa, atque proſtrata, omnia, cunctiſq. pietatis, atque iuſtitiæ, nudata præſidijs, vt mihiipſi tam triſtis orbitas admirationem ingentem commoueret. Mihi tamen ipſe non defui; numen meum mihiipſi auxilio

Et saluauit mihi brachium meum.

fuit; indignationeq. mea ſubnixus, in hoſtium opes impetum feci; multaſq. nationes, quæ mihi grauem offenſionem attulerant, mente, & conſilio, ſpoliaui; ab omniq. ſtatu deieci; earumq. ſanguinem, & robur exhauſtum penitus in terram demiſi. Quod igitur me de hoſtium immanitate vindicaui; quod principem hominum perditorum in fugam præcipitem conieci; quod omnes opes aduerſariorum cõminui; quod deniq. iuſtitiam condidi, ſalutemq. omnibus, qui ſeſe ad meum ſtudium applicuerint, attuli, eorumq. opes conſtitui; id totum meum eſt; nec vlla ratione poteſt humanum aliquod meritum ſibi ex hac laude partem aliquam vindicare.

7 Miſerationum Domini recordabor.

7 Profecto, inquit Iſaias, tam illuſtris, & ampla, eſt Domini beneficentia; tam omnibus, qui cum fide vixerint, prompta, & parata, vt omnes, qui voluerint fidem, & officium, colere, fructum benignitatis illius facillime conſequantur. Qui igitur pereunt, ſcelere ſuo pereunt; nec vllo modo eſt illorum caſus ad Deum, ſed ad eorum perfidiam, & improbitatem, reuocandus. Venit enim mihi in mentem recordari, quanta, & quam multa, ſint Domini beneficia, quibus omnes, qui ſeſe totos illi dedicauerunt, amplectitur; quantis laudibus ſit illius clementia prædicanda, propter dona, atque munera, quibus nos vniuerſos affecit, & inſignem clementiam, qua domum Iſraelis fuit proſecutus, quam auxit beneficijs ampliſsimis, & in multis locis miſericordia ſua complexus eſt. 8 Dixit enim, hic certe populus meus eſt, quem a ſeruitute liberaui, mihiq. 8 præcipuo, atque ſingulari, præſidio tuendum ſuſcepi. Nam, cum reliquæ nationes ſeſe impuriſsima ſupeſtitione conſtrinxiſſent, & numina falſa coluiſſent, hic ſolus meo numini ſe conſecrauit; ipſiq. homines id fide ſunt aſſecuti, vt in filiis meis haberentur; nec credibile erat, vt fidem datam violarent, &, me derelicto, ad alios Deos ſcelerate transfugerẽt, aut cupiditatis intemperãtiam meis placitis anteferrent. Cum igitur tantis meis beneficiis adſtricti, & alligati eſſent, ſpes erat eos in officio permanſuros: quod ſi feciſſent, profecto Dei ipſius numine ſalui, opibuſq. Diuinis ornati, & inſtructi fuiſſent.

9 His igitur Dei promiſsis erecti, neceſſe erat, vt omnem metum, vel cladis, vel ignominiæ, deponerent. 9 Fuiſſent enim ſemper Domini præſidio defenſi. Quod ſi aliqua tempeſtas excitata fuerit, & calamitatem illis inuexerit, non ea tamen illos diu premi patietur; ſed eos gratia ſua clementiſsime ſubleuabit, omniaq. ab illis pericula depellet. Angelus, qui vultum illius intuetur, eos ſeruabit. Non meritis vllis obligatus Dominus, hæc in illos beneficia contulit; ſed, & amoris ſui, & clementiæ ſuæ, magnitudine vehementer incitatus, eos redemit, & complexu ſuſtinuit,

ſtinuit,atque ad quietas ſedes perduxit, per-
petuaq. benignitate in eximio honoris gra-
du locauit. Nihil igitur fuit ab illo in eorum
vel tuenda ſalnte, vel ornanda dignitate,
prætermiſſum.

*10 Ipſi autẽ ad iracundiã prouocauerunt.*

10 At illi, qni tantis ornati beneficijs ex-
ſtiterant, qui tam multis in locis Domini cle-
mentiam experti fuerant, donorum immemo
res,& ingrati, ab illo neſarie deſciuerunt, inſi
taq. pertinacia ſpiritnm illius afflixerunt. Si
enim ægritudo cadere poſſet in ſpiritum Do-
mini, nihil eſſet, quod illam naturam, benigne
faciendi cupidiſsimam, acerbius afflictaret,
quam illorum contumacia, qui cum benigni-
tate illius certant;& ad extremum vocibus il
lius, quibus a peſte,& exitio, reuocantur, obſi-
ſtnnt. Vt enim ille eorum lenitate delectatur,
qui ſe illius fidei committunt, animosq. ſuos
illius ſpiritu fingi,& informari, & iuſtitiæ or-
namentis excoli, facillime patiuntur; ita gra-
uiter eorum ſcelere, qui tantum beneficium
repudiant, offenditur; atque, vt ita dicam, ve-
hementer affligitur. Merito igitur, qui clemẽ
tiam illius animis obſtinatis, & in ſe ſcelere
penitus obfirmatis, aſpernantur, in iram læſi
numinis incurrunt; &, qui beneficia ingrate
reijciunt, acerbiſsima ſupplicia perferunt,
& perfidiæ ſempiternas pœnas exſoluunt.

*Et conuerſus eſt eis in inimicum.*

Itaque Dominus, repente conuerſus, ex be-
nigno parente ſe grauem eis aduerſarium,&
hoſtem, præbuit; dnroq. bello eos perſecutus
eſt. Ille igitur, qui eos præſidio ſuo texerat,
qui hoſtium impetum ab illis quondam repu
lerat, qui erat illis vnicum in malis perfugiũ,
& contra omnia pericula tutiſsimum muni-
mentum, in quo denique ſolo tota ſalus, & di-
gnitas, gentis illius conſiſtebat, non ſolum il-
lam ope ſua deſtituit; ſed etiam bellum con-
tra eam peſtiferum comparauit. 11 Iſrael igi
tur, malis vndiq. circumuentns, & hoſtiũ im-
portunitate diuexatus, fruſtra quidem opem
numinis implorat, quod a ſe pertinatia ſuſce-
pti ſceleris alienat;& tamen admiratur, quod
ſit tamdiu ope illius nudatus. Reperit enim
memoria, qnam ſæpe fuerint olim maiores
ſui, opera Moſis, præſentis Dei ope defenſi; ne
que ſatis intelligit, quanam ratione vt ipſe,
qui, ab illis profectus, eandem religionem pro
fitetur, ab eo, qui nnmquam ſuorum preces,
& vota, repudiat, derelictus. Vbi, inquit, nunc
eſt ille, qui populum ſuum cum illius rectori-
bus, qui eum paſcendum,& regendum, ſuſce-
perunt, per medium gurgitem maris eductũ
in terram extulit? Vbi is eſt, qni ſpiritus ſui
ſancti ſedem,& domicilium, in medio popu-
li collocauit, vt eum numine ſuo dirigeret?

*11 Et recordatus eſt dierum ſeculi.*

*Vbi eſt, qui eduxit eos de mari.*

12 12 Quam rem gerit ille, qui dextera ſua Moy
ſen deduxit? qui brachio ſuo, inclytoq. virtu-
tis inuictæ robore, mare diſſecuit? qui aquis,
hinc & illinc, in alterutram partem contor-
tis, inter eas viam tutam ſuis aperuit, vt no-
minis ſui gloriam ſempiternam apud homi-
nes illuſtraret? 13 Qui per vaſtã maris ipſius 13
profunditatem ita populum ſuum perduxit,
vt, quaſi equus, in loci deſerti, & inculti, plani
tie, ſuſceptum iter tuto, atque ſine offenſione,
conficeret? 14 Vt enim iumentum per cam- 14
pnm late patentem libere graditur; ita ſe in
medias aquas homines illi demiſerunt, vt per
eas, ſecuri,& incolumes, ad litus euaderent.
Spiritus enim Domini eos deducebat. Sic te,
Domine, populo tuo quondam viæ ducem tri
buiſti, vt nominis tui gloriam inſignem red-
deres.

15 Reſpice igitur nunc etiam de cælis; &
ex ſanctitatis tuæ ſede, maieſtatisq. ſempi-
ternæ ſolio, quibus malis ſimus oppreſsi, be-
nigne conſidera. Quid agit illa vis animi tui,
quondam contra hoſtes tuos acriter incenſi,
& incitati? Quid robur illud immenſum, quo
impiorum acies perculiſti,& abieciſti? Quid
illius immenſæ clementiæ magnitudo, qua
tuis, qnamuis peſtiferis criminibus alligati eſ
ſent, cum primum ad te confugiebant, veniã
tribuebas, & calamitatem, qua vexabantur,
omnino detrahebas? Num & potentiæ tuæ,&
miſericordiæ, magnitudo, qnæ maioribns
meis nullo in loco defuit, nunc recondita eſt,
atque, ne mihi ſubſidio occurrat, ſeſe perpe-
tuo continebit? Num nobis ſolis aditus ad
tuam clementiam, qui ſemper patuit omni-
bns, qui te inuocabant, erit interclusus?

*15 Attẽde de cælo.*

16 Si nos deſeris, cuius auxilium comparabi 16
mus? Si nos a te reijcis, ad cuius opem confu-
giemus? Nec enim eſt nobis aliud vitæ ſubſi-
dium, aliud ſalntis firmamentum, aliud cala-
mitatis,& miſeriæ, perfugium, alius denique
parens, in quem reſpiciamus, & cuius opem
in rebns perditis efflagitemns. Te namque ſo
lum patrem agnoſcimus. Nec enim Abra-
ham nobis ſubſidio fuit; nec Iſrael nobis opẽ
attulit. Tu igitur ſolus, qui non modo nos
condidiſti, verum etiam ope tua præſentiſ-
ſima in libertatem aſſeruiſti, Pater nobis es;
nomenq. tuum non eſt exiguis vitæ ſpatijs
incluſum; ſed eandem vim in omni æternita-
te poſsidet. Abſurdnm igitur erit, cum ſem-
per idem ſis, genus tuum eſſe aliquo in tem-
pore ab ope tua derelictum.

*Tu enim pater noſter.*

17 Sed dices, errorem perfidiæ, quo ſumus
impliciti, nobis peſtis, & exitij, cauſſam attu-
liſſe; ſcelusq. noſtrum facere, vt tn penitus
auerſus a ſalute noſtra ſis. Cur tu, Domi-
ne, nos in errore diutius verſari ſinis? Cur
non in viam legis tuæ reuocas? Cur animos
noſtros, qui contra ſpiritum obduruerunt,
non mollis, ac mitigas, vt, tandem, timore
tuo coerciti, ſpiritum tnum ſequantur; nu-
menq. tuum omni mente colant, atque ve-
nerentur? Conuerte tuam benignitatem in
populum tuum, Domine; nosque tandem a-
liquando in gratiam tuam reſtitue, propter
ſeruos tuos, a quibus orti ſumus, qui te
vnice coluernnt; e quibus, tamquam ex here-

*quare errare nos feciſti tu Domine.*

ditate diligentiſsime culta, fructus quondam
vberes pietatis, atque iuſtitiæ, percepiſti; &
quidem fidem tuam illis ſanctiſsimo fœdere
adſtrinxiſti, quo poſteris ſuis ſempiternas in
18 regione promiſſa ſedes a te pacti ſunt: 18 At
breui admodum tempore populus tuus here-
ditatis ſuæ poſſeſsionem, templiq. tui ſacra,
retinuit. Hoſtes enim noſtri non modo nos e
ſedibus noſtris præcipites exturbauerunt; ſed
quod eſt indigniſsimum, cũ tui nominis con-
temptu, templum ſanctum tuum euerterunt;
ſacraſq. cerimonias polluerunt, & locum reli
gioni dedicatum, impuriſsime contaminaue
runt. Neque tu interim gloriæ tuæ cauſſam ſu
ſcepiſti; nec a locis quidem religioſis impetũ
eorum, qui tibi grauiſsimam ignominiam in-
19 ferebant, repreſsiſti. 19 Ita igitur fuimus ve-
xati, & ſpoliati, & omnibus conuicijs obiecti,
atque ſi numquã in nobis dominatum habuiſ
ſes; nec ſerui tui nominaremur; nec in nomi-
nis tui tutela, & patrocinio, lateremus. Hoc
me igitur angit; hęc me cura ſollicitat; hic me
infixus animo dolor excruciat, quod in hac
noſtra calamitate cerno gloriam tuam obte-
ri, nomenq. tuum indigniſsimo conuicio ma-
culari. Nec tam meæ gentis caritas, quamuis
ea me valde commoueat, quam ſtudium glo-
riæ tuæ, me dolore, ſupra, quam dici poteſt, in-
cendit. Gentes enim numẽ tuum minime me
tuendum exiſtimant, eo quod populum, quem
tuendum ſuſceperas, hoſtium prædæ, atque di
reptioni reliquiſti; nec eis, cum opem tuam
implorarent, vllam in rebus euerſis opem at-
tuliſti. Arbitrantur enim, aut non potuiſſe te,
aut noluiſſe, tuis opitulari: quorum alterum
imbecillitatis, alterum infidelitatis, argumen
tum eſſe ſtatuunt. Quis hanc tantam perdito
rum hominum contumeliam, inuſtam nomi-
ni tuo, ſuſtinere poterit? Quis æquo animo,
qui modo gloriæ tuæ ſeruiendum putet, tan-
tum conuicium nomini tuo factum patiatur?
Et tamen, in tanta ſcelerum, & flagitiorum, li
centia, iram tuam continebis? Et tamen iniu-
riam tibi impudenter illatam, minime tan-
dem aliquando perſequeris? Nec vim, & po-
tentiam, numinis tui hoſtibus tuis admiran-
dis operibus indicabis.

1 Cap. LXIV. 1 Vtinam cælum diſcinderes, atque te de-
mitteres in terras, numenq. tuum confeſtim
appareret; monteſque, vt olim in conſpectu
tuo, magno quodam motu concuſsi, diffluе-
rent. 2 Atque, vt ſubiectis ignibus omnia col
liquefacta labuntur, & aquæ vehementius ef-
ferueſcentes eijciuntur, ita terrarum Princi-
pes, furenter agitati, flammarumq. incendio
liquefacti, corruerent, vt hoſtes nominis tui
3 Deſcendiſti, & a facie tua montes defluxerunt. vim tuam, atque potentiam, cernerẽt, & gen-
tes in conſpectu tuo contremiſcerẽt. 3 Siqui-
dem olim, cum legem dare velles, idq. a te ne-
mo poſtularet, neque exſpectaret, te tamen e
cælo demiſiſti; & opera nimis horribilia edidi
ſti; & montes, metu tuo tremefacti, deſederũt.
Cur non multo magis nunc, cum nos omnia
mala circumſiſtunt, & hoſtes tui multo furen-
tius incitantur, ad gloriam tui ſanctiſsimi nu
minis oppugnandam, accurris; admirandiſq.
ſignis præſentiam tuam declaras, vt ſalutem
tuis afferas, & hoſtes tuos iudicio peruertas,
atque ita perficias, vt omnibus mortalibus
cognita, & explorata, ſit potentiæ tuæ magni
tudo? 4 Nec enim dici poteſt, tibi minime cu 4
ræ eſſe ſalutem, atque dignitatem, eorum, qui
omnia præſidia vitæ habent in tua fide, & be-
nignitate, conſtituta. Nec enim potuit vm-
quam quiſque vel auribus accipere, vel oculis
vſurpare, vel denique mentis adſpectu com-
prehendere, te vno, qui ea paras, excepto, ma
gnitudinem bonorum cæleſtium, quæ feciſti,
vt illis ea concederes, qui in te vnum reſpi-
ciunt, & in tua clementia omnem rerum ſua-
rum ſpem collocant, & in fide tui ſanctiſsimi
nominis acquieſcunt. Tantum autem abeſt,
vt in aliquo alio, præter te, ſalus noſtra conſi-
ſtat, vt nemo, vel cogitando, ſuſpicari poſsit,
quantæ ſint opes a te reconditæ, vt illis largia
ris, qui in fide tua permanent, tuamq. beni-
gnitatem amore pio, & gratiſsima volunta-
te, proſequuntur. 5 Quinetiam in hac vita oc 5 Occurriſti lætanti.
curris in votis, & precibus, illis, qui ex fide iu-
cunditatis, atque lætitiæ, fructum eximium
capiunt; & in ſtudium iuſtitię, quę animum ve
ra, & ſtabili, iucunditate perfundit, incũbunt;
&, vijs tuis ingreſsi, legeq. tua confirmati,
numquam memoriam tui nominis abijciunt.
Cur igitur ita nobis iraſceris hoc tempore,
vt miſericordiam minime tribuas? 6 quam- 6
diu res humanæ horum hominum pietate,
qui vere iuſtitiam colebant, nitebãtur, quam-
uis nobis iratus eſſes, (in peccatis enim ver-
ſabamur, multiſq. in vita flagitijs noſipſos
inquinauimus) facile tamen fuit ſalutem adi-
piſci. Precibus enim illorum nobis ſcelera
condonabas.

7 At nunc nullus eſt inter nos, qui iuſti- 7 Facti ſumus vt immundus omnes nos.
tiam veram obtineat. Omnes enim nos vi-
tiorum ſordibus polluti, atque penitus infe-
cti, ſumus; & iuſtitia, quam legis operibus
oſtentamus, eſt inanis iuſtitiæ ſimulatio, in
religionis ficta ſpecie conſtituta; & tam-
quam lacera veſtis, atque ſordida, cui fru-
ſtra multi panni veteres aſſuuntur. Ergo,
quaſi arborum folia, dilabimur; & iniqui-
tates noſtræ nos, tamquam ventis ſublatos,
diſpellunt. 8 Non eſt, qui inuocet nomen 8
tuum, qui ſe confirmet, & incitet, vt men-
tem ſuam benignitatis, & gratiæ tuæ fidu-
cia corroboret; & tibi, quemadmodum olim
homines ſancti faciebant, vim precibus in-
tentet. Auertiſti namque faciem tuam a Abſcõdiſti faciem tuam a nobis.
nobis: & mortiferis ſcelerum morbis inta-
beſcentes deſpexiſti. 9 Nunc igitur, o Do-
mine, cum pater noſter ſis; tu enim nos be-
nignitate tua genuiſti, & in hanc lucem,
qua fruimur, edidiſti: nos enim lutum ſu-
mus,

mus,e quo tamen nos tuis manibus ſormaſti,
10 atq. figuraſti. 10 tandem iræ tuæ modum con-
ſtitue; nec in perpetuum opus manuum tua-
rum pœnis acerbis inſequare;neq. diutius me
moriam iniquitatis,& perfidię,noſtræ ſerues;
ſed eam iam tandem amplitudine tuæ beni-
gnitatis exſtingue; atq. reſpice nos vniuer-
ſos,populi tui ratione,& nomine, contineri.

Ne vltra memineris iniquitatis.

11 11 Vrbes,in quibus nomen tuum ſancte cole-
batur,exciſæ ſunt; in Sione, pro antiqua reli-
gionis celebritate,nunc triſtis, & horrida, ſo-
litudo perſpicitur; Ieroſolyma horribili cla-
12 de vaſtata eſt; 12 Templum ſanctiſsimum, &
auguſtiſsimum, in quo patres noſtri tibi cum
laudibus ampliſsimis immolabant, & magni-
tudinem virtutis tuæ carminibus ſuauiſsimis
concinebant,flammarum incendio conflagra
uit.Quidquid erat in rebus noſtris ſpecie præ
clarum,& adſpectu iucundum, & expetẽdum,
funditus euerſum eſt. Nec ſimulacrum deni-
que,ac veſtigium, Iſraeliticæ dignitatis eſt in
13 omni terra relictum.13 Et tu interim hæc ſce-
lera inulta eſſe patieris? Et iram tuam conti-
nebis?Et in hoſtium immanitate conniuebis?
Et nos tantis malis oppreſſos tamdiu negli-
ges? Opeq. tua nudati, diutius in tam graui
calamitate verſabimur?

CAP. LXV

1 Quid, inquit Dominus, apud me gentis
tuæ ruinam deploras, quaſi negligentia mea,
& non propria contumacia, quam adhibuit
in facinore ſceleſto,& immani, conciderit?
Tanta namq. benignitas mea eſt,atq. tam la-
te patet,vt eos etiam,qui ne fama quidem, &
auditione, quidquam de nomine meo perce-
perunt,complexa ſit.Me namq. gentibus,quę
numquam a me opem flagitauerant, neq. ſe,
vt gratiam meam acquirerent,vlla religione
deuinxerant,indicaui;animosq. eorum com-
moui,& incitaui,vt me incenſa, & inflamma-
ta, fide quærerent. Illi igitur me quæſierunt,
qui ne poſtulandum id quidem,aut optãdum,
exiſtimauerant;ab illis inuentus ſum, qui me
non quæſierant. Num hic tantus orbis terra-
rum motus eſt ipſarum gentium pietati, atq.
meritis,adſcribendus? Num gentes ipſæ per
ſe ſponte ſua ad me adierunt, vt eas ope mea
ſeruarem,& flagitiorum vinculis,quibus vin-
ctæ tenebantur,eriperem? Non certe. Ego
namq. me illis oſtendi;ego illas nationes,quę
non erant ad nomen meum adiunctæ,ad opes
meas fruendas inuitaui; ego me præſentem
exhibui, vt eas ad ſtudium pietatis, atq. ſan-
ctitatis,allicerem.Dixi nationibus,quæ num-
quam meum numen coluerant,& a religionis
meæ ſacris abhorrebant: Adſum,adſum, in-
quam,vt vos a peccati dominatu liberem, &
in beatæ vitæ,cuius cupiditate flagratis, poſ-
ſeſsione conſtituam.Hac igitur mea benigni-
tate prouocatæ nationes infideliſsimæ, ſeſe
confeſtim ad me inflammato ſtudio contule-
runt.2 Qui gentibus a religione mea prorſus
alienis proſpexi,Iſraeli, tantis olim mihi fœ-

Quæſierunt me, qui non interrogabãt

2 Expandi manus meas

deribus obligato,defuiſſem?Non prorſus.Sed
ille meum numen contempſit, meum benefi-
cium repudiauit, meam clementiam contu-
maciter aſpernatus eſt.Huic enim populo re
belli,& impio, qui viam ſceleratam ingredi-
tur,cogitationesq. ſuas, erroris, & impieta-
tis,pleniſsimas,ſequitur, atque, præ libidine
ſua,meum imperium detrectat, manus meas
tota die,ſine fructu vllo,porrexi. Non igitur
inclementia mea illis calamitatem innexit;
ſed illorum infidelitas, atq. pertinacia, qua
ad extremum vitæ ſpiritum oblatæ clemen-
tiæ reſtiterunt,eis peſtem,atq. perniciem,cõ-
parauit. 3 Iam enim nunc impietatis funda-
menta iacit, quibus ad ſummum illum ſcele- 3
ris gradum peruenturus eſt, quo nullum im-
manius cogitari poſsit. Me namq. perpetuo
in ſe, & ſcelere impietatis, & ſimulatione pie-
tatis,incendit. Primum enim homines impij,
atque profligati,vera religione neglecta,fal-
ſam adſciſcunt;ſacrificant in hortis, impuriſ-
ſima religione dedicatis;ſuper loca lateribus
pauimentata ſuffimenta conficiunt; 4 mor-
tuorũ ſepulcris inſident; & in locis vaſtis,atq. 4
deſertis, noctis opportunitatem ad tantum
ſcelus quærentes,excubant;vt inferorum ma
nes eliciant. Carnes ſuillas comedunt; & ius
exſecrandum vorant; hoc eſt, in cœno volu-
tantur, & ſeipſos lutulentis vitijs inquinant,
omneq. vitæ ſtudium in terrenis, & ſordidis
opibus eruendis conſumunt,ſeq. flagitijs,atq.
nequitia intoleranda,contaminant. 5 Dein-
de,quod minime ferendum eſt, cum tantis,&
tam multis,& tam ſceleſtis, criminibus adſtri
cti ſint, ſe ſanctos eſſe ſimulant, & impietati
ſpeciem religionis obtendunt;& reliquos bo-
mines inſolenti quodam faſtidio contemnũt,
atq. deſpiciunt.Abſcede,inquiunt,ne,ſi homi-
nem ſanctiſsimis ſacris initiatum tetigeris,
inexpiabilem in te religionem ſuſcipias.
Quid reliqua eorum facinora perſequar?Hoc
ſatis eſt, vt intelligi poſsit, quam ſint eorum
mores profligati,atque perditi,qui perpetuo
materiam iracundię meæ ſubijciunt, vt in il-
los incendar, & indignationis meæ flammis
eos exuram. 6 Hoc enim eorum ſcelus, arro-
gantia,& inſolentia intolerabili cumulatum, 5
ijs eſt monumentis in conſpectu meo ad ſem-
piternam memoriam inciſum, vt oblitterari
non poſsit. Indignationis igitur meæ fumus
erumpit;& iracundia vehementer inflamma-
tus ſum. Vlciſcar igitur, vlciſcar eorum faci-
nora;&,quod ſcelerate ſuſceperunt, in eorum
caput vertam. 7 Et, cum iam non modo pa-
triam ſceleris hereditatem adierint, verum
etiam ſemper ad improbitatem maiorum ac-
ceſsiones faciendo ad ſummum gradum im-
pietatis euaſerint,efficiam,vt ſimul etiam pa
rentum pœnas luant, atque ſupplicia multis
dolorum acceſsionibus amplificata ſuſtineãt.
Super montes enim impijs ſuffimentis numi-
na falſa colebant;& meum in ſe numen conui-
cijs

tota die ad populum incredulum.

4 qui dicunt, recede a me

Iſti fumus erunt in furore meo.

Remetiar opus eorum.

cijs indignisſimis irritabant.Illis itaq. repen
dam id etiam,quod ſceleribus antiquis meri-
ti ſunt;illorumq. pœnæ in eorum caput redun
dabunt. Has minas proponit Dominus his,
qui ſe Iudæos ementiuntur; cum eorum vita
plurimum ab huius nominis ſanctitate diſsi-
8 deat. 8 Adiungit deinde: Non tamen omne
nomen Iſraelis exſtinguetur.Omnes enim il-
li,in quibus fidei vigentis, & incenſæ, ſtudium
exſtiterit,non modo incolumes erunt,ſed etiã
inter omnes ſplendore,atq. gratia,florebunt.

Quomodo ſi inueniatur granum in botro.

Vt enim,in ſumma vini pænuria,ſi quis in ma
gnam vuam inciderit, quam ex vite decerpe
re velit,a cuſtode vineæ prohibebitur, ne re-
liquam illam ſpem muſti venturi præcidat;ſic
ego,propter ſeruos meos,a quibus propagati
ſunt,Iſraelis reliquias conſeruabo,ne a ſtirpe
totum genus illius intereat. Iſti igitur fidei
fructum percipient;& promiſſa olim a me mu
nera conſequentur;& in eorum felicitate fidẽ
meam,quam olim dedi,magnificentiſsime li-
9 berabo.9 Ex ſtirpe enim Iacob ſemẽ eliciam;
& ex Iudæ radice meo numine ſanctum ge-
nus exſiſtet,quod in montibus meis heredita
tem obtineat. Electi igitur mei, quorũ fidem
eximia caritate complexurus ſum, ſerui mei,
qui omnia vitæ conſilia, & ſtudia, cogitatio-
nes,& actiones,ad voluntatem meam confe-
rent,ſunt illi, qui cæleſtem hereditatem cer-
nent;& quorum patrimonium erit a me præ-
10 clariſsime conſtitutum.10 Mons enim Sarion
lætiſsima paſcua gregibus eorum ſuppedita-
bit;nec vllum malum auſpicium eorum ſpem
in primo ingreſſu debilitabit: Vallis enim
Achor, in qua fuit in prima populi in tellurẽ
promiſſam ingreſsione irrigatũ ſupplicium,
atque monumentum ſceleris ad poſteritatis
memoriam conſtitutum,non afferet tunc po-
pulo,quem ſum ab exſilio reuocaturus, vllam
offenſionem, qua illorum animi perturbẽtur,
& de propria ſalute dubitare compellantur.
Illic igitur eorum armenta ſecure cubabunt.
Omnia enim tunc illis, qui me animo puro
quæſierint, fauſta, atque læta,contingent; &
ſpem optimis etiam rerum auſpicijs facilli-
me confirmabunt.Nam in illam cultorum col
lium amœnitatem,vnde fuerant vi, & impor-
tunitate, hoſtium deiecti, id eſt, in virtutum
omnium maximarum cacumina, remigra-
bunt; &, quæ fuerant olim ſibi nimis aduerſa,
& ſpem extenuauerant, tunc eis erunt valde
ſecunda;ampliorémq. laudis,atq. glorię ſem-
piternæ materiam præbebunt; & ad firmio-
rem ſpem eorum animos excitabunt.

11 At vos,qui dereliquiſtis Dominum.

11 At vos,qui a Domino nefarie defeciſtis,&
omnia ſanctiſsima pietatis officia prodidi-
ſtis, neque vllam vmquam meæ religionis in-
ſtaurandæ rationem habuiſtis, & epulum in
honorem Fortunæ comparauiſtis,definitam-
que vim fati libamentis impie coluiſtis, om-
neq. ſtudium ſanctitatis ad inanem, & impu-
12 ram,ſuperſtitionem tranſtuliſtis,12 Eritis de-
finita,atque certa vi meæ ſeueritatis, & ſen-
tentiæ,conſumpti.Maximum enim numerum
gladio concidam; dirisq. ſupplicijs mactabo;
perficiamque, vt vniuerſi corruatis. Parum
enim erat;vobis, ſeruos meos,quos ad vos mi
ſi, maledictis inſectari, ſanctiſq. hominibus
perniciem machinari, niſi etiam in me idem
ſcelus multis iam acceſsionibus auctum, &
amplificatum, ederetis. Veni namq, ipſe, vt 12
vobis ſalutem darem; meamq. benignitatem
deſpexiſtis:vocaui vos,nec ad nomen reſpon-
diſtis;ad officium cohortatus ſum,& aures oc
cluſiſtis;in oculis meis tætra ſcelera concepi-
ſtis;rationemq. vitæ, meis legibus, & inſtitu-
tis,contrariam,& a voluntate,atq. ſententia
mea diſcrepantem,ſecuti eſtis. 13 Quocirca 13
ipſum Dominum, quem contra vos prouoca-
ſtis,nunc contra vos duram ſententiam pro-
ferentem,audite.Sic enim ait,ſummus ille Do
minus, cuius immenſa poteſtas omnia com-
plectitur:Ecce ſerui mei epulabuntur;vos an-
tem eſurietis: ſerui mei cum ſumma iucundi-
tate bibent;vos autem ſitietis:ſerui mei læti-
tia cum amplitudine decoris,& dignitatis,ef-
ferentur;vos autem, ignominia ſumma defor
mati,& dolore confecti,iacebitis.14 Ecce,ſer 14
ui mei,præ magnitudine gaudij, quod ex Di-
uinis beneficijs capient, lætiſsimos in cælum
clamores attollent;at vos, præ animorum in-
genti cruciatu,vociferabimini,& eiulatus lu-
gubres edetis. Vt enim illi Diuinis opibus af-
fluent, & honoribus ſummis abundabunt; ſic
& vos eritis omnibus bonis ſpoliati, meoque
præſidio nudati, maliſq. omnibus miſerrime
circumuenti.15 Nec enim eritis ſolum pœnis 15
Diuinis obnoxij,ſed cunctis etiam hominibus
inuiſi.Perficiam enim,vt omnes vos oderint,
& exſecrentur; nomenq. veſtrum, vt malum
auſpicium,deteſtentur.Nomẽ enim relinque-
tis electis infauſtum, & abominandum, quod
in dirarũ imprecationibus vſurpetur; ita, vt,
qui ſe voluerit exſecratione deuincire, exitũ
ſibi Iudæorum imprecetur; ſi quidquam in ſe,
contra,quam fas,& officium,requirit,admiſe
rit. Vos igitur vniuerſi,numine Dei conciſi,pe
ribitis;ſeruos autem ſuos, ne ſint hominibus
conſceleratis,nominis ſaltem ſocietate,copu
lati,non Iudæos appellabit Dominus, ſed no-
uum aliud nomen eis multo præclarius impo-
net.Non enim par eſt,vt alio nomine glorien
tur, quam illo, per quod fuerint in omnium
bonorum ſocietatem, mea gratia, & benigni-
tate,conuocati. 16 Qui enim in terra fuerit 16
exſecratione liberatus, atque bonorum om-
nium particeps effectus,id fide,quam habebit
in Deo vero repoſitã,conſequetur; illius nem
pe opera,cuius gratia gentes omnes erant le
gis maledictione ſoluendæ, & muneribus Di-
uinis afficiendæ;&,qui iuſiurandum rite con-
ceperit,per illum eũdem,quem verum Deum
eſſe confitebitur, & cuius numen metuet, in-
rabit, illiusq. teſtimonio ſanctiſsimo fidem
ſuam

Pro eo quod vocaui, & nõ reſpondiſtis.

Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis.

Et interficiet te Dominus Deus.

ſuam obligabit. Quocirca conſentaneum erit,
vt nomẽ, quod numinis mei caritatem, atque
reuerentiam, aperte deſignet, obtineant. Om- *Obliuioni tradita ſunt anguſtiæ priores.*
nes autem antiquæ clades, & ærumnæ, in quas,
dum in prauitate verſabantur, inciderant, in
obliuionem adducentur; & ab oculorum meo-
17 rum adſpectu remouebuntur. 17 Iam enim a-
liud nouum cælum, aliamq. terram nouã, crea
bo; vt lux quædam noua exoriatur, & nouus
quidam terrarum cultus exſiſtat; qui tantum
ſplendore, & dignitate, præcellat, vt ſplendõ-
rẽ antiquæ legis obſcuret. Nouam enim Rẽp.
conſeram; eamq. moribus, & inſtitutis, nouis,
atque nouo caritatis iure, deuinciam, vt Diui
na luce, & ſplendore colluſtrata, fructus Diui-
nos efferat; operaq, noua, cum ampliſsima di-
gnitate, perficiat; ita, vt inſtituta, & officia,
quæ olim videbantur ad adſpectum præclara,
& venuſta, cum in eorum contentionem vene-
rint, obſoleſcant, nec vllius approbationẽ mo
18 ueant. 18 Tantus enim ardor pietatis animos
occupabit; tanta Diuinorum munerũ affluen
tia electi mei redundabunt, vt ſumma lætitia
efferantur; ſempiternoq. gaudio triumphent.
Opus enim, quod efficio, ſumma illos, atque
ſempiterna, voluptate, & iucunditate, comple
bit. Ieroſolymam namque cæleſtem condo, vt
in ipſa ſummæ voluptatis iucunditas oriatur;
& populus meus gaudio ſempiterno cumule-
19 tur. 19 Oblector igitur ego cum mea ciuita-
te; & ex populo meo voluptatem inſignem per
cipiam. Nec enim aliquid cõtra voluntatem,
& ſententiam, meam deſignabit; nec ſpiritui
meo moleſtiam vllam inferet; ſed totum ſeſe
ad voluntatem meam adiunget; ita, vt neceſſe
ſit, illo me, tamquã opere meis manibus egre-
gie perfecto, & abſoluto, delectari. Non audie-
tur amplius in illo cœtu eiulatus, & lugubris
aliqua lamentatio, quæ cladem vllam ſignifi-
cet. Nec enim euerſas opes deplorare, nec a-
miſſam libertatem lugere, nec orbitatem la-
mentari, nec mortis acerbitatem ſentire, po-
terunt hi, quorum nec opes imminui poſſunt;
nec libertas attentari; neque patrocinium de
ſeri; neque vitæ in diſcrimen incidere. Omnia
ſiquidem illorum bona ſempiterna ſunt; meo-
que præſidio muniuntur. 20 Nemo erit, cuius *20 Non erit ibi infãs dierum.*
vita, in medio ætatis curſu, importunitate
mortis interrumpatur. Omnes enim ad illam
ætatis maturitatem peruenient, quæ non eſt
annorum numero, ſed vitæ integritate, & con
ſtantia, atque iuſtitiæ, & pietatis, perfecto mu
nere, & officio, definita. Impius enim, cum te-
meritate, & amentia, ducatur, & cupiditate ef
frenata concitetur, quamuis centum annos
attingat, infans erit; &, quaſi diris Diuinis ob-
noxius, minime perfectam ætatem conſecu-
tus exiſtimabitur. Prius enim vita illi erepta
fuit, quam, cuius muneris colendi, & efficien-
di, cauſſa fuiſſet in vitam ingreſſus, ſuſpicari
potuit. At, qui pietatis munus abſoluerit, & fi
dem, & officium, cum dignitate præſtiterit, &
ad robur animi firmum, & imitationem Chri-
ſti, peruenerit, quamuis in adoleſcentia mo-
riatur, non adoleſcens eſt exiſtimandus, ſed ſe
nex, atque longiſsimæ ætatis, habendus. Nec
enim vera ſenectus, longinqui temporis ſpa-
tio, ſed ſenili prudentia, & virtutis abſolutæ
perfectione, continetur. Omnes igitur, qui fue
rint in hanc ciuitatem recepti, maturitatem
ætatis aſſequentur; nec ex hac vita diſcedent,
antequam ſibi aſsignatum munus abſoluant.
Non erunt igitur vmquam immatura morte
ſublati. 21 Non enim erunt illorum cogitatio- 21
nes inanes, ſed exitum feliciſsimum conſequẽ
tur. Nec enim fruſtra laborabũt; nec operam
ſuam in rebus inaniſsimis, abſque vllo fructu,
conſument. Aedificabunt quidem illi domos,
in quibus infinitis ſæculis habitabunt; conſe-
rent vineas, illarumq. fructibus in omni æter-
nitate veſcentur. 22 Nec enim ea ędificia ſum *22 Non ædificabunt, & alius inhabitabit.*
mo ſtudio excitare conabuntur, quæ ab alijs
occupentur; nec omnem operam in illis plan-
tis conſerendis ponent, quarum fructus ad a-
lienos pertineant, vt illi faciunt, qui in iram
Dei ſceleribus ſuis irruũt; ſed, ſtudio immorta
litatis inflammati, nõ de fluxis, & interituris,
opibus, ſed de conſtantibus, & ſempiternis, to
ta mente cogitabunt. Neque repentinæ mor-
tis acerbitas eorum conſilia poterit impedi-
re. Non enim illa vita eſt, qua animus corpo- *Secundum enim dies ligni, erũt dies populi mei,*
ris mortalis, & interituri, compagibus, quaſi
ergaſtulo quodam, includitur; ſed illa, quæ mẽ-
tem humanã cum Deo, qui vera vita eſt, amo-
re ſempiterno conglutinat. Ergo, cum homi-
nes pij a Deo diſtrahi, atque diuelli, non poſ
ſint, efficitur plane, eos, in corpore etiam con
ſtitutos, immortali vita frui; neque poſſe eo-
rum ſpiritum caſibus vllis exſtingui. Nõ enim
cibis terrenis, ſed Diuinis, alũtur. fructu enim
arboris illius, quæ vitam omnem cõtinet, hoc
eſt, ſpiritu Chriſti, qui eſt patris mens, atque
ſapientia, nutriuntur; & tamdiu in vita per-
manebunt; quamdiu hæc vitalis arbor in na-
tiua amœnitate, & vbertate, viguerit. Quæ cũ
ſempiterna ſit, nec enim vllo ſenio, atque ve-
tuſtate, conſumi poteſt illa vis Diuina, quæ
res omnes immortales continet, & æui æter-
nitatem numine ſuo complectitur, reſtat, vt il
li etiam, qui fructu illius veſcuntur, vitam in
ſempiternum tempus propagent. Cum igitur
immortales ſint, & ad immortalitatem om-
nia referant, illorum etiam opera, quos elegi,
erunt immortalia, atque ſempiterna. 23 Non *23 Erit, antequã clamẽt, ego exaudiã.*
igitur in illis rebus laborabunt, quæ ad nihilũ
venturæ ſunt; nec gignent filios, quibus in flo
re ætatis exſtinctis angantur, atque magno
animi motu perturbentur. Erit enim genus
eorum beneficijs ampliſsimis clementiæ Di-
uinæ cumulatum, Diuiniq. ſpiritus ſatu gene-
ratum; ita, vt nec ipſi, nec eorum poſteritas
exſtingui, & deleri, poſſit. 24 Tanta autem ce
leritate ſum illis auxilium, quoties inclama-
uerint, allaturus, vt, etiam antequam implo-
rent

rent opem meam, illis reſpondeam; &, priuſquam precationem ſuam peragant, illorum vota, atque preces, exandiam. 25 Perficiam vero, vt omnes, qui ciuitatis ſanctæ mœnibus cincti, legibus meis, atque diſciplinis, eruditi, ſpirituq. meo iucitati fuerint, animis repente commutentur, & mores agreſtes, & immanes, importunamq. naturã, exſuant, & ad omnem rationem humanitatis, atque pietatis, excolantur, incredibiliq. ſuauitate, & clementia, mitigentur. Qui igitur antea crudeles extiterant, atque, tamquam lupi, pauperum ſe ſanguine cruentarãt, ſe paſtori meo ſubijciẽt; eiſdemq. ſæptis cum agnis incluſi, eodem pabulo nutrientur. Et truculenti etiam tyranni, qui, dominandi libidine furentes, hominum ſanguinem perpetuo ſitiebant, tunc erunt hominibus, artes humano generi ſalutares colẽtibus, annumerati, eiſdemq. cibis enutriti. At ſerpens, quæ venenum mortiferũ hominibus porrigebat, & afflatu peſtilenti mortales interimebat, non poterit vllam meis ciuibus perniciem moliri, nec eorum carnibus ſaginari. Terram enim tantum comedet; & in eos tantum, qui terrenis opibus inhiant, minimeq. rerum cęleſtiũ deſiderio tenentur, inuadet. Nec enim immanes belluæ poterunt in vniuerſo monte meo, qui eſt ſanctitatis, atque iuſtitiæ, ſempiternum domicilium, meoq. præſidio cinctus eſt, perniciem, aut vaſtitatem, inferre, interitumq. ſanctis hominibus machinari. Hæc quidem Dominus de florentiſsimo ſtatu piorum diſputauit; &, ſimul cum explicatione tantæ felicitatis, miſeriam tęterrimæ, & impuriſſimæ, gentis expoſuit, quæ erat tandem ſerpẽtis immaniſsimi pabulum futura, & illius crudelitate denoranda.

Lupus, & agnus, paſcentur ſimul.

Et ſerpenti puluis panis eius.

Sed hoc loco potuiſſent dicere Iudæi: Non nobis hæ minæ proponuntur; nec capitibus noſtris hæ clades, quæ hac vaticinatione continentur, impendent; ſed ijs tantum, qui a fide deſciuerunt, & ſimulacra impio ritu venerati ſunt. Quod quidem ſcelus longe eſt a noſtris moribus alienum. Nos enim Domini templum ſanctiſsimum ſemper habuimus; nos omnes ſollemnes cærimonias ſane diligenter obſeruauimus; nos omnia ſacra, prout erat in lege præſcriptum, rite confecimus; nihil denique fuit vmquam a nobis in procuranda religione præteritum, quod vel ad expianda peccata, vel ad Dei laudem celebrandam, aliqua ex parte pertineret. Cum igitur, & templi, in quo Deus habitat, ſanctitate, & religionis caſtiſsimæ ſubſidijs, fulti ſimus, quid eſt, quod timere debeamus? An parum multas hoſtias iugulamus? An dona, atque munera, parum ampla conferimus? An non templi limina frequentamus? Et, quibus ſacrificijs ſit numen placandum, parum diligenter inſpicimus? Quocirca magis eſt conſentaneum, nobis de Deo, quem, ſi fas eſt ita loqui, iam religione ſatis obſtrictum habemus, omnia ſubſidia polliceri, quam ſupplicium vllum formidare. Hęc ne dici poſſent, occurrit Dominus, oſtendens, quam parũ præſidij ſit in templi manu facti ſanctitate, in adumbratæ religionis obſeruãtia, ſi vera pietas abſit, & fidei Chriſtianæ cultus negligatur. Tantum enim abeſt, vt fictæ religionis imago ſcelerum maculas animis impreſſas, & inuſtas, abſtergat, vt potius inſtitutum facinus hac impudẽtiſsima ſimulatione pietatis tætrius efficiat. Nam, cum omne ſcelus ſit inuiſum Deo, tum nullum eſt apud illum grauius; atque deteſtabilius, eo, quod in ſpecie ſimulatæ pietatis latet, & deformitatem ſuam quadam imagine religionis inducta celare, & occultare, nititur. Primum enim, ad reliquas impuritatis labes illud ſcelus addunt, quod falſo nomen religionis, & pietatis, vſurpant. Deinde, malam de illius ſapientia, & maieſtate, & ſanctitate, opinionem concipiunt, cum vel incluſas animo libidines ab illo minime perſpici, vel terrenis muneribus immenſam illius amplitudinem deleniri, vel ſeueritatem illius donis ad iniquitatem inflecti, poſſe confidunt. Poſtremo, magnam impudentiam ſuſcipiunt, cum, criminibus infinitis euicti, & propria conſcientia redarguti, os ſuum Deo oſtendere audent, &, quaſi ſacerdotes quidam ſancti ſint, ita cũ hoſtijs ad aras accedunt. Horum igitur impudentiam refutat Dominus, & inſolẽtiam intolerandam deprimit, & fiduciam inanem infirmat; vt eos tandem admoneat de ſcelere ſuo confiteri, neque ſalutis ſpem in opibus terrenis, ſed in Dei gratia, collocare. Nec enim templum hominum manibus ædificatum, & humanis viribus euertendum, neque religio in vmbris poſita, interuentuq. ipſius lucis obſcuranda, nec terrena munera nulla ex parte ad animum pertinentia, poterant vllo modo, vel Deum iucunditate vlla permulcere, vel illorum ſordes animo conceptas eluere. Sic enim inqnit;

1 Cælnm mihi ſedes eſt, in quo multo clarius,

1 Cap. LXVI.

rius,& magnificentius,quam in vllo alio mundi loco, meæ maieſtatis amplitudo conſpicitur: vniuerſa terra eſt ſcabellum, in quo pedũ meorum,id eſt, potentiæ meæ,atque virtutis, extrema veſtigia pono. Omnem igitur cæleſtem, atque terreſtrem, naturam maieſtate mea compleo; & vniuerſa, quæ illius ambitu coercentur, imperio, atque poteſtate, contineo. Quam igitur ædem mihi ſatis meæ magnificentiæ decoram, & immenſæ dignitatis amplitudini conſentaneam,ædificabitis? aut quem locum, in quo ſtabilem ſedem mihi conſtituam, vt in ea perpetuo requieſcam, deſignabitis? Num exiſtimabis, numen meum his 2 ædibus, quas exſtruxiſtis, contineri poſſe? 2 At, qui vniuerſam hanc mundi machinam, quam tantis luminibus illuſtratam, & tantis ornamentis excultam,adſpicitis,ego his manibus effeci; & hæc omnia numine meo perfecta, & ſuis numeris omnibus abſoluta, ſubito in lucem prodierunt; ita,vt non modo vniuerſa natura templum meum ſit, ſed opus quoddam pulcherrimum, meam vim,& ſapientiã, indicans; ſic tamen, vt minime poſsit intra complexum illius,numen meum,atque immẽſa vis,& poteſtas,includi. Quæ igitur tandem erit domus mea, in qua habito; aut qua tandem vobis religione placabor? Mens certe humilis, & abiecta, ſuis opibus omnino diffidens,omnemq. ſpem ſalutis in mea benignitate reponens,eſt illa domus,in qua ſedem mihi deligo; animi coram me ſuppliciter abiecti moderatio, & pius quidam metus cum incenſo ſtudio legis meæ, & cura,& ſollicitudine, mihi ſatisfaciendi penitus incenſus, eſt illa religio,quæ me propitium reddit, & a puniendi ſeueritate deducit,non ſacrificia illa,quorum fiducia ſubnixi volitatis. 3 Si mihi placere ſtudetis, ſi veſtrum ſcelus expiare,ſi iuſtitiæ ſanctitatem conſequi,ſi præſidio meo muniri cupitis,fidem retinete;iudicium extimeſcite;flagitia veſtra deteſtamini; pudorem, & ſanctimoniam,conſeruate; omni mente in ſtudium pietatis incumbite; vt ſic tandem vos ab omni calamitate, quæ impendet, clementer eripiam. Alter enim,ſi in flagitijs,atque ſceleribus,veſtris obſtinate permanſeritis, numquã litabitis; immo ſacrificiis veſtris numẽ in vos acrius irritabitis. 3 Nec enim cęde pecudum, ſed interitu nequitiæ,delector. Qui igitur bouem in honorem meum iugulat, & ab immanitate minime diſcedit, is ſeſe hominis cæde, atque ſanguine, cruentat; &,qui ouem immolat, & impudentiam minime deteſtatur, magis ſacra polluit,quam ſi canem mihi, contra præſcriptum legis,immolaret. Ea ſiquidem lege, qua, ne cane ſacrificium fieret, interdixi, non canem, ſed nequitiam, & impudentiam, mihi vehementer inuiſam eſſe,declaraui. Qui vero munus offert,& lutulenta flagitia conſectatur, is plane ſuis ſanguinem circum altare meum fundit; &, qui thus adolet,& iniuriam ciuibus ſuis infert,is, iniquitatis tęterrimo ſuffimento, ſanctiſsimi numinis æquitatem placare fruſtra contendit. Hæc enim ſacra, ſi per ſe ſpectentur,numquam vobis vllam opem attulere; ſed ſigna tantum fuere,quamdiu ratio temporis ita tulit: quorum admonitu vera ſacra coleretis, & victimis mihi gratiſsimis faceretis. Sacrificium enim mihi acceptiſsimũ, omniq. odoris ſuauitate fragrantiſsimum, in eo poſitum eſt, vt quiſque viam ſuam deſerat, & effrenatæ voluntatis impuritatem exſecretur, ſenſuſq. ſuos excidat, & nefariam cupiditatem reſecet,& totus mei amoris ignibus concaleſcat: quod cum non facitis, immo, contempta, & abiecta veritate, vmbras iuſtitiæ,& inania ſanctitatis ſigna, perſequimini, non vos religionem colitis, ſed numini meo, impudentiſsima ſimulatione pietatis, illuditis; maxime vero, poſtquam accepiſtis, non cæleſtium rerum vmbras, ſed expreſſam ſanctitatis effigiem, eſſe totis animi viribus amplectendam. 4 Quando igitur ita voluerunt, & inconſideratam mentis impuræ temeritatem meis placitis antetulerunt, ego ſimiliter eligã,quibus illudã, & pœnã illis eorum amentiæ debitam ſeuere conſtituam. Exitiũ enim, quod euenturũ formidabant,& cuius auertendi gratia ſacra ſollicite faciebant, illis inferam; eoſq. ſupplicio ſempiterno mactabo. Mẽ enim ipſum ſpreuerunt; meum imperium repudiauerunt; meamq. beneficentiam ingratiſſimis animis aſpernati ſunt: Eos namque ad ſalutem vocaui,& nemo reſpondit; veram legis intelligentiam, atque diſciplinam tradidi, & nemo me audire voluit. Nunc igitur meritæ impietatis,atque perfidiæ,ſupplicia ſubibunt. 5 Vos appello,qui,cum ex eadem ſtirpe ſitis procreati, minime fratrum ſcelere delectamini: Domino enim dicto audientes eſtis, &,metu verbi illius,contremiſcitis. Audite igitur, quid iſti fratres veſtri, qui vos immani quodam odio perſequuntur, & propter nomẽ meum expellunt,& eijciunt,ſuoq. aditu,& cõgreſſu, penitus arcendos exiſtimant: tantum eſt apud illos odium mei,vt ea gratia vos peſſime oderint, quod ad nomen meum adiuncti ſitis. Audite igitur, quid iſti dictitent, vt intelligatis,quid tandem eos a cultu veræ religionis auertat: Grauis, & moleſtus eſt nobis, inquiunt, Dominus. Duriſsimum enim iugum nobis impoſuit: omnibus naturæ blandimentis interdixit; aſperam, & incultam, viam tenere compellit; & omni diſciplinæ ratione, ab eo, quo naturæ cupiditas inclinat, abducit. Hoc diſciplinæ odium penitus inſitum eos a me multo magis abalienauit, cum crucem illis proponerem, & inuiſam illis viam inire docerem. Sed ego tandem faciam, vt experiundo ſentiatis, quam ſuauis, atque iucunda ſit hæc vitæ ratio; quam ſit omni voluptate referta crucis diſciplina; quam leue ſit hoc iugum,quod illi duriſsimum, propter infi-

nite

Quæ eſt iſta domus, quã ædificabitis mihi?

3 qui immolat bouem.

Vnde & ego eligam.

5 Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbũ eius.

Et videbimus in lætitia veſtra.

nitæ cupiditatis impotentiam, cui ſunt addi-
cti penitus, arbitrantur. Vos itaque, qui cor-
poris voluptates, & vitæ commoda, pro mei
nominis gloria, repudiauiſtis, incredibilem
lætitiam ex opibus, & voluptatibus, in quibus
verſabimini, capietis. Illi vero, propter om-
nium rerum inopiam, & doloris acerbitatem,
qua cruciabuntur, erunt extremo dedecore
6 maculati. 6 Vox, inquit Propheta, & ſtrepitus
ingens ex vrbe ad aures meas peruenit; vox
de templo horribilis exſiſtit, vox Domini præ
ſentiam declarans, auditur. Adueniet enim
Dominus, vt ſupplicium de ſuis hoſtibus ſu-
mat, & ſceleſtiſsimum facinus eorum, qui il-
lius imperium accipere noluerunt, vlciſcatur.
Hoſtes igitur illius pœnas meritas luent; &,
cum numinis rectiſsimo iudicio peruerſi cor-
ruerint, tum vel maxime, quam mirabili ra-
tione Dominus fidem excitet, & ſuorum nu-
merum augeat, & ſanctæ ciuitatis dignita-
7 tem amplificet, apparebit. 7 O vim Diuinæ
virtutis admirandam? O inauditam clemen-
tiam? O facinus ſtupendum, immortaliq. præ
dicatione celebrandum? Mulier, multo ante
quam parturiendi tempus aduentaret, (vix
enim ſemen aluo conceperat) cum præter om
nem naturæ ſpem filium marem enixa repen-
8 te fuit. 8 Quis ſimilem rem vmquam ſama, &
auditione, percepit? Num terra, ſeminibus
grauidata, fruges, & olera, atque arbores, re-
pente profundit? Num gens, numero multi-
plex, & vno temporis momento ſine matris
dolore, atque adeo ſine vlla ſpe partus, in lu-
Quia parturiuit, & peperit Sion filios ſuos. cem edita fuit? At cæleſtis illa Ieruſalem, &
mons Sion, in quo templum illud ſempiter-
num, quod nullis hoſtium viribus exſcindi,
aut labefactari, poteſt, exſtructum eſt, tempo-
re, quo maxime videbatur impiorum homi-
num ſcelere, & improbitate, Diuinum pieta-
tis ſemen exſtinctum, filios ſuos & parturiuit,
& confeſtim peperit. Ingentem namq. homi-
num multitudinem Diuini verbi ſatu genera
tam repente in lucem edidit, & ſecum bono-
rum omnium communione conſociauit. Non
intumuit illius vterus; nō longi temporis mo-
leſtiam pertulit; non abortiendi periculo con
flictata eſt; ſed abſq. labore, & abſq. vllo ſalu-
tis, & vitę, diſcrimine, filiorum multitudinem,
Diuina forma, & ſpecie, nitentem, repente ge
9 nuit. 9 Quod tamen, inquit Dominus, mini-
me mirandum eſt. Ego enim populum iſtum
ſpiritu meo genui; neque fieri poteſt, vt, quod
ego verbo meo procreandum ſuſcipio, vllum
caſum ſubeat, quo minus ad effectum perue-
niat, atque luce perfruatur. Num illa, cui ego
iam ſpiritu meo grauidæ, vt appropinquaret
partus, effeci, nō pariet? Num ego, qui parien-
di vim tribuo, nullam ſobolem procreabo?
10.11 Gaudete cū ea gaudio vniuerſi. 10. 11 Sanctæ ciuitati de illius feliciſsima fe-
cunditate gratulamini; omnes, qui florentem
ſtatum illius diligitis, ingenti gaudio cumu-
lamini. Qui eſtis de illius condicione ſolli-
citi; &, propter illius vexationem, vos lacry-
mis, & lamētis, dediſtis, ex illius matris vbe
ribus mirifica ſolatia percipietis; eiuſdemq.
vbertate ſatiati, magnos in dies progreſſus fa
cietis; vt purum, liquidumq. gaudium, quaſi
quoddam lac dulciſsimum, hauriatis, & ex il-
lius gloriæ ſplendore, & decoris excellentis
amplitudine, voluptatem eximiam capiatis.
12 Sic enim Dominus ait: Ecce ego ſuper eã, 12 quia hæc dicit, Dominus.
quaſi fluuium, ſempiternam pacem effundam;
gentiumq. gloria ad eam, quaſi quidam tor-
rens, confluet, vt omnes, ſiue ſint natura tribu
les, ſiue alienigenæ, eodem fidei vinculo con-
ſtricti, eandem matrem agnoſcant, quæ vos
vniuerſos lacte iucundiſsimo nutriat, & gre-
mio, & complexu, contineat, & ſuper genua
ſua, quaſi pueros infantes, oblectet. 13 Vt enim 13
quilibet e matre ſua, a qua amanter educa-
tur, natura voluptatem capit, ſic ego vos Ec-
cleſiæ opera conſolabor; atque perficiam, vt
ex illa mirum iucunditatis fructum, & ſola-
tium, percipiatis. 14 Illius inclytas opes ad- 14
ſpicietis; & ingenti gaudio animus veſter effe
retur. Et mentis veſtræ vires excitabuntur;
roburq. veſtrum, epulis Diuini ſpiritus confir
matum, opibuſq. Diuinis in dies magis exag- Et cognoſcetur manus Domini ſeruis eius.
geratum, exſurget; & exploratum erit tunc
omnibus, quam propitius ſit Dominus piis,
qui cupiditate illius inflammati rapiuntur;
quam infeſtus improbis, & ſceleratis, qui no-
men illius conuicijs omnibus inſequuntur. Vt
enim ſuos augebit opibus, & ornamentis Di-
uinis illuſtrabit; ſic etiam hoſtes ſuos acerri-
me perſequetur. 15 Veniet enim tandem Do- 15
minus, cum diro terribilis ignis incendio; &
& quadrigæ, quibus inuehetur, erunt turbini,
atque procellæ, ſimillimæ, vt ſupplicium de
hominum improbitate ſumat, &, iracundiæ
ſuæ grauitate, diriſsimiſq. flammis, omnia,
quacumq. peruaſerit, acerrime populetur.
16 Cum enim Dominus iudicium conſtitue- 16
rit, igne, atque gladio diſtricto, in hominum
ſcelera vindicabit; innumerabiliſq. multitu-
do telis illius confixa funditus interibit.
17 Nullā tunc opem afferent hominibus ina- 17 qui ſanctificabātur.
nes luſtrationes, atque piacula, quibus ſibi
blandiuntur; &, quaſi iam abſolutam ſanctita-
tem conſecuti ſint, ita, ſubnixi ſpecie quadam
religionis, ambulant. Dum enim ſuam iuſti-
tiā, quæ in operibus, ad corporis religionem
pertinentibus, tota conſiſtit, omni mente con
ſectantur, minime in veram iuſtitiam, quæ
Diuino munere, & beneficio, continetur, & vi-
genti fide, & officio, comparatur, incumbunt;
& ita, cum aliquid ſemper ad inſitam impro-
bitatem addant, & inania piacula frequen-
tent, non modo ſcelere non ſoluuntur, verum
etiam artius, atque vehementius, adſtringun-
tur. Sancti enim ſunt, non illi, quos inſtitutæ
ab hominibus luſtrationes expiant, ſed quos
Deus ſcelere ſoluit, atque iuſtitiæ muneribus
exornat. Iſti igitur, qui, non ſecus atq. ij, qui
ſibi

ſibi ſanctitatem aſſumunt, & puritatem reli-
gionis oſtentant, eo quod corpus in hortis
abluerint, in medio loci religionibus impu-
riſsimis dedicati, aqua e puteis poſt terga re-
lictis hauſta, corporis ſordes abſterſerit, dum
corpus aliqua religionis cærimonia purga-
tum gerunt, animum eſſe iam omni crimine
liberatum putãt, cum interim in ſordibus vo-
lutentur, & omnes flagitiorũ immanium im-
puritates ſuſcipiãt. Ergo iſti etiam pœnas im
pietatis exſoluent; & ſimul cum reliquis, qui
nullam ſibi religionem adhibendam cenſue-
18 runt, euertentur. 18 Quamuis enim oculos ho
minum fallant, & ſanctitatis ſpecie multitu-
dinis plauſum excitent, me fallere nõ poſſunt.
Nam & illorum nefarias actiones, & impuras
cogitationes, exploratas, & penitus cognitas,
habeo. Ad alia vero cruciamenta, quæ patien
tur, magnus eis ex gentium dignitate cumu-
lus accedet; cuius adſpectu contabeſcent. Ad-
uentat enim tempus, quo ſunt gentes ex om-
nibus terrarum partibus, atq. linguis, opera
Chriſti, ad pietatis ſtudium conuocandæ, quæ
confeſtim venient; & gloriã meam intuebun-
tur. 19 Signum enim cunctis nationibus ſub-
lime proponam; & ex Iudęorum reliquiis, quę
ſalutem fide incenſa, & inflammata, conſecu-
tæ ſunt, Legatos in omnes orbis regiones mit
tam; ita, vt, etiam, quæ plurimum a ſanctitate
meæ religionis abhorrebant, eorum opera ad
me continuo perducantur. In Ciliciam, in Li-
byam, in Perſidem, penetrabunt; Occidentis
ſolis regiones peragrabũt; inſulas, ſitu diſiun-
ctiſsimas, ad quas numquam fama mei nomi-
nis peruaſerat, adibunt. Ad omnes denique
gentes, quę nullam numinis mei cognitionem
habebant, ſe ſummo quodã ſtudio conferent,
vt illis gloriam meam annuntient, eaſq. cæle
20 ſtibus diſciplinis inſtituant. 20 Non eſt igi-
tur fidei, neque ſapientiæ, veſtræ, eos tantum
fratres exiſtimare, qui ſecundum rationem
humani generis, atque ſeminis, eadem ſtirpe
propagati ſunt; ſed qui eandem fidem colunt,
eiuſdemq. patris veſtigia perſequuntur. Hi
igitur diuini viri, quos in gentes alienigenas
legaturus ſum, ex omnibus gẽtibus vobis fra-
tres adducent, quos Domino, vt hoſtias gratiſ
ſimas, offerant. Omni igitur ſtudio, incredibi
liq. animorum contentione, equis, & quadri-
gis, & lecticis, & iumẽtis, & curribus, inuecti,
conuenient. Conuenient ad montem ſanctum
meum; omniaq. tandem ſeruient eorum ſtu-
diis, qui fidem, & religionem, meam profiten
tur; vt, ſine moleſtia, atque laſsitudine, virtu-
tis, & pietatis, curſum conficiant. Vt autem,
inquit, lege ſancitum fuit, vt filij Iſraelis mu-
nera vaſis puris allata Domino conſecrarent;
ſic gentes, meorum Legatorũm opera ab om-
nibus flagitiorum ſordibus expiatæ, mihi offe
rentur, vt illis hoſtiis acceptiſsimis honores
meo numini deferantur, ſanctiſsimaq. religio
ne nomen meum in domo mea celebretur.
21 Quin ex ipſis gentibus mihi Sacerdotes, &
religionis miniſtros, eligam, qui ſacra ferant,
& hoſtias immolent, meq. propitiũ reliquis,
pro quorum ſalute numen venerabuntur, effi
ciant. 22 Vt enim, quemadmodũ ante dictum 22
eſt, cælum nouũ, & terram nouam, ſum eo tem
pore creaturus; (nouæ namque, & inſolitæ, lu-
cis ſplendor orietur, nouaq. forma Diuinæ le-
gis, atq. cæleſtis Reip. conſeretur) ita etiam
nouum ſacerdotij genus erit inſtitutũ, quod
non tantum ad tribum Leui, ſed etiam ad
omnes, ſiue illi Iudæi ſint, ſiue gentes, a Iudæo
rum ſanguine, atq. moribus, & inſtitutis, alie-
næ, dummodo ſint ſanctiſsimis religionis mu-
neribus ornatæ, pertineant. Legis enim inno-
uatæ commutationem, ſacerdotij commuta-
tio conſequetur. Ego enim eos, quos dignos
inuenero, ex omnibus gentibus in hunc ſacer
dotij ordinem cooptabo, vt in conſpectu meo
conſiſtant, mihiq. perpetuo ſacrificent; genuſ
que ſanctum, quod numquã deleatur, eorum
diſciplina, Diuinæq. virtutis exemplo, propa-
getur, meumq. ſacerdotium ſemper admini-
ſtrent. Nec enim vmquam munere ſpoliabun-
tur; nec eorum nomen exſtinguetur. 23 Perpe
tua quadam celebritate dies feſtos agitabũt;
& illa ſempiterna animorum requiete, atque
tranquillitate iucundiſsima, quam iuſtitia pa
rit, in omni æternitate perfruentur. Omnes
tandem gentes vndique confluent; vt numen
meum colant, atque venerentur, inquit idem
Dominus, cuius fides claudicare non poteſt.
24 Porro autem, in tã felici ſtatu piorum ho- 24
minum, nõ erit etiam mediocris illa materia
Diuinæ iuſtitiæ, atq. ſeueritatis, ſummis laudi
bus extollendæ. E corpore namq. agitatione
mentis excedent, vt ſupplicia cernant, quæ
ſunt impijs, & ſceleratis, hominibus irrogata.
Nec enim illa conſcientiæ peſtis, quæ impio-
rum animos exedit, atque conficit, mori po-
teſt; nec ignis ille, quo excruciãtur, exſtingui.
Nec erit interim, qui illorum vicem doleat,
atq. ſupplicijs, quæ patiuntur, miſericordiam
tribuendam exiſtimet. Erunt enim omnibus
odioſi, & inuiſi, maioribusq. ſupplicijs digniſ-
ſimi reputandi.

Margin notes:
(17) qui comedebant carnem ſuillam.
19 Et ponam in eis ſignũ.
Et adducent fratres veſtros de cunctis gentibus.
21 Et aſſumã ex eis in ſacerdotes, & leuitas.
23 Et erit mẽſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato.

Digitized by Google

# HIERONYMI OSORII LVSITANI IN OSEAM PROPHETAM COMMENTARIA.

## *CAP. I.*

VERBVM Domini, quod factum eſt ad Oſee filiũ Beeri, in diebus Oziæ, Ioatham, Achaz, Ezechiæ regum Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas Regis Iſraelis. Principium loquendi Domini in Oſee: & dixit Dominus ad Oſee: Vade, ſume tibi vxorem fornicationum; & fac tibi filios fornicationum; quia fornicans fornicabitur terra a Domino.

Quæſtio ſolet inter homines ſanctis litteris inſtitutos agitari, an hoc ita re factum fuerit, an potius per viſum diuinitus aſsimulatum exiſtimaret Propheta, vt Dei imperiũ exſequeretur, copulare ſibi matrimonio meretricem, & ex eo matrimonio filios macula genitricis infamis generaſſe. Si meretricem duxit, officio ſuò functus fuit. Nec enim crimen hærere poteſt in eo, qui iuſsis Diuinis ob temperat. Siquidem peccatum non eſt aliud, quam rebellio, qua Domini imperium detrectamus. Si vero fuit nocturnum viſum, quod rem geſtam portenderet, quod magis reor, in viro Diuino non modo crimen, ſed nec criminis vlla ſuſpicio reſidere potuit. Quoquo tamen modo id acciderit, portẽtum fuit, quo Dei miſericordiam flagitioſæ plebi tributam fuiſſe conſpicimus. Propheta namque Diuini ſpiritus imaginem geſsit, qui Synagogam Iudæorum a meretricio quæſtu abduxit. nam, cum ſimulacris immolaret, & flagitiis innumerabilibus ſeruiret, eam ſibi matrimonio copulauit. Matrimonij fœdus lex Diuina fuit, cuius religione populus ille ſe adſtrinxit, ne deinceps ſimulacris immolaret, immo Deum caſte, & religioſe, coleret. Ex hoc matrimonio multi viri ſancti prodierũt. Quo nomine vero mater & filius nominati fuiſsẽt, recenſet continuo Propheta. Sequitur enim:

Et abiit, & accepit Gomer filiam Diblaim, quæ concepit, & peperit ei filium. Et dixit Dominus ad eum, Voca nomen eius Iezrehel: quoniam adhuc modicum: & viſitabo ſanguinem Iezrehel ſuper domum Iehu: & quieſcere faciam regnum domus Iſrael.

Nomina myſteriũ continent. Gomer enim deſignat deficientem, quod aptiſsime quadrat in Synagogam, immemorem beneficiorum Diuinorum, & in dies labentem, & paullatim ad flagitia declinantem. Diblaim ſignificat maſſas caricarum. Vt fructus fuerit aliqua ex parte dulcis, ærumnoſus tamen, & multis anguſtiis oppreſſus, qualis fuit gens Hebræa eo tempore, quò Pharao, Rex Aegypti, eam duriſsima ſeruitute oppreſſam continebat. Recte igitur per caricarum maſſas compreſſas, & valde cõpactas, deſignita fuit. Itaque, quamuis ſanguis ſanctorum patrum non fuerit iniucundus, erat tamẽ calamitatis magnitudine ſibi ipſi vehementer acerbus. Filius appellatus eſt Iezrehel; hoc eſt autem, ſemen Dei. Multi namq. viri in Iſraele fuerunt hoc nomine digni, in quibus nempe lumen Diuini ſpiritus eluxit. Aſsignat autẽ rationem, quare hoc nomen illis conuenire perſpici facillime potuiſſet. Ego namq. in vindicta oſtendam, illos meos filios eſſe, quos nempe ſpiri-

tus mei ſatu procrearim. Vlciſcar enim illorum ſanguinem;& ſupplicium ſumam de ſceleratis,& homicidis, qui in ſanctorum ſanguine cum impudentia,& immanitate, bacchati ſunt. Iccirco dicebat Helias, Altaria tua ſubruerunt, Prophetas tuos occiderunt, & relictus ſum ego ſolus, & quærunt animā meam, vt auferant eam. Et, quia ſanctorū hominum ſanguis voces emittit,& vindictam efflagitat, Deus opportuno tempore iram ſuam profundit, atq. tandem oſtendit, quantam illius offenſionem excitēt, qui iuſtis, hoc eſt Dei filiis, perniciem moliuntur. Iccirco ait, ſe regnum Iſraelis funditus euerſurum. Denuntiat Iſraeli vaſtitatem, & exitum, quem domum Iehu nominat, propterea quod regnum Iſraelis fuit Iehu Dei benignitate conceſſum, in quod beneficium ille ſe ingratum præbuit,& poſteri illius inſtitutum ſcelus crudelitate, & impietate, cumularunt. Ait deinde:

Illa die conteram arcum Iſraelis in Valle Iezreheel.

Per Arcum intelligit vires & arma, & virtutis militaris ſtudium. Hoc igitur ait, Eneruabo vires hominum impiorum, & robur illorum infringam, ita, vt in prœlio hoſtium impetum ſuſtinere nequeant, ſed ab illis in acie concidantur. Et, vt magis vltio numinis appareat, in valle eodem nomine inſigni pœnas ſceleris immaniſsimi perſoluent. In eo namque valle fuit prœlium commiſſum, quo ſtrages Iſraelis edita fuit.

Et concepit adhuc, & peperit filiam. Et dixit ei, Voca nomen eius Abſque miſericordia: quia non addam vltra miſereri domui Iſrael, ſed obliuione obliuiſcar eorum.

Sæpenumero, cū Iſrael in ſe Dei iram concitabat, & ea de cauſſa vel hoſtium dominatum pati, vel exſilium, & alia ſupplicia ſubire cogebatur, tamen, vt ſe recipiebat, & ad officium redibat, in ſtatum, vnde conciderat, Diuina clementia reſtituebatur. Manebat adhuc in vita Iezreheel, nempe Dei ſemen; cuius meritis,& exemplis, reuocari, & cuius precibus ſubleuari poterat. At Iezreheele, hoc eſt ſanctorum natione, de medio ſublata, cū mores omnino corrupti fuiſſent,& flagitia, & ſcelera miris acceſsionibus amplificata, par erat iā, vt ſtatus ille rueret,& ſe præcipitem daret in locū, vnde reſtitui in priſtinam dignitatem non facile poſſet. Fetus igitur, non maris, ſed feminæ, nomen obtinuit, vt virtutem gentis effeminatam deſignaret; & appellata eſt Loruhama, ideſt Miſericordiam minime conſecuta, vt portenderet, Iſraelis regnum numquam inſtaurandum fore. Iſraelem appello, Scripturæ conſuetudine, quæ Iſraelem, poſt diſcidium decem tribuum, a Roboamo, Solomonis filio, a Iuda regno diſtinguit. Conſtat autem, numquam Regnum illud, poſtquam ab Aſſyriis euerſum fuit, reparatum,& in priſtinas opes vindicatum fuiſſe. Nominis continuo rationem apponit. Quia, inquit, nō vltra miſerebor domus Iſrael, ſed funditus euertā illam. Id autem ita plane geſtum fuit,& exitus rerum id, quod fuerat a Deo denuntiatū, apertiſsime comprobauit. Nec enim regnum illud ab Aſſyriis ſemel euerſum excitari,& libertatem, aut dignitatem amiſſam recuperare potuit. At Iuda regnum, cuius clauum Reges aliquot ſanctiſsimi tenuerunt, quamdiu in illo pietatis diſciplina floruit, propitium in ſe numen expertum eſt,& cōtra maximorum regum opes, cum eſſet tenui,& infirmo præſidio munitum, ſalutem, & dignitatem conſeruauit. Iccirco ſubiungit ipſe Dominus:

Et domui Iuda miſerebor, & ſaluabo eos in Domino Deo ſuo.

Hoc in loco Iudęorum perfidiæ ſecurim iniectam eſſe conſpicimus, ita, vt impietas conuicta teneatur,& tergiuerſari nō poſsit. Deus enim ipſe dicit, fore, vt ſalutem Dei ipſius opera conſtituat. Et vtrobiq. idem nomē, nempe יהוה quod nullo modo niſi in Diuinam naturam conuenit, appoſitum videmus. Et tamen alium eſſe cernimus, qui ſalutem ſe daturum pollicetur,& alium, cuius vi, atq. numine ſe ſalutem allaturum pollicetur. Vnde neceſſario concluditur, numen diſtingui, nō quidem ſecūdum naturæ rationem, quæ vna & eadem eſt, ſed ſecundū perſonarum diſcrimen, qua filius a patre diſcernitur. Hoc igitur eſt, quod ipſe Dominus futurū prę nuntiat, fore nempe, vt Iuda ab ipſo ſalutem in Patris nomine conſequatur. Vt id autē magis explicet, illā ſalutē non armis humanis, ſed ope filij Dei, parandā eſſe, qua Rex Aſſyrij profligatus fuit, adiūgit:

Non ſaluabo eos in arcu, & gladio, & in bello,& in equis, & in equitibus.

Victoria quidem non humana virtute, ſed Diuino præſidio comparatur. Deus enim eſt, qui animos virtute corroborat, qui mentes conſilio inſtruit, qui alacritatem incitat, qui deniq. victoriam concedit. Id tamen minus, ꝓpter inſolentiā minime tolerandā humanę temeritatis, apparet; quę tāta eſt, vt Diuini beneficij magnitudinē ad gloriam ſuā traducere conetur;&, quaſi nō Dei præſidio, ſed inſita virtute hoſtē profligauerit, efferatur. Ea de cauſſa voluit aliquot in locis Deus, vt ſine ſuorum armis hoſtes euerſi conciderent. Iccirco Senacherib, cū Ieroſolymā armis & munitionibus obſeſsā teneret, abſq. vllo Iudęorū labore profligatus aufugit; & ſceleris pœnas in regno ſuo ꝑſoluit. Proſequitur deinde Propheta eadē ratione rerū futurarū ꝑdictionē:

Et ablactauit eam, quæ erat Abſq. miſericordia;& concepit, & peperit filium.

Et ait

Et ait Dominus, Voca eum, Non populus meus: nec enim vos eſtis populus meus, & ego non ero Deus veſter.

Mater ablactauit filiam nomine Abſq. miſericordia, ab Hebræo dicta Loruhama. Hoc eſt, Iſrael multis diebus deſtituta permanſit, & in ea orbitate tamdiu perſeuerauit, vt, quaſi durior effecta, callum miſerijs obduceret, & ſtatum illum calamitoſum diuturna conſuetudine ferre condiſceret, cum ærumnoſa mater alium filium edidit, cui nomen indidit, quod acerbiſsimum, & luctuoſiſsimum ſtatum explicaret. Hoc eſt autem Lohami, id eſt, Non populus meus. Cum enim omnis ſpes vitæ, ſalutis, & dignitatis, & incolumitatis in Deo collocanda ſit, cum in illius tantum præſidio omnia noſtra bona conſtituta ſint, cum is ſolus nobis Dominus, dux, & pater, & tutor exſiſtat, cuius imperio, diſciplina, benignitate, patrocinio conſeruamur, & ad ſpem immortalitatis erigimur; cum, ab illo relicti, tenebris continuo demerſi, omnique robore ſpoliati, hoſtibus immaniſsimis prædę, & direptioni tradimur; quid acerbius, & calamitoſius animo fingi poteſt? Has igitur miſerias omnes hoc admodum lugubre nomen, atque maxime deteſtãdum deſignat. Hoc autem nomine appellari debuit Iuda regnum, poſtquam fuit piorum regum imperio, virtute, & religione nudatum, &, regibus religionis oblitis, in hominum flagitioſorum pœnam permiſſum. Religio namq. paullatim labefieri, & mores peſsimæ vicinitatis contagione corrumpi cœperunt, vſque adeo, vt ne veſtigiũ quidem priſcæ pietatis, ſeueritatis, & continentiæ reſideret; ſed omnia ad Reipublicæ perniciem laberentur, & ruerent; atque ita tandem homines a Dei metu ad ſtudium ſceleris, & immanitatis, cum ſumma temeritate, & impudentia, traducti, numen in ſe Diuinum prouocarent, &, ab illo deſerti, Babylonem, in miſeriam, & diuturnam ſeruitutem, abducerentur. Ab eadem igitur matre, quæ fuerat turpitudinis meretriciæ flagitiis affinis, tres filios editos fuiſſe cernimus. Primus a ſemine Diuino nomen inuenit, quod portendebat viros caſtos, & integros, qui ſanctiſsimis diſciplinis, & inſtitutis, hominum flagitia coercerent, ex infami matre ſatu Diuino procreatos fuiſſe. Deinde, cum improborum odium in illos exarſiſſet, (non facile enim patiuntur homines profligatiſsimi eorum vitam a bonis exagitari) & ea de cauſſa fuiſſent multis ſuppliciis affecti, fuit in eorum ſcelus, qui ſanctorum cædem fecerant, acerbe vindicatum. Et ſic filia nata eſt, quæ fuit nominata Abſque miſericordia, ſiue Hebraice Loruhama. Nec enim par erat, vt, quæ nulla miſericordia fuerat a tam immani ſcelere retardata, miſericordiam vllam conſequeretur. At, cum Hieroſolymitani ciues non ita diu pietati operam dediſſent, ſed a cultu cæleſtis numinis, & a ſtudio ſanctiſsimæ legis auerſi, impietatis, libidinis & immanitatis, innumerabilia ſcelera ſuſcepiſſent, tertius filius infeliciſsimo ſatu propagatus fuit, qui Lohami, id eſt, Non populus meus, appellatus eſt. Et ob id euerſus ab hoſtibus, & impotenti dominatu vehemẽter oppreſſus exſtitit. Si enim vere Dei populus fuiſſet, in illius certe patrocinio latuiſſet. Si fuiſſet in Dei præſidio, nullam profecto vim in illum hoſtes habuiſſent. Sed hic potuiſſet aliquis dicere, Si ita futurum eſt, quid Diuinis promiſsis fiet? Si enim regnum Iſraelis euertendum, ſi ſpes priſtini ſtatus recuperandi prorſus incidenda, ſi Iuda eſt etiam Dei præſidio nudandus, ſi nec Iſrael miſericordiam conſequetur, ſi Iuda dignitate ſua priuabitur, ita, vt non Dei populus appelletur, vbi ſpes illa Diuinis promiſsionibus excitata? Vbi Dei fides? Vbi gratiæ Diuinæ conſtantia? Sic enim ad Abraham effatus fuerat. Multiplicabo ſemen tuũ, ſicut ſtellas cæli, & velut arenam, quæ eſt in litore maris. Quo in loco viro ſanctiſsimo non modo poſteritatis claritatem, ſed numerum etiam ingentem filiorum, promittit. At claritas ineſſe in illis non poteſt, qui a Deo deſeruntur; neque eorum ſemen multiplicari, qui a ſtirpe ira numinis exciduntur. Hoc ne dici poſsit, ait Propheta:

Et erit numerus filiorum Iſrael vt arena maris, quæ ſine menſura eſt, & non numerabitur.

Sed, quem fructum fert hominibus multitudo, ſi genus in acerbitate, & obſcuritate latuerit? Nullum prorſus. Immo, quo plures exſtiterint, eo calamitas erit magis multis partibus amplificata. Cupio, me non multitudine cum arena conferri, ſed cum ſideribus claritate comparari. Ne hoc dici poſsit, adiungit continuo:

Et erit, in loco, vbi dicetur illis, Non populus meus vos; dicetur eis, Filij Dei viuentis.

Quaſi dicat, non putetis, nullam vobis, poſt illatam vaſtitatem, ad meliorem ſpem inclinationem faciendam. Eum enim ſtatum tandem aſſequemini, vt ſidera etiam claritate, & ſplendore ſuperetis. Non ſolum enim populus Domini appellabimini, verum & filiorum Domini nomen obtinebitis. Et hoc quo tandem pacto fiet? Per fidem, ſummo illo duce, & imperatore, nixam, qui terras eſt admirabili clementia luſtraturus, vt iacentes erigat, & collapſa reficiat.

Et congregabuntur, inquit, filij Iuda, & filij Iſrael ſimul; & imponent ſibi ca-

put vnum; & aſcendent a terra, quia magnus eſt dies Iezreheel.

Primum quidem, dum ait, Congregabuntur, ſimul oſtendit, quantum diſcrimen eſſet futurum inter ſtatum illum, quem prænũtiat, & illum priſtinum, vnde conciderant. In illo namque primo fuit in Iſraele fluxa fides, & ſumma partium contentio. Numquam enim, poſt illud regnorum diſsidium, decem tribubus cum reliquis duabus recte conuenire potuit. Itaque non vnum regem, ſed duos, habuerunt, & eos ſæpe inter ſe hoſtili odio diſſidentes. In illo vero ſtatu, quem vobis, inquit, præmonſtro, erit omnium hominum fidelium, qui nomine Iuda, & Iſraelis, deſsignantur, ſumma mentis, & voluntatis, & ſententiarum conſenſio. Itaque non duos ſibi reges, ſed vnum ſempiternæ ſalutis architectum, & libertatis vindicem, firmiſsimæq. pacis auctorem, ſibi conſtituent; quo duce, & imperatore e tenebris emergent, & e regione miſerrimę ſeruitutis, in ſummam libertatem, atque adeo in cæleſtes ſedes, adſpirabunt. Non enim mediocre, & vſitatum beneficium cogitetis animis veſtris. Magnus enim dies Iezrahelis. Hoc eſt, illo die filij Dei maxima præmia, atque diuina, qualia eorum dignitatem decent, a patre ſummo conſequentur. Nempe veram animorum libertatem, nullis ſæculis interituram dignitatem, immortales, atque Diuinas opes, voluptatem ſtabilem, quę verbis explicari non poteſt, & reliqua munera, quæ Chriſti, Regis æterni, magnificentia in animos, qui illi fuerint adiuncti, congerentur. Hoc autem in loco venit in mentem mihi vehementer admirari, non Iudæos, (ſunt enim orbati ſenſibus, & omni rectæ rationis lumine deſtituti) ſed Chriſtianos ita Iudæorum ſenſibus addictos, vt in ſententias incidant abſurdiſsimas. Hanc enim viri Diuini prædictionem ad Zorobabelis tempus, & moderationem conferũt. Quo nihil poteſt amentius excogitari. Primum enim, qui cum Zorobabele in Iudæam redierunt, non erant multitudine cum arena maris conferendi. Arena enim numerari non poteſt: at illi omnes numerati ſunt. Eorumque cenſus quadraginta tantum millia, & trecentum & triginta & ſex hominum liberorum capita continebat. Deinde non omnes Iſraelitæ reuerſi in Iudæam ſunt, immo multo maior eorum pars in variis, & diſiunctiſsimis ſedibus, & in inſtituto exſilio permanſit. Deinde beneficium illud receptæ libertatis non fuit ita magnum, vt ea de cauſſa debuiſſet ille dies Iezrahelis magnus appellari. Si enim adorationis vim diligenter attenderis, neceſſe eſt, vt intelligas, illa die tale beneficium collatum, quale numquam antea temporibus vllis exſtitiſſet, dignum videlicet Dei ipſius liberalitate, & gratia, dignum illius beneficentia, dignum amplitudine, & dignitate filiorum Dei. At ea libertas, quam Iudæi, duce Zorobabele, conſecuti ſunt, non ea fuit, quæ poſſet cum eo ſtatu qui fuit ſub Dauide, aut Solomone, vt alios reges omittam, aliqua ex parte conferri. Non enim ita erant liberi, vt nõ eſſent adhuc Perſarum legibus adſtricti, & multis incommodis, quæ illis vicinæ gentes inferebant, expoſiti. Itaq. vexati, & impugnati, maledictis etiam confixi, & indignis calamitatibus exerciti, ſępe numero inchoatum opus intermittere cogebantur. Non igitur erat magnus ille dies Iezrehelis, neq. tale beneficium, quale conueniebat a Dei infinita probitate filiis cariſsimis præſtari, vt tanto promiſſo ſatisfieret. Si dixerint, Zorobabelem ſimilitudinem Chriſti noſtri liberatoris expreſsiſſe, ideo aliqua ex parte id, quod a Propheta dicitur, ad illam, tamquam ad vmbram, & imaginem, pertinuiſſe, nõ repugnabo. Si vero ea mente fuerint, vt exiſtiment in Zorobabele huius promiſsionis euentum conſtitiſſe, minime ferendum arbitrabor. Sed ad inſtitutum redeamus. Hoc in loco Propheta, cum mente cerneret eorum multitudinem, quæ vndiq. erat ad Chriſtum adiungenda, vt ius cæleſtis ciuitatis adipiſcerentur; & ſimul animo proſpiceret Synagogæ duritiam, & immanitatem, quæ neque tanta multitudine Diuinæ ſobolis emolliri poſſet, vt ad Chriſti fidem, & animi veriſsimam libertatem, contenderet, Dei ſemen hortatur, & admonet, vt eos, quibus cum ſanguine coniuncti ſunt, a quibus tamen factis impuriſsimis abhorrent, aſperis verbis inſectentur. Hoc quidem Petrus, hoc Paulus, hoc Stephanus, hoc reliqui Chriſti diſcipuli factitarunt, vt eorum perfidiam, qui Dei miſericordiam aſpernabãtur, & reprobant, & in Dei populo cenſeri nolebant, ſententia plena grauitatis arguerẽt. Hoc eſt igitur, quod hoc in loco vir Diuinus facere pręcepit. Sic. n. ait:

Dicite fratribus veſtris, Populus meus; & ſorori veſtræ Miſericordiam conſecuta. CAP. II.

Quaſi dicat, Intelligite, qua tandem ratione ſplendor dignitatis amiſſus recuperari queat. Vt enim perfidia factum eſt, vt Iſraelis multitudo Nõ miſericordia conſecuta nominaretur, & Iuda Nõ populus meus appellaretur; ita fiet, vt multæ nationes, & innumerabiles, in fratribus veſtris, atque ſororibus, numerentur, quod fide vigenti fiet, qua in meo populo cenſi gratiam, & miſericordiam, conſequentur; ſed, quo maius amplius, & magnificentius, erit hoc beneficium in tantam multitudinem collatum, eo mater veſtra, quæ in ſcelere perſeuerat, eſt odio maiore digna: a filiis enim ſanctiſsimis diſsidet; &, cum pietatis, & officij magiſtra eſſe debuiſſet, pietatem, & officium, odio acerbo, & immani, perſequitur. Ait igitur Deus:

**Iudicate matrem veſtrã, iudicate. quoniam ipſa non vxor mea, & ego non vir eius.**

Deſponderat quidem Dens ſibi ſynagogã, eamq. ſibi lege deuinxerat, & fide, qua illa ſe in Dei ſemper poteſtate futuram promiſerat, & fœderis etiam mutui ſacramento obligauerat. Sed illa fœdus violauit, lectum genialem polluit, & ſe cum multis amatoribus, contra fidem, inceſte commiſcuit. Et, quamuis multis in locis tam atroci ſcelere mentem ſuam contaminauerit, tum multo ſceleſtius in adulterij crimeu incurrit, cum ipſum virum contumelijs deformatnm in crucem egit. Sed conſiderandum eſt, eſſe hoc in more poſitum apud Prophetas, vt, cum aliquod ſummum ſcelus exſecrantur, uon modo ſceleris inſtituti perfectionem accuſent, ſed etiam ſcelera illa, quibus, tamquam gradibns, ad ſummum tandem peruenitur. Præterea, omnia ſcelera, quæ cum Chriſti benignitate pugnant, perfidia continentur. Qui enim Deos aduenas adſciſcunt, Dei veri numini diffidunt. In quo quidem vitio, non ſolnm qui ſimulacris immolant, verum & multi præterea ſunt. Quid enim aliud facit auarus, quam vt pro Deo pecuniam veneretur? quid aliud molitur ambitioſus, quã, inanis gloriæ cupiditate, honores prope Diuinos viris, qui multũ in Rep. poſſunt, inſtituat? Quid nepos, quid impurus, & flagitioſus, quã voluptatem in Diuina ſede reponat? At hæc flagitia omnia mentes eorũ, qui Chriſto ſunt ad extremum aduerſati, excæcauerunt, illiſq. impedimento fuerunt, quo minus dona, atque munera Diuina gtatis animis acciperẽt. Numquam enim tam immane in Chriſtum odium concepiſſent, niſi effrenata cupiditas, cum gloriæ ſtudio coniuncta, illis mentem eripuiſſet, vſque adeo, vt oculos erigere nollent, & vitam oblatam aſpernarentur. Sed ad Prophetam reuertamur. Apud quem Deus filios impuriſsimæ matris admonet, vt cum matre de ſceleribus admiſsis expoſtulẽt. Hic enim, Iudicate, nihil eſt aliud, quam Iudicio contendite, & ſcelus illius in crimen euincite; vt ſic, tandem, abiectis ſordibus, ad officium reuertatur. Nam, ſi matrimonium erat impuritate violatum, ſpes erat firmiſsima, fore, vt puritate expiaretur. Ait igitur:

**Auferat fornicationes ſuas a facie ſua, & adulteria ſua de medio vberum ſuorũ.**

Cum ait, vt admoneant Synagogam, vt flagitia ſua a conſpectu ſuo remoueat, oſtendit plane, Synagogam nullam excuſationem ſceleris habere: videt enim turpitudinem ſuam; & tamen eam fortiſsime retinet; &, cum videat, videre tamen non vult, vt in peſtem ante ocnlos poſitam furenter irruat, atqne ita in miſeriam ſempiternam, propter cæcitatem voluntariam, rapiatur. Per Vbera Amor intelligitur. Libidinis immanitas oculorum adſpectu concitatur. Amoris deinde artiſsima conſuetudine confirmatur. Et ideo admonetur Sxnagoga, vt ab oculis, & ab vberibus ſceleris ſnſcepti memoriam deteſtetur, ſi vult in Dei gratiam redire: pœnamque, ſi dicto audiens eſſe noluerit, continuo proponit. Inquit enim:

**Ne ſpoliem eam nudam, & ſtatuam eam ſecundum diem natiuitatis ſuę; & ponam eam quaſi ſolitudinem.**

Nos quidem, cum in lucem ſuſcepti ſumus, peccatis infecti naſcimur; &, primi parentis impuritate maculati, rebellionis illius ſimilitudinem, qna ille ſeſe a Deo diſiunxit, ab ortu, atque adeo ab ipſa prima noſtri corporis informatione, contrahimus. Itaque nullum decus ineſt in nobis, ſed inſita turpitndo, & ad omne flagitium innata propenſio. Ergo, ſi lucem adſpicimus, ſi culti, & ornati ſumus, ſi dignitate aliqua commendati, id totum eſt non humanæ naturæ, ſed Diuinæ gratiæ referendum. Gratiam vero tamdiu retinemus quam diu grata, memoriq. mente beneficia Diuina recolimus; illumq. ſummum Dominum, qui nos tantis muneribus ornauit, debita pietate veneramur. At vero, cum, beneficiorum immemores, fidem, & officium prodimus, &, illius cultu neglecto, ad numina falſa trãsfugimus, aliaq. nobis præſidia vitæ comparamus, & ſpẽ ſalutis, & incolumitatis in vanitate reponimus, tũc Diuina ope nudati, omniq. dignitate ſpoliati, inſitũ dedecus, quod ornamenta Diuinitus attributa cõtegebant in hominũ oculis, & adſpectu collocamus. Verũ Synagogæ natalis dies is fuit, quo e Pharaonis tyrãnide liberata legem accepit. Cum enim ſe legis fœdere deuinxiſſet, fidemq. dediſſet, fore ſe iuſsis Diuinis obſequentẽ, religionis, & ſanctitatis cultu veſtiri cœpit. Antea namque, Aegyptiorũ cõſuetudine, & familiaritate deprauata, vitia permulta contraxerat. At, poſtquam fuit ope Diuina, propter ſcelera, deſtituta, tunc apparuit illius deformitas, atque turpitudo quam legis ornamenta cõtexerant. Hanc igitur nuditatem, atque deſormitatem, Dominus Synagogæ minitatur, eamque inſtar deſerti loci futuram denuntiat. Erat enim illa, dum Dei gratiam retinebat, hortus cultiſsimus. Illam nãque virtutum omnium viriditas, & flores honeſtatis lectiſsimi, & vberrimi officiorum omnium fructus exornabant. At, poſtquam fuit gratiæ cultu, & ornatu, deſtituta, & ſpinarum omniũ, & veprium aſperitate vaſtata, & horribili ſqualore deformata, quid aliud eſt, quã miſeranda quædam ſolitudo ſerpentibus venenatis infeſta?

**Et ſtatuã eam velut terrã inuiã; & interficiã eam ſiti; & filiorum illius non miſerebor, quoniam filij fornicationũ ſunt.**

Terra ardoribus exuſta, animus eſt, libidinum ardoribus inflammatus: quales ſunt ij, qui ſeſe a fonte perenni gratiæ Diuinæ ſegregauerunt, quos quidem ſitis conficiat opus eſt. Nec enim humana cupiditas falſis bonis expleri poteſt: immo, quo tunc animus affluentius haurit, eo ardentius cruciatur. Filij Synagogæ in duas partes diuiſi ſunt. Quidã enim a matris impuræ flagitijs vehementer abhorrent, quos Deus admonet, vt matrem aſperis verbis accipiant: quidam vero meretricia diſciplina matris imbuti ſunt, quos Deus ait eſſe miſericordia ſua orbandos. Rationem continuo ſubiungit, quod matris exẽpla ſequerentur, cũ inquit, Quia filij fornicationum ſunt, matris autẽ ſcelera demonſtrat.

Quia fornicata eſt mater eorũm, confuſa eſt, quæ concepit eos, quia dixit, Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, linum meum, oleum meum, & potum meum.

Hic cernimus nefarij ſceleris dedecus, & infandam adulterij turpitudinem, & fœditatẽ. Meretrix libidine furens, quæ a viro legitimo alebatur, veſtiebatur, vngebatur, & voluptate cumulabatur, virum deſpicit, illius munera faſtidit, amatoribuſq. ſuis ita ſe obligatam profitetur, vt victum, & veſtitum, & venuſtatis ſplendorem, atque poſtremo lætitiæ materiã ſe ab illis accepiſſe prædicet. Amatores iſti qui ſunt? Dij falſi, quibus immolabat. Principes, in quorum opibus ſpem rerum ſuarũ collocabat; auaritia, qua ardẽtiſsime flagrabat; dolus, fraus, inſidiæ, quibus innixa, omnes ſe calamitates a capite ſuo propulſuram confidebat. Quemadmodum apud Iſaiam ſcriptũ eſt, Pepigimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum, cum pertranſierit non perueniet ad nos. Proponit autem huic ſceleri pœnam Dominus, ſed eam pœnã, quę eſt cum miſericordia valde coniuncta. Sic enim a principio punire ſolet, vt maiores clementiæ partes, quam ſeueritatis, ſuſcipiat, vt ita tandem illis, qui clementia illius abutuntur, dira exempla conſtituat. Ait igitur:

Propter hoc ecce ego ſæpiam viam tuã ſpinis, & ſæpiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inueniet.

Perficiam, inquit, vt, cum vigilaueris, & laboraueris, induſtriamq. tuam in ſtudio ſalutis conſumpſeris, nullum fructum ex labore, & ſollicitudine tua percipias. Numina falſa opem tibi minime ferent; principes fidem nefarie violabunt; ſegetes mentientur; pecunia diripietur; animuſq. tuus ſemper inops, ſemper ſollicitus, in ſumma egeſtate, & calamitate verſabitur: omnia ſiquidem illos deſerunt, qui a fide deficiunt. Quod ipſe Propheta magis aperit. dicit enim:

Et ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos; & quæret eos, & non inueniet.

Cum fuerit afflicta, opem ab illis ſtudijs implorabit, quibus valde dedita fuit. Sed intelliget tandem, ſe ætatem in vanitate contriuiſſe. non enim ab illis opem vllam conſequetur.

Et dicet, Vadam, & reuertar ad virum meum priorem; quia bene mihi erat tunc magis, quam nunc.

Hoc quidem non omnes fateri volunt, quãuis vſu percipiant, nullam illis opem ſtudia ſua contuliſſe, ſed illi tantum, quos vere, & ex animo flagitij ſuſcepti, & dedecoris admiſsi, pænitet. Ea de cauſſa Dominus in inſtituta accuſatione contra illos, qui in viam deſertam redire nolunt, perſeuerat. Ait enim:

Hęc neſciuit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum; & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.

Eo ſceleris, inquit, & amentiæ, progreſsi ſunt, vt opibus meis religionem meam oppugnauerint, & gloriam mihi debitam ad numina falſa tranſtulerint. Quaſi enim ab illis munera, quæ in illos congerebam, accepiſſent, ita illis gratias agebant, & ex argento, & auro meo ſimulacra, quibus ſacra facerent, effingebant. Hoc quidem ſcelere omnes contaminati ſunt, qui Diuinis muneribus ad euerſionem, & interitum, ſanctiſsimæ religionis abutuntur. Veluti, qui ſagacitatem, induſtriam, ingenium, diſciplinam, eloquentiam, in errore turbulento, & in pietate conſumunt. Hac autem ratione fit, vt e muneribus Diuinis in ſcelus, & flagitium conuerſis ſibi Bahal confingant, a quo, tamquam a vero numine, ſtatum beatum poſcant. Sed pœnam tam ſceleſti facinoris videamus. Ait enim:

Iccirco conuertar, & ſumam frumentũ meum in tempore ſuo, & vinum meum in tempore ſuo, & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiã eius. Et nunc reuelabo ſtultitiam eius in oculis amatorum eius; & vir non eruet eam de manu mea.

Digni quidem ſunt Diuinorum beneficiorum immemores, qui opibus, quas a Deo acceperunt, innixi, pietatem, & iuſtitiam oppuguant, & in ipſum Deum ſceleſtiſsimi ſunt, & pro Deo auaritiam, & libidinem, venerantur, vt omnibus illius muneribus ſpolientur. Itaque Dominus ipſe, in eadem ſimilitudine perſiſtens, futurum ait, vt impiam multitudinem fame, ſiti, nuditate, conficiat, vt eam ignominia inſigni commaculari permittat, & ita miſerijs vndique circumuallet, vt nullius ope e malis emergere queat; vt ita tandem intelligat, amatores ſuos nullo modo poſſe ſibi in ca-

lamitati-

Digitized by Google

lamitatibus opitulari. Et, quia in cœtu, & celebritate, qua multitudo in vnum locum cõuenit, vt dies feſtos agat, & carmina in Dei laudem cõcinat, multiplex fructus excipitur. nã & religionis ſtudiũ excitatur, & mutua ciuium interciues beneuolentia conciliatur, & animi honeſtiſsima voluptate deleniti mirabiliter efferuntur, hanc etiam gaudiorum materiam illis, qui a Deo auerſi ſunt, ſe ſubtractu rum comminatur. Ait igitur:

**Et ceſſare faciam omne gaudium eius, ſollemnitatem eius, memoriam eius, ſabbatum eius, & omnia feſta tempora eius.**

Verum, cum ita multi ſint moribus efferati, vt religionis ſtudium eſſe reſtinctũ moleſte non ferãt, eam pœnam adiungit, quæ animos omnium dolore, & ſollicitudine cõtabefacit.

**Corrũpam vineam eius, & ficum eius: de quibus dixit; Mercedes hæ meæ ſunt, quas dederunt mihi amatores mei: & ponam eam in ſaltum, & comedet eam beſtia agri.**

Beſtiæ ſunt tyranni ſcelerum vindices, qui, Dei permiſſu, in gentem numine illius deſtitutam furenter inuadunt, & eam diſcerpunt, atque conficiunt.

**Et viſitabo ſuper eam dies Baalim, quibus accendebat incenſum, & ornabatur inaure ſua, & monili ſuo, & ibat poſt amatores ſuos, & mei obliuiſcebatur, dicit Dominus.**

Vt moram interponat in vlciſcendo Dominus, vtq. reſipiſcendi ſpatium cõcedat, atque ſupplicium differat, non tamen ſtudium puniendi ſceleris omittit. Immo, quo diutius irã comprimit, eo, cum homines ad meliorẽ mentem redire recuſant, vehementius illam repẽte profundit. Omnia vero humana ſcelera ex negligentia religionis, & obliuione, naſcuntur. Et ideo vltimo loco obliuionem poſuit. Obliuio namque eſt, quæ mentem a cælo deducit, quæ in terram deprimit, quæ Deos ſibi in terra fingit, quæ, vero Deo neglecto, numina falſa machinatur, quibus placere ſtudeant, vſque adeo, vt bellum ſceleratum, & impium, omnibus ſanctitatibus indicat. Sed dicet aliquis, Num Synagoga ſic offendit, vt caderet? Num Deus illam prorſus abijciet? Num antiquæ miſericordiæ memoriam deponet? Non certe, inquit ille. Immo clementia mea cum illius improbitate certabit. Ideo enim illã plagis inſequor, vt plagis exercita reſipiſcat. Vt igitur numen meum ei in memoriam redigã, ſtatuo illi poſt illata ſupplicia benigne conſulere. Ideo inquit:

**Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem: & loquar ad cor eius.**

Ideſt, blandis illam ad me verbis alliciam. ideo enim plagis eam ſum inſecutus, vt me tota mente requirat; & per deſertum ducam: & iucunditate orationis a mæſtitia auocabo. Alludit ad hiſtoriam de Iſraelis exitu. Itaque dicit, futurum, vt tandem illam e tyrannide impietatis aſſerat in libertatem, eamq. per deſertum, vt olim, deducat, donec in fidei quietis ſedibus, & iuſtitiæ poſſeſsione, conſtituat. Per deſertum deducit Dominus eos, quos in fide nutrire conſtituit, vt eos humano præſidio nudatos e cælo pendere doceat; hoc eſt autem, vt neque patriam, neque parẽtes, neque amicos, nec opes, nec ſtudia humana, requirant, ſed aſſueſcant in omnium rerum inopia cæleſtes opes inſpicere, & in vaſtiſsima ſolitudine nullam hoſtium immanium truculentiã formidare. Si enim Deus eſt tutor, & vindex, & parens, & altor, & itineris dux, & bonorum omnium largitor, quis ſine ſcelere nefario ſeruitutem, aut periculum, aut inopiam, aut amfractus, & errores turbulẽtos, extimeſcat? Hac olim ratione gentem Hebræam in ſolitudine pauit. Similiter & eandem gentem a cupiditate rerum terreſtrium abſtrahit, vt illius tandem hereditatem, & patrimonium, cõfirmet.

**Et dabo ei vinitores eius ex eodẽ loco.**

Ex eodem loco: Hoc eſt, eadem clementia, & benignitate, & illius templi ſanctitate, ex quo ſuorum preces audiebat. Tu autẽ, inquit Dauid, in templo ſancto habitas laus Iſrael. Templum autem Chriſtus eſt, in quo preces cum fide vehementer adhibitę ad aures Dei perueniunt, & gratiam illius acquirunt, ita, vt vineæ reſtituantur, quæ labruſca non proferant, ſed vuas dulciſsimas efferant, e quibus vinum iucundiſsimum exprimatur.

**Et Vallem Achor ad aperiendam ſpẽ.**

Hoc eſt, nullius ominis dirimentio fiet: nullũ malum auſpicium animaduerti poterit: omnia erunt illis, qui ductum, & imperium ſummi Domini ſecuti fuerint, fauſta, atque felicia; longeq. a ſuſpicione exitioſi ominis abhorrentia. Olim, cum Ieſus, Moſi ſucceſſor, Iordanem cum populo ſibi commiſſo tranſiuit, & Ierecuntẽ euertit, quam deuorauerat, Achor furto piaculi illius ſe conſtrinxit, iramq. numinis irritauit. Quo facto Hebræi, Dei præſidio ſpoliati, terga verterunt. Ieſus, cum, inquiſitione facta, comperiſſet illud crimẽ in Achor hærere, illum lapidibus obrui iuſsit; & ita religionem, quæ, propter vnius hominis peccatum, in vniuerſa multitudine hærebat, ſupplicio eiuſdem hominis expiauit. Fuit igitur ille primus aditus in tellurẽ promiſſam, caſu illo, valde horribilis, & infauſtus. Acceſsit nomẽ etiam, quod Turbationis ſignificationẽ continebat. Achor enim nomen a verbo עָכַר quod eſt Turbauit, deducitur. Et vallis, in quo ille ſceleris pœnam exſoluit, Vallis Achor,

Ioſue cap. 7.

ideſt

ideſt Vallis turbationis, appellatus fuit. Propheta igitur, vt doceat, quanto felicior futurus ſit ille ſecundus ingreſſus, quo gens Hebræa e ſeruitute impietatis erepta eſt, in telſurem fertiliorem, hoc autem eſt in libertatem ſpiritus, & in cæleſtis iuſtitiæ fructum, ingreſſura, ait, non fore tunc aliquod ſupplicium ſumendum, ex quo nomen aliquod dirum loco imponatur, quod omine ſuo gentis turbationem, aut ruinam portendat. Non enim appellabitur locus ille vallis Achor, ſed oſtium ſpei, vel, vt noſter Latinus inquit, ad aperiendam ſpem.

Et canet ibi iuxta dies iuuentutis ſuæ, & iuxta dies aſcenſionis ſuæ de terra Aegypti.

Priſtina, inquit, miracula renouabo. Nouorumq. gaudiorum materiam dabo; & efficiam vt, quod olim fuit adminiſtratione legis adumbratum, ſit tunc fructu veriſsimo Diuini, atque ſempiterni muneris explicatum. Vt igitur tunc Hebræi Moſis opera fuerunt e dominatu Pharaonis erepti, ita tunc erunt opera Chriſti e ſeruitute peccati in libertatem vindicati. Et, vt hoſtes illos inſequentes fuerunt maris fluctibus obruti, ita ſcelera omnia, quæ gentem Deo conſecratam oppreſſam tyrannide continebant, erunt omnino demerſa; &, vt tunc Moſes, & Maria carmina modulati ſunt, & reliqua turba alternis laudes Domini concinebat, ita tunc, qui a Domino fuerint redempti, nomen Domini mente gratiſsima celebrabunt.

Et erit in die illa, ait Dominus: Vocabit me vir meus, & non vocabit me vltra Baalim.

Eſt intelligendum, Omnes olim, qui, veræ religionis obliti, alijs ſeſe religionibus impuris adſtringebant, non ita mentis expertes fuiſſe, vt non viderent Diuinum numen, quod omnia coercet, & continet, eſſe ſumma religione colendum. Sed exſecrandæ ſuperſtitionis ſcelere obcæcati, eo paullatim prolapſi ſunt, vt ſimulacro Baalis, quem ſibi Deum adſciuerant ſacrificarent, eoque nomine vim Diuinam ſignificare minime dubitarent, Non vocabit, inquit, me vltra Baalim, quem impij homines gentium more venerabantur, cum ſanctiſsimi numinis imperium aſpernarētur. Baal autem Dominum ſignificat. Apud Hebræos autem eſt בעלי hoc eſt autē, Dominus meus. Ait igitur, Magna condicionis ſuæ mutatio fiet. Antea namque falſa, atque fallaci religione numen colēdum ſuſceperas: at nunc caſta, & pura religione meum numen venerabere. Tunc Dominum tibi imponebas quem dies, atque noctes metueres: at nūc ſtabili, atque ſempiterno matrimonio mecū copulabere, vt me ſummo amore diligas. Tunc nomen Baali, ideſt autem Dominus meus, in ore tuo verſabatur: at nunc me virum tuum perpetuo nominabis. id enim nomen Iſchi ſignificat. Non enim ſpiritū ſeruitutis, ſed ſummæ libertatis accipies.

Et auferā nomina Baalim de ore eius; & non recordabitur vltra nominis eorum.

Omnia falſa numina hoc Baalim nomine cōtinentur. Eſt autem verbū numeri multitudinis, vt per illud omnes Dij gentiū ab Hebræis per ſummū ſcelus adſciti deſignentur. Illis tamē annumerādi ſunt reliqui Dij, quibus homines impuri dira ſacra cōficiunt. Alij namque pecuniæ ſacrificant; alij ventri, atq. libidini ſeruiunt; alij ſeſe vanitati, & ambitioni dedicāt, alij denique alios Deos ſibi cōſtituunt, in quos omnia vitæ ſtudia perpetuo conferant. At, qui e dæmonis infeſtiſsimi tyrannide, Chriſti beneficio, liberati ſunt, vnum tantum Deum colunt, vni tantum ſacrificia offerunt, in vno tantum habent omnia vitæ præſidia conſtituta, ab vno tantum ſalutem, & dignitatem, & immortalem gloriam, poſtulant; ab illo nempe, qui cælum, atque terram, moderatur, & in cuius numine omnia bona conſiſtunt. Ob eam autem cauſſam fore dicit Dominus, ut omnis Deorum illorum memoria ex finibus eorum, qui Deum pura mēte ſequuntur, prorſus euellatur. Adiungit deinde:

Et percutiam cum eis fœdus in die illa cum beſtia agri, & cum volucre cæli, & cū reptili terræ; & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra; & dormire eos faciam fiducialiter.

Fœdere cum Deo, qui eſt rerum omnium Dominus, percuſſo, quid tandē erit, quod poſſit damnum aliquod nobis inferre? Nō immanes belluæ, quarum truculentiam Dominus ipſe facilime coercet; non volucres, quarum volatum, vbi voluerit, nutu continebit; nō ſerpentes, quos terræ viſceribus intercludet; non hominum vires, aut inſidiæ, quorum ſpiritus, & vita eſt in illius manu conſtituta. Quemadmodū igitur, cum a Deo ſumus auerſi, omnia nobis dira, & exitioſa ſunt, & peſtem moliuntur; ita, cum Deo coniuncti ſumus, nihil eſt, quod nobis poſsit, aliqua ex parte, perniciem machinari. Diligentibus namque Deum omnia cooperantur in bonum. Nihil eſt enim nec in cælo, nec in terra, nec ſubter terram, quod non illorum dignitati ſeruiat. Illi igitur, qui in altiſsimi Domini præſidio latent, poſſunt in ſecuritate, hoc eſt in tranquilliſsima pace, verſari. Vt autem magis metū depellat, animoſque altos, erectos, & confidentes, efficiat, fœderis percuſsi ſanctitatem luculentiſsimis verbis exaggerat. Ait enim:

Et ſponſabo te mihi in ſempiternum; & ſpōſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus.

Fœdus

Fœdus, inquit, non erit vulgare, priſcum, & obſoletum, in vmbris, & imaginibus conſtitutum, ſed excellens, atque Diuinum, recenti beneficio, & pręſente numine ſpiritus Diuini ſancitum, atq. ſempiternum, & illud denique, quo nihil cogitari poſsit ad humanas mẽtes cum Deo conglutinandas efficacius. Erit enim matrimonij ſempiterni fœdus ſanctiſsimum. Sed quæro, quæ doti dicenda ſunt, vt ſtabile matrimonium ſit, & indiſſolubile? Iuſtitia, inquit, & miſericordia. E iuſtitia, iudicium exoritur; e miſericordia, beneficiorum multitudo naſcitur. Qui enim iuſtus eſt, ſemper rectũ, & æquabile ius adminiſtrabit; qui vero miſericors, beneficia, cum poterit, cumulare præſtabit. Et ideo fit, vt cum iuſtitia iudicium, cum miſericordia benignitas, & miſeratio coniungatur. Qui igitur Dei matrimonium tenere voluerit, iuſtitiam colat, iudicium exerceat, miſericors, atque benignus ſit, opes ſuas in egentium vtilitatem conferat; & ſic demum illum ſummum rerum omnium Dominum artiſsimo matrimonij vinculo ſibi deuinciet. Recte mones. Sed, vnde, quæſo, hanc gratam rerum omnium Domino dotem conficiam? Nec enim iuſtitiam obtinere, aut clementiam colere, poſſum, niſi is me compotem tantarum diuitiarum, & tam Regij ſtatus, efficiat. Quo modo igitur ab illo eas opes conſequar? Fide, inquit: Ait enim:

Et ſponſabo te mihi in fide: & ſcies, quia ego Dominus.

Ne fidem quidem adipiſcar, niſi me Dominus ad credendum impulerit. Sed, propterea quod eſt in manu mea poſitum, Diuinum munus aſpernari, & aures vocibus Diuinis occludere, factum eſt, vt fides in officio numeretur. Inde fit, vt fides, quaſi iuſtitia digna ſit, non propter fidei ipſius dignitatem, ſed propter ipſius Domini, qui fidem ſecundum gratiã, & non ſecundum debitum remunerat, magnificentiam, iuſtitiæ præmium conſequatur. Ita autem euenit, vt cum hac tam ſplendida dote ſummi Domini matrimonium tenete perpetuo poſsit; & iuſtitiæ ſplendore, clementiæ benignitate, fidei puritate clara, illuſtris, & ſancta ſit, & Deum cognoſcat, in qua cognitione omnia bona ſunt poſita. Si enim Dei cognitionem habemus, conſequens eſt, vt iudicium illius vereamur, benignitatem diligamus, pulchritudinem admiremur, illum perpetuo conſectemur, & ardentiſsima caritate illius inflammemur. Qui autem ad hunc modum ſunt in ſtudium cæleſtis numinis inflammati, ita Deo coniuncti ſunt, vt ab illius conſuetudine, amicitia, & ſocietate, atque adeo matrimonij firmiſsima pactione, quamdiu ea fides in ſuo ſtatu manet, diuelli non poſsint. Ergo, cum Deus ſit rerum omniũ Dominus, & cum amicitias ſumma fide conſeruet, & matrimonij ſanctitatem conſtantiſsima ratione tueatur, & cum amicitiæ lex, & matrimonij fœdus, pręſcribat, vt nihil habeat amicus, aut maritus, ab amici, aut vxoris, vſu, & vtilitate ſeiunctũ, efficitur, vt, qui Deo fide, & reliquis virtutibus, quæ ex fide ortum habent, adiunctus eſt, poſsit quodammodo rerum omnium Dominus appellari. Itaque cælum, terra, maria, fruges, arbores, animantia, ſidera, piorum hominum vtilitati ſeruiunt. Omnia enim condita ſunt, vt Paulus ait, propter electos. Quin etiã Angeli, Archangeli, Poteſtates, & Principatus, &, ne plura nomina cæleſtium agminum conſectemur, omnes beatiſsimæ mentes, quæ, Diuinæ luce colluſtratæ, bonorum patrociniũ ſuſcipiunt, & decus, ad quod Diuini homines adſpirant, cura, ſtudio, tutela, contentione, & precibus ad Deum fuſis adminiſtrãt; &, quod magis eſt admirandum, Dæmones, infeſtiſsimi humani generis, hoſtes ſempiterni, qui nobis noctes & dies perniciem machinantur, & non, quo modo ipſi frui bonis aliqua ratione poſsint, quod illis non licet, ſed quemadmodũ nos omnibus bonis euertant, ſummo ſtudio, & ſollicitudine pugnant, noſtræ gloriæ, & dignitati, ſi Dei beneficia tuemur, & conſeruamus, ſeruire compelluntur. Cum enim nos oppugnant, & contra ſtatum noſtrum inſidias comparant, materiam nobis ampliſsimi decoris, & gloriæ, præbent, & ita inuiti noſtras opes amplificant. Sic fit, quemadmodum Paulus ait, vt omnia diligẽtibus Deum in bonum vertant. Hoc autem vt Propheta ſignificet, dũ huius matrimonij fructum explicare vult, oſtendit, quo modo natura vniuerſa bonorum vſibus expoſita ſit. Ait igitur:

Et erit in die illa, exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos: & illi exaudient terram. Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum: & hæc exaudiẽt Iezreheel.

Vt enim, cum homines, Dei immemores, in ipſum Deum tætri, & ſcelerati ſunt, terra fit ferrea, & cælum æneum, ita, cum fidem, & pietatem colunt, cælum, & terra omnia illis neceſſaria large ſuppeditant. Quid poſtulat a cælo, hoc eſt a ſupera aeris regione, terra, vt fruges effundere poſsit? Pluuiæ, & roris ſubſidium. Quid a terra fruges, & vinum, & oleum poſtulant? Illud nempe, vt vim ſuam exciteet, & hos fructus ex ſe promat, quibus hominum vita alitur, & ſuſtentatur. Quid Iezreheel, id eſt autem ſemen Dei? fructuum copiam, & largitatem, vt hominum vita conſeruari, & Dei gloria apud homines illuſtrari clarius poſsit. Ergo fructus Dei filiis obedient, & terra illos large profundet, & cælum imbres demitter, ita, vt omnia in Iezreheelis vſum, & dignitatem redundent.

Et ſeminabo eam mihi in terra; & miſerebor eius, quæ fuit Abſque miſericordia. Et dicam Non populo meo, Popu-

lus

**lus meus es tu. Et ipſe dicet mihi, Deus meus es tu.**

Parum eſt, quod terra fruges effundat; vineæ,& oleæ,vinum,& oleum,in meorum vſum copioſe proferant. Aliam namque ſementem multo magis fecũdam efficiam. Ego namque ipſam, quæ Non miſericordiam conſecuta nominabatur, ſpiritu meo grauidam faciã, ita, vt virtutum omnium partum feliciſsimum in lucem edat;& ita tãdem fiet, vt populus a me penitus auerſus Populus meus rurſus appelletur;& ipſe,repudiatis falſis Dijs,compreſſa, & edomita cupiditate, neglectis vitæ commodis,& omnibus denique rebus,quæ cum Dei lege pugnant,abiectis,me vnum colat, & veneretur,me vnum metuat,me vnum ſumme diligat,& in me denique ſolo omnem ſpem rerum ſuarum reponat,& in me tantum ſummã beatæ vitæ rationem conſtituat; vt, hac tandem ratione, & ego illum, vt populum mihi penitus addictum, & conſecratum, meo patrocinio conſetuem,& ille a me,vt a Deo ſuo,opem ſemper imploret.Et hactenus quidem Propheta explicat eorum ſtatum, qui fide ad Chriſti nomen adiuncti ſunt,& multis in locis adiunguntur.Deinceps autem eorum condicionem deſcribit, qui nondum fidem amplexati ſunt. Ait igitur:

CAP. III **Et dixit Dominus ad me,Adhuc vade, dilige mulierem dilectam amico,& adulteram,ſicut diligit Dominus filios Iſrael, & ipſi reſpiciunt ad Deos alienos, & diligunt vinacia vuarum.**

Secundum alias ſimilitudines, ſignificare vult rurſus Synagogæ facinus ſceleſtiſsimum. Iccirco præſcribit Propheta, vt amet mulierem,quæ mulier,amoris oblita, fidem prodat, & ſe adulterio commaculet. Dilexit enim Dominus Synagogam.Eam namque multis beneficijs auxit,& ornamentis affecit, & præſidijs vndequaque mnniuit.Ea vero non in Deum verũ,a quo tanta munera acceperat,ſed in alienos Deos, & in voluptates impuras, omnem mentem,& ſtudium,contulit. Vt autem magis explicaret animum in voluptate nefaria defixum,non Vinum dixit,ſed pro Vino Vinacia, hoc eſt,floces,appoſuit. Floces enim tunc eminent in vino, cum ad fęces peruenitur. Tune igitur vinum non eſt purum, ſed flocibus inquinatum.Qui tamen nimiũ vino dediti ſunt, ne flocibus quidem ab ebrietate deducuntur. Recte igitur, qui voluptates flagitioſas conſectantur,cum ebriis conferuntur,qui vinũ impurum,& quodammodo e fæcibus expreſſum, ebibunt. Hi ſunt igitur,quos neque adulterij facinus,nec inceſtæ libidinis impietas, neque violentiæ furor,& immanitas,neque deteſtandę fraudis iniuria,neque denique ſuſcepti dedecoris offenſiones,a fruenda voluptate revocant. Hæ ſunt igitur impuritates,& flagitia, quæ Iudæos a ſtudio ſanctiſsimæ religionis abſtraxerunt. His enim excæcati, ſeſe a Deo diſiunxerunt, illiuſq. munus ingratiſsimis animis aſpernati ſunt. Statum vero legis ope Diuinæ gratiæ nudatæ continuo deſcribit. Ait enim:

**Et fodi eam mihi quindecim argenteis,& coro hordei, & dimidio coro hordei.**

Dum dicit,Fodi,ſiue,Comparaui, oſtendit, Iudæos in ſtatu priſcæ legis, ſine ſingulari Diuini ſpiritus gratia,conſtitutos,non ſpiritum adoptionis,ſed ſeruitutis,accepiſſe. Et iccirco non dicit Deus,Deſpondi eam mihi,ſed,Emi eam mihi.Præterea,non aurum, ſed argentũ, non frumentum,ſed hordeum, nominat. Aurum enim,fidem incenſam;argentum,orationem ſignificat. Vbi aurum eſt incluſum,argẽti ſplendor eminet;vbi vero aurum abeſt, argento non ita magnum pretium, atque decus accedit. Ideo in Canticis ſcriptum eſt, Faciemus tibi murenulas aureas vermiculatas argẽto. Dum enim intus fides illuſtrat mentem, & oratio incluſam fidem explicat, tum ſummũ pretium,& decus exorietur. Corde enim creditur ad iuſtitiam,ore confeſsio fit ad ſalutem.Et hæc ſunt monilia ex auro facta,argenteis emblematis incluſa. Cum igitur Deus ſe Synagogam non auro,ſed argento, emiſſe dicit,illi eam fidem detrahit,quam hi ſolum ſanctiſsime colunt,qui mentem habent radijs Diuinæ mentis illuſtratam, qua Deum Patrem appellant, & orationem tantum religionis indicem relinquit. Quindecim vero argenteis dicit ſibi ſynagogam addictam fuiſſe;primum quidem,vt videamus,illam non ita magno argenti pondere comparatam.Præterea,numerus hic e quinarij partibus adiũctis efficitur. Nam,ſi vni duo addideris,tria fient; ſi deinde tria,ſenarius numerus exſiſtet;ſi rurſus quattuor ad hunc numerum acceſſerint,decem habebis;quinque poſtremo addito, ſumma prædicta conficitur. Numerus igitur a quinque exortus ad quindecim peruenit, quæ numeri figura tribus latetibus continetur: quorum quodlibet quinquenario deſcribitur. At numerus hic numerandis ſenſibus accommodatur. Apte igitur quindecim argenteis deſcribuntur,vt deſignent Iudaicæ mentis,& orationis anguſtias,omnia,quæ ſunt lege ſancita,ad corporis ſenſus, & ad terreſtria bona referentis. Quamdiu enim mens luce Diuina caret, non poteſt niſi terreſtria intueri. Et iccirco dicit Dominus,Si terrena dixi vobis,& nõ creditis mihi,quo modo,ſi dixero vobis cæleſtia, credetis? Quo in loco docet, non in inclementia Domini fuiſſe Iudæos de rebus Diuinis cælatos, ſed eorum ſtupiditate, qui ita rebus terrenis erant obſtricti,vt minime oculos Cant. 18

ad

ad cæli conſpectum excitare vellent. Similiter ſe non triticum, ſed hordeum, quod quidẽ iumentorum, & ſeruorũ pabulũ eſt, illis alendis tribuiſſe dicit; vt oſtendat, in Iudæis nullũ eſſe rectæ rationis, atq. adeo humanitatis, ſenſum; ſed, beſtiarũ more, rebus corporeis, & opibus terrenis, inhiare. Eundemq. numerum ponit. Nam Homer, pro quo interpres Corum poſuit, decem epha continet. Tantundem igitur eſt, dicere, Homer, & dimidio Homer, atque ſi di eret, quindecim ephot. Quid autẽ eſſet euẽturũ, ex hoc infelici ſtatu legis, in quo ſtatu cupiditas viget, & peccatũ dominatur, oſtendit:

Et dixi ad eam, Dies multos exſpectabis me: non fornicaberis, & non eris viro: ſed & ego exſpectabo te.

Quo modo autem hoc futurum erat, aperte demonſtrat. Ait enim:

Quia multos dies ſedebunt filii Iſrael.

Non ait, Progredientur, non iter in ſedes promiſſas habebunt, ſed in eadem mendicitate, & extrema rerum diuinarum inopia, permanebunt. At pietatis munus, & officium, eſt, quam diu in hac vita manemus, non deſidere, nec otio langueſcere, ſed proficere in dies, & celeritatem incitare, & ſumma contentione curſum conficere, vt in cæleſtes tandem ſedes euehamur. Quo modo autẽ ſedeant, oſtendit:

Sine Rege, ſine Principe, ſine ſacrificio, ſine altari, ſine ephod, ſine theraphim.

Quia dixerat, fore, vt neque adulterium cõmitteret, neque cum viro vitam ageret, oſtendit, quomodo id intelligendum ſit; & ſtatum præſentis tẽporis, in quo Iudæi verſantur, explanat. Non adulterium quidẽ ſuſcipiunt; hoc eſt, non ſimulacris immolant, immo illorũ mẽtionem perhorreſcunt. Neque rurſus Deo cõiuncti ſunt: illius namq. fidem neſarie prodiderũt; & interim a Deo tolerãtur, partim quidẽ, vt, exemplo diuinæ ſeueritatis edito, doceant oẽs homines dei iudiciũ revereri; partim, vt ex illorũ ſtirpe generentur illi, qui ſunt ad deũ toto animo reuerſuri. Sed interim exſules, & extorres vagantur ſine Rege, ſine ſacerdotio, ſine vlla religionis ſanctitate, ſine ſimulacris, ita, vt neque vera, neque falſa religione ſe conſtrictos vllis ſignis ſacris exhibeant.

Poſt hæc reuertentur filij Iſrael, & quærent Dominum ſuum, & Dauid Regem ſuum, & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius nouiſsimo dierum.

Hoc in loco multa ſunt attentiſsima cõſideratione digniſsima. Primum eſt, quod ait poſtea, Reuertẽtur ad Dominum. Ergo toto hoc tempore, quo nullos in pietate progreſſus habent, quo ſine Rege, ſine Principe, ſine ſacrificio, ſine ſacerdotio vagantur, quamuis theraphim, hoc eſt ſimulacra non habeant, neq: alienis Dijs immolent, a Deo auerſi ſunt. Aliter enim numquam Propheta dixiſſet, Reuertentur. Poſtea, inquit, ideſt, Poſtquã, vt Paulus ait, plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Iſrael ſaluus fiet. Reuertentur, inquit, ad Dominum Deum ſuum. Tunc enim Deus eorum appellari poterit, cum toto corde ad eũ fuerint conuerſi: & ita fiet, vt, qui modo, quãdiu in impietate perſeuerant, Nõ populus meus appellari a Deo ſolent, tunc ab eo Populus meus appellẽtur. Deinde eſt animaduertendum, Chriſtum quemadmodum apud Iſaiam, & Ezechielẽ, & alios Prophetas, ita & hic Dauid ab hoc Propheta nominari. Niſi malumus cũ Iudæis Cabaliſtis ſomnia Pythagoræ reuouare; & dicamus, futurum, vt anima Dauid in aliud corpus immigret, vt ſic tandem Regnum Iſraelis inſtauret. Quod quidem inaniſsimum commẽtum aperte demonſtrat, quam tætra caligine circũfuſi ſunt, qui a Chriſti ſacris ſanctiſsimis abhorrent. Nihil eſt enim tam male conſutũ mendacium, nec error tam impius, & turbulẽtus, cuius auctores eſſe non poſſunt, qui veritatem odio immani perſequuntur. Sed e multis Scripturæ locis, eo quod Dauid Chriſti imaginẽ geſſerit, conſtat pleniſsime, Chriſtum ſemine illius propagatũ, & in ſede illius ſempiterna conſtitutum, Ieroſolymæ cæleſtis Regẽ, & Iudæorum verorũ, qui mentem circumciſam gerunt, Imperatorem, Dauidis nomine deſignari. Illud etiam eſt animaduertẽdum, quod ait, Et pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius. Nam, quẽ antea Dauid appellauit, rurſus Bonum eius appellat. Quemadmodum Deus ipſe de Chriſto dicebat ad Moſen, Ego oſtendam omne bonum tibi. Et hoc inquit futurum in nouiſsimis diebus, hoc eſt in exſilij deteſtãdi, & erroris, & amentiæ fine; nempe, cum dixerint, Benedictus qui venit in nomine Domini. Detecta namque Antichriſti fraude, qui, ſuperbia intoleranda vehementer inflatus, diuinam ſibi gloriam, cum prolecta audacia, & impudentia, vindicabit, ſeſe inflammato ſtudio ad Chriſti nomen adiungent.

Haec vbi de tẽporibus vltimis, quibus Iudæi ſeſe ad Chriſtum conferent, prædixit, ad tẽpora ſua reuerſus, populi commune ſcelus inſectatur, & exitij futuri cauſſas exponit; vt appareat, quam iuſto dei iudicio fuerit olim in tam ſceleſta facinora vindicatum. Ait igitur:

Audite verbũ Domini filij Iſrael, quia iudiciũ Domino cũ habitatoribus terræ.

Hoc eſt, quia accuſationem conſtituit Dominus contra vos, qui habitatores eſtis terræ huius, in qua, ſua immenſa benignitate, & infinita potentia, vos locauit, vt Iſraeli, vnde originem ducitis, fuerat pollicitus, vt in ſe ſolo veſtræ ſalũtis ſpem conſtitutam haberetis, præcepta eius ſeruaretis. Accuſationis autem formam continuo ſubiungit:

Non eſt enim veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra.

Hoc autem eſt, malorum omnium ſeminarium.

rium. Nec enim fieri poteſt, vbi Dei notitia viget, vt veritas negligatur, vt benignitatis ſtudium deſeratur. Ergo, vt in Dei cognitione omnia bona conſiſtunt, ita neceſſario obliuionem, & negligentiam, & ingratiſsimi animi crimen, quo Dei cognitio repellitur, omnia mala conſequuntur. Sequitur enim:

Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.

Numen enim exſecrari ſoliti erant; mentiri, occidere, furari, adulterari, non ſolum non erubeſcebant; ſed, legis repagulis euolutis, effrenati in hæc ſcelera proruperunt, & ſanguinis effuſi crimen ſanguine ſimiliter effuſo cumularunt. Quæ vero ſupplicia ſint ob tantorũ malorum colluuionem vniuerſis conſtituta, perſequitur, Nec enim ſolum, qui ſcelera conflant, ſed qui ſcelera impunita eſſe patiuntur, Dei in ſe numen incendunt, ita, vt vniuerſa terra contaminetur. Ait ergo:

Propterea lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, & in beſtia agri, & in volucre cæli: ſed & piſces maris congregabuntur.

Par enim eſt, cum animantia omnia ſint, Dei benignitate, ad hominum vtilitatem cõdita, vt, cum homines in Deum ſcelerati ſunt, in ſceleris pœnam omnia, ex quibus vtilitatem capiebant, morte conficiantur. Sed dixiſſet aliquis. Ita ne vero? Hæc eſt immenſa Dei benignitas, vt, vbi primum quiſque in officio delinquit, Diuinæ ſeueritatis repentino incẽdio deflagret? Quis igitur incolumis ab imminente calamitate permanebit? Omnes enim natura fragiles ſumus: vitę curſum ſine prolapſione conficere haud quaquam poſſumus: & iter rectum ſalutis ignoramus: Forſitan, ſi viæ ducem, & officij magiſtrum, habuiſſemus, aliter fuiſſet a nobis vitæ ratio conſtituta. Cur igitur Dominus nos non prius admonuit, vt rediremus in viam? Cur illius miniſtri non nos a ſcelere prius oratione deterruerunt? Cur officium, quod in nobis ſupplicij denuntiatione deterrendis ponunt, non potius in erudiendis, & admonendis cõſumunt?

Hoc ne merito dici poſſet, docet Propheta, iam Iſraelis impietatem ad ſummum perueniſſe. Erant enim iam ita impudentia, & contumacia, & procacitate, contra monitorũ orationem corroborati, vt nullam orationem ad aures admitterent, quæ cum illorum ſcelere pugnaret; immo, tam infeſti erant monitoribus, vt illis, qui eos ab interitu reuocabant, perniciem molirentur. Et ideo Propheta ſub Dei perſona ſubiungit:

Verumtamen vnuſquiſque non iudicet: & nõ arguatur vir: populus enim tuus ſicut hi, qui contradicunt ſacerdoti.

Vt apud Ieremiam Deus illum admonet, ne pro populo contumaci, & in ſceleribus obſtinato, & obfirmato, deprecetur, ita & hic dicit, non eſſe operã in hominibus pertinacibus erudiendis, & ſcelere deterrendis, fruſtra ponendam. Vtrobique autem hoc plane docet, nihil iam addi poſſe ad ſceleris improbitatem. Eo namque iam homines amentiæ proceſsiſſe, vt omnem medicinam reſpuerint. Vt autem clarius doceat, quam deteſtabilis, & exſecranda pertinacia populi vniuerſi ſit, cõparat eos cũ ijs, qui ſacerdotibus repugnant. Erat enim olim capite ſancitum, ſi quis ſacerdoti non obediret. Tam tætrũ vero, & immane facinus exiſtimabatur, ſacerdotis imperium recuſare, & illius admonitionẽ negligere, vt hęrere in vniuerſo populo religionem putaretur, ſi non fuiſſet in ſcelus illud acerbe, & nimis acriter, animaduersũ. Ita mõſtri ſimile multi, iudicabant, vnum, aut alterum reperiri, qui ſacerdotis ſanctiones, atque præſcripta cõtemneret. Sed, cũ peccandi diuturna cõſuetudo homines ſuperbos, & inſolentes, efficeret, ita perua ſit hæc tætra lues in populum, vt non pauci, ſed vniuerſi, monita cõtemnerent, & quilibet tã ſuperbus, & contumax eſſet, vt cũ eo, qui ſacerdotẽ oppugnaret, cõferri merito poſſet. Hoc igitur in loco eo cõparatio pertinet, vt intelligatur, nõ Principes tantum, verum etiam multitudinẽ vniuerſam eſſe ſuperbiæ, & contumacię, crimine adeo vehementer obſtrictam, vt cũ ijs, qui ſacerdoti repugnãt, eſſet ſceleris immanitate comparãda. Eſt igitur hæc cõtentio, ſuperbię, qua multitudo erat obcęcata, exaggeratio. Ergo poterat, qui tãtam multitudinis violentiã animaduerteret, illius ſalutem deſperare. Fruſtra enim medicina ęgrotis periculoſe laborãtibus adhibetur, cũ omnẽ medicinã repellunt, & medicos inſectantur. Verũ enim vero, cũ ſacerdotis etiã culpa fieret, vt a populo cõtẽneretur, legis .n. ſtudium neglexerat, ſacerdotes etiã iudicij denũtiatione perterret. Ait enim:

Et corrues hodie, & corruet etiam Propheta tecũ: nocte tacere feci matrem tuã.

Hodie, ſiue, vt Hebræus habet, die, corruunt ſacerdotes, qui calamitatem impendentem, & ante oculos poſitã, ſubeunt: nocte vero, qui repẽtinis cladibus opprimuntur, quales erãt falſi Prophetæ, qui ſibi, & alijs, omnia fauſta, & felicia pollicebantur. Mater vero erat ciuitas vniuerſa; quæ cum animaduerteret, nullam ſibi opem ſacerdotes in legis ſtudio negligentes attuliſſe, & cum experiundo cognoſceret, Prophetas falſa prædixiſſe, magnitudine calamitatis obſtupefacta, conticuit. Potiſsimam vero calamitatis cauſſam ignorationem Diuinæ legis exſtitiſſe confirmat. Ait enim,

Conticuit populus meus, eo quod non habuerit ſcientiam.

Et, quia populi ignoratio eſt ad ſacerdotis

iniuriam

iniuriam referenda, qui populum non ad Dei ſcientiam, quod munus illi impoſitum fuerat, erudiuit, in ſacerdotem inuehitur:

Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi: &, quando oblita es legis Dei tui, obliuiſcar filiorum tuorum, & ego.

Filij quidem ſacerdotis ſunt, qui monitis illius informãtur. Qui vero ſacerdos legis obliuiſcitur, non ſe tantum, ſed vniuerſum populum, in calamitatem trahit. Hoc autem cũ fit, nullum fructum rebus communibus affert ciuiũ multitudo. Immo, quo plures ſunt, eo maiora facinora patrantur: & ita Dei numẽ grauius irritatur. Sic autem euenit, vt beneficiũ ſobolis innumerabilis hominũ ſcelere ad multitudinis ipſius peſtem, & perniciem, conferatur. Et ideo inquit Dominus:

Secundum multitudinem eorũ ſic peccauerunt mihi:

Hoc eſt, vt eorum genus multiplicabam, ita & illi peccata multiplicabant: & ſic eueniebat, vt illorum ſcelus cum mea clementia decertaret. Huic autẽ ſceleri non mediocre ſupplicium proponit:

Gloriam eorum in ignominiam commutabo.

Gloria quidem ſacerdotis, eſt ſanctiſsima Dei religio, qua Dei numen plebi conciliat, & plebem ad numinis cultum oratione, & exemplo perducit; & ita muneris amplitudine, & dignitate, cunctis hominibus excellit, vſque adeo, vt inter homines Deus quidam exiſtimandus ſit. Quid enim ad dignitatem præclarius, quam mentis oculis lucem Diuinam adſpicere, Diuino colloquio frui, & ſummi Dei monitis erudiri, Diuinæq. ſapientiæ diſciplinis illuſtrari. Quid potentius, quam precibus Deum a ſeueritate ad clementiam inflectere, atque quaſi viribus, quidquid ad ſalutem velit, ab illo vehementer exprimere? Quid ad hominum famam præclarius, quam vnius hominis ſanctitate ſalutem quamplurimis hominibus afferri? Vt in ſummam vero conferam, qui Deo miniſtrat, & ſe in illius conſuetudinẽ frequentia religionis inſinuat, neceſſe eſt, vt Diuinis paullatim ornamentis, atque præſidijs, in omni genere redundet, ita, vt in vita nihil clarius, & magnificentius, poſsit excogitari. Sed, quo locus eſt altior, eo ruina, cum ſacerdos de ſtatu concidit, eſt calamitoſior. Iudicio autem rectiſsimo fit, vt ſacerdos, qui officium ſuum minimi facit, qui munus ſuum negligenter exſequitur, qui vitam ſuam flagitijs contaminat, qui ſceleribus, quæ in alijs coercere debuiſſet, obſtringitur, de ſtatu concidat; & tanto maiore dedecore, & ignominia, maculetur, quanto illius dignitas erat illuſtrior. Hoc eſt igitur, quod Dominus futurum comminatur, vt pro gloria, in qua ſacerdotes erãt a Deo conſtituti, in dedecore ſummo verſentur. Peccatum autem ſacerdotum non mediocre deſcribit: quod quidem eſt, multum de compendio, & quæſtu, parum autem de populi ſibi commiſsi ſalute cogitare. Ait enim:

Peccatum populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum ſubleuabunt animas eorum.

Peccati nomen in lege Diuina ſæpenumero pro ſacrificio piaculari poni ſolet. Sacerdotes igitur peccata populi comedebãt, quia ſacrificia pro peccatis oblata ad illorũ vſum maxima ex parte pertinebant. Illorum enim carnibus veſcebantur. Itaque non moleſtiſsime ferebant, eſſe multos, qui peccarent, vt ea ratione maior illis vtilitas proueniret. Sic autem fiebat, vt in peccatis hominum conniuerent. Inde ideo factum eſt, vt eſſent ſacerdotes ijſdem flagitijs affines, quibus multitudinem obſtrictam conſpiciebant. Ideo ſtatim ſequitur:

Et erit ſicut populus ſic ſacerdotes.

Communi igitur ſceleri commune ſupplicium conſtituit. Ait enim:

Et viſitabo ſuper eum vias eius, & cogitationes eius reddam ei.

Animaduertã igitur, inquit, in illius actiones, & pœnam illius ſtudijs debitam ei rependam. Nulla autem pœna grauior in vita cogitari poteſt ea, qua inexplebilis ſitis, atque cupiditas homines auaros, & libidinoſos, excruciat. ſemper enim egent: ſemper in exſtinguenda cupiditatis ſiti laborant: numquam vero, quod cupiunt, adipiſcuntur: immo, quo ardentius omnes mortaliũ opes haurire percupiunt, eo grauiore ſupplicio torquentur. Hoc autem vt ſignificetur, adiungitur:

Et comedent, & non ſaturabuntur: fornicati ſunt, & non ceſſauerunt: quoniam Dominum dereliquerunt in non cuſtodiendo.

Non, qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, inquit Paulus, ſed qui incrementum dat Deus. 1. ad Cor. 3. Sic hoc in loco dici poteſt, Omnia ſtudia hominum, omnes cogitationes, & actiones eo conferuntur, vt eum ſtatum aſſequantur, in quo nihil ſit prӕterea requirendum. Cupimus voluptatem, honeſtatem, ſecuritatem: ad hæc omnia parãda opes expetimus, vt, illis affluẽtes, beati ſimus; hoc eſt autem, vt omnia cõſequamur, quæ ardẽtiſsime cupimus. Quid igitur? Fuit ne quiſquam in vita, qui, laboribus infinitis exercitus, maximis periculis terra marique perſunctus, rebus omnibus ex animi ſententia geſtis, præſidijs, vel amicorũ, vel principum, ſummo ſtudio comparatis, ſitim, qua antea cruciabatur, expleret ita, vt nihil præ-

terea deſideraret? Non prorſns.Immo,in quo maiores opes,& copias homines adepti ſunt, maiore indigentia cruciantur. Quo enim magis opes affluunt,eo magis cupiditas amplificatur. Quo autem cupiditas maior eſt,eo grauiore,& acerbiore indigẽtia vexamur.Ei igitur,qui diues fieri velit,non tã eſt in acquirenda pecunia,quam in reſecanda cupiditate laborandum. Hoc autem fieri non poteſt,niſi Deo adiuncti ſimus. Nam is ſolus noſtram cupiditatem explere poteſt,nobiſq. vires dare, quibus. facillime cupiditatis immanitati repugnemus. Nec enim vmquã eos deſeruit,qui ſeſe in illius fidem contulerunt; & prætera facile contẽnunt humanas opes,qui ad Diuinas adſpirant.Quocirca,qui,relicto ſonte bonorũ omniũ, ciſternas, vt inquit Ieremias,diſsipatas inani ſtudio cõſectantur,non modo infelices,& ærũnoſi ſunt,ſed etiã amẽtiſsimi.Principium huius tam deteſtãdi furoris explicatur:

Fornicatio,vinum,& ebrietas auferunt cor.

Si principium malorum omnium eſt ignoratio,quidqnid mentem eripit,tæterrimæ peſtis initium,& fundamentum continet.Quid autem maiores menti tenebras,quam tætra libido,& ebrietas offundat, nemo poterit explicare.Quamquam nomen Libidinis latiſsime patet; & omnia flagitia, quæ pernicioſos errores inſerit,in animis,ambitn ſuo,complectitur.Libido namque eſt dira ſuperſtitio, qua homines Dei obliti, ad hominum potentium gratiam,& ad numina falſa,transfugiunt. Libido eſt auaritia,iracundia,& ambitio, & reliquæ vitæ peſtes, quæ mortalium animos exagitant. Ebrietas ſimiliter eſt rerum humanarum copia, qua inflatus animus,errore completur,& a mente,conſilioq. deducitur. Maxima tamen ex parte, antequã homo in tantas calamitates incidat, ad tantam malorum eolluuionem libidine,& ebrietate viam muniuit; libidinis vero impuritatem,qua ſe populus nefarie contaminauit, continuo explicat:

Populus meus in ligno ſuo interrogauit,& baculis eius annuntiauit ei.Spiritus enim fornicationum decepit eos,& fornicati ſunt a Deo ſuo.

De hac tam immani cæcitate Iſaias,& reliqni Prophetę ſæpenumero cõqueruntur:qua, neglecta Dei ſummi religione, Deum ſibi e ligno faciebant,ad cuius pedes ſe abijcerẽt,cuius opem implorarent, quem effrenata mẽte conſulerent. Qui igitur tales Deos colebant, erant ipſius ligni ſimiles habẽdi, ſicut ſcriptũ eſt,Similes illis fiant,qui faciunt ea,& omnes, qui cõfidunt eis.Ligna igitur erant ſimulacrorũ Sacerdotes. Ligna etiã ſalſi Prophetæ, qui nomine Deorum illorũ reſponſa dabant. Qui nõ Ligna tantum,ſed Baculi etiam appellari poterant.Illis enim miſeri homines, tamquã baculis,innirebantur.Eo namque fœderis Diuini deſertores perduxit amentia, vt non a Deo,ſed a ligno,reſponſa peterẽt; nec in Deo, ſed in falſis ſacerdotibus,atq.Prophetis,omnẽ ſpem rernm ſuarum collocarent.Impietatem vero,quam nomine Libidinis impuriſsimæ notat,continuo deſcribit:

Super capita montium ſacrificabant, & ſuper colles accendebant thymiama: ſubtus quercum, & populum, & terebinthum,quia bona erat vmbra eius.

Quã eſſent in genus libidinis illius propẽſi, ex eo perſpicitur, quod nulla vtilitate promoti,nullis rationibus impulſi, quemcumque locum vidiſſent amœnum, & arbornm viriditate veſtitũ,eum cõtinuo, vmbram illius ſecuti, ſacris nefarijs dedicabaut,in quo ſacrificia dira,& exitioſa,conficerent. Vmbra igitur tantum moniti, ſcelus immane ſuſcipiebant.

Ideo fornicabuntur filiæ veſtrę,& ſponſæ veſtræ adulteræ erunt.

Iuſto iudicio fit, vt, qui nefando adulterio Dei ſanctiſsimum fœdns,& religionem,violarunt,filiarum ſtupris, & nurũ adulterijs,pœnas luant;& inſigni dedecore maculentur,qui Deo dedecus,quantum in illis fuit, per ſummum ſcelus intulerunt. Quod etiam noſtris tẽporibus aliquot in locis euenire cõſpicimus. Nam, vbi primũ homines erroribus pernicioſis imbuti a Deo deficiunt, libido repente vinculis laxata prorũpit;& ita paſsim furibunde volitat,vt neq. virgines pudor, neque nuptas mulieres matrimonij ſanctitas impediat, quominus in omni flagitio, & turpitudine,volutẽtur.Nec ſolum,inquit,dedecus ſuſcipient, ſed illud minime,vt antea faciebam,ſingulari aliqua pœna coercebo. Sic enim ſequitur:

Non viſitabo ſuper filias veſtras, cum fuerint fornicatę;& ſuper ſponſas veſtras, cum adulterauerint.

Maxima quidem pœna eſt,ſic a Deo deſeri, vt cupiditates noſtræ,ſolutæ, quocumque eas impetus tulerit,incitentur, & in noſtri ſtatus perniciem rapiantur. Non eſt igitur mediocris illa comminatio, qua Deus inquit futurũ, vt eos,qui ductum illius,& imperiũ,recnſant, eorũ deſiderijs,& cupiditatibus dilacerandos permittat. In principio enim Deus popnlũ lege deuincit,pœna propoſita coercet,multitudinẽ minis abſterret,& paucorũ ſupplicio diſciplinam ſancit,vt ita populũ in aliqua officij mediocritate cõtineat.At,cum creſcẽte malitia,& improbitate, a pancis ad vniuerſã multitudinẽ ſceleris contagio permanat,& libido tantas vires colligit, vt nullis finibus arceri poſsit, & vniuerſus populus eſt ijdẽ vitijs obſtrictus;quid attinet paucis ſuppliciũ irrogare,cũ vniuerſi ſint eidem morbis infecti? Tunc igitur ius Diuinum flagitat, vt non pauci ex

multi-

multitudine deligantur, quibus pœna conſtituatur, ſed vt in vniuerſam multitudinem ſeuere vindicetur. Nec enim ita ſanabilis morbus eſt, vt paucorum cruciatu depellatur: &, cum totum corpus eſt tabe, & ſanie, corruptũ, ſine fructu pars aliqua corporis amputetur. Cum igitur Dominus in adulteras animaduertere non vult, ſignum eſt, tempus appropinquare, quo eſt de vniuerſis ſupplicium expetendum. Vide enim, quam rationem præſentis impunitatis aſsignet.

Quoniam ipſi cum meretricibus conuerſabantur, & cum effeminatis ſacrificabant, & populus non intelligens vapulabit.

Primum inquit, eos ſeſe a Sanctorum cœtu ſegregaſſe, vt ſocietatem cum meretricibus inirent; nec ſolum ſeſe ad meretrices adiunxiſſe, verum etiam cum illis tæterrimæ ſuperſtitionis ſocietatem coiuiſſe. Ergo, cum omnes tantis ſignis inſiti furoris ſignificationẽ darent, par erat, vt eos communis calamitas in vniuerſam multitudinem inuecta peruerteret. Quid igitur conueniebat, cum vniuerſi flagitijs innumerabilibus adſtricti fuiſſent, ſine vllo fructu ſupplicium paucis adulteris irrogare?

Si fornicatis tu Iſrael, non delinquat ſaltem Iuda; & nolite ingredi in Galgala, & ne aſcenderitis in Bethauen, neque iuraueritis, Viuit Dominus.

Iſrael, hoc eſt Regnum illud, quod decem tribus complectebatur, primum a Deo nefarie deſciuit. Supplicium ſceleris illius fuit, fame, peſtilentia, bello, obſidione, ciuium ſtrage, perſolutum. Reliquum igitur erat, vt Iudæ Regnum, in quo duæ reliquæ tribus continebantur, illius religionis ſtudium, quo antea tenebatur partim recentibus Dei beneficijs obſtrictum, partim exemplo ſeueritatis editũ in euerſione Iſraelis perterritum, ardentiore animo retineret. Quod tantum abfuit, vt faceret, vt ſcelere cum Iſraele contenderet, illudq. etiam ingratiſsimi animi crimine ſuperaret. Hoc igitur facinus Propheta grauiſsimis verbis inſectatur.

Ioſue 4. Gilgal autem eſt regio Iordani finitima, ad Solis occaſum reſpiciens, vltra Iericho, quo in loco primum Hebræi, cum arca fœderis Iordanẽ tranſirent, conſtitere.

Geneſ. 28. Bethauen, eſt Bethel, quo in loco Iacob, cũ in Meſopotamiã properaret, Deum innixũ ſcalę per ſomnium vidit. In vtroque autem loco monumentum erat Diuini beneficij ad hominũ memoriam cõſecratum. Poſtquam vero Ieroboã excogitauit, vt vitulos aureos ſtatueret, quos homines in Dei loco colerent, factum eſt, vt loca pietatis ſtudio celebrata, impietati ſeruirent. Eo enim conueniebant omnes, qui iam erant a cultu ſanctiſsimæ religionis auerſi, vt pro Deo vero, vitulis ex auro factis, immolarent. Inde adeo factum eſt, vt locus ille nomine Bethel, quæ vox domum Dei ſignificat, Bethauen, hoc eſt domus vanitatis, appellaretur. Ait igitur Propheta: Eſto. Iſrael ſceleſtiſsimum in ſe facinus admiſit; Deum, a quo tãtis fuerat affectus beneficijs, a ſe repulit; religionẽ illius violauit; numen illius contempſit, atque pro nihilo duxit; & ob id pœnas grauiſsimas impietatis exſoluit: tu ſaltem, Iuda, quæ Dei templum ſanctiſsimum ſingulari religione dedicatum in tuis ſedibus habes, tuere officium tuum, cõſerua religionem, cole iuſtitiã, & pietatẽ, numen ſceleribus inſenſum metue, & exemplũ impietatis exhorreſce. Quid tibi opus eſt, in Gilgal adſcendere? Quæ te neceſsitas tenuit, vt cum tanto ſalutis diſcrimine Bethauen ſtudioſe frequentares? an, vt ſceleris contagio te inficeret, vt ita in iram numinis cæleſtis incurreres? Si tantum ſcelus in te concipis, quid tibi venit in mentem, verbis, & oratione tantum Dei veri religionem profiteri? Qui enim dicit, Viuit Dominus, oſtendit, ſe veræ religionis legibus alligatum; & ita, cum religionem, quam deſeruit, ementitur, facit, vt ad reliqua peccata impudentiæ cumulus non mediocris accedat. Tum, vt magis exterreat Iudam, Iſraelis euerſionem commemorat, ne videlicet imitari facta velit, quorum tam deteſtabiles exitus fuiſſe conſpiciat. Ait igitur:

Quoniam ſicut vacca laſciuiens declinauit Iſrael.

Hoc eſt, iugum a ſe repulit, & obediẽntiam prorſus abiecit, ne Dei iuſsis obtemperaret. Sed, vnde tãtæ rebellionis, atque proteruiæ occaſio nata eſt? Ex Diuino beneficio, quod eam magis ad religionis ſtudiũ allicere debuiſſet. Pauit enim eum Dominus pingui pabulo, & opimo, perinde atque ſi paſceret agnũ in prato latiſsimo. Ita igitur euenit, vt, cum opibus abuteretur ad cædem, tamquam agnus ad cõuicium ſaginatus abduceretur.

Nunc paſcet eum Dominus quaſi agnum in latitudine.

Futurum pro præterito ponit: quod ſæpe a Prophetis fieri ſolet: quemadmodum & præteritum pro futuro. Hic fortaſſe potuiſſet ſe Propheta interponere. vt Dei numẽ Iſraeli placaret. Ait igitur Dominus:

Particeps Idolorum Ephraim dimitte eum.

Ephraim pro toto Regno Iſraelis hoc in loco ſumitur. Fuit enim tribus Ephraim multitudine ſatis ampla: & primus Rex Iſraelis, qui fuit Ieroboam, ex eadem tribu originem ducebat. Admonet igitur Deus Prophetam, vt Iſraelem, iam ſimulacris addictum; ita, vt, ab eis, neque ratione vlla, neque metu numinis, auelli poſſet, miſſum faciat. Pœnam autem impietatis explicat:



Digitized by Google

Separatum eſt conuiuium eorum: fornicatione fornicati ſunt: dilexerunt afferre ignominiam protectores eius.

Eorum, inquit, feſti dies, quibus ſe vino in Deorum honorem iugurgitabant, nullam eis opem in calamitatibus attulerunt: nefanda namque libidine ſe contaminauerunt, cum, vero Deo relicto, ſeſe ad falſos Deos, e quibus nullam vtilitatem capere aliquo modo poterant, adiunxerunt; & ita inſigni dedecore maculati ſunt. Perſpectum enim fuit, illos omnẽ ſpem ſuam in vanitate, & mẽdacio, repoſitam habuiſſe. Quo circa neceſſe erat, vt illos extremæ dementiæ puderet, ignominiaq. ſumma notarentur. Qui tamen tantum in hac ſtultitia progreſsi fuerant, vt non ſolum infimi homines, verum etiã principes, in quorum præſidio, & tutela, multitudo imperita latebat, ad inſitum iam dedecus nouum dedecus adderent, cum, in periculis conſtituti, nouas vndequaque religiones adſciſcerent, & recenti aliqua ſuperſtitione veterem, qua iam erant adſtricti, nefarie cumularent. Nã & ab Aſſyriis, & Sidonijs, & Palęſtinis, & a reliquis nationibus, ſemper aliquid arripiebant, quo magis in ſe diuinum numen incenderent. Quid igitur hac tam dira, anxia, & inani ſollicitudine, qua inanitatem conſectabantur, aſſecuti ſunt? Hoc nempe, vt ipſa inanitas eos alis ſuis alligatos in oras longinquas aſportaret. Vt Propheta elegantiſsime dicit:

Alligauit eum ſpiritus in alis ſuis.

Subdita caligo, turbida tempeſtas, & tenebræ, homines impios oppreſſere; & excitatus ventus eos, qui ſeſe cum vento, hoc eſt inanitate, conſtrinxerant, arripuit, vt præpeti volatu in miſerum exſilium compelleret. Exſilij celeritatem luculenter expoſuit, cum eos alis venti ſublatos fuiſſe commemorat.

Et confundentur in ſacrificiis ſuis.

Eſt autem hoc ſimile loco illi Iſaiæ: Confundentur ab idolis, quibus ſacrificauerunt; & erubeſcetis ſuper hortos, quos elegeratis, cũ fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus abſque aqua. Et, quia ſacerdotes, & principes, quorum officium eſt, aliorum libidines, & vitæ exemplo, & iudicij ſeueritate reſecare, ſceleris exemplo, & iuris Diuini negligentia impietatem aluerant, in eos inuehitur. Ait enim:

CAP. V. Audite hoc, ſacerdotes; & attendite, domus Iſrael; & domus Regis, auſcultate: quia vobis iudicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi, & rete expanſum ſuper Thabor.

Vt, inquit, in miſpa (cuius nominis ſignificationem ſequens Latinus interpres, Speculationi vertit) & in Thabor, montibus editis, aucupes aptant laqueos, & retia tendunt, vt aues, eſcis appoſitis, illectas, capiant; ita, & vos, illecebris vitæ, & indulgentia, homines imperitos, in fraudem inducitis, & irretitos tenetis, ne perniciem effugere queant.

Et victimas declinaſtis in profundum, & ego eruditor omnium eorum.

Videtur in eadem ſimilitudine verſari: Nã verbum שחט ab Hebræis, pro iugulare, & occidere vſurpatur; quod Latinus interpres, Victimas eſt interpretatus, vel, vt occiſionem, hoc eſt morum labem, & perniciem, vel, vt ſuperſtitionis ſtudium luculentius explicaret. Sic igitur Hebræus inquit, ad occidendum declinantes in profundum. Hi autem dicuntur declinare, qui viæ ſunt deſertores, vt a vera religione ſeſe abducant, &, inſtar aucupum, ſuorum cædem faciant, nempe vt eos oratione & exemplo in impietatis ſcelus inducant, vias deſerunt, quæ ad legis conſeruationem deducunt. quod vt perficiant, nihil prætermittunt. quemadmodum enim aucupes, vt aues decipiant, de via deflectunt, & ſeſe frequenter abijciunt, vt illis captis cædem afferant; ita & principes populi legis viam deſerunt, & populis adulantur, vt in illorũ ſe animos inſinuẽt, &, quidquid ab illis exigere ſtudẽt, facile conſequantur. Ea igitur de cauſa publicam impietatem minime reprimendam ſuſcipiunt, immo ſe impietatis auctores præbent, & multitudinis temeritatem exemplo ſuo confirmant. Hanc morum perniciem, hoc improbitatis ſtudium, quo Reip. cædem, & interitum, principes moliuntur, Victimæ vocabulo interpres ſignificauit. Nec Septuaginta ab hac, quam amplectimur, explicandi ratione diſſentiunt. Sic enim Græce verterunt, *οἱ ἀγρεύοντες τὴν θήραν, κατέπηξαν*, In hac autem impunita peccandi licentia. Non tamen, inquit, vllam habet ignorationis excuſationem. Ego namque illos diſciplina legis inſtruxi: ego per Prophetas illos frequenter admonui: ego peſtem illis, & perniciem, niſi redirent in viam, denunciaui: ego denique, multis exemplis editis, terrorem multis mortalibus inieci; illi vero diſciplinam meam neglexerunt.

Ego ſcio Ephraim, & Iſrael non eſt abſconditus a me: quia nunc fornicatus eſt Ephraim, contaminatus eſt Iſrael.

Ephraim, & Iſrael, duo nomina ſunt: ſed vtroque eadem vis, & ſententia continetur. Vtrumque enim Iſraelis regnum deſignat. Eſt enim duplicatio, vt vehementius atrocitatem criminis exaggeret. Præterea, qui, inflammatus libidine, flagitium ſuſcipit, dum libidini operam dat, Scortari dicitur, poſt patratum flagitium, impuritatis dedecore maculatus remanet, & ſordibus oblitus, quæ elui non facile poſſunt. Ideo inquit, ſcortatum fuiſſe Ephraim, & cõtaminatum ſordibus Iſrael.

Quam

Qnam penitus eſſet illa macula perditis hominibus innita, declarat id, quod ſtatim ſequitur:

Non dabunt cogitationes ſuas vt reuertantur ad Deum ſuum: quia ſpiritus fornicationum in medio eorum; & Dominum non cognouerunt.

Sunt, inquit, penitus addicti flagitio, conſtricti libidinis immanitate, in ſeruitutem turpitudinis adducti; & tyrannide impunitatis impediti, quo minus ad pietatis ſtudium reuertantur. Animos enim intimos gerunt vinculis turpiſsimis alligatos, ita, vt in actionibus ſuis non ratione, non metu, non diſciplina, ſed libidine, ducantur, &, in quamcumque partem ea tulerit impetum, temere concitentur. Ea namque illos a cognitione Dei abſtrahit, mentique tenebras, ne interitum proſpiciant, offundit. Et tamen animis efferuntur, & inſoleſcunt, omniaque ſibi felicia pollicentur, quaſi officio præclariſsime functi ſint.

Reſpondebit atrogantia Iſrael in faciem eius: & Iſrael, & Ephraim ruent in iniquitate ſua: corruet etiã Iuda cum eis.

Snperbia eorum, quæ non erat occulta, ſed eminebat, eos præcipites in exitium dabit, ita, vt neque nomen Iſraelis, quod vites Diuinas ſignificat, neque Ephraim, quod multitudinem denotat, eos poterit a calamitate, quæ impendet, eripere. Eundem etiam caſum ſubibit Iuda, vt, quos improbitatis ſocietas adſtrinxit, ſupplicij etiam ſimilitudo coniungat.

In gregibus ſuis, & in armentis ſuis vadent ad quærendum Dominum, & non inuenient: ablatus eſt ab eis.

Quo modo id fieri poteſt? Cum ad falſos Deos cum mnneribus adibant, minime eos dira ſuperſtitio ſubleuabat. Ea enim numina colenda ſuſceperant, quæ illos iuuare non poterãt. Nunc vero cum ad Deum ſupplices cum victimis accedunt, vt non a multis ſignis, ſed a ſempiterna clementia, veniam petant, excluduntur. Fons immenſæ benignitatis obſtruitur. Miſericordia, quæ fuit ſemper cunctis expoſita, denegatur. Merito quidem. Non enim Deus veniam cunctis, qui ad illum venerunt, pollicetur, ſed illis tantum, qni toto corde, hoc eſt, qui nõ ſimulate, ſed vere, & ex animo, ab impietate ad pietatem traducuntur. At Hebræi, non cum debita fide, non cum ſceleris odio, non cum flagitij ſuſcepti deteſtatione, ad Deum accedebant. Adhuc enim eorum animi erant in eodem prauitatis ſtudio defixi. Non igitur, vt ab inſtituta prauitate diſcederent, ſed vt ſimulata ad tempus religione peſtem redimerent, cum ſacris muneribus in templum Domini properabant. Vnde id, inquiet aliquis, conſtare poteſt? Ex eo, quod non ſunt auditi. Non poteſt enim Dei fides aliqua ex parte claudicare. Promiſit veniam, ſpem ſalutis oſtendit, præmium ſempiternæ vitæ propoſuit omnibus, qui ad illum vere ſupplices adirent. Præſtauit igitur fidem, quam dedit. Ergo, qui ea munera a Deo minime conſecuti ſunt, non religionem veram colebant, ſed pietatem ſimulabant. Quo modo autem eam ſimularant, Propheta continuo demonſtrat:

In Dominum præuaricati ſunt, quia filios alios genuerunt: nunc deuorabit eos menſis cum partibus ſuis.

A Deo deſciuerunt, vt aliud fœdus ferirent, cum diis nempe, e quorum congreſſu, & familiaritate, alienos filios ſuſceperunt. Fuere namque eorum filij non legis diſciplinis inſtituti, ſed dira ſuperſtitione deuincti: vt facile cerneretur, eos nõ eſſe matrimonio legitimo procreatos. Menſis vero eſt tempus debito reddendo præſtitutum; maxime vero, cum fænus eſt vltra ſortem creditori perſoluendum, vt apud Græcos, & Romanos, fieri ſolebat. Singulis enim menſibus vſura centeſima, quæ olim valde tolerabilis habebatur, ad debiti ſummam accedebat. Nam, qui immaniores erant, binas, & interdum etiam ternas centeſimas exigebant. Et ita populares ſuos fænore intolerabili trucidabant. Quod non ſecus a Græcis fiebat ea vſura, quæ appellabatur ἐπιδραχμον, quæ erat eadẽ cum centeſima. Drachma namque minæ centeſima pars erat. Itaq. eueniebat interdum, vt homines tenues non modo bonis paternis, & auitis, pellerentur, verum & in ſeruitutem a creditoribus abducerentur. Quamuis autem lex Diuina fœnus prohiberet, credibile tamen eſt, cum omnes ferme, vt Prophetæ teſtificantur, præ cupiditate legem contemnerent, & religionem modis omnibus violarent, vt hoc etiam de fænore præceptum parui penderet. Et, quamuis æs alienum non creſceret, ſorte tamen multiplicata eo res reſidere potuiſſet, vt eſſet neceſſe debitori euerti bonis, & ipſe creditoribus addici; vt legimus in quarto libro Regum, de filiis Prophetæ, qui, propter æs alienum, quod pater conflauerat, creditoribus addicebantur. Ad hũc igitur morem reſpiciens Propheta, dicit, Nunc deuorabit eos menſis cum partibus ſuis. Hoc eſt, ære alieno valde conſtricti ſunt. Deo namque omnia debent. Tempus ſoluendo præſtitutum appropinquat, quaſi Calendæ quibus opus eſt, vt creditori ſatisfiat. Illi vero ſoluendo non ſunt. Fuerunt enim in Deum ſcelerati. Eſt igitur opus, vt illi cum bonis addicti veniant, & ita menſis eos omnino conficiat. Partem enim in ſanctis litteris pro vniuerſis bonis, atque patrimonio, poni, perſpicuum ſatis eſt. Deus autem eos venales habebat

bebat

Digitized by Google

bebat, vt eos Aſſyrijs addiceret. Inſtare vero tempus cladis, atq. miſerrimę ſeruitutis oſtendit id, quod ſequitur:

Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama: vlulate in Bethauen, poſt tergum tuum Beniamin.

Crudele bellum excitatum eſſe demõſtrat, & hoſtem crudelem aduentare ſignificat, & terrorem hominibus incutit, atque, vt ſe ad hoſtes a finibus repellendos compararent, adhortatur. quod tamen ſtudium ab illis fruſtra ſuſceptum iri demonſtrat, vt exhortatio ſit quaſi inſultatio quædam triſtis exiſtimanda, vt tandem intelligant, quantus eorum furor exſtiterit, qui ſeſe a Deo diſiunxerunt, & erant in aliis præſidiis comparandis nimis occupati.

Ephraim in deſolatione erit in die correptionis: in tribubus Iſrael oſtẽdi fidem.

Iudicium, inquit, exercebo, in ſcelus Iſraelis inquiram, perditam gentem amentiæ conuincam, neque poterunt inſcitiam impietati prætendere. ego namque illi oſtẽdi fidem, hoc eſt notam feci veritatem, nempe cladem, quæ imminebat, niſi reſipiſceret, multo ante denuntiaui. Sed, ne Iuda ſibi erroris opinione impunitatem promitteret, etiam illi acerrimo ſupplicio comminatur. Inquit enim:

Facti ſunt principes Iuda quaſi aſſumentes terminum: ſuper eos effundam quaſi aquam iram meam.

In lege non ſolum vetitum erat agrorum terminum cauſſa fundi latius cum proximi iniuria continuandi tranſilire, ſed, ne quiſquam id facere auderet, erant omnes valde dira, atque ſollemni exſecratione deuincti. Aliter enim, ſi quilibet in ſolitudine limitem proferre vellet, neceſſaria maxima vitæ perturbatio, atque confuſio ſequeretur. Nihil enim eſſet, quod quiſquam ſuum poſſet affirmare, cum in cuiuſque libidine poſitum eſſet, vicinum paullatim bonis euertere. Et quo, facilius erat eam in agris fraudem committere, eo lex illa erat maiore religione ſancienda, vt homines Deum in oculis haberent, quẽ crederent illam iniuriam non inultam paſſurum. Itaque, qui terminum mutabat, non in homines tantum teterrimus, ſed in Deum ſceleſtiſſimus habebatur. Cum igitur Principes Iuda hominibus iniurias inferrent, & Dei ſanctiſſimam religionem violarent, cum iis, qui terminum e loco in locum transferebant, merito conferũtur. Præterea, lex eſt limes, quem tranſilire minime licet. Erat lege cautum, ne quiſquam ſacrificaret, niſi Domino ſoli. Erat locus rei Diuinæ faciendæ lege definitus: erat ſacerdotij munus vni tantum generi hominũ delegatum: erant ſacrificia, & munera, lege præſcripta: erant certi ritus, & cærimoniæ, decreto numinis inſtitutę: ergo, qui diis alienis immolaret, qui pro libidine ſibi loca ad ſacrificandum deligeret, qui ſacerdotis officium, & munus vſurparet, qui victimam impuram in Dei honorem cæderet, qui cærimoniarum ſanctitatem negligeret, aſsignatum terminũ cum nefario ſcelere transferebat. Similiter, qui alienis bonis manum afferebant, qui honeſtatem proximi minuebant, qui datam fidẽ violabant, qui deniq; vel vi, vel dolo, proximo nocebant, terminum lege poſitum conuellebant, vt cupiditati ſuæ ſatisfacerent. Cum igitur Iudæ Principes non ſolum ſuperſtitione diriſsima religionem violarent, &, auaritia furentes, iniurias innumerabiles iis, qui minus poterant, inferrent, rectiſsime dicuntur eſſe ſimiles illis, qui terminos in agris loco mutant. Vt autem vno verbo dicam, cum dicit Deus, eos eſſe ſimiles iis, qui limites confundunt, dicit, illos eſſe Diuini & humani iuris euerſores. Præterea, ij, qui terminos mutant, ideo mutant, quia teſtes ſceleris non habent, & iccirco ſibi impunitatem pollicentur, quaſi Deus non omnia videat. Et Iudæ Principes, quoties occaſio dabatur rapiendi, eam minime prætermittebant. Et iccirco dicit fore vt in eos iram, ſicut aquam, effundat. Ex aqua enim, cum e vaſe funditur, nihil in vaſe relinquitur. Nec enim mel, nec oleum, neque vinum, neque quidquam aliud liquoris, ita poteſt eijci, vt non aliquæ reliquiæ, aut illius ſaltem odor in vaſe reſideat: at ex aqua effuſa nihil omnino in vaſe retinetur. Vt igitur Deus, quam acre iudicium illud futurum ſit, magis amplificet, dicit: Effundã quaſi aquam iram meam.

Calumniam patiens eſt Ephraim, fractus iudicio: quoniam cœpit abire poſt ſordes.

Quærebatur Iſrael de Regibus, qui contra fidem in illum inuadebant. Nec enim fidem datam ſeruabant, neque patiebantur ij, qui plus poterant, vt ille ius ſuum retineret. Itaque non legitima diſceptatione, ſed armis, & viribus, res agebatur. Ephraim igitur calumniam paſſus, & iudicio oppreſſus eſt. Hoc homines imperiti, vt ſunt omnes Diuinæ legis ignari, fortunæ tribuunt. Verum autem eſt, fieri plerumque, vt ſuum ius non obtineant, quia ius Diuinum violarunt. Veluti factum eſt, cum Ieroboam præſcripſit omnibus, quos in ditione tenebat, vt vitulis, quos dedicauerat, immolarent. At maxima multitudinis illius pars, nec ingemuit, neque reclamauit, ſed libenti animo Regis impij iuſsis obſecuta fuit. inde igitur excitata religionis peſtis ad Iudam contagione peruaſit. In pœnam igitur illius ſceleris, quod ſuſcepit Iſrael, cum fidem Deo datam prodidit, vt impij Regis præceptum ſequeretur, fuit a ſummo iudice permiſſum,

miſſum, vt tyranni, contra fidem datam, in Iſraelis opes inuaderent, illumque crudeli dominatu,contra ius & fas, opprimerent, quoniam,inquit,cœpit abire poſt ſordes, cum ſcilicet impij regis inſtituit præceptum ſequi. Vt igitur oſtendat, eam iniuriam non abſque ordine Diuino conflatam, adiungit continuo Dominus:

Et ero quaſi tinea Ephraim, & quaſi putredo domui Iuda.

Vt tinea veſtem paullatim exedit, & conficit;vt putredo carnes abſumit; ſic ego,inquit, paullatim,vires,opes,dignitatem,imperium, & facultates denique omnes gentis huius exhauriam. Ne enim illam repentino iudicio peruertam, magnitudine benignitatis impedior,vt illis ſpatium in viam redeundi concedam.Quod tantum abſuit vt facerent,vt inſtitutum facinus alio grauiore cumularent. Quodnam tandem illud fuit?

Vidit Ephraim languorem ſuum, & Iudas vinculum ſuum; & abijt Ephraim ad Aſſur;& miſit ad Regem vltorem: & ipſe non poterit ſanare vos, nec ſoluere poterit a vobis vinculum.

Opes attritæ, vires eneruatæ, honeſtas deperdita,regiones occupatæ,furor hoſtilis, clades in bellis acceptæ aperte demonſtrabant, eos Deum iratum habere. At illi, tantum aberant, vt numen ſibi infenſum vitæ conuerſione placarent, vt, quaſi poſſent humanis viribus Diuino iudicio repugnare, ab impiis Regibus opem ſuppliciter implorarent. At illi quo modo ſanare potuiſſent vulnus manu numinis cæleſtis inflictum? Sed, quid hac tanta, & tam impia ſollicitudine conſecuti ſunt? Hoc plane, vt acrius iram numinis irritarent, vt ſtatim ſequitur:

Quoniam ego quaſi pœna Ephraim, & quaſi catulus leonis domui Iuda: ego ego capiam, & vadam;tollam, & non eſt qui eruat.

Qui antea dixit,ſe,tamquam tineam,opes Iſraelis abſumpturum, nunc ait futurum, vt tamquam leo in gentem perfidam inſiliat, vt eam dilaceret. Huius autem ſupplicij fructus exponit. Inquit enim:

Cap. vi. Vadens reuertar ad locum meum: donec deficiatis, & quæratis faciem meam in tribulatione ſua manæ conſurgent ad me.

Abſcedam, Inquit, ab eis, quibus promiſeram me cum illis habitaturum, illoſq. ope mea, & patrocinio nudabo, ita,vt prædæ, rapinæ, & contumeliæ omnium expoſiti ſint. Eorum namq. flagitiis,& impuritate, grauiter offenſus, nequeo inter illos verſari,qui numen meũ ſceleribus oppugnant, & perniciem ſanctis hominibus moliuntur. Verum,cum multo magis ad clementiam,quam ad ſeueritatem,propenſus ſim,in conſtituto etiam ſupplicio multas clementiæ partes ſuſcipiam. Eſt enim ſæpe numero pœna a me propoſita ſalutaris medicina. Multi namque, qui beneficijs inſoleſcunt, religionemque nefarie violant,contuſi plagis, ad officium reducuntur. Quod quidem Hebræis tandem eueniet. Eruditi namque calamitatibus reſipiſcent. Cum animaduerterint ſe tantis vndique malis oppreſſos, ſcelus ſuum agnoſcent,& ad me contento ſtudio, & curſu, properabunt. Seque mutuo cohortabuntur, vt ab eo ſalutem petant, a quo ſauciati ſunt. Inquient enim:

Venite, & reuertamur ad Dominum, quoniam ipſe cepit,& ſanabit nos;percutiet,& curabit nos.

Non poſſumus,inquiunt,in ſanitatem reſtitui,niſi is,qui nobis plagas impoſuit, quæ inflixit vunera,ſananda ſuſcipiat. Vt enim ſolus armis iuſtitiæ ſuccinctus pœnam ſontibus, atque ſceleratis irrogat, ita ſolus poteſt clementiæ munetibus ornatus medicinam ſalutarem facere. Mentis expertes a principio fuimus, cum non intelleximus priſtinum ſtatum noſtrum,propter offenſiones in illius numen excitatas, labefieri;& ita ad ſuſcepta facinora ſemper aliud grauius addebamus: furore, & amentia flagrauimus, cum remedia malorum,quæ nobis Diuinum numen inferebat,ab impuris hominibus petebamus.Meritas igitur pœnas erroris noſtri pertulimus. Nam a Deo euerſi fuimus: &, quam fallax,& imbecillum eſſet humanum auxilium, experiundo didicimus. Reliquum igitur eſt, vt ad clementiſsimum illum Dominum, qui nos perdidit,& afflixit,toto animo conuertamur. Nec enim magis iuſtitiæ ſeueritate,quam clementiæ amplitudine,præcellit. Vt igitur,cum nos ab illo ſeiunximus,nos plagis iuſtiſsimis inſecutus eſt, ita, cum ad illum redierimus, nos clementiæ muneribus exornabit. Ipſe, quod diſcerpit, cum vult, omnino redintegrat,& vulnera,quæ inuſsit,obligat, & ſingulari benignitate curat.

Viuificabit nos poſt duos dies: in die tertia ſuſcitabit nos,& viuemus in conſpectu eius.

Nos quidem,inquiunt, mortui iacebamus. Eramus enim a vera vita diuulſi. Sed, quemadmodum ille mori,ſepeliri, excitari voluit, ita perficiet, vt nos, ſi alio genere mortis extingui voluerimus, die tertia a mortuis excitari, vita perfruamur. Quo modo?Si necem cupiditatibus attulerimus,ſi ſepultura mores noſtros priſtinos affecerimus, ille ſpiritu ſuo nos excitabit, vt, quod reliquum vitæ fuerit, non nobis, ſed Deo, viuamus. Itaque primus dies neci,ſecundus ſepulturæ,tertius nouæ vitæ,

Digitized by Google

bebat, vt eos Aſſyrijs addiceret. Inſtare vero tempus cladis, atq. miſerrimę ſeruitutis oſtendit id, quod ſequitur:

Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama: vlulate in Bethauen, poſt tergum tuum Beniamin.

Crudele bellum excitatum eſſe demõſtrat, & hoſtem crudelem aduentare ſignificat, & terrorem hominibus incutit, atque, vt ſe ad hoſtes a finibus repellendos compararent, adhortatur. quod tamen ſtudium ab illis fruſtra ſuſceptum iri demonſtrat, vt exhortatio ſit quaſi inſultatio quædam triſtis exiſtimanda, vt tandem intelligant, quantus eorum furor exſtiterit, qui ſeſe a Deo diſiunxerunt, & erant in aliis præſidiis comparandis oimis occupati.

Ephraim in deſolatione erit in die correptionis: in tribubus Iſrael oſtẽdi fidem.

Iudicium, inquit, exercebo, in ſcelos Iſraelis inquiram, perditam gentem amentiæ conuincam, neque poterunt inſcitiam impietati prætendere. ego namque illi oſtẽdi fidem, hoc eſt notam feci veritatem, nempe cladem, quæ imminebat, niſi reſipiſceret, multo ante denuntiaui. Sed, ne Iuda ſibi erroris opinione impunitatem promitteret, etiam illi acerrimo ſupplicio comminatur. Inquit enim:

Facti ſunt principes Iuda quaſi aſſumentes terminum: ſuper eos effundam quaſi aquam iram meam.

In lege non ſolum vetitum erat agrorum terminum cauſſa fundi latius cum proximi iniuria continuandi tranſilire, ſed, ne quiſquam id facere auderet, erant omnes valde dira, atque ſollemni exſecratione deuincti. Aliter enim, ſi quilibet in ſolitudine limitem proferre vellet, neceſſaria maxima vitæ perturbatio, atque confuſio ſequeretur. Nihil enim eſſet, quod quiſquam ſuum poſſet affirmare, cum in cuiuſque libidine poſitum eſſet, viciorum paullatim bonis euertere. Et quo, facilius erat eam in agris fraudem committere, eo lex illa erat maiore religione ſancienda, vt homines Deum in oculis haberent, quẽ crederent illam iniuriam non inultum paſſurum. Itaque, qui terminum mutabat, non in homines tantum teterrimus, ſed in Deum ſceleſtiſsimus habebatur. Cum igitur Principes Iuda hominibus iniurias inferrent, & Dei ſanctiſsimam religionem violarent, cum iis, qui terminum e loco in locum transferebant, merito conferũtur. Præterea, lex eſt limes, quem tranſilire minime licet. Erat lege cautum, ne quiſquam ſacrificaret, niſi Domino ſoli. Erat locus rei Diuinæ faciendæ lege definitus: erat ſacerdotij munus vni tantum generi hominũ delegatum: erant ſacrificia, & munera, lege præſcripta: erant certi ritus, & cærimoniæ, decreto numinis inſtitutę: ergo, qui diis alienis immolaret, qui pro libidine ſibi loca ad ſacrificandum deligeret, qui ſacerdotis officium, & munus vſurparet, qui victimam impuram in Dei honorem cæderet, qui cærimoniarum ſanctitatem negligeret, aſsignatum terminũ cum nefario ſcelere transferebat. Similiter, qui alienis bonis manum afferebant, qui honeſtatem proximi minuebant, qui datam fidẽ violabant, qui deniq; vel vi, vel dolo, proximo nocebant, terminum lege poſitum conuellebant, vt cupiditati ſuæ ſatisfacerent. Cum igitur Iudæ Principes non ſolum ſuperſtitione diriſsima religionem violarent, &, auaritia furentes, iniurias innumerabiles iis, qui minus poterant, inferrent, rectiſsime dicuntur eſſe ſimiles illis, qui terminos in agris loco mutant. Vt autem vno verbo dicam, cum dicit Deus, eos eſſe ſimiles iis, qui limites confundunt, dicit, illos eſſe Diuini & humani iuris euerſores. Præterea, ij, qui terminos mutant, ideo mutant, quia teſtes ſceleris non habent, & iccirco ſibi impunitatem pollicentur, quaſi Deus non omnia videat. Et Iudæ Principes, quoties occaſio dabatur rapiendi, eam minime prætermittebant. Et iccirco dicit fore vt in eos iram, ſicut aquam, effundat. Ex aqua enim, cum e vaſe funditur, nihil in vaſe relinquitur. Nec enim mel, nec oleum, neque vinum, neque quidquam aliud liquoris, ita poteſt eijci, vt non aliquæ reliquiæ, aut illius ſaltem odor in vaſe reſideat: at ex aqua effuſa nihil omnino in vaſe retinetur. Vt igitur Deus, quam acre iudicium illud futurum ſit, magis amplificet, dicit: Effundã quaſi aquam iram meam.

Calumniam patiens eſt Ephraim, fractus iudicio: quoniam cœpit abire poſt ſordes.

Quærebatur Iſrael de Regibus, qui contra fidem in illum inuadebant. Nec enim fidem datam ſeruabant, neque patiebantur ij, qui plus poterant, vt ille ius ſuum retineret. Itaque non legitima diſceptatione, ſed armis, & viribus, res agebatur. Ephraim igitur calumniam paſſus, & iudicio oppreſſus eſt. Hoc homines imperiti, vt ſunt omnes Diuinæ legis ignari, fortunæ tribuunt. Verum autem eſt, fieri plerumque, vt ſuum ius non obtineant, quia ius Diuinum violarunt. Velut factum eſt, cum Ieroboam præſcripſit omnibus, quos in ditione tenebat, vt vitulis, quos dedicauerat, immolarent. At maxima multitudinis illius pars, nec ingemuit, neque reclamauit, ſed libenti animo Regis impij iuſsis obſecuta fuit. inde igitur excitata religionis peſtis ad Iudam contagione peruaſit. In pœnam igitur illius ſceleris, quod ſuſcepit Iſrael, cum fidem Deo datam prodidit, vt impij Regis præceptum ſequeretur, fuit a ſummo iudice per-

miſſum,

miſſum, vt tyranni, contra fidem datam, in Iſraelis opes inuaderent, illumque crudeli dominatu, contra ius & fas, opprimerent, quoniam, inquit, cœpit abire poſt ſordes, cum ſcilicet impij regis inſtituit præceptum ſeqni. Vt igitur oſtendat, eam iniuriam non abſque ordine Diuino conflatam, adiungit continuo Dominus:

Et ero quaſi tinea Ephraim, & quaſi putredo domui Iuda.

Vt tinea veſtem paullatim exedit, & conficit; vt putredo carnes abſumit; ſic ego, inquit, paullatim, vires, opes, dignitatem, imperium, & facultates denique omnes gentis huius exhauriam. Ne enim illam repentino iudicio peruertam, magnitudine benignitatis impedior, vt illis ſpatium in viam redeundi concedam. Quod tantnm abfuit vt facerent, vt inſtitutum facinus alio grauiore cumularent. Quodnam tandem illud fuit?

Vidit Ephraim languorem ſuum, & Iudas vinculum ſuum; & abijt Ephraim ad Aſſur; & miſit ad Regem vltorem: & ipſe non poterit ſanare vos, nec ſolucre poterit a vobis vinculum.

Opes attritæ, vires eneruatæ, honeſtas deperdita, regiones occupatæ, furor hoſtilis, clades in bellis acceptæ aperte demonſtrabant, eos Deum iratum habere. At illi, tantum aberant, vt numen ſibi infenſum vitæ connerſione placarent, vt, quaſi poſſent humanis viribus Diuino iudicio repngnare, ab impiis Regibus opem ſuppliciter implorarent. At illi quo modo ſanare potuiſſent vulnus manu nnmiuis cæleſtis inflictum? Sed, quid hac tanta, & tam impia ſollicitudine conſecuti ſunt? Hoc plane, vt acrius iram numinis irritarēt, vt ſtatim ſequitur:

Quoniam ego quaſi pœna Ephraim, & quaſi catulus leonis domui Iuda: ego ego capiam, & vadam; tollam, & non eſt qui eruat.

Qni antea dixit, ſe, tamquam tineam, opes Iſraelis abſumpturum, nunc ait futurum, vt tamquam leo in gentem perfidam inſiliat, vt eam dilaceret. Hnius autem ſupplicij frnctus exponit. Inquit enim:

Cap. VI. Vadens reuertar ad locum meum: donec deficiatis, & quæratis faciem meam in tribulatione ſua manæ conſurgent ad me.

Abſcedam, Inquit, ab eis, quibns promiſeram me cum illis habitaturū, illosq. ope mea, & patrocinio nudabo, itá, vt prædæ, rapinæ, & contumeliæ omnium expoſiti ſint. Eorum nāmq. flagitiis, & impuritate, grauiter offenſus, nequeo inter illōs verſari, qui numen meū ſceleribus oppugnant, & perniciem ſanctis hominibns moliuntnr. Verum, cum multo magis ad clementiam, qnam ad ſeueritatem, propenſus ſim, in conſtituto etiam ſupplicio multas clementiæ partes ſuſcipiam. Eſt enim ſæpe numero pœna a me propoſita ſalutaris medicina. Multi namque, qui beneficijs inſoleſcunt, religionemque nefarie violant, contuſi plagis, ad officium reducuntur. Quod quidem Hebræis tandem eneniet. Eruditi namque calamitatibus reſipiſcent. Cum animaduerterint ſe tantis vndique malis oppreſſos, ſcelus ſuum agnoſcent, & ad me contento ſtudio, & cnrſu, properabunt. Seque mutuo cohortabuntnr, vt ab eo ſalutem petant, a quo ſauciati ſunt. Inquient enim:

Venite, & reuertamur ad Dominum, quoniam ipſe cepit, & ſanabit nos; percutiet, & curabit nos.

Non poſſumus, inqninnt, in ſanitatem reſtitui, niſi is, qui nobis plagas impoſuit, quæ inflixit vunera, ſananda ſuſcipiat. Vt enim ſolns armis iuſtitię ſuccinctus pœnam ſontibus, atque ſceleratis irrogat, ita ſolus poteſt clementiæ muueribus ornatus medicinam ſalutarem facere. Mentis expertes a principio fuimus, cum non intelleximus priſtinum ſtatum noſtrum, propter offenſiones in illius numen excitatas, labefieri; & ita ad ſuſcepta facinora ſemper alıud grauius addebamus: furore, & amentia flagrauimus, cum remedia malorum, qnæ nobis Dininum numen inferebat, ab impuris hominibus petebamus. Meritas igitur pœnas erroris noſtri pertulimus. Nam a Deo euerſi fuimus: &, quam fallax, & imbecillum eſſet humanum auxilium, experiundo didicimus. Reliquum igitur eſt, vt ad clementiſsimum illum Dominum, qui nos perdidit, & afflixit, toto animo conuertamur. Nec enim magis iuſtitiæ ſeueritate, quam clementiæ amplitudine, præcellit. Vt igitur, cum nos ab illo ſeiunximus, nos plagis iuſtiſsimis inſecutus eſt, ita, cum ad illum redierimus, nos clementiæ mūneribus exornabit. Ipſe, quod diſcerpit, cum vult, omnino redintegrat, & vulnera, quæ inuſsit, obligat, & ſingulari benignitate curat.

Viuificabit nos poſt duos dies: in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius.

Nos qnidem, inq̄ninnt, mortui iacebamus. Eramus enim a vera vita dinulſi. Sed, quemadmodum ille mori, ſepeliri, excitari voluit, ita perficiet, vt nos, ſi alio genere mortis exſtingui voluerimns, die tertia a mortuis excitari, vita perfruamnr. Quo modo? Si necem cupiditatibns attulerimus, ſi ſepnltnra mores noſtros priſtinos affecerimns, ille ſpiritu ſuo nos excitabit, vt, quod reliquum vitæ fuerit, non nobis, ſed Deo, viuamus. Itaqne primus dies neci, ſecundus ſepulturæ, tertius nouæ vi-

tæ,

tæ, principum tribuet. Hoc eſt autem, quod inquiunt, Et viuemus in conſpectu eius. Quaſi dicant; omnia ſtudia vitæ, omnes cogitationes, & actiones, ad illius gloriam conferemus, ita, vt nihil aliud in nobis, quam ſpiritus illius, viuere, & vigere, conſpiciatur. Aiunt deinde:

Sciemus, ſequemurque, vt cognoſcamus Dominum: quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius, & veniet quaſi imber nobis temporaneus, & ſerotinns terræ.

Tunc, aiunt, vera ſciẽtia prediti erimns, eũ, vt Deum cognoſcamus, oẽs animi neruos intẽdemus. Nihil. n. tũc nobis ad bene beateq. viuendum de eſſe poterit. Vt enim Sol ex ortu ſuo tenebras diſpellit, ita Sol ille iuſtitiæ, cum natus fuerit, tenebras, & caliginem diſcutiet, nouaq. lnce hominum mentes illuſtrabit. Præterea, vt tempeſtiua pluuia in terras fecunditatem inducit, ita gratia illius animos lætificabit, atque perficiet, vt vberrimos iuſtitiæ fructus efferant, omnibns Diuinis virtutibus culti; & ornati, ſint.

Quid faciam tibi, Ephraim? Quid faciam tibi, Iuda? Miſericordia veſtra quaſi nubes matutina, & quaſi ros de mane pertranſiens.

Verba Dei ſunt, grata quidem voluntate conuerſionem proſequentis, verum conſtantiam in pietatis ſtudio requirentis. Oſtendit igitur, ſe id velle, id expetere, id curare, vt ſalutem, vitam, & dignitatem ſuorum conſtituat, magnoq. ſe dolore, ſi dolor in Deum cadere poteſt, intercludi, quod homines ſanari, & in vitam reſtitui nolint. Nam aut inuitantis liberalitatem aſpernantur, aut in principio ſtudio pietatis acriter incitati, continuo ſtudiũ remittunt, & ardoris illius obliuiſcuntur. Vtrumque igitur a nobis clementia Diuina flagitat, vt ad illnm conuertamur, & in officio perſeueremus. Itaq. & conuerſionem ſimul, & conſtantiam, requirit. Quantum autem id cupiat, oratione lugubri propemodũ, & querula, teſtificatur. Quaſi dicat; ægerrime interitum tuum patior; auerſionem tnam ferre non poſſum; calamitas tua mihi non mediocrem dolorem inurit, Sed, quid faciam, vt ſaluti tuæ proſpiciam? Nam aut ad me redire non vis, aut leuitate, & inconſtantia ſalutem tuam continuo prodis, & ſpiritus mei beneficinm, qno te ad meam voluntatem allexi, continuo per ſummum flagitium effundis. Omnis quidem legis ſumma, caritate, & beneficentia, continetur. Igitur, qui miſericors fuerit, legi perſecte parebit. At miſericordia tua eſt, vt nubes matutina, quæ primo exortu Solis euaneſcir, & tamquam ros, qui excitatus ante lucem prima luce diſsipatur. Atqui ſumma diligentia curaui, vt hæc legis mens, & ſententia, animo tuo penitus infixa permaneret. Ne, ſi ex animo tuo excideret, etiã quod eſt conſequens, tua ſalus elaberetus. Inquit enim coutinuo:

Propter hoc dolaui in prophetis, occidi eos in verbis oris mei: & iudicia tua quaſi lux egredientur.

Dedi quidem operam, vt lex mea non tam eſſet in tabulis lapideis inſculpta, quam vt in animo tuo inciſa. Et iccirco miſi Prophetas, qui legis mẽtem explicarent, &, quę vis illius eſſet, edocerent, eamque in ſenſibus intimis animi tui inſculperent; qui tanto ſtudio munus hoc ſuſcepere, vt illius gratia, multis excruciati ſuppliciis, necarentnr. At qui eo illorum ſtudium, & contentio, pertinebat, vt e tenebris emergeres, & iuſtitiæ tuæ lumen eluceret. quod in illis, qui audire prophetas voluerunt, clare perpectum fuit. eluxit enim in llis continuo mirabile ſanctitatis, atque diuinæ virtutis lumen, ita, vt intuentium oculos inſolito ſplendore præſtrinxerit. quod quidem poſt meum in terras aduentum multo clarius animaduerti poterit. Quid eſt autem, quod per prophetas primum, deinde per diſcipulos meos hortatus ſum, & admonui, & ſumma contentione laboraui, vt eſſet in animo tuo impreſſum & inſculptum. Nempe, vt intelligeres, vim legis in benignitate conſiſtere. Vt ſtatim explicat:

Quia miſericordiam volo, & non ſacrificium: & ſcienttiam Dei pluſquam holocauſta.

Non taurorum, inquir, carnes expeto; non ſanguinem hircorum ſitio; non arietum cęde, & ſtrage, delector; non ſabbata, & conuentus inanes, non vmbras denique, & imagines iuſtitię, ſed veram, & expreſſam iuſtitiam, ab hominibus efflagito. Illa quidem, qnaſi rudimenta quædam iuſtitiæ, ad certum tempus requirebam, vt homines, illis paullatim erud iti, ad ſolidum inſtitiæ ſructum facilius adſpirarent. Verum Iuſtitia eſt legis perfectio, perfectio autem legis eſt caritas. Qui enim proximum diligit, neque cædem infert, neque pudicitiam eripit, neque furatur, neque latrocinatur, neque falſum teſtimonium dicit, neque falſa infamia dignitatem proximi deformat, nec aliquod denique flagitium in ſe contra Deum, aut homines admittit. Hac autem diſciplina a viris Diuinis tradita, aures omnium perſonabant. Illi vero audire noluerunt, & fœdus iſtum ſanguine violarunt. Sic enim ait:

Ipſi autem ſicut Adam transgreſsi ſunt pactum, ibi præuaricati ſunt in me.

Primum quidem fœdus inter Deum, & homines, factum fnit illud, quo Deus primum hominem ſibi lege deuinxit, vt non humana ra-

tione

tione, ſed clementiæ Diuinæ fide niteretur. Fore, ſi id faceret, vt vitã in perpetuum propagaret, orbiſque terrarum imperium teneret, & in cæleſtes tandem ſedes adſcenderet. Sin autem fœdus illud violaret, mortem illi minatus eſt. Homo vero, illecebris vxoris, actu ſerpentis, in fraudem inductus, eo perductus fuit, vt mulieris voluntatem Diuinis placitis anteferret. Itaque fœdus fregit, & mortis ſe continuo legibus adſtrinxit, omnemq. poſteritatem eiſdem mortis laqueis irretiuit. Omnes enim, illa ruina, & occaſu, primi parentis, miſere conciderunt, & mortis tyrannidem ſubierunt, &, quod eſt multo grauius, in ſimilis fraudis periculum inciderunt. Ita enim naſcuntur, vt, niſi fuerint ſingulari Dei præſidio muniti, ſeruiant ambitioni, auaritiæ, libidini, flagitio, turpitudini, & in omnibus vitæ rationibus, facile, quod nefaria cupiditas facere admonet, rationis præſcripto, & Dei ſanctionibus, anteponant. Cum vero ratio ſit naturæ lex a flagitio auocans, & ad ſtudium honeſtatis alliciens, eaq. lex ſit a Deo animis humanis inciſa; fœdus Diuinum appellari poteſt. Omnes enim homines adſtringit, & pœnam delinquentibus proponit, & de ſontibus ſupplicium ſumit; nempe, quos ſceleris conſcientia noctes atq. dies excruciat. Illi vero multo artius erant Diuino fœdere deuincti, qui legem diuinitus acceperunt, fidemque ſumma cum religionis ſanctitate dederunt, ſe nihil antiquius ſanctionibus Diuinis habituros. Qui tamen, inquit Propheta, in ſimilitudinem primi parentis incurrentes, (imaginem enim illius gerebant) fœdere legis obligati, exſecratione deuincti, beneficijs innumerabilibus obſtricti, plagis multis eruditi, fœdere multis in locis inſtaurato, perinſita libidine, & impuritate, legem contempſerunt, vt magis ſe filios oſtenderent illius, qui maluit vxori ſatisfacere, quã Dei imperium ſequi. Quæ vero ab hoc peccati ſeminario ſcelera pullularint, oratione perſequitur:

Galaad ciuitas operantium idolum, ſupplantata ſanguine.

Erat vrbs illa valde celebris, ita tamẽ prauitate corrupta, vt ciues in ſumma iniuria, & iniquitate, & ſanguine, atque cæde, perpetuo verſarentur. Idolũ autẽ hoc in loco interpres pro iniquitate reddidit. vocabulum enim Hebræum pro vtroque vſurpari ſolet. Ciuium in ciues crudelitatem exaggerit, dum ait, illam, ſanguine ſupplantatã, hoc eſt enim, quaſi quodam perẽnis aquę fluxu ſuperne decidentis lacum, in quem influeret, effeciſſe. Et hęc quidem in homines ſcelera conflauerat. In Deum vero quæ machinata fuerat? omnẽ conatum ad religionis euerſionem cõparabat, & homines a pietatis ſtudio, ad perfidię ſcelus ſumma contentione transferebat. Sequitur. n.

Et quaſi fauces virorum latronum, particeps ſacerdotum in via interficientium pergentes de Sichem: quia ſcelus operati ſunt.

Hoc eſt, quemadmodum latrones, qui viro inſidias parant, ita ſacerdotum conſpiratio, viam, qua itur Sichem, cædibus infeſtam reddunt, vt ſcelus meditatum efficiant.? quid aliud enim erat, homines imperitos ad cultum impuriſsimæ ſuperſtitionis, & precibus importunis, & minis, impellere, exemploque nefandi facinoris multos mortales ad idem ſcelus allicere, quam, collocatis inſidiis, viatores contrucidare? Eſt tamen animaduertendum, in vnius ciuitatis, aut loci ſcelere, vniuerſi Iſraelis facinus deſignari. Vndique enim conueniebant, vt vitulis, qui erant in Sichem ſtatuti, immolarent.

In domo Iſraelis vidi horrendum: ibi fornicationes Ephraim: contaminatus eſt Iſrael.

Per domum hãc Bethel intelligit. Ibi namque Iacob, qui poſtea dictus eſt Iſrael, Deum vidit: ibi conſideratione Maieſtatis Diuinæ contremuit. Ibi monumentum ad memoriam numinis ſempiternam excitauit, & voluit, vt poſteri, loci illius admonitu, multo ardentius pietatem colerent. Ibi vero Geroboam, qui genus ad Ephraim referebat, vitulum dedicauit, quem Iſrael deinceps, vt Deum verum, adoraret. Quid igitur magis horribile, & deteſtandum, excogitari poterat? in loco tam celebri, tam ſancto, tam religioſo, tam inſigni monumento, religioni, & iuſtitiæ conſecato, ſceleris, amentiæ, cæcitatis, perfidiæ monumentum conſtitui, quo ſe viri ſanctiſsimi, atque iuſtiſsimi, poſteritas inquinaret, & vniuerſa tandem corrueret?

Sed & Iuda pone meſſem tibi, cũ conuertero captiuitatem populi mei.

Locus difficilis, in quo Iudæi, & qui Iudæorum ſenſibus addicti ſunt, miſeri torquentur. Illum vero ad hunc modum interpretantur. Dum ego populum meum ab Aſſyriis in ſeruitutem abductum eripere conor, Iuda poſuit tibi meſſem, o Iſrael; hoc eſt; fuit, colendo Baalim, in cauſſa, quo minus ego te liberarem. Sementem igitur tibi Iuda fecit horrendi facinoris, vt meſſem acerbiſsimæ calamitatis demeteres. Hoc autem ſenſu quid fieri poteſt abſurdius? Si decem tribus in fidem redierant, ſi commiſſa crimina lamentatæ fuerant, ſi veniam, & opem ſuppliciter implorauerant; quid fieri poterat, vt Iudæ ſcelus clementiam Diuinam teneret, ne ſupplices ſuos a peſte redimeret? Si vero ad Deũ toto corde conuerſi non fuerant, Deus eos e

ſeruitute

ſeruitute redimere non ſtatuebat. Aut igitur eos minime liberabat; aut, ſi liberare ſtatuebat, non erat illi Iudæ ſcelere interdictum, ne id faceret, nec interdici vllo modo poterat. Præterea, ſi lege Diuina cautum eſt, ne filij parentum pœnam ſuſtineãt, neq. rurſus parentes pœnam luant filiis debitam, quo modo æquum fuit, vt decem tribus vnius tribus ſcelere fuiſſent aditu Diuinæ benignitatis excluſæ? neque poſtremo illud vident, cum decem tribus libertatem deperdiderunt, & in exſiliũ compulſæ ſunt, Iudæ libertatem fuiſſe conſeruatam, propterea quod non dũ ſe eodem ſcelere contaminarat. Si igitur decem tribuum ſcelus duabus reliquis nocere non potuit, neque perficere, vt alieni ſceleris pœnas penderent, qui poterat fieri, vt duarum tribuum ſcelus in decem tribuum exitium nulla earum culpa redundaret? Iudęorum igitur commentum ridiculum eſt, minimeque dignum, quod a viris Chriſtianis approbetur. Eſt autem animaduertendum, Prophetas Diuina mente præditos nõ ſui tantum temporis ætatem, ſed multo etiam magis futuram, ratione complecti; & ita pręſentibus futura copulare, vt facile perſpici poſsit, quo eorum ſcripta referantur. Semper enim in vnicum generis humani liberatorẽ reſpiciunt. Itaque non ſolum, cum de illo clare loquuntur, verum & cũ mores ſui temporis accuſant, ſæpe e medio curſu orationis abſorpti, in illum rapiuntur. Hoc autem interdum ab illis copioſius, interdum breuiter, ſtrictimque fit. Oſeas vero præcipue, cuius oratio tam præciſa multis in locis eſt, vt vix verus ſenſus ex illius ſcriptis eliciatur. Hoc poſito, eſt intelligendum, duplex gentis Hebrææ facinus duplici ſupplicio fuiſſe vindicatum. Primum fuit idolatrię crimen, quod ortum habuit ab Ephraim, &, cũ latius in dies ſerperet, ad Iudam vſq. peſtilenti contagione peruaſit; & ita deuique omnes fuerunt ruinis miſerabiliter oppreſsi. Alterum fuit longe grauius, quo libertatis auctorem, & exercitus cæleſtis imperatorem, qui libertatem, & ſalutem afferebat, a ſe repulerunt, illumque ſummis ſuppliciis excruciandum curauerunt. Hoc autem ſcelus a Iuda profectum reliquos Hebræos adſtrinxit. quod enim facinus hoc ad Iudam maxime pertineret, ex eo perſpicitur, quod Ieroſolymis maxima pars ciuium eſſet Iudæ tribu propagata, & quod ſenatus ex eadem tribu eſſent oriundus, & quod ſacerdotes eſſent cum eadem tribu cognatione coniuncti. Vt igitur in regno Iſraelis facinus horrendum in loco celebri memoria conſecrato perſpectum fuit ab Ephraim familia ſuſceptum, quod tandem genus vniuerſum præceps in exitium daret; ita Ieroſolymis, quæ quidem ciuitas erat templo auguſtiſsimo, & ſanctiſsimo, legis diſciplina, ſacrorum religione, Regum priſcorum memoria, grauiſsimi ſenatus auctoritate celeberrima, fuit perſpectũ facinus aliud multo ſceleſtius, quod tandem vniuerſum genus extremo exitio, & ſummo dedecore, cumulauit. Et hoc quo tempore? Illo nempe, inquit Dominus, quo libertatem populi mei conſtituebam. Quod autem fuit illud tempus? Num Cyri? Minime. Libertas enim illa non fuit abſoluta, ſed vmbra quædam libertatis exiguo tempore definita. Num Artaxerxis? Non prorſus. Erant enim Iudæi in ipſius Artarxerxis dominatu, &, illius beneficentia, vicinorum iniurias a ſe ægre, & maxima cum moleſtia, & ſollicitudine, propulſabãt; & toto illo ferme tempore, quo Babylone reuerſi Ieroſolymam legibus ſuis vſi ſunt, aut Perſis, aut Græcis, poſtremo Romanis, ſeruierunt. Sub Machabæis aliquam ſpeciem libertatis tenere videbantur. Eam tamen ita retinebant, vt maximis calamitatibus afflicti cogerentur tyrannis adulari. Poſtremo vera libertas eſt animorum, eaque ſempiterna, quam neque Moſes, neque Ioſue, neque Gedeon, nec, vt reliquos omittam, Dauid dare vmquam potuit. Illius igitur beneficium eſt, qui ſempiternum imperium adminiſtrat. Quemadmodum ille dicit, Si vos filius liberauit, vere liberi eritis; eo vero tempore, quo Dei filius in terris populum ſuum in libertatẽ vindicabat, Iuda ſementem fecit, e quo non illa tantum tribus, verum & reliquæ omnes, meſſem malorum omnium meterent. Hoc eſt igitur, quod Propheta dicit: Horrẽdum facinus in domo Iſraelis adſpexi, quod in Iudam tandem etiam peruaſit, vt omnes eiuſdem ſceleris pœnas exſoluerent. Ne autem putes, o Iſrael, non eſſe iam tibi alius malorum fluctus, propterea quod ſimulacris nõ immoles, ſubeundos, intellige, multo grauiora te ſupplicia manere. Iuda namque, dum ego populo meo libertatem dare ſtudeo, ſceleris maxime ſemen ſparget, vt tu cum reliquis omnibus meſſem omnium malorum colligas, iis tantum exceptis, qui fidei ſanctitate ſunt in meo populo numerandi.

Cum ſanare vellem Iſrael, reuelata eſt iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ, quia operati ſunt mendacium: & fur ingreſſus eſt, ſpolians latrunculus foris. Cap. VII.

Iſrael, Ephraim, & Samaria, idem ſignificant. variis enim nominibus regnum illud Iſraelis intelligit, cuius morbum inſanabilem dicit, vt enim corpus multis morbis oppreſſum ſanari nequit, (nam, dum ars medicinæ in vno depellendo conſumitur, alij vim ſuam diffundunt) ita reſpublica variis malis afflicta e morbis emergere nequaquam poterat. Dũ enim vni malo remedium afferebatur, aliud multo periculoſius erũpebat, ad populi ægrotantis perniciem: & ideo fuit importunis hoſtibus illius diripiendi facultas attributa. Principio igitur dolus, fraus, & inſidiæ a vicinis comparatæ, opes illius clamculum auferebant.

rebant. Hoc autem ſignificat, cum dicit, Fur ingreditur, deinde vis aperta cum fortunis ſpoliabat. Hæc demonſtrat, dum ait, Latro foris ſpoliat. Ait deinde:

Ne forte dicant in cordibus ſuis.

Nulla ſpes ſalutis illis oſtendi poteſt, qui fontem, vide malum, quo laborabant, emanauit, minime vident: iccirco fit, vt, cum ciuitas, nationes, imperia, calamitatibus opprimuntur, ſalutari medicina minime ſubleuentur. Peſtis enim, fames, bellum, dedecus, ignominia, & reliqua mala omnia, ex ſanctiſsimi numinis offenſione profluunt. Non igitur alio remedio, quam vitæ conuerſione, ſanantur. Hoc vnicum remedium dum homines minime faciunt, & alia inani ſollicitudine perueſtigant, euenit, vt eorum morbus in dies ingraueſcat: ideo conqueritur, quod non hoc animis ſecum recogitent. Vt autem magis appareat, omnia mala, quibus homines ingrati, & perfidi, vexabantur, non eſſe ad fortunam, & caſum, ſed ad Dei iudicium, referenda, continuo ſubiungit:

Omnem malitiam eorum me recordatum: nunc circumdederunt eos adinuentiones ſuæ, coram facie mea factæ ſunt.

Non conniueo in ſceleribus; non meæ offenſionis memoriam depono; non inultam impietatem eſſe patiar. Nunc igitur prauitatis pœnas exſoluent, quæ illos vndiq. circumſiſtent, ne habeant vllum miſeriæ perfugium. Omnia enim illorum ſcelera, & flagitia, mente perſpicio. Flagitia deinde commemorat, e quibus maxima vis malorum in reſpublicas inuehitur:

In malitia ſua lætificauerunt regem: & in mendacijs ſuis principes.

Oſtendit, omnia mala adulationis ſtudio, & artificio contineri: dum enim homines perditiſsimi, libidinem, auaritiam, & improbitatem, impudentia, & mendacio, verborumq. lenocinio, communiunt, & ſe in gratiam Regis, ficta ſpecie probitatis, inſinuant, & reliquis etiam principibus adulantur, neque, quid rectum, & ſimplex, & vtile reipublicæ ſit, ſed quod auribus iucundum, & ſenſibus gratum, excogitant, vt ſibi gratiam eorum, qui multum in republica poſſunt, inſita penitus calliditate, concilient; nullum tantum malum fingi cogitatione poteſt, quod non in vniuerſam rempublicam incurrat. Nam, cum ambitio, cupiditas, & effrenata libido, ſint tæterrimæ peſtes, quibus ciuitates, & imperia, labefiunt, & concidunt; tum vero, cum in principibus inſident, omnia ſubito peruertuntur. maxima namque libido, cum potentia ſumma coniuncta, populationem, & inflamationem, rebus communibus infert; & omnia, quacumque ruit, impetu furibundo proſternit. Quam facile autem ſit hac ratione bonorum omnium ſtragem edere, luculenter explicatur:

Omnes adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus a coquente: quieuit paullulum ciuitas a commiſtione fermenti, donec fermentaretur totum.

Fornax eſt animus principis inflammati libidine. Piſtor eſt adulator. adulatoris autem officium non multum operæ, & induſtriæ, requirit. Vt enim Piſtor ſemel operarios excitat, ſemel maſſam ſubigit, & interim conquieſcit, dum maſſa ſponte ſua fermenteſcat, deinde panes in fornacem incenſam mittit, quæ etiam, cum aſſueta ignibus ſit, & ea de cauſſa facillime conqualeſcat, dum piſtor otioſus deſidet, panes concoquit; ita adulator facillime materiam libidinis exquirit, quæ, etiam ſine vllo negotio, fermento nequitiæ, & prauitatis, intumeſcit facillime; ad obſequium libidinis inuitat, & allicit; facillime in animum principis, ſatis ad omnes voluptates excipiendas incitatum, omnia congerit; quibus illum ſibi deuinciat. Vt enim, virtutem tradere lautis, & delicatis, difficillimum opus eſt; ita, ad voluptates perfruendas incitare, facillimum; ipſa namque natura pondere ſuo ab honeſtatis altitudine in flagitiorum colluuionem deuoluitur.

Dies Regis noſtri, cœperunt principes furere a vino: extendit manum ſuam cum illuſoribus.

Dies, inquit, feſtus materiam Regi furoris, & amentiæ, præbuit. Non enim in familiaritatem homines ſobrios, & vigilantes, ſed adulteros, & flagitioſos, admittit. itaq. illorum opera multum vini exhaurit, magnam laudem in magnis poculis reponit, furit, & inſanit, ſcurris dexteram porrigit, cum hominibus omni flagitio corruptis fœdus amicitiæ firmat; & ita demum fit, vt, quod erat honeſtis, & fortibus, viris tribuendum, turpes, & ignaui, & cooperti omnibus vitijs, intemperanter abſumant. Quo modo autem id perditi homines aſſequantur, exponit:

Quia applicauerunt quaſi clibanum cor ſuum, cum inſidiaretur eis: tota nocte dormiuit coquens eos, mane ipſe ſuccenſus quaſi ignis flammæ.

Ipſi qnidem adulatores,& principes, cupiditatibus inflammati ducuntur, vt Regi inſidias comparẽt, (Hebraice enim eſt,cũ inſidiatur ipſi) & rei familiaris amplificandæ cauſſa illnm decipiãt.tota nocte piſtor eorũ dormit, hoc eſt, ij, qui Regis familiaribns adnlantur, nullo id negotio cõſequuntur. Ipſe vero Rex, ſimiliter, non admodum magna adulatoris induſtria, cum diluxit, ſeſe conſpiciendum exhibet, cupiditatum facibus inflammatum. Exaggerat autem Regis,& Principnm nequitiam,& improbitatem,dum oſtendit, ad illos in capitalem fraudem inducendos, nonopus eſſe magna induſtria, & ſedulitate, cnm ipſi ſponte ſua ſint ad omne flagitum propenſi. Deinde,ex eo, quod non tantum noctem, verum & diem, atque adeo primam diei partẽ, quæ erat maxime reipublicæ curationi tribuenda, in libidine,& flagitio, conſumerent. Rationem, qnare id fiat, aſsignat, & in eadem ſimilitudine inſiſtit.

Omnes calefacti ſunt quaſi clibanus.

Inflammati libidine,in flagitiorum omniũ corruptela verſantnr.Quid ergo? non eſt,qui eos lege coerceat? qui a flagitijs auocet? qui judiciorum ſeueritate conſtringat? Eſt quidem. Sunt enim in populo viri caſti, & integri,& ſancti, iurisq. Diuini periti. Sic autem eſt Diuina lege comparatum, vt boni de improbis iudicent; &,qui pietate,atque virtute, præcellunt,multitudini ius dicant, & vniuerſum popnlnm æquitate moderentur. verum ſic ſunt omnia conuerſa, vt ipſi,qui, bonorum exemplo,diſciplinæ ſeueritate corrigi, doceri, & conſtringi, debuiſſent, Regis iniuſtitia freti,in illos inſurgant,& potentia, qua plurimum valent, illos bonis omnibus euertant. Hoc vt ſignificet, ait:

Et deuorauerunt iudices ſuos.

Quibns antem pœnis ob tam inſigne facinus afficiantur,explicat:

Omnes Reges eorum ceciderunt: non eſt in eis, qui clamet ad me.

Regis caſu, & ruina, popnlus pœnas luit. non poteſt enim Rex cadere, quin populum eadem ruina opprimat,atque conficiat. Non mediocre igitur illud populi ſupplicium eſt, ſed aliud multo grauius ruinam illam ſæpe conſequitur. Quod in ea calamitate nemo Diuinam opem in perditis rebus,qnemadmodum oportet, implorat. Animus enim obcæcatus libidine torpeſcit, atque in terram deprimitur,vt mentis aciem intẽdere nequeat, vt videat, vnde ſit ſibi remedium poſtulandũ. Reliqnum igitur eſt, vt cum alijs impuritatibus, atque flagitijs, huius etiam ſtupiditatis ſupplicium luat. Non enim e malis emergere poterit, quamdiu non fuerit ope Diuina liberatus: eam vero non impetrat is,qni non fidenter implorat. Ait igitur:

Ephraim in populis ipſe commiſcebatur: Ephraim factus eſt ſubcinericius panis,qui non reuerſatur.

Iſraelis exſilium prædicit; externi deinde moris, & conſuetudinis, illnuiem, qua erat obliniendus; poſtremo gentium immanitatem, qua erant reliquæ illius opes abſumendæ. Vt enim,inquit,qui fame vexatur,non exſpectat,dum panis,qui in cinere coqnitur,verſari poſsit,ſed pæne crudum deuorat:ita gentes,inter qnas Iſrael verſatus fuerit, inexplebili cupiditate furentes, in illum incitabuntur,vt repentino morſu dilacerent.

Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit: ſed & cani effuſi ſunt in eo, & ipſe ignorauit.

Vires illius abſumuntur,opes ab alienis diripiuntur, ſtatns reipublicæ ſenio,& vetuſtate,conſnmitur, & exitus exitialis appropinquat: ipſe tamen non intelligit, omnia hæc mala, propter ſcelera, quæ in Deum commiſit,rebus illius incidiſſe. Adeoque mentis expers eſt, vt ſubijci Deo nolit, ſed pœnis Diuinis humana remedia furenter inquirat.

Et humiliabitur ſuperbia Iſrael in facie eius: neque reuerſi ſunr ad Dominum Deum ſuum, & non quæſierunt eum in omnibus his.

Hoc vult Deus, hoc expetit, hoc nobis pro ſuo iure præſcribit, hoc clementia illius a nobis ſæpe flagitat, vt, quoties nos, propter ſcelera,percutit, ab illo ſolo, qui nos curare poteſt,remedium poſtulemus,& dolore,ex flagitiorum conſcientia,perculſi, ad pedesq. illius ſtrati,veniam,pacem, & opem,ſuppliciter imploremus;& ita,numine illius excitati, in vitam, & dignitatem,multis opibus amplificatam,reſtituamur.Nos vero,hoc vnicum remedium,quod promptum, & expoſitum,eſt omnibus, qui toto animo ad Deum conuertuntur,nimis turpiter, & flagitioſe,negligentes, ſine vllo fructu, ſubſidia humana conqnirimus. Quemadmodum ſtatim ſeqnitur:

Et factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor: Aegyptum inuocabant: ad Aſſyrios abierunt.

Hoc quidẽ ab Iſraele factũ cernimus, cum Syriæ Reges illius regionem vaſtabant. nec

enim

enim ab impietate deterrebantur, nec a Deo auxilium poſtulabãt, ſed a Regibus Aegypti, vel Aſſytiæ, præſidium poſcebant. Merito igitur ſeductæ colũbæ ſimilis eſſe dicitur: ea namque ſtultitia, & impietate, factum eſt, vt grauiorem in ſe Diuini numinis offenſionem concitarent, & tandem miſerius interirent. Ab illis enim ipſis, quos ſibi patronos adoptarant, oppreſsi, & ſpoliati ſunt. Vt igitur Columba eſcis illecta in rete incidit, ita & Iſrael, auxilij ſpe, ſtulte, atque furenter inductus, in laqueũ ſe ipſum induit, & ab illis ipſis, a quibus ſibi opem pollicebatur, euerſus eſt. Quæ tamẽ omnia, non ſine conſilio Diuino, quo omnia ad ordinem ab illo conſtitutũ referũtur, geſta ſunt.

Cũ profecti fuerint, expandã ſuper eos rete meũ: quaſi volucrẽ cæli detrahã eos, cædã eos ſecundũ auditionẽ cœtus eorũ.

Quia Iſraelem cum columba ſcarum ſpecie ſeducta contulerat, in eadem metaphora inſiſtens, futurũ ait, vt eos reti capiat, atque perficiat, vt id, quod gratia ſalutis inquirunt, in eorum exitium referatur. Quemadmodũ, inquit, ab vniuerſa concione ab illis auditum fuit, ibi enim omnes Hebræi, antequam Iordanem tranſirent, audierunt omnia ſupplicia, quæ ſe Deus illis, qui præcepta illius tranſgrederentur, illaturum comminatus eſt, ne poſſent inſcitiam errori prætendere.

Væ eis, quoniã receſſerũt a me: vaſtabũtur, q̃a præuaricati ſunt in me: & ego redemi eos: & ipſi locuti ſũt cõtra me mẽdacia

Deus quidem eos e calamitatibus, quibus erãt oppreſsi, liberabat: at illi, vel falſis numinibus, vel humanis opibus, accepta beneficia referebant. Itaq. Deũ, vel fidei parum ſanctæ cultæ, quod promiſsis nõ ſtetiſſet, vel imbecillitatis, quod ſubuenire ſuis minime potuiſſet, inſimulabant. Quamquã nõ video, cur hoc ad futuram etiam liberationẽ, quæ poſtea exitũ feliciſsimũ habuit, referri nõ poſsit. Quaſi dicat, Veni quidẽ, vt eos e ſempiterna peſte redimerem: at illi contra falſum teſtimonium dixerunt, Turbatorem pacis, & otij, & hoſtem religionis, appellando.

Et non clamauerunt ad me in corde ſuo, ſed vlulabãt in cubilibus ſuis: ſup̃ triticũ, & vinũ ruminabant: receſſerũt a me.

Tantum, inquit, abfuit, vt mihi debitã gloriam tribuerent, & vitæ præſidiũ in benignitate mea collocarẽt, vt, etiã cum ærũna grauiſsima premerentur, &, ne extrema fame, viniq. penuria perirent, valde formidarẽt, nullas ad me preces adhiberẽt, ſed etiã vniuerſi tũ vel maxime a me ſumma cõſenſione deficerent.

Et ego erudiui eos, & confortaui brachia eorũ: & in me cogitauerunt malitiã. Reuerſi ſunt, vt eſſent abſque iugo: facti ſunt quaſi arcus doloſus: cadẽt in gladio principes eorum a furore linguæ ſuæ. Iſta ſubſannatio eorum in terra Aegypti.

Si, calamitatibus, inquit, magnis admoniti, fuerint aliquando a ſcelere reuocati; ea conuerſio nõ erit ad Dominum: reuerſi enim ſunt, vt eſſent abſque iugo. Erit enim non vera, ſed ad tempus ſimulata conuerſio; nec vt Deo placeant, ſed vt ſe e laqueis expediant, elaborabunt. Non enim vllo doloris ſenſu cruciabuntur, quod in Dei offenſionem inciderint, ſed quod ſe ipſos inſigni clade, & dedecore, cumulauerint. Itaque fiet, cum illorum animi ſanati minime fuerint, quamuis pietatem ementiri ſtudeant, vt eorum conatus, non eo, quo lex, & ratio dirigit, ſed quo cupiditatis furor impellit, concitetur. Vt igitur arcus fallax minime collineat, ſed locum valde diuerſum ab eo, in quod ſagittã emittere videtur, configit, ita eorum ſtudia, cupiditatis ipſius temeritate, & amentia, in exitium rapiẽtur. Ergo, cum homines aut conuerti ad Deum voluerint, aut cum ſimulatione, & mendacio, veniam petierint, Aegyptiorumq. opes Diuinis præſidijs antetulerint, facile poterit, qui volet, illis inſultare, eorumq. dementiam irriſione proſequi: quod, hominibus innixi, qui vel propter perfidiam nolunt, vel propter imbecillitatem nequeant fœderatis opitulari, a Deo, qui fidem ſanctiſsime colit, & infinita potentia præditus eſt, impie deſciuerint.

In gutture tuo ſit tuba quaſi Aquila ſuper domum Domini. Cap. VIII.

Oratio præciſa vehementiam deſignat, & ſuſcipiendi muneris alacritatem. hoc eſt autem, quod dicit, Bellum acre denũtia, &, quod fieri ſolet, cum hoſtis appropinquat, buccinã vehementer infla, & e pectore vocem ſumma laterum contentione profunde; hoc eſt, malũ, quod impendet, publice cum maxima libertate teſtificare. Vt autem hoc munus rectius ſuſcipias, aquilæ celeritatem ſuſcipe, & in populi tui ſcelus vehementer inuehere. Rationem autem iudicij continuo ſubiungit:

Pro eo, quod trãſgreſſi ſunt fœdus meũ & legem meam præuaricati ſunt.

Si qui fidem hominibus datam produnt, & officium contra fœdus inſigni religione & cærimonia percuſſum deſerunt, ſunt, vt perfidi, atque ſcelerati, humanæq. ſocietatis euerſores, ex terræ finibus exterminandi; quid de illis eſt exiſtimandum, qui fœdus cum ſummo vniuerſæ naturæ conditore, atque Domino, a quo facti, cõſeruati, in libertatẽ vindicati, muneribusq. ſummis affecti fuerant, cũ proiecta audacia, & impudẽtia, perfregerant? &, quod eſt maiore odio dignum, cum tam immani ſcelere conſtricti fuiſſent, pietatem ementiebantur,

bantur,ſibiq. ſummum religionis ſtudium arrogabant. Sic enim ſequitur:

**Me inuocabunt Deus meus, cognouimus te Iſrael.**

Hoc eſt,clamabunt ad me Deus meus;nos, qui Iſraelis nomine cenſemur, te nouimus, quaſi dicant, Conuerte iram tuam in gentes, quæ non eſt ſanctorum patrum ſanguine propagata,quæ non eſt notitia tui ſanctiſsimi nominis illuſtrata, nec in tuis ſanctiſsimis legibus,& inſtitutis,enutrita: quaſi vero nõ ob eã cauſsã fuerint maiore odio digni,qđ a ſanctiſſimis Patribus degenerauerint, & Dei notitiã amplexi minime fuerint,omniaq. Diuina iura contẽpſerint. Quẽadmodũ ſtatim explicatur:

**Proiecit Iſrael bonum,inimicus perſequitur eum.**

Nemo,inquit,bonus, niſi ſolus Deus. Lux, vita,ſalus, dignitas,opulentia, voluptas, robur,potentia, inuicta virtus, & tranquilliſsimi ſtatus æternitas,illius numine, vi, & beneficentia,continetur. Ille fons eſt inexhauſtus, atque perennis bonorum omnium, ita,vt tantum quiſque boni habeat,quantũ ab illo haurire,atque delibare,potuit. Quidquid aliunde manat,atque fluit,nullo modo bonum,ſed dira peſtis,& exitium,eſt exiſtimandum. Ergo, qui ſeſe a Deo diſiungit, ſe per ſummum ſcelus,atque dementiam,omni bono ſpoliat. Iccirco fit,vt hoſtis eũ cõtinuo perſequatur. Eſt.n. Dei auxilio, quẽ perfidia offendit,orbatus.

**Ipſi regnauerunt,& non ex me: principes exſtiterunt, & non cognoui: argentum ſuum, & aurum ſuum ſecerunt ſibi idola, vt interirent.**

Ipſi ſibi peſtem attulerunt, ipſi ſalutem ſuã prodiderunt: omnium malorum, quibus oppreſsi corruent,ipſi cauſſam ſuſtinent. Primũ quidem in Regibus diligendis non Dei ſpiritum,ſed inſitam libidinem,ſecuti ſunt; nec in honoribus mandandis virtutem,& pietatem, & ſanctimoniam,ornandam, ſed flagitium,& perfidiam, & ſcelus, temeritate, & dementia multitudinis,armandum ſuſceperunt. Sic vero ſactum eſt, vt, cum hoſtes Diuini numinis capitibus ſuis imponerent, quibus ſeruirent, & quorum exemplis vitam contaminarent, eo progrederentur amentiæ, vt Deos ſibi ex argento, & auro,fingerent, quibus ſuppliciter,atque demiſſe,ſupplicarent. Cum vero eſſent auariſsimi,vſque adeo,vt facile Dei legẽ, atque iudicia,præ pecuniæ immanis cupiditate,contemnerent,ſic tamen exarſerunt ad ſuperſtitionis teterrimæ cupiditatem,vt argentum ſuum,aurum ſuum, libentiſsime,deorum fingendorum cauſſa,profunderent. Poſtquam enim ſemel ſe Ieroboam decretis addixerũt; vt aureis vitulis honores Diuinos tribuerẽt; in eo ſcelere certatim elaborauerunt,vt nihil ſibi reliqui ad ſummam impietatem facerẽt, vt ita tandem,Dei iudicio exciſi,corruerent. et, quo magis populi furor emineret, cũ experiundo ſentirẽt, nullam ſibi opem falſa numina in aduerſis rebus attuliſſe, non tamen in viam redire voluerunt.

**Proiectus eſt vitulus tuus Samaria, iratus eſt furor meus in eos. vſque quo non poterunt emendari?**

Me,inquit,neglecto, vitulum coluit Samaria. At illius vitulus,quem ſuit nefaria ſuperſtitione venerata,nullam ei ſalutem peperit, immo hoſtibus prædæ fuit, & in longinquas regiones aſportatus. Ego vero,quẽ homines perditi deſpexerunt, illos plagis grauiſsimis inſecutus ſum. & tamen neque ſic operã dare voluerunt, vt,ſceleribus expiati,vitæ puritatem omni ſtudio conſeruarẽt. Duplex in principio ſcelus ſuit. primum,a Deo veru deficere; alterum, vitulum ex auro ſactum in Dei ſede reponere. tertium ſcelus fuit in peruicacia conſtitutũ. quod illa verba ſignificant: Vſquequo nõ poterunt emundari? Nam,neque cum animaduerterent religionem impuram in vituli honoribus vaniſsimo ſtudio poſitam eis nihil profuiſſe,neque cum cernerent ſe Diuino iudicio concidiſſe,e tam ſceleſtis facinoribus eripi concupierunt.

**Quia ex Iſrael & ipſe eſt: artifex fecit illum,& non eſt Deus: quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ.**

Nullam habent excuſationẽ ſacrilegi,vt dicant ſe religionis caſtiſsimæ gratia vitulũ dedicaſſe. Primum quidem id non fuit inſtitutũ Diuinum, ſed Iſraelis inuentum, conſilio pleno ſceleris excogitatum. Deinde,minime vidẽt,in eo vitulo,præter aurum,nihil aliud cerni, quam impuri hominis artificiũ; fieriq. nõ poſſe,vt opus artificẽ dignitate ſuperet. quid igitur magis abſurdum fingi potuit,quam,id, quod infimi hominis manibus ſactum,& expolitum fuit,in Diuina ſede collocari? Poſtremo, cernant tandem,ipſum Deum,quem coluere, ſibi ipſi opitulari minime potuiſſe. aranearum enim telarum plenus,contritus eſt, & in fruſta diſcerptus,vt ſic poſſet facillime in longinquas terras aſportari.

**Quia ventum ſeminabunt,& turbinem metent: culmus ſtans non eſt in eo,germẽ non faciet farinam; & ,ſi fecerit,alieni comedent eam.**

Seminare ventum,eſt,inutili ſtudio cõflictari,vt illi faciebant, qui non tantum a Dijs cõmẽticijs,verum etiã a Regibus magnis,opem & præſidiũ,flagitabãt. cum.n. a Deo,qui ſolus ſalutem dat, opem firma fide minime poſtularent, ab illis, qui ſalutem afferre non poterant,opẽ in rebus afflictis, atque propemodũ euerſis,implorabant. Vt igitur ſementem faciebant,

ciebant, ita merebant. Segetes namque erãt curæ, ſollicitudines, angores, calamitates, iudicio rectiſsimo Diuini numinis importatæ. His procellis, atque tempeſtatibus, agitati, ſceleris pœnas ſæpenumero luebant. Quod ſi aliquando aliqua ſalutis ſpes oſtendi videbatur, qua animi iacentes excitarentur, ſpes illa erat fallax, & inanis, & eorum animos deludebat. Et ideo dixit: Exortas aliquando ſegetes frumentum minime continere, ex quo farina fieret. Mentiebantur enim, & miſeros homines pendentes animis ludificabãt. Et, ſi aliquod auxilium afferebatur, id alieni, hoc eſt, hoſtes ab inſtitutis Diuinis abhorrentes ad fructum ſuum, incurſione facta, reuocabant.

Deuoratus eſt Iſrael: nunc factus eſt in nationibus quaſi vas immundum.

Quam inane fuerit ſtudium Iſraelis, oſtendit. Seminauit, inquit, non frumentum, ſed aeris inanitatem; meſſuit non fruges, ſed tempeſtatem turbulentam, & calamitatem: quidquid ſtudii, & induſtriæ, contulerat, vt famem depelleret, in alienorum fructum, & vtilitatem, conuerſum eſt. itaque non ſolum cibum ſibi minime comparauit, verum & ipſe cibus hoſtibus ſuis fuit, eorum immanitate conſumptus. Nunc vero, damnatus exſilio, gentibus alienis admixtus, & dominatu a tyrannis oppreſſus, ita vitam degit, vt nulli vſui ſit; ſed, tamquam vas inutile, ab omnibus reſpuatur, & inſigni contumelia, & dedecore, cumuletur. Et, cum, vt gentibus placeret, a Deo deſciuerit, ab ipſis gentibus immaniſsime proculcatur.

Quia ipſi adſcenderunt ad Aſſur, onager ſolitarius ſibi: Ephraim, munera dederunt amatoribus.

Nemo Dei præſidium implorauit, ſed ab hominibus auxilium conquiſiuit. itaque in Aſſyriam, vt Aſſyriæ copiis impendentem calamitatem auerterer, ire perrexit. Vt onager, qui nullius rectoris cultu, & moderatione, continetur, abiecit obedientiam, iugum a ceruice repulit, ingeniiq. ſui opibus fretus, nõ Deo, ſed ſibi tantum, hoc eſt inſitæ libidini, parere ſtatuit. Itaque, dum, quaſi Dei ope non indigeret, ſeſe a Deo ſeiunxit, ad eam inopiã redactus eſt, vt, quaſi meretrix deſormis, & libidinoſa mercede, amatores conduceret. Nõ enim gentiũ opibus, & blãditiis, illecta, Deos commenticios adſciuit, verum etiam, vt illorum impuriſsimis ſacris initiaretur, opibus ſuis intemperanter effuſis, elaborauit.

Sed & cum mercede conduxerint nationes, nunc cõgregabo eos: & quieſcent paullisper ab onere Regis, & Principum.

Senſus autem eſt: Illi quidem, inquit, tributis ſalutem ſuam redimere conabuntur, & imperatam pecuniam ſummo ſtudio perſoluẽt: nullum tamen fructum feret illis tanta ſedulitas. Quamuis enim Aſſyrii Regis, qui eſt Rex Principum, iugum ſubeant, tributumq. penſitent, vt reliquas opes ſuas impune poſsideãt, illa tamen ſpes erit valde tenuis, & intra breuiſsimum tempus inciſa. Ego namque eos omnes congregabo, vt gẽtibus ſeruiant. Itaq. tempore breuiſsimo peſtẽ a ſe propulſabunt: quin ipſe Princeps, cui ſe in ſeruitutem addicent, eos funditus euertet, & in ſeruitutem reliquias abducet. Peccatum, ob quod in tã graues calamitates inciderũt, cõtinuo ſubiũgit:

Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandũ: factæ ſunt ei aræ in delictũ.

Vbi via ſceleris aperitur, facile deinde panditur, multasq. vias multiplicandi ſceleris dat, quibus homines præcipites in peſtem, & exitium, ruant. Quemadmodum in Ieroboami ſcelere perſpectum fuit. Vitulis namque illis ſemel ſtatutis, & impuriſsime dedicatis, multi repente paſsim aras exſtruxerunt, & varia ſimulacra ex gentibus adſcita conſecrarunt, vſque adeo, vt neque Deorum numerus iniri, neque religionis variæ, & multiplices, ſectæ explicari poſſent. Sed dixiſſet fortaſſe aliquis, gentem Hebræam nõ ſine cauſſa in tam multiplices ſectas incidiſſe. Natura namque ſenſum in animis noſtris Diuinitatis inſeuit, & cupiditatem religionis inſculpſit, vt aliquo ſollemni ritu Deum coleremus. Erat igitur gens illa, ne in errorem falſæ religionis incideret, vera religione cõtinenda, vt, ſacris ſanctiſsimis operata, de mẽte Dinina, quod Deũ decebat, perpetuo cogitaret. Aliter enim locus erat præceps, & lubricus; & ruinæ periculum vitari non poterat. Cum enim ſine religione vita non poſsit inſtitui, neque generis humani ſocietas conſeruari, conſequens eſt, vt, qui veram ignorat, falſæ ſaltem vinculis adſtringatur. Hoc ne dici poſſet, adiungit:

Scribã ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ ſunt.

Præcipua quidem ſtatuta erant, quæ ad veram ſanctitatem, & hominum caritatem, & in conſeruanda fide conſtantiam, conferebantur. Quæ tamen omnia Iſrael, quaſi ad ſe minime pertinerent, ſcelerate violabat. Dum igitur inſtituta, quæ vmbram iuſtitiæ continebant, religioſe procuranda ſuſciperet, pietatem, & ſanctimoniam, ſpernebat, fidem, & officium, deſerebat, & ciues ſuos per iniuriam bonis euertebat, & maledicentia laceſſebat, & in cæde, & ſanguine, verſabatur; & tamen ſic erat amens, vt, cum a flagitiis minime diſcederet, ſacrificiis ſuis Deum placari poſſe confideret. Hoc autem fuit ſceleris totius initium: numquam enim alienas religiones aſſumerent, niſi prius propriam religionem immanis vitæ peruerſitate conſtuprarent.

Hoſtias offetent: immolabunt carnes, & comedent, & uominus non ſuſcipiet eas: nunc tecordabitur iniquitatis eorũ, & viſitabit peccata eotum. ipſi in Aegyptum conuertentur.

Quãuis, inquit, victimas immolent, quãuis numera frequentet offerant, ſollemniq. ritu, & cęrimonia, ſacris omnibus operentur, numquam tamen litabunt. Non enim ſanctiſsimũ Dei numen impietatis, auaritiæ, nequitiæ, crudelitatis, ſceleribus infenſum pecudum ſanguine placari, & a iudicij ſeueritate ad miſericordiæ lenitatem inflecti poterit. Immo tunc grauius in eorum ſcelus animaduertet, debitaq. ſupplicia eorum peccatis irrogabit. Nec enim hoſtiarum cæde, ſed interitu flagitij, delectatur; neque ſpecie ſanctitatis aſsimulatæ, ſed, pura, caſta, & integra mente delenitus, a puniendi ſeueritate deducitur. Tantum igitur aberit, vt ſacrificijs Deum ſibi propitium reddant, vt cogantur in Aegyptum reuerti, vt iterum turpiſsime ſeruiant, iterum Aegyptiorum impotentem dominatum perferant, & duriſsimis interim vinculis adſtringantur. Libertate namque Diuino beneficio parta prorſus indigni ſunt, qui, ſponte, & voluntate ſua, Dei imperio repudiato, ſeſe primum flagitijs, deinde falſis dijs, eorumq. ſimulacris, poſtremo tyrannis immaniſsimis, ſubdiderunt. Studium, & induſtria, reprehendi non ſolet; immo negligentia, & deſidia, iudicio coercetur. Sed animaduertendum eſt, tunc humanam induſtriam proſperos ſucceſſus habere, cum Dei præſentis auxilio nititur. Nam, vbi Dei numen abfuerit, inanis eſt induſtria, inutilis diligentia, omneq. humanum ſtudium ſine fructu conſumitur. Tunc igitur, quo maior cura fuerit, & vigilantia, eo magis torquebitur animus, & ſollicitudine, & angore aſsiduo, cruciabitur. Excæcatur enim mens, debilitantur vires, ſpes omnis inciditur; ratio in errorem impulſa, quo magis, vt ſe e malis expediat, enititur, eo in peſtem, & perniciem, furentius incitatur. Omnis igitur cauſſa calamitatis, & miſeriæ, eſt in oblinione numinis Diuini conſtituta, quod Propheta ſub Dei perſona luculenter explicat:

Et oblitus eſt Iſtael factoris ſui, & ædificauit delubra: & Iudas multiplicauit vrbes munitas, & mittam ignem in ciuitates eius, & deuorabit ædes illius.

Quid igitur iuuat, templa ſumptibus magnis exſtruere, ædes magnificas, & excelſas, ædificare, vrbes muris, & turribus, & propugnaculis, egregie munire, ſi omnia ſunt Diuinæ ſeueritatis incendio conſumenda? At, qui Dei obliuiſcitur, acceptiq. muneris, & beneficij, memoriam deponit, illiusq. in ſe numen incendit, quamuis magnas opes habeat, ſtatumq. ſuum robore, & induſtria, communiat, ita, vt nihil magis ſtabilitum eſſe videatur, cum minus ſupplicium expauerit, tũc acrius, & ſeuerius, iudicium experietur, & horribiliore incendio conflagrabit. Quocirca omnes, qui ſeſe criminibus alligarunt, & in ſcelere, & flagitio volutantur, amentes, & furioſi ſunt, quoties exſultant animis, & futili voluptate deliqueſcunt, & huius vitæ commodis efferuntur. Non enim impendentem illis calamitatem mente proſpiciunt. Nullam enim lætitiæ cauſſam habent, qui ſe a Deo, veræ voluptatis, & ſempiternæ lætitiæ, fonte, diſiunxerunt. Iccirco Propheta maxima contentione populum rebellem, & in ſuſcepto ſcelere contumacem, a voluptate, & lætitia, deterret. Inquit enim:

Cap. IX.

Noli lætari Iſrael, noli exultare ſicut populi: quia fornicatus es a deo tuo, dilexiſti mercedem ſuper omnes areas tritici.

Tu, inquit, cum tantum in te ſcelus admiſeris, cum matrimonij ſanctiſsimi fœdus cum Deo tuo percuſſum violaueris, cum amatorum dona in dira idolorum ſuperſtitione, in nefarijs ſacris, in cęrimonijs impuriſsimis conſtituta, beneficijs meis omnibus antetuleris, ita mentis expers eris, vt, quaſi tibi ſit exploratum omnes opes tuas fore ſempiternas, in voluptate verſeris, & gaudio triumphes, & dies feſtos, vt reliquæ gentes, furenter agites, & in dementia ſumma verſeris? non recogitabis tecum, quæ geſſeris? non iram illius extimeſces? non ad illius iudicium trepidabis? non te lamentis dedes, & lacrymis, atque fletu, iratum numen placare conaberis? vide, quanta te vexaret amentia. Nam, cum areæ tuæ erant frugibus repertæ, non Deo, qui ea tibi dona contulerat, gratias agebas; ſed ſacra impuriſsima ex alienis gentibus accerſita longe Diuino beneficio præferebas, & ad gentium, quas ſequebaris, exemplum feſtos dies in Deorum alienorum memoriam inſigni furore, & amentia, celebrabas. Dabis igitur ingratiſsimi animi pœnas, & furoris immaniſsimi ſupplicium ſuſtinebis. Pœnas deinde, quas erant, propter hoc immane ſcelus, paſſuri, oratione perſequitur.

Area, & torcular, non paſcet eos, & vinum mentietur eis.

Merito enim, qui Deo gratias de beneficijs acceptis non agunt, beneficijs ſpoliantur, vt ſegetes mentiantur, & vineæ hominum ſpem fruſtrentur, ita, vt neque fames eximatur, neque ſitis exſtinguatur. Aliud deinde ſupplicium apponit; exſilium nempe.

Non habitabunt, inquit, in terra domini.

Expel-

Expellentur, inquit, ſedibus, in quibus fuerant, Domini munere, & beneficio, collocati; & in terras hominum, qui illos incommodis innumerabilibus diuexauerant, abire compellentur. Ait enim:

## Reuerſus eſt Ephraim in Aegyptum, & in Aſſyrijs pollutum comedet.

Poſt illatam Iſraelis Regno vaſtitatem, Hebræi diſperſi ſunt, ita, vt quidam in Aegyptũ, quæ regio priſtinæ ſeruitutis, & ignominiæ, impreſſa veſtigia continebat, reuerterentur; quidam vero in Aſſyriam victi abducerētur; vt vtrobiq. ab illis ipſis, quos patronos adoptauerant, inſignes iniurias acciperent, & eorum dominatu acerbiſſimo premerentur, quos fore ſuæ libertatis vindices erroris opinione finxerant; &, quando beneficium Diuinæ legis, & pietatis, ſpreuerant, ſeſe in alieno ſolo, hominum infidelium familiaritate conſtricti, moribus eorum, cum quibus viuebant, obliti, polluerent. Hæc autem pollutio, cibi immundi contagione deſignatur. Summum namque ſcelus erat, olim cibis lege prohibitis inquinari; & iccirco polluti cibi nomine vitæ impuritates, atque flagitia, quæ gentes a Diuinæ legis ſacris abhorrentes in vita ſuſcipiebant, & commenticia etiam numina, quæ ſumma ſuperſtitione colebant, intelliguntur. Nam inter alia ſupplicia, quæ Iſrael in exſilio ſubire cogebatur, annumerat, moribus externis infici, & inſtitutis mortiferis alligari. Quemadmodum apud Ezechielem ipſe Deus dicit, ſe quidem legem vitalem, atque ſalutarem, ſanxiſſe, vt Iſraelis vitam conſeruaret, quam dum ſpreuerunt, illos legibus in exſilio mortiferis adſtrinxiſſe, vt in exitium præcipites eijcerentur.

## Non libabunt Domino vinum, & non placebunt ei: ſacrificia eorum, quaſi panis lugentium, omnes, qui comedēt eum, contaminabuntur: quia panis eorum animæ ipſorum non intrabit in domum Domini.

Non ſolum, inquit, erunt ſceleratæ gentis conuictu, & familiaritate, polluti, ſed nullis piaculis poterunt maculas inuſtas eluere, quia panis eorum, animæ ipſorum, hoc eſt panis pro animarum piaculo ab eis oblatus nō intrabit in domum Domini. Hoc autem vt ſignificet, luſtrationes lege ſancitas explicat, vt vini libationem, vt ſacrificij piacularis inſtitutionem, vt panis oblationem, quæ in exſilio fieri nullo modo poterant. Et, quia omne, quod cadauer attingebat, pollutum habebatur, &, qui funus etiam procurabant, erant ad aliquod tempus polluti, futurum dicit, vt omnia, quæ ſalutis, & libertatis recuperandæ cauſſa procurarent, a Deo, vt immunda, & contactu cadaueris, & lamentis inquinata, repudiarentur. In quo quidem, vt dictum eſt, ait, propter flagitia, ex gentium communione contracta, futurum, vt eorum preces non exaudirentur.

## Quid facietis in die ſollemni in die feſtiuitatis Domini?

Non eſt nobis interdicta voluptas, nō prohibitæ iucunditates, nō vetiti cantus, & ſymphoniæ, non curarum omnium alleuamentū in crimine poſito; ſed illud eſt lege ſancitum, vt aſpernaremur noxias voluptates, & conſectaremur eam vitæ iucunditatem, quæ eſt cũ honeſtate, & religione, coniuncta. Iccirco ſollemnes conuentus legi præſcripti fuerunt, in quibus hoſtiæ cęderentur, epulæ inſtruerentur, laudes Diuinę canerentur, & animi a grauibus curis ad hilaritatem reuocati ſimul cũ hominum beneuolentia, & caritate, quæ conuictu illo conciliatur, ad cultum ſanctiſsimi numinis acrius incitarentur. Quid autem poterat eſſe iucundius, quam laudes Diuinas concinere? quam amplitudinem Diuinæ benignitatis admirari? quam ad ſpem firmiſsimam ſalutis, & immortalitatis, rapi, & ſtudio vitæ cæleſtis incendi? Illis igitur feſtis diebus animi ſimul cum ſumma iucunditate memoriam ad cogitationem Diuinæ probitatis excitabant, nouis viribus aucti fortius pietatem retinebant. Ergo, ſublata illa religione, & diebus feſtis ex hominum conſuetudine prorſus euulſis, neceſſe continuo erat, vt paulatim illa priſcæ legis inſtituta ex animis exciderent, &, quidquid reliquum fuerat, religionis interiret. Hoc autem minus ſentiri poterat, quamdiu gens in libertate conſtituta feſtos dies ex præſcripto legis agitabat. At, amiſſa libertate, euerſis opibus, exſilij ſupplicio conſtituto, quomodo fieri poterat, vt voluptate illa ſanctiſsima fruerentur? quo modo, inquit, cantabimus canticum Domini in terra aliena? breuiſsimi exſilij tempus Dauid ferre non poterat, eo quod tunc temporis in ſollemnem conuentum ſe minime dare poſſet, & impediretur, quo minus publice opera Diuina celebraret. Itaque lacrymis, & ſuſpirio, de tam inſigni iactura ſæpe conqueritur. Quando veniam, inquit, & apparebo ante faciem Dei? quod eo dolentius erat in diuturno faciendum, quo minor erat ſpes hominibus in exſilio illo conſtitutis oblata priſtini ſtatus repetēdi. Merito igitur inquit: Quid facietis in die ſollemni? fieri ne poteſt, quin deſiderio voluptatis illius priſtinæ, & ſtatus tranquilli, e quo fuiſtis, propter impietatem, deiecti, contabeſcatis? quid, ſi dolor ille, ex deſiderio ſollemnis ſacri, & religioſæ celebritatis, aliquos eorum ne attigiſſet quidem? id quidem erat in multo grauiore clade numerandum: ſtuporem enim animi, atque feritatem, quæ mortis diriſsimæ ſignum continet, facile declararet. Id tamen maiori parti accidere minime potuiſſet. Quid ergo? Omnis

ſpes

ſpes reliqua præcidenda erat miſeris hominibus, ne vmquam ſe in patriam redituros confiderent. Præcidenda plane. Ita namque euerſum eſt regnum, vt numquam caput erigeret. Itaque fuere quidam ita bellis vexati, & attriti, & tam ſaepe ferro, atque rapinis, obiecti, vt, antequam omnia funditus interirent, in Aegyptum immigrarent: Alij vero, qui ab Aſſyrijs tandem poſt multas alias clades armis oppreſsi ſunt, in Aſſyriam perducti. de iis igitur, qui, cladis impendentis metu, in Aegyptum ſugerunt, inquit:

Ecce enim profecti ſunt a vaſtitate: Aegyptus congregabit eos, Memphis ſepeliet eos, deſiderabile argentum eorum vrtica hæreditabit, lappa in tabernaculis eorum.

Non ſolum extremam vaſtitatem, ſed horribilem ſqualorem, & interitum funeſtiſsimũ, atque deſperationem futuram, prædicit.

Venerunt dies viſitationis, venerunt dies retributionis: ſcitote Iſrael ſtultum Prophetam inſanum virum ſpiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amentiæ.

Inſtat, inquit, ille dies, quo Dominus eſt in ſcelus animaduerſurus: inſtat dies, quo de ſceleratis debitum ſupplicium ſumet. Tum demum Iſrael, malis eruditus, errorẽ agnoſcet: vexatio namque dat intellectum. Præſtitiſſet certe, multo ante, vitæ cõuerſione malum impendens præcauere. Tunc Iſrael mente percipiet, quantus illius furor exſtiterit. Propheta, qui populum ad ſpem ſummæ felicitatis excitat, mente captus eſt. Vir, qui ſe Spiritu Diuino cõmotum ſimulat, furioſus, & inſanus eſt. Sed dixiſſet aliquis: Nos amentes, nos rerum ignari, nos prorſus imperiti, facillime in fraudem, eorum opera, quos Diuinos viros exiſtimamus, impellimur. Cur igitur puniſit Deus, vt ab hominibus iſtis, qui inſignem ſpeciem pietatis, & cuiuſdam Diuinitatis, præſeferebant, deciperemur? Hoc, inquit, fuit ſupplicium acerrimũ, ſceleri veſtro iuſtiſsime conſtitutum. Nam primum multa in Deum, & homines, ſcelera ſuſcepiſtis; deinde acerbiſsimum odium, quod Multitudinem amẽtiæ noſter Latinus appellat, in veros Prophetas, qui vos iniquitatis, & ſceleris, arguebant, concepiſtis, vſque adeo, vt multis, ob eam cauſſam, necem afferretis. At, rectiſsimo Dei iudicio, decretum eſt, vt, qui lucem fugit, tenebris obruatur; &, qui veritatem odio immani perſequitur, mendacio capiatur. Quemadmodũ Paulus, ad Theſſalonicenſes ſcribens, ait, de illis Iudæis, qui ſunt Antichriſtum honoribus ſummis accepturi, ideo errore turbulentiſsimo complendos eſſe, quod veritatem animo nimis obſtinatò repudiauerint. Hoc autem ad omnes falſos prophetas merito transferri poteſt. Omnes enim in pœnam ſceleris immiſsi ſunt, vt eos, qui veritati aduerſantur, veneno peſtilentiſsimi erroris inficiant.

Secundę c.5.

Speculator Ephraim cum Deo meo. Propheta laqueus ruinæ factus eſt ſuper omnes vias eius: inſania in domo Dei eius.

Inſectatur hominum facinus, qui, Dei admonitionibus ſpretis, libidinem ſuam conſulunt, & falſis prophetis adhæreſcunt; vt clarius cerni poſsit, quam iuſto Dei iudicio erroribus pernicioſiſsimis imbuti fuerint. Non deeſt, inquit, Iſraeli, qui in ſpecula maneat. Deum meum conſulat, euentura denuntiet, & homines a clade imminenti deterreat. Verum illi ſibi prophetas adſciuerunt, qui fauſta, & felicia, nuntiarent, omnemque metum Diuini numinis abſtergerent. Speculator quidem in ſpecula locutus eſt: propheta vero, quem ſequuntur, eſt laqueus ruinæ, vel, vt inquit Hebræus, aucupis in omnibus viis populi huius. Auceps, & ruina eſt Dęmon, infeſtus, hoſtis ſempiternus humani generis. Laquei ſunt falſi Doctores, in ficta ſpecie sãctitatis ſe paſsim intrudentes nues, quibus inſidiãtur, ſunt homines imperiti, diuturna peccandi cõſuetudine a vero penitus auerſi. Hi, cum falſis prophetis aures præbeant, omnia ſtudia ſua corrumpunt, & ſcelerate contaminãt. In religione enim procuranda turbulentos errores, in hominum ſocietate fraudes innumerabiles, in exquiſitis voluptatibus impudentiam ſummam, adhibent; & in rep. turbas commouent, ſeditiones concitant, & communibus rebus perniciem, & interitum, machinãtur: ab eiuſmodi viris perditiſsimis Iſrael in fraudem capitalem inductus, & euerſus eſt. Quo autem omnia ſacra, quæ in domo Dei illius commenticii, quem perdita multitudo ſibi pro Deo vero colendum ſumpſerat, pertinebant? Eo nempe, vt conceptum contra veritatem odium in dies amplificaretur. Quo magis enim homines in illis ſacris exſecrandis, in illis diris cęrimoniis, in precibus ſacrilegis, in muneribus contaminatis, erant occupati, eo tætrius, & immanius, odium in legis ſanctiſsimæ diſciplinam, verbis, & factis exprimebant, quo ſumma inſania continetur.

Profunde peccauerunt, ſicut in diebus Gabaa, recordabitur iniquitatis eorum, & viſitabit peccata eorum.

Exprimit luculentiſsime Prophetarum fallaciã. In principio enim, quid humilius, quid abiectius, quid moderatius, fingi poteſt? manſuetudinis enim, & humilitatis, ſpecie incautos alliciunt, vt in laqueum inducant. Profunde enim peccauerunt. nam, vt ſimulatæ virtu

tis

tis ſpecie ſcelus occulant, in terram ſe demittunt. Poſt, vbi vires colligunt, auctoritate cõſtituta, nihil ſibi pertimeſcunt, & auditores ſuos metu liberant, impudentiſsime per omnia genera libidinum vagantur, ita, vt ſit eorum impudentia cum Gabaonitarum impuritate, & flagitio, conferẽda. Fuit enim facinus illud Gabaonitarum inſigne impudentiæ tæterrimæ documentum. (Cap. xix.) Vt enim in libro Iudicum ſcribitur, cum Leuita quidam cum muliere ſua iter faceret, ad vrbem nomine Gabaa diuertit, vbi fuit a ſene, probo, & perhoſpitali, hoſpitio receptus. nocte vero, cum epularentur, conuenit perditorum hominum multitudo, furenter incitata, ad ſenis domum, clamoribus inſtat, ianuam cædit, ſeni minitatur, ni propere hoſpitem illis tradat, quem nefanda libidine deformare concupierant. Mulier, vt viro parceretur, illorum libidini tradita fuit. Tanta vero libidinis per totam noctem continuatæ furor, & immanitas, extitit, vt mulieri miſeræ vitam exhaurirent. In quo quidem ſcelere multa ſimul fœda facinora commiſſa ſunt. Primum quidem fuit, hominem peregrinum, & rebus ſacris addictum, indigniſsima iniuria vexare. Aliud fuit, hoſpitalia iura, quæ temporibus illis erant ſanctiſſima, violare. Tum, nefanda libidine cum illo commiſceri velle. Tum, ciui ſummum dedecus inferre conari. Deĩde, immoderatæ libidinis immanitate mulieri vitam eripere. Poſtremo, quod magis exaggerat, nihil occulte, & ex inſidijs, ſed palam, & aperta vi, tantum facinus a multitudine conflatum fuit. Quod cũ fuiſſet publice ſuſceptum, non fuit tamen in illud publice vindicatum; & ita in vniuerſo populo idem crimen inhæſit. Tam enim in vitio eſt, qui ſcelus impunitum dimittit, quam qui illud edit. Numquam enim is, qui ſcelere ſe contaminat, illud publice ſuſcipere auſus fuiſſet, niſi illum ſpes impunitatis certiſsima confirmaret. Ergo, vbi ſimilia ſcelera publice ſuſcipiantur, & audacia, & impudentia, ſimul vinculis ſoluta paſsim volitat, ſignum certiſſimum eſt, vniuerſam multitudinem corruptam eſſe & iccirco cæleſti iudicio peruertendam. Rectiſsime igitur Iſraelis vniuerſi publicum ſcelus cum Gabaonitarum audacia, & impudentia, comparatur. Pudorem enim prorſus amiſerat; furor inſignis audaciam confirmarat; publice non in homines tãtum, ſed, quod eſt longe deteſtabilius, in Deum ſcelus nefandum ſuſceperat. Hoc autem facinus fuit prophetarum fallacium adulatione, & ſedulitate, confirmatum; qui, cum ſe ſe, vt facilius dolos ſtruerent, ita ſubmiſiſſent, vt nihil illis abiectius excogitari poſſet, tandem, partim impuriſsima diſciplina, partim ſceleris exemplo in hominum oculos conſtituto, ita populum corruperunt, vt Gabaonitarum, facinus ſceleris indignitate, & magnitudine, ſuperarent. Iuris igitur ratio flagitabat, vt, quemadmodum Gabaonitæ conciſi ſunt, ita vniuerſus ille populus exſcinderetur. hoc autem in loco Deus a gentis illius primordio ſcelera illius commemorat, vt oſtendat, quomodo ſemper populi illius rebellio, & impudentia, cum Diuina clementia, & benignitate pugnauerit. Ait enim:

**Quaſi vuas in deſerto inueni Iſrael: quaſi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum: ipſi autẽ introiuerunt ad Beelphegor, & abalienati ſunt in confuſionem, & facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt.**

Ego, inquit, tanto amore, & ſtudio, Iſraelem ab initio complexus ſum, vt omnes meas delicias in illo repoſuiſſe exiſtimarer. Vt enim, cum homo in deſerto, & inculto, ſolo, & in ſumma ſolitudine, & vaſtitate, conſpicit vuas, quo minus id ſperabat, eo maiore gaudio cumulatur; vt, cum in ficus primos initio veris incidit, vt fructus illius ſuauitate perfruatur, accelerat: ita & ego, cum vniuerſæ terræ perfidiæ aſperitate vaſtarẽtur, & nullus iuſtitiæ, & pietatis, fructus in humano genere cerneretur, & in ſolo Iſraele fidem, & pietatem, aliqua ex parte vigere conſpicerem, illo mirabiliter oblectari cœpi, &, quantum mihi cordi fuiſſet, beneficijs innumerabilibus oſtendi. Nec enim quidquam, quod ad illius ſalutem, & amplitudinem, pertineret, omiſi. Reliquum igitur erat, vt is mihi in amore reſponderet, & omnibus pietatis officijs, quantum eſſet mihi obſtrictus, indicaret. At ille, contra fidem datam, intra breuiſſimum tempus a me omnem amorem prorſus abiecit, & in Beelphegor immane nempe ſimulacrum impudentiſsime tranſtulit. In Numerorum enim libro facinus illud memoratur, (Cap. xxv.) quo Iſraelitæ, libidine furentes, & a mulieribus Moabitis, & Hamonitis, illecti, idolo, quod Beelphegor appellabatur, immolauerunt. Illo igitur ſtudio, amore, & cupiditate, qua ſe ſe a coniunctione Diuini numinis abſtraxerunt, & cũ fallaciſsimo numine coniunxerunt, & ita deteſtabiles, & exſecrandi, facti ſunt, ira Dei magnam illius partem populata eſt. His veſtigijs inſiſtẽtes poſteri, magnum cumulum ad parentum facinus addiderunt.

**Ephraim quaſi auis auolauit, gloria eorum a partu, & ab vtero, & a conceptu.**

Abſolute ponitur nomen Ephraim: quaſi dicat, Ephraim, id eſt autem Regnum Samariæ Iſraelis nomine celebratũ, qualis ſit, paucis explicabo. Eſt populus leuis inconſtans, & temerarius, officij minime retinens, & flagitijs turpiter addictus. Gloria huius populi, quæ quidem eſt in veri Dei cognitione, & in pietatis ſtudio, Diuinoq. patrocinio, conſtituta, ab eo celeritate ſumma diſceſsit. Quod nõ

eſt

eſt inclementiæ Diuinæ, ſed ſceleri populi, tribuendum. Ille namque, flagitio, & impuritate, perfecit, vt Dei patrocinium ab illo ſemigraret. Hæc autem lues a parentibus in filios cõtagione peruaſit. Ab ipſo igitur natali die, atque adeo a matris vtero, aut, vt rectius dicam, ex ipſo iam patris cum genitrice cõgreſſu, quo conceptus in vtero fuit, inſito ſcelere, & peruicacia, gloriam ſuam repudiauit, & numen a ſe abſcedere coegit. Eſt mira quædam amplificatio, qua gradatim inſitam in gente prauitatem, & corruptelam, verbis exaggerat, & ſceleris hereditatem, a parentibus ad filios, non tam ſeminis propagatione, quam de teſtandi facinoris imitatione, tranſmiſſam, luculenter exponit. Abortu, inquit, ſcelus immane concepit, neque ab ortu tantum, ſed iã in vtero matris hereditatem ſceleris adiuit: parum inueterati ſceleris immanitatem explicui, immo iam ab eo tempore, quo fuit in vtero conceptus, patris morbum ex ipſo ſemine contraxit. Ergo, ne ſcelus ad perniciem totius multitudinis illabatur, nefarium genus exſtinguam. Non permanebit enim genus adulteratum.

Quod & ſi enutrierint filios ſuos abſq. liberis, eos faciã in hominibus: ſed & væ eis, cum receſſero ab eis.

Perficiam, inquit, vt neque in terris homines parentes habeant, in quorum præſidio conquieſcant, nec in cælo me Patrem appellare audeant, quẽ inſigni perfidia repulerunt. Quid igitur facient miſeri, cum meo patrocinio orbati fuerint? quas ſibi opes comparabunt? quod miſeriæ perfugium habebunt? in quas ſe tenebras exanimati metu conijcient? Vt enim Ephraim, cum in meo præſidio latebat, opibus affluebat, & in ſumma iucunditate verſabatur; ita, cum ope mea nudatus fuerit, omnibus opibus euertetur, & in acerbitate ſumma verſabitur. Vt autem explicet, quã felix erat; cum Dei præſentis auxilio muniebatur, illam cum Tyri pulchritudine, & opulẽtia, comparat: & ſimul ruinam, & occaſum, illius, valde funeſtum oratione deſcribit, vt magis appareat, de quam amplo ſtatu concidiſſet. Ait enim:

Ephraim, vt vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine: Ephraim educet ad interfectorem filios ſuos.

Quam celebris olim Tyrus fuerit, quanta ciuium multitudine ædificiorum magnificentia, diuitiarum abundantia, mœnium robore, omniumq. bonorum copia, circumfluxerit, Cap. 26. 27. Ezechiel elegantiſſime deſcribit. Iſraelis Regnum, inquit, fuit cum illa ciuitate, tam ciuiũ multitudine, quam firmiſſima munitione, conferendum. Vt etiam hortus in tellure fertili, & opima, conſitus multiplices fructus effert, ita regnum illud ſobolem innumerabilẽ propagabat. At nunc ſic cõuerſa ſunt omnia, vt compellatur filios hoſtibus ad cædem tradere, nempe, vt illis, quos erroribus pernicioſis infecerant, etiam peſtem, & exitium, machinentur. Quod quidem merito illis euenit. Si enim ſic futurum eſt, vt parentum vitia liberis ingenerentur, & ſic ſcelera in dies augeantur, dum filii ſemper aliquid ad parentũ ſcelus addere nituntur, intereat a ſtirpe genus, impietatis, & nequitiæ radix euellatur, exemplum nefandi ſceleris exterminetur, ne terras vniuerſas inficiat. Nec enim par eſt, poſtquam iniquitas variis acceſsionibus amplificata ad ſummũ perducta eſt, vt eam diutius Diuina Iuſtitia conſiſtere patiatur, ſed aut eluuione deleat, aut flãmis abſumat, aut ferro, peſtilentia, & fame, conficiat. Hoc igitur Propheta mente recogitans, ſtudioq. Diuini numinis inflammatus, Deum obteſtatur, vt genus illius internecione deleat, ne vllum tanti ſceleris exemplum in vita reſideat. Inquit igitur:

Da eis, Domine. Quid dabis eis? Da eis vuluam ſine liberis, & vbera arentia.

Oratio pathetica eſt, & indignationem hominis ſancti ex numinis offenſione ſumptam demonſtrat. Numen enim Diuinum ad vindictam ſtimulat. Hæret tamẽ, & dubitat, neque ſatis deliberatum habet, quod ſuppliciũ perfidis hominibus imprecetur. Eo tamen delabitur, quod tolerabilius fore iudicat. Nã, quamuis in hominum pęnuria plurimum damni fiat, grauius malum eſſe videtur, gentem ſuppliciis excruciatam necari, quam, ne a principio in lucem prodeat, impediri. Hoc igitur ait: Si hoc ita futurum eſt, vt filii, parentum diſciplinis, & moribus inſtituti, paterni ſceleris hereditatem adeant, & ita ſunt pęnas tam diri ſceleris, nece, & vaſtitate, daturi, multo certe tolerabilius erit, eos non educari. fac igitur, Domine, vt abortione deleantur; aut, ſi in vitam ingreſsi fuerint, minime materno lacte nutriantur; vt ſic tandem cum minore doloris ſenſu ſoboles teterrima deleatur.

Omnes nequitiæ eorum in Galgat, quia ibi exoſos habui eos: propter malitiam adinuentionum eorũ de domo mea eijciam eos: non addam, vt diligam eos, omnes principes eorum recedentes.

Locus ille fuit primum monumento temeritatis inſignitus. In eo enim populus libertatem abiecit, Dei imperium detrectauit, & regem ſibi dari poſtulauit: in quo oſtendit, ſe nõ eſſe præditum illis opibus animi, quibus libertatem cum dignitate tueri poſſet; & ſimul, quam parum Dei ductu, & imperio, niteretur, oſtendit. Deinde, ſimulacris nefarie dedicatis, multiſq. Dijs a finitimis gentibus, per ſummum flagitium, & ſcelus, acceſſitis, ſecon- 1. Samuel. cap. 12.

tamina-

taminauit;exemploq. ſuo multos ad eiuſdem criminis ſocietatem ſollicitauit. Ibi, inquit, impietas ſibi ſedẽ,& domicilium, elegit Ego igitur e domo mea eos præcipites extrudã; religionem nefariam receperunt; at ego eos veræ religionis præſidio nudabo; amorem, quo me proſequi debuiſſent, abiecerunt; Ego nullum poſthac in eos amoris beneficiũ conferam. Omnes ſiquidem ſunt ſceleribus inquinati. quod ex eo cerni facillime poteſt, quod eorum principes a me ſcelerate deſecerint. Ergo, cum ſic moribus receptum ſit, vt omnes ad Principum exemplum, vitam, & mores ſuos effingant, conſequens neceſſario eſt, vt omnes ſint eodem ſcelere,& improbitate, corrupti. Quid igitur de illis fiet?

**Percuſſus eſt Ephraim, radix eorum exſiccata eſt: fructum nequaquã facient. quod etſi genuerint, interficiam amantiſſima vteri eorum.**

Aut enim, inquit, filios non ſuſcipient; aut, ſi ſuſceperint, vt ſint lepidi,& elegantes,& parentibus clari, atque periucundi, eos tamen interimam.

**Abijciet eos Deus meus, quia non audierunt eum: & erunt vagi in nationibus.**

Pœnam, inquit Propheta, perfidiæ ſuſtinebunt, tamdiuq. exſilio multabuntur, quamdiu a ſe perfidiæ morbum non depulerint.

Cap. 2.

**Vitis frondoſa Iſrael, fructus adæquatus eſt ei.**

Vitis in ſanctis litteris eſt Dei verbum, & Spiritus ſancti munus, atque gratia Diuina. Hanc vero exinaniuit ſibi Iſrael, ita, vt nullum ei fructum afferret Diuinę legis ſtudium. Etenim Iſrael, inſtar vitis, quæ ſilueſcit ſarmentis, & in omnes partes nimia funditur. quod eleganter Hebræus his verbis explicat, Vitem euacuãs eſt Iſrael. Gratia Dei, inquit, Paulus, ſum id, quod ſum;& gratia illius in me vacua non fuit; at in Iſraele vacua fuit. Nullũ enim illi fructum tulit. ille namque ſibi ipſi verbum Diuinum infructuoſum reddidit. Iccirco factum eſt, vt huius ſceleris æqualem fructum perciperet. Verbum namque Dei, quod aſpernatus eſt, illum expulit, & eiecit, omniq. Diuinæ gratiæ fructu ſpoliauit. Quo modo autem Iſrael vitem inanem ſibi redderet, & factus ſit vitis frondoſæ ſimilis, conſequenter exponitur:

**Secundum multitudinem fructus ſui multiplicauit altaria, iuxta vbertatem terræ ſuæ exuberauit ſimulacris.**

Ingratiſsimi animi ſcelus,& impietas, explicatur. lætiſsimæ ſegetes, olei,& vini copia, reliquorum bonorum affluentia, telluris opimæ ſumma fertilitas, beneficia Diuina ſunt. Erat igitur populus ille beneficijs obſtrictus, vſqueadeo, vt numquam poſſet oculos a Diuina mente deijcere, quin facinus ſceleſtum,& immane, conciperet. At tantum abfuit, vt is Dei benignitatem grata voluntate proſequeretur, vt, quo plura beneficia a Deo acceperat, eo audacius, & impudentius, ſanctiſsimã illius religionem violaret. Itaque, pro ratione prouentus, altaria multiplicabat, aduenis dijs frequẽtius immolabat;& tellurem amœniſsimam deligebat, in qua potiſsimum non mediocri arte,& ſtudio,& vigilantia, deorum imagines ſtatueret.

**Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt, ipſe confringet ſimulacra eorum, depopulabitur aras eorum.**

Quo modo, propter vitis inanitatem, fructum iniquitati debitum receperint, exponitur. Apparuit enim numen, iudicium conſtituit, & pœnam conſceleratis hominibus irrogauit, atque primum eos inteſtinis diſſenſionibus ita diſsipauit, vt nihil inter eos conneniret. Diuide, inquit Propheta, linguas eorũ. Pſal. 54.
& Iſaias: Tumultuabitur puer contra ſenem.
Quemadmodum enim, dum numen Diuini Iſaiæ 3.
ſpiritus adeſt, facile corda diſſoluta conglutinat, ita, abſceſſu illius, ea, quæ ſunt valde coniuncta, diſsident, atque diſtrahuntur. Ergo, vt coniunctis animis, atque viribus, non eſt difficile vim externam repellere, ita a diſtractis,& inteſtina contentione dilaceratis, hoſtibus repugnari non poteſt. Supplicij igitur initium eſt inteſtina diſſenſio. Veluti, cum
Manaſſes, vt Iſaias ait, moliebatur bellũ con- Iſaiæ 9.
tra Ephraim, & Ephraim contra Manaſſem, & quilibet deuorabat brachium fratris ſui. Tunc igitur in ciuili diſcordia mens oppreſſa ſceleris conſcientia cernere poterat, ſe peccati grauiſsimi pœnam luere. Et ideo adiungit, Nunc interibunt. Quaſi dicat, nunc demũ in interitu ſuo ſeipſos ſceleris amentiæ condemnabunt. Quid ſequitur deinde? cum nec, illis pœnis impoſitis, ad officium redire voluerint, Deus hoſtes eorum armabit,& in eos incitabit, vt non ſolum acie ſuperatos ferro trucidet, ſed vrbes expugnet, mœnia diſturbet, ædes inflammet, atque poſtremo altaria diſsipet, & ipſa Deorum inania ſimulacra conterat, atque comminuat.

**Quia nunc dicent, Non eſt Rex nobis. non enim timemus Dominum: & Rex quid fecit nobis?**

Verba ſunt eorum, quos conſcientia ſceleris exterret, neque tamen e ſceleris tenebris emergunt. Sentiunt enim, quam tenues eorũ vires ſint. Non eſt, inquiunt, Rex nobis: Hoc

eſt

eſt autem, Rex noſter, neque conſilio, nec induſtria, neque robore, præditus eſt, nec Regijs virtutibus ornatus, quibus a nobis hoſtẽ arcere poſsit. Tantundẽ igitur eſt, atque ſi regem non haberemus. Vnde hoc tantum malum natum eſt? Ex eo, quod Deum minime timuimns. Vt enim in Rege forti, atque ſapiente, qni reipublicæ, ſingulari virtute, & prudentia, & fide, proſpiciat, Dei ſummum beneficiũ agnoſcitur; ita in Rege ignauo, & imperito, flagitijs dedito, offenſio numinis irati perſpicitur. Cum igitur Deum iratum babeamns, & in Regis ignauia, & temeritate, non mediocres peccati noſtri pœnas luimus, quod nobis a Rege auxilium polliceri poterimus? Reliquum igitur eſt, vt ſalutem omnino deſperemus. Hæc oratio eſt illorum, quorum mens, oppreſſa maleficiorum recordatione, ita deijcitur, vt erigi, & excitari, & ad ſpem remedij reuocari, minime poſsit. Sed, quo tandem ſcelere ita conciderunt, vt in ſpem ſalutis ingredi nequeant?

Loquimini verba viſionis inutilis, & ferietis fœdus: & germinabit quaſi amaritudo iudicium ſuper ſulcos agri.

Nulla, inquit, eſt veritas in verbis, nulla in iureiurando religio, nulla in fœdere ſeruando fides, nulla in iure adminiſtrando iuſtitia. Iudicium eorum pro æquitate mercedem, pro ſalute perniciem, pro numinis Diuini metu fraudem, ſuſcipit. Vt igitur in ſulcis agri fertilis venenum exoritur, ita in eorum iudicijs fraus, & violentia, dominatur. Et his quidem ſceleribus humani generis ſocietatem violauernnt, & ciuium inter ciues communionem diremerunt. At in ipſum Deum quæ ſcelera moliti ſunt?

Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ.

3. Reg. 12. In Bethel fuit, vt legimns in libris Regum, vitulus aureus a Ieroboamo ſtatutus. Illius exemplo, multi poſtea eiuſmodi vituli varijs in locis erecti ſunt. Bethel, Dei domum deſignat: Propheta eundem locum, vt iam vidimus, Bethauẽ, ideſt autem Domus vanitatis, appellat. Vt enim dira ſuperſtitio in loco religione conſecrato conſtituta fuit, ita par eſſe videbatur, pro nomine ſancto, & auguſto, nomen impietatis obtineret. Cũ vero, ibi vnus tantũ vitulns eſſet, Propheta nomine multitudinis vſus eſt, propterea quod reliqui oẽs ad illius exẽpluũ dedicati ad illũ tamquã ad principiũ, vnde ſcelus illud emanarat, reuocari poterant. Vitulas autem, non vitulos, appellat, vt genere etiam commenticij nominis imbecillitatem demonſtret. Quam vero non inutilis tantum, ſed noxia, atque peſtifera, religio illa fuerit, continuo declaratur:

Quia luxit ſuper eum populus eius, & æditui eius ſuper eum exſultauerunt in gloria eius, quia migrauit ab eo.

In rebus etiam perditis, & in maleficiorum conſcientia, ſcelus integrum vigebat. Lugebat enim populus, Sacerdotes ſe lamentis dedebant, multiendo lugubres voces emittebat, & vlulabat. Cur ita tandem? Quia Deum fœdiſsimis factis offenderant, propter quæ in diras illas clades inciderant? Non certe. Suſceptæ namque per ſummum flagitium religionis erat illis antiquiſsima cura. Itaque lugebant, quod, eorum gloria in imagine vituli collocata, illud numen tanta cærimonia cultum, quo, ſummo furore, & amentia, ducti, nitebantur, illud mutum ſignum, infimi hominis opera factum, & expolitum, ab hoſtibus ablatum fuiſſet. Iam non patriam euerſam, & incenſam, non ciuium ſtragem, non ſuorum cædem, non rapinas, non contumelias, ita lugere videbantur, vt non multo dolentius paterentur illum tam diræ, tamq. funeſtæ, religionis interitum. Itaque factum eſt, vt etiam in illius acerbiſsimi luctus grauitate priſtina ſcelera cumularent.

Siquidem & ipſe in Aſſur delatus eſt, munus Regi vltori.

Non videbant miſeri, nec in illa quidem clade, quanta eos vexauiſſet amentia. Ipſe namque, in quo gloriæ ſuæ decus ſitum eſſe ſtatuebant, ſibi ipſi opem afferre non potuit, immo ex præda fuit delectus, quem Regi vindici Iſraelis offerrent. Vitulo nitebantur, Aſſyrij præſidio confidebant. Vitulus in rerum communium euerſione ne mugitum quidem edere potuit. Rex, quem patronum, atque libertatis vindicem, elegerant, eos multis cladibus afflixit, & opibus, & libertate, ſpoliauit, & ipſum Deum, quem, vero Deo neglecto, & repudiato, impuriſsima religione conſecrauerant, in poteſtate continuit, & gazam acceſsioni auri illius amplificauit.

Confuſio Ephraim capiet, & confundetur Iſrael in voluntate ſua.

Summa dedecoris ignominia deformabit impiam domum, quæ tanto ſceleri principiũ dederat, & Iſraeli, qui ſibi peracutus fuiſſe videbatur, conſilij ſui maxime pudebit. Cauerat enim Ephraim, ne populus, religione ductus ad reges Iuda paullatim deficeret: Iſraelne, religionis ſtudio, a ciuibus Hieroſolymitanis vinceretur, aliam religionem excogitauit, ne, templi frequentia, & celebritate, & a ſportatis Hieroſolymã muneribus, multitudinis hominnm, atque magnitudinis diuitiarum, deminutio fieret. At eo ipſo conſilio, quo ſtatũ reipublicæ ſibi munire videbatur, remp.

funditus

funditus euertit, & opes ſuas furenter, & impie, diſsipauit.

Tranſire fecit Samaria Regem ſuum, quaſi ſpumam ſupet faciem aquæ.

Non potuit magis exprimere multitudinis a Deo abhorrẽtis imbecillitatem. Omne namque robur noſtrum in fide, & pietate, conſiſtit. Sublata vero pietate, quid eſt aliud humanum grnus vniuerſum, quam ſpuma in ſuperficie maris enatans, quæ leuiſsimo flatu diſsipatur?

Et diſpergentur excelſa idoli peccatũ Iſrael: lappa, & tribulus adſcendet ſuper aras eorum: & dicent montibus, Operite nos, & collibus, capite ſuper nos.

In excelſis collibus perditi homines, cõtra legis interdictum, ſimulacra dedicabant, falſis numinibus immolabant, nefandaq. facinora faciebãt. Vt igitur tanti ſceleris monumẽtum aboleretur, montibus, & collibus, fuit vaſtitas illata, & altaria diſiecta fuerunt, & ſpinarum, atque ſentium, aſperitas ſedes tantis flagitijs infames occupauit, tantusq. dolor inuſtus impijs hominibus fuit, & tam immanis terror incuſſus, & tãtus eos pudor oppreſſit, vt cuperent montibus obrui; & terræ viſceribus occultari, vt ſimul & grauiorum malorum pondus effugerent, & oculos hominũ vitarent. Itaque, cum clades eſſet horribilis, metus tamen acerbioris cladis eos vehemẽtius excruciabat, & ſũmi dedecoris infamia, quaſi suppliciorum omnium immaniſsimo, diuexabantur, vſque adeo, vt iam non ſolum mortẽ, quã omnes inſito naturæ ſenſu pertimeſcunt, ſed illud genus mortis, & interitus, quo nihil terribilius eſſe videbatur, expeterẽt, nempe, vt montes, cõuulſis ſedibus, excurrerẽt, eosq. vniuerſos interitu ſempiterno deletos opprimerent. Hæc eadem verba cernimus, apud Lu-
Luc. 23. cam, a Domino, cum Hieroſolymæ excidium prædiceret, vſurpata: quæ clades tanto fuit atrocior, quanto ſcelus, propter quod populus in eam incidit, fuit immanius. Quid autẽ fiet in vltimo, & extremo, iudicio, ſecum recogitent illi, qui ſummi iudicis maieſtatem, & imperium, cum iuſtiſsima ſeueritate coniunctũ, metuendum arbitrantur.

Ex diebus Gabaa peccauit Iſrael. ibi ſteterunt. Non comprehendet eos in Gabaa prœlium ſuper filios iniquitatis.

Hic Propheta, cum ſit oratione preſſus, & conciſus, & ſæpiſsime membris diſſolutis vtatur, vnoq. verbo ſententiam comprehendat, eſt ſæpe numero valde obſcurus. Hinc adeo fit, vt tanta varietas in illis, qui eum interpretantur, appareat. Verum, cum ex eorũ explicatione nullus ſenſus, qui ſancto, & ſapiente, viro dignus ſit, eliciatur, veriſimile eſt, eos ſentẽtiam illius aſſecutos minime fuiſſe. Nec hoc dico, quod præmeſetam illius ſententias exacte percipere. Non.n. mihi tãtum arrogo, & aſſumo, vt me tot hominibus grauiſsimis, & ſanctiſsimis, anteponã. Verum mihi interdictum non puto, quo minus, quod ſentiã, proferam. Vt igitur mentem meam aperiam, eſt hoc in loco comparatio quædam, qua Dei iudiciũ in Iſraelis exitio mirifice cõprobatur. Sic enim dicit. Peccatũ quidẽ tuum, o Iſrael, multo ſceleſtius eſt illo, quod fuit in Gabaa ſuſceptum. Ille namque in homines, tu in Deum ſcelus ediditi. Illi Leuitæ vxorem, tu Dei ſummi religionem polluiſti. Ille mulierem vnã, furentes libidine, necauerũt, tu vero cõſilio ſceleſtiſsimo liberis tuis necẽ intuliſti. Illi poſtremo vna nocte tantum ſcelus illud ſuſceperũt, tu vero multis annis in eodem ſcelere cũ ſumma contumacia perſeueraſti. Ergo, cum ſcelus tuum tantis partibus ſcelus illud priſtinũ ſuperauerit, ratio iuris Diuini flagitabat, vt multo acrior animaduerſio fieret, & ſuppliciũm multo acerbius de tua improbitate ſumeretur. Verum alia etiam ratio poteſt aſsignari, quare ſit in te multo acrius vindicandum. Cum.n. Gabaonitæ ſe tanto ſcelere conſtrinxiſſent, non ad omnem Iſraelẽ illius contagio peruaſit. Multi enim in fide, & officio, permanſerunt; quos tanta facinoris offenſio concitauit, vt communi conſilio ſtatuerẽt, crimen illud eſſe armis proſequendum. Tu vero, cum primum impietatis fundamẽta iacerentur, num odio tanti ſceleris exarſiſti? num arma, vt impij facinoris exemplum deleres, corripuiſti? num aciem, vt eos, qui primi facinoris auctores exſtiterunt, comprehenderes, inſtruxiſti? Minime. Immo id molli nimis animo paſſus eſt, & facillime imperio Regis ſceleſtiſſimi obtẽpetandum exiſtimaſti. Hoc quidem non fecerunt olim Hebræi, cũ illis de Gabaonitarum ſcelere nuntius allatus eſſet. Immo maior illorum pars bellum cõtra filios iniquitatis comparauit. At te nec ſtudiũ Diuini numinis, nec ſceleris magnitudo, neque iudicij metus, neque extremæ ruinæ periculum, ad vltionem tanti facinoris incitauit. Et ita factũ eſt, vt ſcelus, ab vno ſuſceptum, a multitudine neglectum, & facillime diffuſum, animisq. tandem multitudinis inuſtum, ad hominum perniciẽ illaberetur. Vt aũt ſenſus clarior eſſe poſſit, Prophetæ oratio repetenda eſt. Ex diebus Gabaa peccauit Iſrael. Cõparatio eſt illi ſimilis, qua Lucas, more Hebræorũ, vtitur, inquiẽs Deſcendit hic iuſtificatus ab illo. plus.n. in iuſtitiæ ſtudio publican⁹, quã Phariſæus ille profecerat. Sic etiã propheta inqt: Ex diebus Gabaa, id eſt, pluſquã temporibus Gabaa peccaſti, o Iſrael: Hoc eſt vnum periodi membrum. Aliud diſſolute conſequitur. Ibi ſteterũt. Qui? Ille nempe, quos tanti facinoris odium ſtimulauit, quod tu modo non feciſti; immo ſceleris conſenſione corruiſti. Aliud membrum ſequẽs, ruinæ cauſſam exponit. Dicit enim, Nõ cõprehendet eos. hoc eſt aũt, Iſrael non maio

rum veſtigijs inſtitit, vt eos cōprehenderet, qui ſeſe tam nefario ſcelere cōmacularunt: quod non factū fuit in Gabaa. Quo modo? Sequitur ſtatim, In Gabaa bellū, ſupple cōparatum fuit contra filios iniquitatis. Sic autē, Hebræorum more, homines flagitijs, & iniquitate, corruptos appellat. Quę pœna deinde ſit tam immani ſceleri conſtituta, perſequitur:

Iuxta deſiderium meū corripiam eos: congregabuntur ſuper eos populi, cū corripientur propter duas iniquitates ſuas.

Equidem illis ſalutem dare cupio: hoc aūt meū deſiderium facit, vt eos pœnis inſequar, & annonæ caritate, & fame, & peſte, coerceā. Deinde eos duplici ſcelere colligatos bello deuaſtabo. Cum corripientur, inquit, propter duas iniquitates ſuas. quæ aūt hæ fuerint iniquitates, ex Hebræo facilius colligi poterit. Sic.n. hic locus Latine verti potuiſſet, Cū eos conſtrinxero ad vtrumq. oculū. Oculus enim in ſanctis litteris eſt interdū præſidium illud, quo nitimur, cuius ductū ſequimur, in cuius ope, & imperio, fiduciam collocamus. Duplex autē erat oculus Iſraelis, eo tēpore, quo Propheta hæc mandabat litteris. Vnus erat, religionis impuriſsimæ cultus. Alter, regū impiorum potentia. Vtrumque ſcelus erat capitale, & acri ſupplicio vindicandū. Signum enim ſummæ perfidiæ continebat. Nā & ſuperſtitionem diriſsimā homines profligati, atque perditi, ſanctiſsimæ religionis inſtitutis anteponebāt; & pro auxilio Diuino, quod a ſe repulerant, humanū ſummo opere flagitabāt. Illos igitur, huius tā īmanis ſceleris cōuictos, & iudicij Diuini laqueis alligatos, bellū infeſtiſsimū perſecutum eſt: in quo quidem non ſceleris tantū, ſed dedecoris, & negligētiæ, ſuppliciū ſubierūt. Quaſi dicat: Veſtrū quidē erat, cū ſcelus illud inſtitutū fuit, id indigniſsime pati, malumq. naſcens armis, ſalutariq. vindicta, reſtinguere, vt factū fuit olim, cū Gabaonitæ ſe ſcelere alligauerunt. At, quādo id facere neglexiſtis, gentes alienas cōgregabo, quæ vos, dum nō in me, ſed in Deos falſos, reſpicitis, neque præſidiū meū, ſed opē tyrannorum, imploratis, duriſsimo bello cōficiant. Cupio quidē vobis conſulere, & ad me beneficijs allicere, vt ſaluti veſtræ benignitate mea proſpiciā. At vos voluntatē meā contemnitis, imperiū deſpicitis, beneficia repudiatis. Ergo illud idem veſtræ ſalutis deſideriū numē meū incitat, vt vos & plagis erudiā, & duplicis præſidij confidentia inſolenter erectos bello peruertam, vt ſic tandē, malo coacti, veſtrum officiū faciatis. Qui.n. nec beneficijs ad pietatem allici, neque mediocribus pœnis ſanari, volunt, acerrimo ſupplicio coercendi ſunt, vt aliqui tandē, qui non ad extremum cū Dei clemētia certare voluerint, ſalutem adipiſcantur. Vt autem explanet, quam recto iudicio fuerit in eorum ſcelus animaduerſum, gentis contumaciam demonſtrat:

Ephraim vitula docta diligere triturā. & ego tranſiui ſuper pulchritudinem colli eius: adſcendam ſuper Ephraim, arabit Iudas, confringet ſibi ſulcos Iacob.

Beneficia cōmemorat; impoſitū munus exponit; vniuerſi populi cōſenſionē, Dei lege firmatam, explicat; varijs nominibus eiuſdē populi officium deſcribit. Ephraim non quidem me criminari poteſt, quod illum nō lege mea domuerim, quod illi minime iugum legis impoſuerim. Populum.n. illum oculis luſtraui, & aſſueſeci, vt robuſta ceruice iugū ſponte ſubiret, & ita labore ſuo fructū pietatis efferret. Itaq. dedi operam, vt, inſtar vitulæ iam domitæ, arare condiſceret, & ſemen, & ruſtica inſtrumenta, conueheret; Iuda vero multo alacrius arationi, ad quā iam erat admodum diligēter inſtitutus, incūberet. Erat igitur opus vt vtrumq. Regnū nominis inditi memoriā contineret, & Ephraim multitudinē fructus exſpectaret, & Iuda pietati vehementi ſtudio ſeruiret, & vterq. intelligeret, eſſe patris ſanctiſsimi veſtigijs inſiſtendum, vt aſsiduo labore agrum colerent, & occarēt, vt ita pietatis, & iuſtitiæ, fruges demeterēt. Omnia quidem erant opportuna ad ſementem faciēdam. Reſtabat, vt quilibet operam ſuam ſtrenue nauaret. Inquit igitur:

Seminate vobis in iuſtitia, & metite in ore miſericordiæ: innouate vobis nouale: tempus autem requirēdi Dominum, cum venerit, qui docebit vos iuſtitiam.

Non victimas, inquit, a vobis flagito; non boū ſtragē, & pecudū necē, exquiro; nō hircorum ſanguinē, & libamina legis, expeto; & reliqua munera, quæ offerūtur in tēplo, magnopere concupiſco. Hoc vnū a vobis exigo, vt animos veſtros ita colatis, vt poſsit in illis iuſtitiæ ſemē ſpargi. Aliter.n. nō ſeminabitis ad iuſtitiā, neq. poteritis ad opera caritatis inſtitui. Proſcindite igitur corda veſtra; vepres, & ſpinas, euellite; flagitiorū radices extrahite; libidinum fibras exſcindite; animorū veſtrorū fundos emollite, & oblimate, vt ſemen illis mādari tutiſsime poſsit. Ita vos ipſos cōparate, vt ſummū Dominum, qui aduentu ſuo terras luſtraturus eſt, vt eas ſcelere, & exſecratione, deuinctas liberet, excipere poſsitis. Is.n. vobis veriſsimæ iuſtitiæ diſciplinā tradet, vt, qui iniquitate eratis a Deo auerſi, æquitate, & iuſtitia, volūtatem illius recuperetis; Diuiniſq. ab illo muneribus, & ornamentis, afficiamini. Eſt autem hæc ſententia illi ſimilis, qua Deus vtitur apud Iſaiam. Cuſtodite, inquit, iudiciū, & facite iuſtitiā, quia prope eſt ſalus mea, vt veniat, & Iuſtitia mea, vt reueletur. Eo in loco Iſaias de aduentu Chriſti, per quē ſalus erat mortalibus afferenda, plane diſſerit. quod & Oſee hoc in loco facit. Vtrobiq. autem admonētur homines, vt viam ad Chriſtum excipiendum muniāt: quod munus erat

legi

Digitized by Google

legi propoſitum. Quemadmodum Paulus ait: Quid igitur lex? Propter trāſgreſsionē poſita eſt. Itaq. lex, vt in eo loco Paulus luculēter diſſerit, ideo ſancita fuit vt cupiditates hominū metu pœnæ coerceret, ne ſe tantis ſceleribus inquinarent, vt Chriſti beneficium, & munus, aſpernarentur. Hoc etiam Ioannes cumulate præſtitit, cum viam, in quam Chriſtus erat ingreſſurus, aperuit, atque purganit, ne quidquam illum a noſtra ſalute procuranda retardaret. Vitæ namque conuerſione, flagitiorumq. deteſtatione, erat curanda via, quam Dei filius erat initurus, vt animos noſtros Iuſtitiæ Diuinis opibus locupletaret. Hic igitur erat finis legis, vt animos ad Chriſtum accipiendum ſtudio iuſtitiæ, & beneficentiæ, præpararet. At Hebræi, quo modo ſe geſſerunt? quem ex lege fructum perceperūt? illum nempe, quem Propheta ſtatim explicat:

Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis, comeditis frugem mendacij: quia confiſus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum.

Nec legis, neque naturæ, culpa fuit. Ordo namque agri colendi fuerat ſumma diligentia conſtitutus; tellus erat fertilis, & opima; bones, ad iugum accipiendum, & natura robuſti, & vſu manſuefacti. Quid ergo fuit in cauſſa, cur tellus pro iuſtitiæ frugibus ſegetes iniquitatis, & iniuriæ, profunderet? Quia homines, in legis antiquæ diſciplinis enutriti, impietatis ſementem fecerant: a Dei namque fide deſciuerant, & ſibi ipſis cauſſam iuſtitiæ,
Rom. 10. atque ſalutis, adſcripſerant. Ignorātes enim, vt Paulus inquit, Dei iuſtitiam, & ſuam volentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei nō ſunt ſubiecti. tantum enim ſibi aſſumpſerant, vt in conſilium ſuum non Dei ipſius numen, ſed rationem, Dei præſidio deſtitutam, adhiberent, & menti ſuæ, atque viribus ſuis, confiderēt. Hinc igitur iniquitates, & iniuriæ; hinc fraudes innumerabiles; hinc lutulenta vitia; hinc peſtiferi malorum omnium fructus, exſtiterunt; hinc denique rerum communium euerſio, & vaſtitas, principium habuit. Fructum vero mendacem appellat, induſtriæ temere cōſumptæ vanitatem. Quem enim fructum tulerant ex dira ſuperſtitione, qua Deos aduenas, & inanes adſciuerant? cultiſsimæ regionis inflammationem. Quam vtilitatem perceperunt ex Regibus, ad quorum opem confugerant? Regū ipſorum perfidiam, & immanitatem, qua, bonis omnibus euerſi, & libertate ſpoliati ſunt. Valde igitur mendaces illi fructus exſtiterūt, vt ſunt fructus omnium, qui, a Dei coniunctione diuulſi, via ſua, hoc eſt mente, & conſilio ſuo nituntur.

Conſurget tumultus in populo tuo, & omnes munitiones tuæ vaſtabuntur, ſicut vaſtatus eſt Salmana a domo eius, qui vindicauit Baal in die prœlij, matre ſuper filios alliſa.

Futurum bellum prædicit, &, exemplo recentiſsimæ cladis, exterret eos, qui in ſcelere perſeuerabant. Hoc enim in loco, ſi oratio ad fontem Hebræum referatur, ita Latine verti poſſet: Excitabitur tumultus in populo tuo, & omnes munitiones tuæ vaſtabuntur, ſicut vaſtitas Salman, quā intulit domui Arbel in die belli, mater cum filijs alliſa fuit. Salman, quem multi Salmanaſar eſſe ſuſpicantur, vt ex hoc loco apparet, antequam Samariam euerteret, vaſtitatem fano Arbelis ciuitatis intulerat. Nec enim omnia, quæ prophetæ eueniſſe commemorant, hiſtorijs ſacris continentur. In qua enim hiſtoria legitur, quo modo Nabucdonoſor Tyrum, Syriam, Aegyptū, & alias nationes quamplurimas, bello conciderit, regiones euerterit, ciuitates incenderit, omnesq. gentes illas ſub imperium, ditionemq. ſuam ſubiunxerit? Sed, quia illa omnia ab Iſaia, Ieremia, Ezechiele, & reliquis prophetis, referuntur, geſta fuiſſe minime dubitamus. Ita & hoc in loco, cum propheta cladē Arbelæ, mœnibus, atque delubris, illatā, commemorat, illatam illam cladem fuiſſe cognitum habemus. Quis autem erat tunc omnibus terrori? Quis regionibus euerſionem inferebat? Quis vrbes, & mœnia, diruebat, niſi Rex Aſſyrius? Nihil igitur eſt magis veriſimile, quam Salman Regem Aſſyriorū fuiſſe, qui Arbelæ ædes ſacras demolitus fuerat. Et, quia Salmanaſar dictio cōpoſita videtur, apparet Salman eſſe ſimplex nomen Regis eiuſdem, a quo clades illa fuerat Arbelis inuecta. Eſt Machab. 1.
autem hæc ciuitas, quam liber primus Machabæorum Arbelas numero multitudinis cap. 9.
appellat, vltra Iordanem ſita: quam regionē Salmanaſar, cum Syriam vniuerſam inuictis armis peragrauit, vaſtauiſſe creditur. Fuit autem bellum funeſtum, & crudele, ita, vt nulli ſexui miſericordia tribueretur, ſed mulieres cum pueris infantibus alliderentur. Latinus interpres hāc ſententiam eo modo explicat, vt non minorem Iſraelis internecionē fore faciendam hoc in loco ab Oſea prædici arbitretur, quam illa fuit, qua Madianitæ a Gedeone, qui, ob Baalis arā labefactatam, Ierobaal dicebatur, fuerāt exciſi. Salman autem, cuius hiſtoria ſacra in libro Iudicum comminit, omnibus principibus, quos Gedeō illo prœlio fregit, opibus, & dignitate, anteibat.

Sic fecit vobis Bethel a facie malitiæ nequitiarum veſtrarum.

Senſus hic erit, ſi Hebræum ſequamur, vt, quæ anteceſsit oratio, cum præſenti cohæreat. Non minus eſtis a Diuinis inſtitutis abhorrentes, quam illi fuerunt, quos Aſſyrius euertit: ergo ſimili clade peribitis. Quemadmodum enim Betarbel, hoc eſt

templum illud Arbelis, non eam vrbem fuit religione tutatum, immo canſſam ruinæ, & calamitatis, attulit, ita in Bethel eueniet, vt religio ciuitaté non tueri queat, immo, propter Diuini numinis offenſam, ciuium ſtragē efficiat, & ipſum templum flāmis vltricibus abſumatur. Interpretis autem Latini ſententia hac rati one nobis erit aperienda, quaſi Propheta dicat: Madianitas, in quorum numero, veſtra impietas facit, vt vos reponendos cenſeam, Gedeon facili negotio cōcidit, nō minus quidem acerbam vobis Bethel perniciem afferet; fuit Bethel Diuinæ bonitatis, & Iacobi pietatis, monumentum; quod uos a ſuperſtitionis ſcelere ad religionis ſtudium reuocare debuiſſet: at tantus vos furor exagitauit, vt eo in loco impietatis ſedem collocaretis. Loci ergo religio, quæ vos tutari potuiſſet, ſi eam debito ſtudio colendam ſuſciperetis, vobis, propter peruer ſitat em improbitatis veſtræ, exitio erit. Sequitur deinde:

Sicut mane trāſit, pertrāſit Rex Iſrael.

Quid eſt antem hoc, quod dicit Mane, ideſt in aurora? num Regis vltima clades, qua regno ſpoliatus, atqne victus eſt, ſub aurorā diei illius funeſtiſsimi accepta fnit? Ineptū. Qnid enim refert, quota hora Rex ipſe conciderit, cum, quacumque hora ea calamitas accidiſſet, eandem vim prorſus habuiſſet. At hoc in loco Auroræ nomen non ſine cauſſa politum videtur. Ita plane, inquiūt. Ponitur enim pro Regni principio. hoc enim ſignificat: Principio Regni Oſes filij Ela Rex miſerabili ruina oppreſſus eſt. ſalſum. non enim in principio Regni, ſed nono anno, deletum eſt illius imperium, & ipſe catenis alligatus fuit, & in ſeruitutem abductus. Quod ſi dicas, per Auroram intelligi debere tenuem aliqnam ſalutis ſpē, & hoc etiam ſalſum eſt. Poſtquam enim Rex Aſſyriæ in illum armis inuaſit, numquam illi ſpes aliqua ſalutis affulſit. Nullo igitur modo adducar, vt credam, vllam hoc in loco Oſeæ mētionem fieri. Qui vero Iudæorum ſenſibus addicti ſunt, ſe ex anguſtijs expediant, & doceant quomodo, ſine ineptiarum, aut vanitatis, ſuſpicione, ſentētia huius loci ad Oſeæ referenda ſit. Verum multis in locis animaduerti, non poſſe vllo modo, nec a Iudæis, nec ab illis, quibus religio eſt a Iudæis diſſentire, prophetarum ſenſus explicari. Iudæi namque, cnm ſint oppleti tenebris, & ſenſibus admodū anguſtis præditi, ad lucem, & amplitudinē, Diuinorum hominum adſpirare nō poſſunt. Homines vero, qui illos ſequuntur, ſponte, & voluntate ſua, miſeram ſeruitutem ſeruiūt. Credunt enim, Iudæos, propter linguarum peritiam, in eo ſenſu, quem litteralem nominant, labi, ant errare, non poſſe. Quod quam falſum ſit, in locis innumerabilibus penitus exploratum habeo. Quantum vero ad hunc locum attinet, hoc pro certo habeo, nullo pacto, propter rationes, quas aſsignaui, ad illum modū, quem commenti ſunt, eſſe intelligendū. Itaq. facilius, qui ſenſus a veritate diſsideat, quam qui cum veritate maxime congruat, explicare poſſum. Quod tamen ſentio, in medium afferam. Sed prius eſt animaduertendum, omnibus prophetis vſitatum eſſe, cum præſentibus futura cōnectere, & a ſuis temporibus ad conſequentia tranſilire, atque in medio orationis curſu in finem, in qnem omnia eorum ſcripta cōferuntur, repente conuerti. Hæ crebræ perſonarum, & temporum, mutationes, & frequentes a rerum imaginibus ad veritatis ſoliditatem tranſitiones, maximas Iudæis tenebras offundunt, quibus obcæcati, miſerabiliter ineptire compelluntur. Hoc autem maxime in hoc propheta cernimus. Eſt enim adeo breuis, & conciſus, vt vix ſenſus vllus ex oratione illius elici poſsit. Tum. ſpiritus ipſius, impetu concitatus, temporū varietates mente complectitur, & quædam attingit, ad alia deinde rapitur; &, quæ ſunt temporibus diſiūcta, oratione coniungit, &, vbicumque ſeſe opportunitas offert, Chriſti numen celebrat, & ſcelus in illum ab Hebræis editum acrimonia orationis inſectatur. quod etiam hoc in loco facit. Futuram calamitatem, propter idolatriæ crimen, prædicit; & ſimul futuram rerū euerſionē propter ſcelus in Chriſti nece conflatum, mente recogitat; &, quaſi iam ſcelus illud præterierit, in ſceleris auctores inuehitur. Admonuerat paullo ante populares ſuos vt ſeminarent ad iuſtitiam, & eſſent animis præparati ad Deum accipiendum, qui erat per ſe iuſtitiam traditurus. Oſtendit deinde, illos pro iuſtitia impietatis ſementem feciſſe. Ergo, cum minime ſeſe ad tantum munus accipiendum comparaſſent, reliquum erat, vt nō modo munus oblatū aſpernarentur, verum etiam & muneris auctorē de medio tollerēt. Quemadmodū Iſaias ait, Abſciſſus eſt de terra viuentium. Et Daniel fore dixit, vt poſt ſe- Iſaiæ 53.
xaginta & duas hebdomadas ab inſtaurata ciuitate exſcinderetur Chriſtus. Daniel 9. Similiter hoc in loco propheta, vt admoneat, genus Hebræorum, poſt tā multas calamitates, non eſſe omnino perfunctum periculis, ſed grauiora illos ſupplicia manere, ait, Iſraelis Regem in anrora ab illis cæſum fuiſſe. Quid autem ſignificat, In Anrora? in rebus clariſsimis, & teſtatiſsimis, in ipſo veriſsimæ lucis exortu, in diſciplinæ Diuinæ claritate; ita, vt nullam excuſationem ignorationis habeāt: quaſi dicat, Querebamini, quod Regem non haberetis: at verum Iſraelis Regē, qui ſolus vobis ſalutem afferre poterat, cum & virtutis lumen vobis porrigeret, & cæleſtes opes explicaret, per ſummum ſcelus interemiſtis; &, aſſueti tenebris, exorientem lucē ſuſtinere non quiuiſtis. Si Rex Iſrael eſt, dicebant, deſcendat nunc de cruce. Hūc eſſe verum ſenſum, ea, quæ ſequuntur, magis aperiunt.

Cnm

**Cum puer eſſet Iſrael, & dilexi eum,& ex Aegypto vocaui filium meum.**

Cap. 11.

Duo beneficia ſumma commemorat. Primum fuit,legis antiqnæ promulgatio. Secundum, cæleſtis legis latæ per ipſum Dei filium inſtitutio. De primo dicit, Cum puer eſſet Iſrael,dilexi eum:de ſecundo,Ex Aegypto vocaui filium meum.Quando igitur Iſraelem dilexit? Poſtquam, ductu cæleſtis numinis,cum hoſtium interitu libertatem recuperauit, cũ cibo cæleſti ſuſtentatus eſt, cum Dei voces audiuit, ab illoq. legem accepit. In formis erat in Aegypto; fuit deinde legis inſtitutis informatus in deſerto, ita, vt ibi exoriretur. Puer deiude fuit in illa vaſtitate. Non enim ſolidis cibis,ſed lacte,hoc eſt pietatis,& iuſtitiæ,rudimentis nutriebatur, vt paullatim ad virile robur perueniret. Et ita lex illa erat inſtar pædagogi,vt Iſraelem, tamquam puerum,diſciplina puerili contineret, donec veniret tempus,quo omnes, qui non cæleſte munus aſpernarentur, ſpiritum adoptionis acciperent. Hic igitur Propheta,ſub Dei perſona,vt Iſraelis ſcelus exaggeret, duplicis beneficij mentionem infert. Cum eſſet,inquit,puer Iſrael, (in deſerto nempe, tunc enim natus fuit,cum ſe Diuinis iuſtitutis adſtrinxit,quibus ſe conformaret,& nondum tamen ad robuſtam ætatem peruenerat,) dilexi eum; hoc eſt,dedi ei legem,ſacerdotium,iudicia,mores,& inſtituta; cumulaui eum beneficijs ampliſsimis; & eum denique gentibus cunctis antetuli, in quo,tamquam in præcipua hereditate,& ſingulari peculio, multum curæ,induſtriæ, & vigilantiæ, conſumerem. Alterum vero beneficium multo clarius erit,cum filium meum ex eadem ipſa Aegypti regione, in qua illi diuturna tyrannide vexati fuerant, euocauero, vt populum e tyrannide peccati in ſempiternam iuſtitiæ libertatem vindicet. At illi,quo modo mihi gratiam retulerũt? ſtatim in ipſo primi beneficij principio defecerunt a me, & impuriſsimam gentium alienarum ſuperſtitionem ſecuti ſunt. Ait enim:

**Vocauerunt eos,ſic abierunt a facie eorum: Baalim immolabant, & ſimulacris ſacrificabant.**

Clamabant,inquit,Moſes, & Aaron,& reliqui Prophetæ, populumq. a ſcelere deterrebant, eosq. frequenter admonebant, ne ſe tam ſceleſto facinore contaminarent. At illi, tum vel maxime, cum viri Diuini eos reuocare nitebantur, obedientiam abijciebant, admonitiones ſpernebant, & ſeſe multo furentius in ſtudium inſtituti ſceleris incitabant: Itaque Dijs alienis ſacra faciebant; & ſuffimentis falſa numina placare conabantur. Meritas igitur pœnas tanti ſceleris exſoluerũt. Deinde, cum ego non Prophetarum modo, ſed etiam mea ipſius opera ſanare vellem, tam admirabilem beneficentiam ingratiſsimis animis aſpernati ſunt. Sequitur enim:

**Et ego quaſi nutricius Ephraim portabam eos in brachijs meis: & neſcierunt, quod curarem eos.**

Cum legis,inquit,pondus grauius eſſe videretur, quam vt Ephraim, hoc eſt Iſrael, illud ferre poſſet, filium meum ex Aegypto vocaui,vt greſſus illius dirigeret, brachijs ſuis eũ, quaſi tenerum puerum, ſuſtineret; ipſi vero minime cognouerunt me illum miſiſſe, vt eorum vulnera curarem. ait deinde:

**In funiculis Adam traham eos in vinculis caritatis:& ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum: & declinaui ad eum, vt veſceretur.**

Funes Adami,hoc eſt hominis,illi ſunt, quibus facile humanæ mentes alliciuntur. Lex enim olim non ita facile poterat appellari, funis hominis. Cogebat enim malo, terrorem inijciebat, ſupplicia proponebat, necem denuntiabat: itaq. magis corpus,quam animũ, continebat. Et ob id vitam minime dabat. Vt igitur animantia bruta,non ratione, & conſilio,ſed vi,imperio, ad terræ culturam trahuntur,ita etiam & illi,qui non ſpiritum adoptionis,ſed ſeruitutis, acceperant, officium metu facere cogebantur. Illa igitur vincula,quibus erant alligati, non erant hominis vincula. Homo namque,Diuinæ mentis imago,non timore,ſed conſilio,& caritate,ad ſtudium ſanctiſsimæ religionis impellitur. Explicat autẽ Dominus,quid ſit Funis hominis,dum ait,Funibus caritatis. Nullum eſt vinculum valentius, neque quod magis omnes animi ſenſus adſtringat. Non enim corpus impeditum,animo repugnante, & perrumpere cupiente,tenet, ſed mentem, & voluntatem,ita deuincit, vt nihil velit, nihil cupiat, nihil aliud moliatur,quam,vt,etiam propoſita morte,Diuinis iuſsis obtẽperet. Funes quidẽ ſunt,ſed humani, atque iucundiſsimi, vſque adeo, vt in eis ſumma libertas, atque dignitas, conſtituenda ſit. Vt autem, cum boues ſunt laborando defeſsi,agricola iugum ab eorũ ceruicibus depellit, & prope maxillas appendit, ita filius Dei legis iugum, quod homines intolerabili labore fatigabat,excuſsit, non quidem,vt iugum omnino minime ferrent,ſed vt cum ſumma iucunditate iuſtitiæ fruges exararent; cibumque ſuauiſsimum ex ſpiritus Diuini iucunditate perciperent.

**Nõ reuertetur in terrã Aegypti, & Aſſur ipſe Rex eius: quia noluerũt cõuerti.**

Hæc,inquit,munera, & beneficia,illis conferebam, & præcipiebam, ne in Aegyptum redirent,

dirent, ne videlicet rurſus aſsiduis operibus luti vexarentur; hoc eſt, ne ad libidinis impuriſsimæ ſordes, & flagitia redirent: at illi, tantum abfuit, vt libertatem retinere vellent, vt ipſum Aſſyrium, ideſt autem impotentem Satanæ dominatũ, ſpõte ſua ceruicibus ſuis imponerẽt, ne fidei ſanctitati, ſed perfidiæ immanitati, perpetuo ſeruirẽt. Nec.n. ad Dominũ, qui eos ad ſe tantis muneribus inuitabat, & alliciebat, conuerti voluerunt. Per Aſſyrium vero Satanæ dominatum intelligi, Iſaiæ, & aliorum Prophetarum, teſtimonio percipitur. Quid igitur fiet?

Cœpit gladius in ciuitatibus eius, & conſumet electos eius, & comedet capita eorum.

Non populi concitati furor, non multitudinis inconſideratæ temeritas, non vlli fluctus populares, qui fuerant Senatus auctoritate compeſcendi, tanti ſceleris potiſsimam cauſſam ſuſtinent. Sacerdotum namque collegiũ, & publici conſilij grauitas, re diu deliberata, ſententiam, plenam ſceleris, & amentiæ, protulit, vt vindicem libertatis vinculis alligaret, auctorem vitæ ſupplicio mactaret, ſempiternæq. gloriæ, atque decoris, architectam contumelijs, & maledictis, configeret. Iccirco factum eſt, vt gladio trucidarentur, nulliſq. mœnibus, atque propugnaculis, poſſent impetum hoſtium propulſare. Omnia namque fuerunt deturbata, afflicta, comminuta, ipſi bonis omnibus exhauſti, libertate ſpoliati, maximaq. eorum pars ferro, fame, peſte, vaſtitate, conſumpta.

Et Populus meus pendebit ad reditum meum: iugum autem imponetur eis ſimul, quod non auferetur.

Exſpectat quidem populus, vt ad illum conuertar, vt homines, qui legis beneficio in populo meo cenſebantur, ope mea e malis, quibus obruti ſunt, emergant, & lucem reſpiciãt, & ſumma cõſenſione preces adhibeant ad Altiſsimum, fruſtra tamẽ. Nec enim illos, quamdiu in prauitate ſuſcepta perſtiterint, licet dies, atque noctes, opem illius implorent, e malis, quibus affliguntur, eripiet. Itaque in ſeruitute permanebunt, & morbis peſtiferis affligentur, nec calamitatis finem vllum reperient, donec Regem, illum ipſum, cui necem intulerunt, agnoſcant, Maieſtatemq. illius vereantur, atque dicant, Benedictus, qui venit in nomine Domini. Sed inquiet aliquis, Num ſalus eorum deſperanda eſt? Non, inquit. Summa namque Domini clementia tandem fiet, vt reſipiſcant. Ait igitur:

Quo modo dabo te, Ephraim? protegam te, Iſrael? Quo modo dabo te, ſicut Adama? ponam te, vt Seboim? Conuerſum eſt in me cor meum, pariter conturbata eſt pænitudo mea.

Oratio eſt hominum moribus accommodata; vt ex illa poſsit intelligi, Deum, cum ſupplicium irrogat, quaſi repugnantem, & inuitum, ad puniendum accedere, & hominum ipſorum, quos plectit, ſupplicia lamentari, ſed eorum maleficijs cogi, vt neceſſarium munus recti iudicij ſuſcipiat. Ita tamen plectit, vt numquam, quoad fas eſt, immemor miſericordiæ ſit. Hoc enim officium, quaſi magis naturæ illius accommodatum, libentiſsime ſuſcipit. Iccirco igitur Iudæorum genus tolerat, vt ex illo oriantur, in quos tandem ſummas clementiæ opes effundat. Vt igitur declaret, quam inuitus ſeueritatis perſonã ſuſcipiat, ait: Quo modo te hoſtibus diripiendum dedam, o Ephraim? Quo animi mei dolore te tradam, o Iſrael? Scelus quidem tuum grauiſsimum ſupplicium flagitabat, nẽpe, vt, quemadmodum Adama, & Seboim, quæ duæ ciuitates ex illis quinque fuerunt, quæ cæleſti incendio conflagrarunt, ita conſumptæ ſunt, vt nullum ex eis veſtigium remaneret, ita ego te delerem, vt nullum ſemen tuum, aut poſteritatis tuæ memoria, ſupereſſet. Sed, quo modo animum inducam, vt vniuerſum genus tuum a ſtirpe prorſus intereat? Nullo id modo patiar. Animo namque commoueor; viſceraq. mea ſentio miſericordia frangi, atque conturbari. Hi miſericordiæ Diuinæ motus demonſtrant, futuram Iſraelis conuerſionem. Quam diu enim in perfidia perſiſtunt, iudicij ſeueritas non inflectitur. Et ideo tam ſæpe apud Iſaiam illa verba repetita cernimus: In his omnibus non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius eſt extenta. Hoc tamen intelligimus, quam prompta, atque parata, ſit Domini clementia omnibus, qui ad illum pura mente redire voluerint, & conſiliũ præterea, quo ſic humanũ ſcelus vlciſcitur, vt alias quidem nationes internecione deleat, ex quibus nempe nullus ſit fructus pietatis exſpectandus, aliarum vero reliquias conſeruet, quarum poſteritas ſit in officio manſura, aut aliqua ratione materiam gloriæ Diuinæ præbitura. Hoc igitur in loco videmus, quibus de cauſſis Deus Iudæorũ impietatem ſuſtineat, nempe, quia multi ſunt ex eo genere deligendi, quia vaſa miſericordiæ fiant. Ait deinde:

Non faciam furorem iræ meæ: non conuertar, vt diſperdam Ephraim; quoniam Deus ego, & non homo: in medio tui ſanctus, & non ingrediar ciuitatem.

Ita me, inquit, continebo, vt reliquiæ populi huius per fidem conſeruentur. Deus enim ſum, & non homo. Fidem igitur, quam olim

patri-

Digitized by Google

patribus dedi,cumnlate præſtabo. in Chriſtũ enim meum,qui in medio tui ſedem, & domicilium,collocabit, reſpiciam;illiusq. ſanctitate placabor. Munus autem meum non erit fluxum,& interiturum,ſed fixum, ſtabile,atque ſempiternum. Non enim in ciuitatem ingrediar:hoc eſt,non legis priſcæ mores, & inſtituta, renouabo; non mœnia antiqua reficiam; nõ Hieroſolymis tantum benignitatis monumenta conſtituam; non denique numen meũ vnius vrbis ambitu includi patiar. Illa namque omnia erant in vmbris poſita,certo temporis ſpatio, auguſtæ regionis termino,definita. At tunc veræ, & ſolidæ, & ſempiternæ, ſanctitatis, & iuſtitiæ,mnnera conferam; nec ea cum vna tantum gente, ſed cum vniuerſo hominnm genere communicabo. Alia igitur ſacra, & ſacrificia,alia libamenta, alias cærimoniarum ſanctitates, alia vobis inſtituta, cæleſtia,atque Diuina, proponite. Sed libenter quæſierim, num ea tanta munera ſint ijs, qui, neſcio cuius fidei nomine nixi, pietatis opera pro nihilo putant? Minime. Inquit enim:

Poſt dominum ambulabunt.

Ideſt,Deum ardent i ſtudio ſectabuntur,veſtigijs illius inſiſtent,vt illius puritatem, benignitatem,& miſericordiam,imitentur.Eo vero pietatis ſtudio quos fructus conſequẽtur?

Quaſi leo rugiet;quia ipſe rugiet,& formidabunt filij maris. & auolabunt quaſi auis ex Aegypto, & quaſi columba de terra Aſſyriorum, & collocabo eos in domibus ſuis: dicit Domiuus.

Nullis, inquit, tunc malis obijci poterunt, qui Deum tutorem, & parentem,habuerint. Ipſe namque Dei filius eorum patrocininm ſuſcipiet, &, ſicut, dum leo rugit, feræ omnes extimeſcunt, ita, dum leo de tribu Iudæ iudicij ſui fremitum ediderit, nationes vniuerſæ trepidabunt. Per nationes maritimas, quæ ſunt ad Occaſum, ſi ad Iudæam reſpicias, & per Aegyptios,qui ad auſtrum pertinent,per Aſſyrios,qui tũc temporis multas & Septemtrionis, & Orientis ſolis,regiones in ditione tenebant, vniuerſus orbis terrarum intelligendus eſt. Et,quia nationes illæ Iſraelem vehementer afflixerant, per illas omnes hoſtes Chriſtiani nominis deſignantur. Ait igitur,futurum, vt pijs hominibus, qui ad Deum conuerſi,& Chriſti diſciplinam ſecuti fuerint,nullus ab hoſtibus metus impendeat; immo nationes vniuerſæ,numinis Diuini metu,contremiſcant: Chriſtus enim eos iudicio ſuo conturbabit,& numine ſuo perterrebit:illi vero, qui ad nomen eius adiuncti fuerint, in iuſtitiæ ſedibus locabuntur,&,benignitatis Diuinæ fiducia nixi, in numine Diuino conquieſcent. Vt autem magis ſpem confirmet,teſtificatur, hanc Diuinam promiſsionẽ eſſe, & icirco mutari non poſſe. Quemadmodum & Paulus ait, Sine pænitentia ſunt dona,& vocatio Dei. Ad Rom. 11.

Circũdedit me in negatione Ephraim, & in dolo domus Iſrael: Iudas autem teſtis deſcendit cum Deo.

Poſtquam futuram felicitatem prædicit, qua erat populus vniuerſus ab interitu liberandus,redit ad ſui temporis mores,vt impietatem ſuæ gentis inſectetur. &,quia potuiſſet aliquis dicere,Quid Deum mouet,vt priſtinæ benignitatis immemor ſit? Numquid non veniam pollicetur omnibus,qui eam poſtulauerint? Numquid non ſpem ſalutis oſtendit eis, qui eam ſtudio ſummo flagitauerint? Eſto.fuerit iſta gens impia, & ſcelerata, & religionẽ veram neglexerit,Deos alienos adoptauerit, ſocietatem humanam violauerit:eam iam facti ſui pænitet,Deum circumſidet, veniam poſtulat, auxilium petit, iratum numen hoſtijs, atque precibus, placare contendit.nihil denique, quod ad conciliandam gratiam facere videtur, omittit. Quid igitur Deum a ferendo auxilio remoratur? Id,inquit ille,quo ſumma placandi numinis ratio continetur, neglexerunt;nempe veritatem,atque fidem, veriſsimæq. religionis ſanctitatem. non enim conuerſionis ſpecie ſimulata,ſed vera conuerſione, Dens a punienda ſeueritate deducitur. Nec enim omnibus,qui ad illum oratione redierint, ſed qui toto animo conuerſi fuerint, ſe opem in rebus afflictis allaturum promiſit. At Iſrael inqnit, Si plagis coactus ad me manns intendebat, ſi vota faciebat, ſi victimas immolabat,pietatem emẽtiebatur. Eo enim ipſo tempore gerebat animum addictum libidini, obligatnm ſcelere, obſtrictum ſuperſtitione, omnibusq. modis a ſtudio religionis auerſum. Iuſto igitur iudicio,fuit Dei ope nudatus. Quod quidem multo magis perſpici potuit in Iudæ ſtatu, Diuina ope munito: eodem namque tempore, quo Regnum Iſraelis fuit ab Aſſyrijs euerſum, Iuda ſtatum ſuum conſernauit;&,cum opem flagitaret,eam conſecutus eſt, & ita imperium cum dignitate retinuit. Omnes enim Iuſti, Principes, atque adeo Reges,exiſtimandi ſunt,cæleſtiq. dignitate præcellunt. Si igitur Ephraim fidem Iuda fuiſſet imitatus, eadem ope facillime a ſe impetum hoſtium repreſsiſſet. Quod quidem ille non fecit.Immo,diffidens opibus Diuinis, humanas omni ſtudio,& ſollicitudine,conquiſiuit. Ait igitur:

Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtrum: tota die mendacium,& vaſtitatem,multiplicat:fœdus cum Aſſyriis iniit,: & oleum in Aegyptum ferebat. Cap. 12.

Ven-

Ventum paſcit, qui muneribus delenire ſtudet eum, qui nihilo plus auxilij, quam ſi ventus eſſet, importare poteſt: æſtum ſectatur is, qui non modo opem illam, quam petit, minime conſequitur, ſed ab eo, quem ſibi patronũ adoptat, non mediocre detrimentum accipit. Eurus enim, & æſtus, humorem exhaurit, & eſt herbis, atque frugibus, infeſtus: quod Ephraim ſæpe faciebat. Primum enim, cum ob ſcelera ſua ab Aſſyriæ Rege premeretur, ſcelera non exhorruit, neque opem a Deo petijt, ſed fœdus cum Aſſyrio percuſsit, illiq. tributum cum dedecore, & ignominia, penſitauit. Deinde, cum Aſſyrij tyrãnidem ferre non poſſet, cum muneribus alijs ingentem vim olei ad Aegyptum miſit, vt, illius præſidio, Aſſyrij a ſe iugum depelleret. Factum igitur eſt, vt, ab Aſſyrio oppreſſus, ab Aegypto derelictus, pœnas vanitatis, & amentiæ, penderet, &, quam inane eſſet humanum præſidium, cladibus acceptis, experiretur. Neque Iuda quidem pietatem, qua contra hoſtium conatus inuictus extiterat, diu conſeruauit. Eundem igitur caſum Dei iudicio ſubiuit; & ſic effectum eſt, vt vniuerſum Iacobi genus corrueret.

**Iudicium ergo Domini cum Iuda, & viſitatio ſuper Iacob: iuxta vias eius, & iuxta adinuentiones eius reddet ei.**

Hoc eſt, cum Iudas Iſraelis ſcelera fuerit imitatus, eueniet, vt Deus iudicium in illum conſtituat, & de illius viuendi ſcelerata ratione, & de ſtudijs illius, ad improbitatem, & nequitiam, propenſis, meritas pœnas expetat; vt ſic tandem vniuerſa Iacobi poſteritas Diuini iudicij laqueo conſtricta peruertatur. Quod tanto ſeuerius exercendum eſt, quanto ſceleſtius crimen ſuſcepit is, qui a parẽte ſancto degenerat, quam ille, qui nullis domeſticis exemplis ad pietatem incitari potuit. Vt hoc autem magis amplificet, Iacobi virtutem, & Diuina in illum beneficia, recenſet.

**In vtero ſupplantauit fratrem ſuum: & in fortitudine ſua directus eſt cum angelo.**

Tam, inquit, in vtero matris anticipato Dei iudicio fuit antelatus fratri ſuo, ita, vt, cum frater prius in lucem prodiret, ipſe plantam fratris, manibus ſuis, in vtero manẽs, arriperet, & ita exoriretur, vt eo portento ſignificari poſſet, fore, vt ille fratrem honore deijceret, & in principatum locaretur. Quibus deinde viribus fuerit præditus, oſtendit, dum cum angelo luctatus eſt.

**Et inualuit ad angelum, & confortatus eſt: fleuit, & rogauit eum: in Bethel inuenit eum, & ibi locutus eſt nobiſcum.**

Hũc Principatum qua ratione potuit obtinere, Diuinitus explicatur. Fleuit, inquit, & precatus eſt eum. Non fleuit angelus, vt imperite quidam, ne Iudaice dicam, aſſeuerant; immo Iacob fleuit, & cum lacrymis, & fletu, deprecatus eſt. Hæ namque ſunt iuſtorum vires inuictæ, hi lacertorum tori robuſtiſsimi, hæc mirificæ luctæ contentio, hæ illuſtriſsimæ bonorum victoriæ, quæ ſunt in votis ardentiſsimis, in aſsiduis precibus, in fletu iucundiſsimo, conſtitutæ. orationis enim ſanctiſsimę viribus inſtructiſsimi, cum Deo congrediuntur cum illius numine luctantur, cum illius iudicio decertant, neque ſe vinci patiuntur, vſque eo, dum omnia, quæ volunt, de benignitate illius obtineant, & quaſi per vim de manibus illius extorqueãt. Regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Matth. 11. Iacob, cum fratrem valde formidaret, & iuſtorum fides tunc acrius excitetur, cum metus animum magis debilitat, omnes præmiſit, & ipſe ſolus transfluuium relictus eſt. Ne quiſquã illi eſſe poſſet impedimẽto, quo minus illa nocte precibus incumberet, & præſidiũ contra fratris opes a Deo flagitaret. Vt autem Deus illi oſtenderet, quantas vires haberet oratio, ſub angeli perſona, quæ Dei numẽ referebat, voluit certamen illud inire, in quo non poſſet vir Diuinus ab angelo ſuperari. Vt indicaret, orationis illius ſtudio, & contentione, fieri, vt homo iuſtus Deum vinceret, hoc eſt, illũ precibus placaret, precibus, quæ vellet, impetraret, precibus denique Deum multis in locis a ſeueritate ad gratiam inflecteret. Factum igitur eſt, vt in Bethel, quo in loco iam Deus ſe illi oſtenderat, iterum Deum inueniret. Et ibi locutus eſt nobiſcum. Quis? & cum quibus? Deus, inquit vir quidam eruditus, eo loco, cum Amos, & cum Oſee, locutus eſt. O miſeram animi miſeri, & anguſti, formidinẽ, Iudæi offenſionẽ turpiſsime metuentis. Quorſum attinebat, hoc in loco, in quo de Iacobi dignitate diſſeritur, inferre mentionem ſermonis, quem Deus cum duobus illis Prophetis habuerat? Deinde, quid erat hic neceſſe, continuatam ſententiam interrumpi, & fine magna cauſſa ab vna perſona in aliam traduci, & eadem ſimul opera viri ſanctiſsimi dignitatem, & myſterij altiſsimi claritatem, obſcurare? Quis igitur erit germanus ſenſus? Iacob locutus eſt nobiſcum? Quid autem eſt Nobiſcum? Cum ſuis, qui eo tempore cum illo degebant, & cum omnibus ijs, qui eiuſdem ſtirpis futuri eramus. Quid locutus eſt? Vt impietatem deteſtarentur; vt ſimulacta, in quibus numen ineſſe impie credebant, abijcerẽt; & Deo, cui aram in Bethel erigebat, adhærerent. Nobiſcum etiam fortaſſe hic poſſet quis interpretari, Cum patre: Cum patre nẽpe, cũ filio, & cum Spiritu ſancto. Nam, propter perſonarum diſtinctionem, Deus frequenter numero multitudinis vtitur. Veluti, cum dicit,

Facia-

Faciamus hominem ad imaginem,& ſimilitudinem noſtram. & ipſe Dei filius apud Ioannem, Quod audiuimus,inquit, loquimur; &, quod vidimus,teſtamur; & teſtimonium noſtrum nemo accipit.Filius a patre,ſpiritus ab vtroque, ex omni æternitate percepit, quod opportuno tempore cum ſuis cõmunicaret. Hinc colligitur,ſanctiſsimæ Trinitatis myſterium Diuino viro in Bethel enuntiatum fuiſſe. Vt autem id magis declaretur,& viri gloria illuſtrior eſſe poſsit,adiungit:

## Et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale eius.

Ter Deum exercitus cæleſtis imperatorẽ nominat,vt populum erudiat ad fidem;& doceat,vnum numen,imperium,& maieſtatem, eſſe in perſona triplici colendum,& perpetua religione celebrandum; atque doceat, ipſius nominis ſanctitatem,ſempiternæ in humanũ genus benignitatis monumentum, atque teſtimonium ſempiternum,continere. Hæc vbi de viri Diuini amplitudine diſſeruit,ad Iſraelis admonitionem conuertitur. Quaſi dicat: repete memoria, vnde genus ducas, quæ ſint tibi exempla ad imitandum conſtituta, quanta ſit tibi turpitudo ſubeunda,ſi diuerſam viã inieris ab ea, in quam pater tuus ingreſſus maxima cum laude fuit. Ille in matris vtero imperium adeptus eſt; tu poſt tantas opes Diuina munificentia partas turpiſsimum iugũ ſubijſti: ille viribus cum Deo certauit; tu victoriam impuritati,& flagitio,conceſsiſti:ille Angelum ſuperauit; tu Dæmoni ſuccubuiſti: ille fletibus, & ardentiſsima oratione,de numine Diuino,quæ voluit,conſecutus eſt;tu vero religionem ſuperſtitione diriſsima violaſti,nec a Deo, ſed a mutis ſimulacris, & fallaciſsimo numine,ſalutem flagitaſti. Illius pietate factum eſt, vt locus ille Diuinus Dei appellaretur;ſcelere autem tuo locus idem inanitatis nomen inuenit: ille nos, vt optabat,reperie, & nobiſcum locutus eſt; tu ſtudijs tuis peſtem,& interitum, inueniſti; & cum impietatis auctoribus ſermocinatus es, qui te in fraudem capitalem impulerunt. Nunc igitur aliquãndo reſipiſce, patris exemplum ſequere, vt e ſeruitute vindicari, & imperio potiri, poſsis.

## Et tu ad Deum tuum conuerteris.

Quo modo autem conuerſio facienda ſit,luculenter explanat.

## Miſericordiam,& iudicium cuſtodi,& ſpera in Deo tuo ſemper.

Non dicit, Fide tantum nitere;& veritatis officia,& iuris integritatem,contemne. Immo docet,Dei numen,nobis infenſum,eſſe beneficentia,& iudicij ſanctitate, placandum,& ſpem noſtram nullo modo in opibus humanis,ſed in Diuinis,collocandam; fruſtraq. Diuini numinis opem flagitari ab eo, qui mendacio, atque fraude,idem numen offendit.

## Chanaam in manu eius ſtatera doloſa, calumniam dilexit.

Quaſi dicat, Si fidem, & officium,deſeris,ſi dolos, atque fraudem,rei familiaris augendæ gratia machinaris,a patre ſancto degeneras; neque generis Principem,ſed Chananeos imitaris: illos namque auaritia, & immanis cupiditas,incitabat,vt per lãcem,atque libram, ciues circumuenirent;& tenues homines bonis euerterent, & inſidias compararent, quibus domos ſuas rapinis explerent; & ideo, cum ad ſceleris ſummum perueniſſent, fuere Dei iudicio conciſi,& de ſedibus ſuis exturbati.Si illorum facta imitanda putas,diros illorum exitus perhorreſce. Sed videndum eſt, quo modo præbuerit aures admonitioni populus ille:

## Et dixit Ephraim, Verumtamen diues effectus ſum, inueni idolum mihi: omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem,quam peccaui.

Docet,quo modo Iſrael auaritiam ſuam legi Diuinæ prætulerit. Ephraim, inquit, hæc animo ſecum agitauit: Si legi obediero,pauper ero. At,cum legis ſtudium negligo,vt cupiditati ſeruiam,diuitias mihi paro,& grandis pecunia mihi domi manet, vt laute viuã. Nec vllo iudiciorum metu conturbor: perficiam enim opibus, ſedulitate, & vigilantia mea, vt omnia crimina mea impunita ſint. Non enim me quiſquam iniquitatis condemnabit. Homines enim tenues circumueniam; & iudices aut pecunia corrumpam,aut potẽtia frenabo, ne in factis meis crimẽ reperiãt, quod ſit animaduerſione dignum. Itaque vel nemo me in iudicium vocare audebit; vel, ſi auſus fuerit, iudices me crimine liberabunt. Ex hac igitur oratione colligi poteſt, homines auaros, & opibus terreſtribus inhiantes, induſtriam,& calliditatem,ſuam ad bene beateq. viuendum, fidei, quæ in Diuina benignitate nititur,longe præferre. Hanc temeritatem, & amentiam, refutat continuo Deus; & docet, quanto ſapientius vitam inſtituant illi,qui ſe totos Diuinæ benignitati credunt,illis,qui conſilijs ſuis, vt cupiditati nefariæ ſatiſfaciant, obſequuntur. Ait igitur:

## Et ego Dominus Deus tuus ex terra Aegypti adhuc ſedere te faciam in tabernaculis, ſicut in diebus feſtiuitatis.

Quaſi dicat: Cupiditas tua te decipit;conſilia tua te deludũt; cogitationes tuæ tibi men

tem

Digitized by Google

tem eripiunt,atque faciunt, vt ijs ſtudijs, quibus te opes ingentes paraturum arbitraris, tibi inopiam,& egeſtatem.& miſeriam ſempiternam,compares. Omnia,quæ ſine meo præſidio cogitas, quæ ſtatuis, quæ moliris, ſomnia ſunt. Nihil eſt omnino,quod non mentiatur. Cum igitur ſapientiam tibi arrogas,extremæ dementiæ ſtimulis agitaris. Illiq. ſoli ſapientes ſunt, qui cupiditatem refrenant, omniaq. vitæ præſidia habent in mea bonitate conſtituta. Ego enim ſum verus Deus, qui mutari,inflecti,& variari, & mentiri,non poſſum;cum ſim omnipotens, & imměſus, atque adeo veritas ipſa conſtans,ſtabilis,atque ſempiterna. Præterea,ſum præcipua, atque ſingulari,ratione Deus tuus, iam inde ab eo tempore, quo te e tyrannide Pharaonis liberaui, & ex Aegypti finibus eduxi. recogita enim, quam multa tunc in te beneficia contulerim. Quod ſi putas, iam opes meas exhauſtas eſſe, neque poſſe me eos, qui in me ſolum intuentur,vitamq. ſuam fide meæ benignitatis inſtituunt,ab hoſte tueri,& beneficijs augere, ornamentisq. Diuinis afficere; longe falleris opinione. Iterum namque,ſi ad me toto animo conuerſus fueris,hoſtes euertam tuos; iterum te in tabernaculis collocabo; vt olim feci, cum,hoſtibus demerſis,inſignem illam victoriam cantibus, & ſymphonia,celebraſti, & inſtitui,vt ſollemni ritu, & anniuerſaria celebritate, dies ille conſecraretur, ad ſempiternum meæ clementiæ monumentum. Præterea, non ſatis habui,te in ſedibus quietis conſtituere,niſi etiam diſciplinis ſalutaribus erudirem.

Et locutus ſum ſuper prophetas,& ego viſionem multiplicaui, & in manibus prophetarum aſſimilatus ſum.

Viros, inquit, Diuinos inſtruxi, qui te ad pietatem erudirent. quod vt rectius facere poſſent,Diuinarum rerum cognitione multiplici mentes eorum illuſtraui, vt longe in poſterum ſalutem, quam eram terris vniuerſis allaturus,prouiderem. Et,quia fieri non poterat,vt,hominibus in terram depreſsis,& mole corporea, quaſi quodam ergaſtulo,ſemper incluſis,Diuinæ ſapientiæ lumen eluceret,excogitaui,vt figuris, & imaginibus corporeis, erudirentur, vt,ita,ſimilitudine ex rebus corporeis aſſumpta, paullatim ad incorporea peruenirent, & cognitionem aliquam rerum cæleſtium,& Diuinarum,caperent. Id in cauſſa fuit, cur illis numen meum, vel in ſomnis dormientibus,vel ſub aliqua imagine vigilantibus,oſtenderem, & variarum rerum figuris explanarem. At tu,quam gratiam mihi retuliſti? Quam docilem te ad tam ſalutarem diſciplinam præbuiſti? Contempto, & repudiato,Diuini numinis beneficio, ea tibi numina conſecraſti, e quibus tibi peſtem,atque perniciem, cum ſummo dedecore, & ignominia, compares.

Si in Galaa idolum, tamen fruſtra erant in Galgalbobus immolantes: nam & altaria eorum quaſi aceruı ſuper ſulcos agri.

Similes,inquit Dauid,fiant,qui faciunt ea, *Pſal. 113.*
& qui confidunt in eis. Apud Ieremiam vero dicit Dominus,Quid inuenerũt in me patres
veſtri iniquitatis,quia elongauerunt ſe a me, *Ierem. 2.*
& ambulauerunt poſt vanitatem, & vane ſani facti ſunt. Tales enim reddimur,quales nobis Deos effingimus. Vt igitur,qui Deum verum pura mente colit, atque veneratur, Dei ſimilis efficitur;ita,qui lapides, & ligna,colebant,& qui flagitia, & libidinem,venerantur, ſenſus humanos amittunt, & in beſtiarum ſimilitudinem rediguntur. Hoc eſt igitur,quod dicit Deus apud Prophetam. Si in Galgal idolũ, hoc eſt ſana in Galgal nefarie dedicata, & religio impie conſtituta, vanitas eſt; certe, qui fana illa celebrant, qui religione illa adſtricti ſunt, vani facti ſunt. Eo enim nomine, pro quo noſter Idolum reddidit,Hebræi Vanitatem ſignificant. Quanta vero vanitas religionis exſtiterit,experti ſunt. Boues enim frequenter immolabant; religionem ſingulari cærimonia procurabant; nihil fuit ab illis, quod ad ſpeciē illam inanem ſanctitatis pertineret,vlla ratione prætermiſſum; & tamen altaria deiecta & diſsipata ſunt, quaſi aceruı lapidum in agris. Acerui namque lapidum in agris ideo fiunt, ne diſperſi frugibus officiant. Ita altaria in aceruos redacta fuerunt, non quod fructum vllum ferrent, ſed ne fructum ſalutis impedirent. Conſtat igitur, ex euerſione illa religionem fuiſſe vaniſsimam. Ergo & illi, qui tam vana religione ſe deuinxerunt, vaniſsimi. Vt autem magis exaggeret ingrati animi ſcelus,repetit originis principia,vt recognoſcat Iſrael,e quam infima rerum humanarum cōditione ad ſummum gradum dignitatis euectus fuerit; vt ita videlicet clarius illius crimen animaduerti poſsit.

Fugit Iacob in regionem Syriæ, & ſeruiuit Iſrael in vxorem; & in vxorem ſeruauit.

Iacob,metu fratris,natale ſolum,domum, patriam, atque parentes,& omnia,quæ erāt illi cara, atque iucunda, relinquere coactus fuit. Exſul igitur, & extorris,in alienis terris vagatus eſt;operam ſuam, multorumque annorum aſsiduos labores, pro vxore locauit; eo enim ſtatu erat, vt ſocer, quamuis erat illius auunculus, illiusq. fidem, induſtriam, & probitatem,exploratam haberet,& filiā indotatam collocare nollet, niſi prius illi multis annis ſeruiret. Et in vxorem ſeruauit,hoc eſt,

pro vxore cuſtos pecoris fuit. Nuptias igitur ſibi diuturna ſeruitute, multisque laboribus in pecorum cuſtodia conſumptis, cum ſumma ſollicitudine,& vigilantia,comparauit. Verum, ex ea ſeruitute tandem liberatus, domum, cum multis gregibus,& ampliſsima familia, ſummis opibus, & dignitate,reuerſus eſt. Quod certe documento poterat eſſe poſteris,non ad proprinm conſilinm,ſed ad Dei legem, vitam dirigẽdam eſſe. Opes namque ſtabiles non hominum cupiditate,ſed Dei gratia,& beneficio, comparantur. Aliud deinde exemplum ſummæ benignitatis apponit:

In propheta autem eduxit Dominus Iſrael de Aegypto: & in propheta ſeruatus eſt.

Numquam eorum res,inquit,Dominus neglexit, qui ſe illi crediderunt, atque commiſerunt. Erat Iſrael in Aegypto duriſsimo dominatu oppreſſus operibus moleſtiſsimis, & laborioſiſsimis,attritus, omnibus contumeliis indigniſsime laceratus. Inde fuit, opera non cuiuſuis,ſed ſummi Prophetæ, Deo cariſſimi,ad id munus à Deo miſsi,liberatus, & illius ope defenſus, & in ampliſsima dignitate conſtitutus. Quo quidem ſigno poterat Iſrael intelligere,non eſſe in induſtria, & in calliditate,ſed in Dei beneficentia, vitæ præſidium conſtitnendum. Quod tantum abfuit vt faceret, vt alia ſibi numina,alia ſubſidia, aliud præſidium,aliam ſalutis rationem, compararet, &, Dei numine contempto, ad iuanitatẽ transfugeret.

Ad iracundiam me prouocauit Ephraim in amaritudinibus ſuis,& ſanguis eius ſuper eum veniet, & opprobrium eius reſtituet ei Dominus ſuus.

Iſrael,inquit,iram Dinini numinis acriter incitauit propter crudelitatis immanitatẽ. Nam parum illi vſum eſt,homines bonis euertere,religionẽ veram negligere, falſam ſummo ſtudio conſectari,niſi etiam iu eos, qui illum,vt in viam rediret,admonuerant,contumelias indigniſsimas intorqueret, virisque Diuinis perniciem moliretur. Dabit igitur, pœnas. In bonorum cæde,& in ſauguine,verſatus eſt. ergo ſanguis illius effundetur. Sanctos homines contumeliis inſectatus fuit .ob id igitur dedecore ſummo, atque ſempiterno,cumulabitur. Ad hunc modum omnis immanitas illius, qua ſanctorum ſanguinem fudit,omnis furor,& inſolentia,qua bonos iuſectatus eſt,in ipſius caput, rectiſsimo Dei iudicio,redundabit.

CAP. XIII. Loquente Ephraim, horror inuaſit Iſrael,& deliquit in Baal,& mortuus eſt.

Fuit, inquit, Ephraim olim terrori, magnas ſibi opes comparauit,& varia bella confecit. At, poſtquam religiouem violauit, & Baali Diuinos honores inſtituit, morte conſumptus fuit, filium valde cariſsimum ob id ſcelus amiſit, & alius filius regni heres poſt illius mortem per inſidias occiſus eſt; Regnũque ab illius domo in aliam tribum translatum,funeſtæque familiæ clades,ne poſſet fortunæ adſcribi,fuit multo ante a viris Diuinis prædicta: (Reg.4. c.14. & 15.) & tamen nec horribilis ille Ieroboami caſus potuit Regnum illud ab inſtitnto ſcelere reuocare. Immo, minime contentus vitulis,ab impio Rege dedicatis, alia ſimulacra couflanit, vt ſuſceptam impietatem cumularet.

Et nunc addiderunt ad peccandum: feceruntque ſibi conflatile de argẽto ſuo quaſi ſimilitudinem idolorum,factura artificum totum eſt. his ipſi dicunt, Immolate homines vitulos adorantes.

Ponit ante oculos illum furorem, quo flagrabant homines,dum ſacris tæterrimis operabantur. Primum quidem, quamuis eſſent auariſsimi, argentum ſuum facile profundebant, vt Deum ſibi ex eodem argento facerent. Deinde,omne ſtudium, & ingenij totius acumen, & artificium, in conflando illo facinore conſumebant. Tum,operibus fabrorum opere perſectis,& abſolutis,ſacrificabant. Poſtremo, ſuperſtitionis diriſsimæ gratia omnem ſenſum humanitatis repudiabant, vſque adeo, vt ſanguinem humanum fuudi paterentur, & ſacerdotibus impuriſsimis auſcultarent. Dum enim ſacrificuli hominem immolabant,qua cærimonia eſſet litandum, quibus precibus orandum,præibant, & admonebant eos, qui victimas offerebant, vt vitulos dedicatos oſcularentur, &,cum ſacerdotis officiũ ſit,pro homiuum vita Deum venerari, illi homines iugulabant, non vt Deum, ſed imagines vitulorum,quaſi in illis aliqnid Diuinum, lateret, veneratione ſumma dignas eſſe iudicarent.

Iccirco erunt quaſi nubes matutina, & ſicut ros matutinus præteriens, ſicut puluis turbine raptus ex area, & ſicut fumus de fumario.

Variis ſimilitudinibus, eorum inſtabiles opes,& inanitatem,qui,Deo vero relicto, falſa numina venerantur, explanat. Quamuis enim bonis omnibus affluere videantur, omnia quouis leuiſsimo rerum motu diſsipantur, & euaneſcunt; ita, vt ue veſtigium quidem priſtini ſplendoris in vita reſideat. quod illis accidere non poteſt, quorum opes ſunt ope Diuina confirmatæ. Hoc vt oſtendat, rurſus gentis antiquum ſtatum refert, eo tempore,quo Deum ſequebantur, & illius iuſsis obtem-

temperabant. Ait igitur:

Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Aegypti : & Deum abſque me neſcies,& ſaluator non eſt præter me.

Exploratum habes , & cognitum , me tibi præſentem fuiſſe , numinisq. mei præſentiam declaraſſe,cum ex Aegypto eduxi , vt intelligeres,me Deum tuum eſſe,quem metuẽdum, quem colendum , quem diligendum ſuſciperes, & in quo vno ſalutis , & dignitatis , ſpem firmam collocares . Fore namque, ſi ita faceres , vt opes tuæ ſempiterno præſidio firmarentur.Teq. frequenter admonui,ne in alium Deum reſpiceres. Siquidem non eſt alius,præter me, qui tibi ſalutem conferre queat.

Ego cognoui te in deſerto,in terra ſolitudinis.

In regione,inquit, horrida,in vaſtiſsima ſolitudine, nihil, nec ad victum,nec ad cultum, defuit . Noui namque te,·hoc eſt , omnia tibi munifice largitus ſum , teque in officio continui .

Iuxta paſcua ſua adimpleti ſunt, & ſaturati ſunt: eleuauerunt cor ſuum,& obliti ſunt mei .

Non potuere homines florentem ſtatũ ferre,qui in deſerto, & inculto,loco,horrendaq. aſperitate vaſtato, aliquam ſaltem officij mediocritatem tuebantur , & metu mei numinis frenabantur , vbi ſe in quietis ſedibus , in vbere ſolo,in terra valde fertili,conſtitutos viderunt,repente, nimis inſolenter elati, & inflati ſunt , & , beneficiorum meorum prorſus immemores , a me deſciuerunt; eoq. dementiæ progreſsi ſunt,vt,qui mihi parère recuſabant , meoq. præſidio niti noluerunt, ſeſe ad Deorum inanium,& tyrãnorum immanium , ædes abijcerent , vt eorum ope ſeruarentur.

Et ego ero eis quaſi leæna, & quaſi pardus in via Aſſyriorum.Occurram ijs quaſi vrſa raptis catulis , & dirumpam interiota iecoris eorum , & conſumam eos ibi quaſi leo,beſtia agri ſcindet eos.

Non modo nullam opem illis afferre poterunt ij, ad quos amentia vexati confugerant; verum & aduerſarium acrem, & infeſtum,ſentient.Itaq. ego,parens,& tutor,& defenſor,& vindex , ita conuertar ad eorum perniciem , vt feritatem,& truculẽtiam, ſceleris vlciſcendi cauſſa,ſuſcipiam;& feras agreſtes,& immanes , ideſt tyrannorum ſæuitiam,in illos incitabo . Hoc tamen non eſt inclementiæ meæ , ſed impietati tuæ,tribuendum . Tu enim tibi peſtem comparas , tu numen meum irritas, atque in te ſæuire compellis .

Perditio tua Iſrael . tantummodo in me auxilium tuum.

Quod,inquit, ad me attinet , auxilium tibi libentiſsime conferam ; nec vllum habes aliũ miſeriæ perfugium . Itaq. euerſio tua ex te tantum ortum habet,tu tibi perniciem moliris, tu in te , & in vitam tuam,peſtem nefarie machinaris;ita,vt nullo modo ſit euerſio tua, niſi tibi ipſi,hoc eſt,conſilijs,& factis tuis,quæ tua voluntate ſuſcipis,adſcribenda.

Vbi eſt Rex tuus ? maxime nunc ſaluet te in omnibus vrbibus tuis: & iudices tui, de quibus dixiſti,Da mihi Reges,& Principes .

Cernis ne iam , quam inanes fuerint cogitationes tuæ? quam fallaces omnes ſpes tuæ? in poſtulatis enim tuis, etiam cum præ te religionis ſpeciem ferebas,perfidiæ ſignificationem dabas . Veluti , cum a Samuele conuicio propemodum flagitabas , vt tibi Regem daret , & Principes , qui tibi ius dicerent,eligeret,eo tempore,quo ſalutarius tibi fuiſſet,ſpiritus me numine,atque patrocinio, gubernari, & viri ſanctiſsimi , quem tibi præfeceram, ductum,& imperium,ſequi. Eam namque rationem aſsignabas, quod eſſet tibi Regis opera neceſſaria,vt illius pręſidio poſſes hoſtium a te impetum propulſare . Satis illo iam tempore ſignificabas,te parum auxilio meo confidere;totamq. ſpem tuã in ipſius Regis , quẽ poſcebas,robore collocari. Vbi nũc Rex tuus eſt? cur tibi non opitulatur? cur ciuitates expugnari , & euerti , permittit ? vbi principes tui ſunt , quos ea mente flagitabas , vt omne vitæ tuæ firmamentum in illorum ope, & conſilio,ponendum exiſtimares? Operæ pretium tamen erit hoc in loco , videre, quod peccatũ fuerit Iſraelis , cum Regem poſtulauit . Nam libertas immoderata , erat Regis imperio coercenda , ne quiſquam ſibi , quidquid liberet,licere putaret . Reſpublica porro ſine imperio laudari nõ poteſt.nec enim tunc Reſpublica , ſed temeritas , & inſolentia multitudinis,ſed vulgi furor,atque licentia,ſed peſtiferæ diſſenſionis ſeminarium,appellari debet . Poſtremo,creandi Regis poteſtas erat populo,lege Diuina,permiſſa.numquã enim Deus, quod munus eſſet Regi colendum,& efficiendum,lata lege , præſcripſiſſet,ſi nefas eſſe ſtatuiſſet , Iſraeli Regem præponi .ſed animaduertendum eſt , eam Rempublicam maxime laudari , in qua maxime libertas moderata conſeruatur.Erepta namque libertate, ingenij acumen hebeſcit,& animi magnitudo deprimitur,& maximarum virtutum decus obſcuratur . Vbi enim adulatio locum virtutis occupat , nullus locus veræ dignitatis relinquitur . At, quamuis Regium munus ſit ſan- 1. Sam.7.



Digitized by Google

ctum,& auguſtum,atque prope Diuinum,ille tamẽ maieſtatis ampliſsimæ gradus animos feroces,& inſolentes,efficit, & adulatoribus obnoxios:quorum ſermonibus elati, & inflati,multa turbant,atq. commiſcent,vſque eo, dum ciues omni libertate ſpolient. Peſsima namque Regis inſtitutio, pro Regibus, quo nomine nihil fieri poteſt in omni Republica ſalutarius,tyrannorum truculentiam, & immanitatem, inducit. Iſrael vero Regibus minime carebat. Iudices enim,qui non genere, ſed virtute,eligebantur,Regiam poteſtatem obtinebant:ſed ea erat certis legibus adſtricta, & publico conſilio Rempublicam adminiſtrabat. At Regum imperium in Iſraele infinitum fuit. Quamuis enim imperiũ Regis fuiſſet lege definitum,quis tamen modus Regi frenando,& coercendo,ne modum tranſiret, adhiberi potuiſſet? illud quidem negari non poteſt, cũ mores corrupti magis in dies conualeſcunt, & multitudinis furor, atq. dementia,diuturna impunitate corroboratur, opus eſſe maiore potentia, quæ impetum ipſius multitudinis acriore ſupplicio, aut ſaltẽ metu grauiore, cohibeat. Ipſa tamen tunc Regis creandi neceſsitas, populi furorem coarguit. Præterea, omnis Reipublicæ commutatio lubrica,& præceps eſt;& numquam, ſine magno communium rerum detrimento, fieri poteſt. Vt igitur furioſi, & inſani ſunt, qui Rempublicam liberam inuertere nituntur, vt ad vnum tantum Reipublicæ principem omnia deferũt; ſic illi,qui Regiũ ſtatum labefactant,ſacrilegi, & ſcelerati ſunt exiſtimandi. At eo tempore, quo Iſrael Regem petebat,Reipublicæ commutationem petebat; & præterea viri ſanctiſsimi,& ſapientiſsimi, moderationem contemnebat; & ipſius ſummi Domini præſidium deſpiciebat;& cum ſuę libertatis imminentione dignitatem Reipublicę in Regis ſplendore,& magnificẽtia, collocabat. Erat igitur poſtulatum illud vel inſiti furoris argumentum, vel inſanabilis morbi teſtimonium;vel fidei parum ſancte cultæ, & inſitæ impietatis, iudiciũ. Cur igitur Deus poſtulato ſatisfecit? Quia ſæpe, vt temeritatem puniat, id, quod ab eo aſsidue homines contendunt, elargitur, vt experiundo diſcãt, eos,quid expetendum,& poſtulandũ ſit, ignorare. Veluti,cum in ſolitudine coturnices cõceſsit iis, quibus manna erat faſtidio, quorum ingluuiem grauiſsimum faſtidium fuit repente conſecutũ. Præterea, iã mores erant collapſi,vt eſſent neceſſario,acriore vi,atque potẽtia,coercendi. Cum vero Deo vſitatum ſit, vt in ipſa puniẽdi ſeueritate clementiæ ſimul partes ſuſcipiat, cũ Regẽ populo illi cõceſsit,illius temeritatẽ puniuit, & ſimul illorum ſaluti benigne cõſuluit. Hoc tamen in loco,cum Iſraeli poſtulatũ illud obiicit, in perfidiam reſpicit,qua Regem petierant. dixerant enim:Rex erit ſuper nos. Et erimus nos quoque, vt reliquę gentes; & iudicabit nos Rex noſter. Et egredietur ante nos;& pugnabit bella noſtra pro bonis:atqui tunc inſignẽ victoriam cõtra Palæſtinos, ſine vllius Regis opera, ope tantum Diuina, conſecuti fuerãt, & tamẽ, Diuinæ benignitati diffidentes, Regis præſidium ſibi dari poſtulabant. Hoc igitur illis crimen exprobrat, dum ait, Vbi eſt Rex tuus? Ait deinde:

Dabo tibi Regem in furore meo,& auferam in indignatione mea.

Malo,Inquit, auſpicio Rex creatus eſt, cuius Regni fundamentum fuit cum offenſione mea coniunctũ:dirus, atque funeſtus fuit exitus illius Regni,quod propter graues mei numinis offenſiones exſtinctum,atq. deletũ eſt.

Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum eius.

Nõ,inquit Dominus, excidet vmquam mihi tãti facinoris magnitudo, ſed eam memoria continebo,vt eam debitis pœnis vlciſcar, & peccato,quo ſe adſtrinxit Ephraim, debitũ ſupplicium conſtituam. Vt igitur,quæ ſeruare cupimus,alligamus,& obligamus, neq. ea elabi permittimus; ita gentis huius ſcelus erit reſeruatum in diẽ, quo populus impius meritas tandem pœnas exſoluat.

Dolores parturientis venient ei,ipſe filius non ſapiens.nunc enim non ſtabit in contritione filiorum.

Qui timẽt, qui ſolliciti ſunt, qui omnia tentant, & periclitãtur,qui ſunt curis variis impliciti,ut eum exitum,quem ardentiſsimi cupiunt,in rebus afflictis reperiant,grauidi eſſe dicuntur;qui exitum nullũ reperiunt,abortire;qui eo angore cruciantur,parturire. Venerunt, inquit Ezechias, filij ad partum,& vires non habet parturiens. Sententia igitur hæc eſt:Cruciabitur Rex ingenti cura, & ſollicitudine conflictabitur, grauidus et moleſtiis acerbiſsimis, ſed,cum ſapiens non ſit, & parcendi opportunitatẽ minime viderit,parere ſibi,atque ſuis ſalutem minime poterit. Quæ eſt igitur ſapientia? quibus firmati viribus vitalem fetum eniti poterimus? quæ ſpes ſalutis in rebus perditis oſtendi poteſt? Ea, quæ ſtatim ſequitur:

De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, o mors; morſus tuus ero, inferne: conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis.

Dixerat,inſipiẽtes parere nõ poſſe,ſapientes vero poſſe. Filiorũ mentionem fecerat:ij ſunt, qui abortiui minime ſunt, qui integri in lucem prodeũt,qui aura cæleſti fruuntur. hos dicit Deus illius ope a peſte ſempiterna redimendos, & ſimul, quia exitium, & vaſtitatem, gentis illius prædixerat, ſolatium

omnibus, qui fidem firmam retinere voluerint, ſummum adhibet, vt eos iacere minime permittat. Quod autem ſolatium maius eſſe poterit, quam ſpes illa vitæ futuræ? quam Diuina promiſsio gloriæ ſempiternæ? quã mortis ipſius interitus? quam inferæ regionis excidium? Inquit igitur: Omnes enim, qnos in fidem recepi, e Tartarea regione liberabo, & e mortis ipſius faucibus eripiã. O mors, ego tibi mortem inferam; o inferi, ego vobis interitum moliar. Conſolatio abſcõdita eſt ab oculis meis, hoc eſt, neque me vmquam immortalitatis illis, qui ſe ſe ad nomen meum adiunxerint, attributæ pœnitebit, qua propter ſit mihi adhibenda conſolatio. Hæc quidem prædictio aliqua ex parte comprobata fuit, cum filius Dei regiones inferas illuſtrauit, hoſtes ſpoliauit, ſuos e tenebris in lucem vindicauit, peccati vires eliſit, eos, qui ſpiritu illius ducuntur, iuſtitiæ muueribus, & donis, inſtruxit; illisq. aditum ad immortalitatem pateſecit. Sed tunc perfectiſsime, vt Paulus valde luculenter ad Corinthios ſcribens ediſſerit, exitum habebit, cum corpora eorum, qui cum fide ex hac vita diſceſſerunt, ſuerint excitata, vt immortali vita ſumma cum gloria perfruantur. Tũc enim in illis nullus mortis ſtimulus vigebit; dolor, & gemitus, exſulabit; metus procul abſcedet; curæ, & ſollicitudines, emigrabunt; fletus, atque mæror, exterminabitur; illiusq. locum gaudium ſempiternũ, voluptas immẽſa; Diuinæ gloriæ laus, & concentus iucundiſsimus, occupabit. Quis autem erit huius feliciſsimi ſtatus conditor, & vitæ immortalis architectus?

Quia ipſe inter fratres diuidet.

Ipſe Chriſtus inquit alibi, Narrabo nomẽ tuum fratribus meis. & alio autem loco, Qui fecerit voluntatem patris mei, ipſe frater, & ſoror, & mater mea eſt. In medio igitur fratrum collocatus, Diuinaq. gloria præcellens, genus ſuum ſpiritus fecũditate multiplicat, & in omnibus orbis terrarum nationibus filios procreat, quos cõſortes ſuæ famæ, & participes Diuini ſplẽdoris, efficiet. At illos, qui nomen eius odio perſequuntur, & in ea rebellione perſiſtuut, quo modo tandem acéipiet?

Et adducet vrentem ventum Dominus de deſerto aſcendentem: & ſiccabit venas eius, & deſolabit fontem eius. Ipſe diripiet theſaurum omnis vaſis deſiderabilis.

Quemadmodum bonorum gloriam, & immortalitatem, præmouſtrauit, ita malorum interitum, & vaſtitatem, prænuntiat. Tunc, inquit, cum Chriſti fratres fruerint opibus Diuinis egregie locupletati, gloria ſempiterna cumulati, immortalibus donis, & muneribus, affluentes, mũdus ipſe, hoc eſt, hominum improborum cœtus, qui cæleſtia minime ſuſpicit, & eſt ſemper terrenis rebus addictus, interibit. Iudicij namq. Diuini ſeueritas excitabitur, & offenſum numen inſurget, quod mundi opes exhauriet, lætitiæ materiã ſubtrahet; opes, luxum, elegantiam, & decus, dignitatis inſignia demolietur, omnibus rebus, quæ ſpecie illuſtri, & ſplendida, admirationẽ mortalibus efficiunt, inflammationem inferet; nec vllum in terris monumentum, atque veſtiginm, inaniſsimæ illius dignitatis apparebit.

Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum ſuum: in gladio pereant, paruuli eorum elidantur, & fetæ eius diſcindantur. CAP. XIV

Poſtquam ſpe gloriæ ſempiternæ bonos excitauit ad ardentius pietatis ſtudium, & improbos metu iudicij illius poſtremi perterruit, redit, more ſuo ad calamitatem illius memoriæ, & docet, malorum remedium, non in lege, ſed in fide, cõſtitutum eſſe. Non enim, quod pecudes, & armenta, offerre neglexerant, illas clades hauſerant, qnibus, ſine vllo diſcrimine, ciues vniuerſi, cnm pueris infantibus, cum mulieribus grauidis, contrucidabantur; ſed quod Deo obedire noluerãt. Spes igitur erat, ſi fidei, & obedientię, victimas immolarent, vt veniam impetrarẽt. Ait igitur:

Conuertere, Iſrael, ad Dominum Deum tuum. Quoniam corruiſti in iniquitate tua.

Ne imbecillitati tuæ, ne ciuium diſſenſioni, ne ſtudio armorum apud iuuentutem obſoleto, ne parum ſapienti moderatorum tuorum conſilio, ne hoſtium ambitioni, & crudelitati, ne poſtremo fortunæ conuerſioni, cauſſam tuę calamitatis adſcribas. Nec enim omnia tibi infeſta, & inimica, fuiſſent, niſi tu bellum nefarium cũ Diuina lege ſuſcepiſſes. Tu igitur tibi mortiferum vulnus inflixiſti; tu te ipſum perdidiſti, & afflixiſti; tu ſcelus tuæ miſeriæ totam cauſſam ſuſtines. Nõ enim fato, vt ſtulti iactare ſolent, ſed ſcelere, corruiſti. Remedium igitur ſalutis tuæ eſt in manu tua poſitum. Si enim ad Deum cõuerti volueris, ipſe te confeſtim benignitate ſua complectetur; nec vllum vitæ malum eſſe poterit impedimento, quo minus opes amiſſas, cum magna bonorum acceſsione, recuperes. Recte, inquient. Sed, quibus muneribus numen offenſum mihi reconciliabo? Num vitulis? num hircis? num ouibus, & agnis? Minime, inquit, ſed verbis.

Tollite, inquit, vobiſcum verba, & conuertimini ad Dominum.

Domus enim Dei, nõ, vt eſt apud Iſaiã, Domus laniena, & ſtragis pecudum, & armentorum, ſed domus orationis appellabitur. Vi

ctimas

ſtimas igitur antiquas reperite, pecudum ſanguinem nolitote ſine fructu profundere, legis cærimonias ſumma conſenſione reſpuite, vt ſolidum, verum, & expreſſum, Euangelii fructum capiatis. Intelligite tamen, nullum a vobis offerri poſſe gratius, & magnificentius ſacrificium oratione, cum ardore fidei, & inflammato ſtudio ſanctitatis, adhibita. Orationis igitur muneribus inſtructi, vos a flagitio, & impuritate, ad caſtitatis, & iuſtitiæ, ſtudiũ reuocate. Recte. Sed, quo genere orationis voluntatem a nobis alienatam colligemus?

Dicite ei, Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.

Hoc in loco legem exſtinctam cernimus, & Euangelium ſtabilitum. alia namque ſacra, alia munera, videmus. Igitur & ſacerdotium eſſe prorſus immutatum conſpicimus. Tria ſacrificiorum genera fuerũt olim a lege, ſumma cum cærimonia, conſtituta. alia namque peccati expiandi ſignificationem continebant; alia ſignis ardorem pietatis exprimebant; alia poſtremo gratiarum actionem denotabãt. Antiquis ſignis, & imaginibus, Euangelij veritas expreſſa reſpondet. Precationis enim initium, qua Deum oramus, vt omnem a nobis auferat iniquitatem, ſceleris confeſſionem continet; & fidem ſimul explicat, qua omnem ſpem puritatis amiſſæ recuperandæ, & ſalutis expediendæ, in Chriſti benignitate reponimus. Ait deinde, Accipe bonum. Quod aliud a nobis bonum offerri poteſt, niſi ſceleris admiſſi deteſtatio, cum ardentiſſimo ſtudio pietatis cõiuncta? Quod eſt holocauſtum exiſtimandum. Illud poſtremo, Reddemus vitulos labiorum noſtrorum, eſt voti ſollemnis, & gratiſſimi nuncupatio, qua nos adſtringimus ad Diuinorum beneficiorum memoriam perpetuo cõtinendam, & laudes Domini, qui nos tantis muneribus, & ornamentis, affecit, ſine intermiſſione celebrandas. Labiorum enim vituli, orationes Deo gratiſſimæ ſunt. de quibus Dauid ait: Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta; tunc imponent ſuper altare tuum vitulos. Hoc igitur in loco vir Diuinus populares admonet, omnem ſalutem eſſe illis deſperandam, qui non legis ſacra contempſerint, neque Euangelii ſacrificiis Deum ſibi placare ſtuduerint. Quid deinde ſequitur?

Aſſur non ſaluabit nos, ſuper equum non aſcendemus, nec dicemus vltra, Dij noſtri opera manuum noſtrarum: quia eius, qui in te eſt, miſereberis pupilli.

Opes humanas contemnimus, atque deſpicimus, Numina falſa deteſtamur. Induſtria noſtra, & vigilantia, in qua, tamquam in præſenti numine, ſpem habebamus, quam parum nobis vtilitatis attulerit, agnoſcimus. Ergo nec in Regibus fœderatis, nec in equorũ multitudine, nec in falſa religione, nec in viribus, & opibus noſtris, vitæ præſidium ponendum arbitramur. Omnia namque ſunt caduca, fragilia, & imbecilla, veritatis inania, fraudis, & inſidiarum, pleniſſima. In te ſolum intuebimur; tibi ſalutẽ committemus; a te auxilium poſtulabimus. Tu ſiquidẽ ſolus es præſidium pupillo firmiſſimum, & miſeriæ humanæ perfugium. Huius autem fidei fructũ videamus.

Sanabo contritiones eorum, diligam eos ſpontanee: quia auerſus eſt furor meus ab eis.

Iam, inquit Dominus, iniuriarũ obliuiſcor; iam rebellionis memoriam depono; iam nullo iure obligatus, ſed magnitudine tantum meæ bonitatis inuitatus, iram cohibeo. omnis namque offenſio oblitterata eſt. eorum namque vuulnera ſanaui; rebellionis maculas abſterſi; vim libidinis, & impuritatis, extinxi. Non eſt igitur amplius, cur iraſcar, cum peccatum, quod indignationem meam commouebat, deletum ſit.

Ero quaſi ros Iſrael, germinabit ſicut lilium, & erumpet radix eius vt Libani.

Iſraelis futuram conuerſionem deſcribit; & ſimul eandem felicitatem omnibus, qui ad Deum conuerſi fuerint, qui ſunt etiam in veri Iſraelis cœtu numerandi, proponit.

Ibunt rami eius, & erit quaſi oliua gloria eius: & odor eius vt Libani.

Poſteritatis Diuinæ propagationem, filiorum multitudinem, decoris elegantiam, virtutis ſtabilitatem, pietatis odorem, & iucunditatẽ, explicat; & ſimilitudines illas confert, ut aliqua tãdem ratione intelligere poſſimus, quam florentes, atque beati, ſint homines, qui Chriſto nomina dederunt, & cum ſpiritu illius ſunt amore ardentiſſimo copulati.

Conuertentur ſedentes in vmbra eius: viuent tritico, & germinabũt quaſi vinea: memoriale eius ſicut vinum Libani.

Eos, inquit, qui ſpẽ in Chriſti vmbra, id eſt autẽ ope, & patrocinio, collocauerint, ſpes minime fallet. In priſtinã dignitatẽ reſtituẽtur, atq. vt frumentũ, licet in magna ſiccitate, ſitire, & interire, videatur, pluuia reuireſcit, ita natio fideliũ, quãuis omnem viriditatẽ amiſiſſe videatur, non natura ſua, ſed imbre gratiæ meæ ſuperne demiſſo, ſplendorem ampliſ

catum recuperabit; &, tamquam vitis, odoratiſsimos honeſtatis flores, fructus gratiſsimi prænuntios, efferet; &, memoria ducis, & imperatoris, quem ſequentur, eos, vt vinum Libani, lætificabit, & magnitudine amoris inflammabit.

**Ephraim, quid mihi vltra idola? ego exaudiam, & dirigam eum ego vt abietem virentem: ex me fructus tuus inuentus eſt.**

Illo igitur tempore, Ephraim, non de ſuperſtitione tua conquerar; non tibi impietatis crimen intendam; non cultum ſimulacrorum tibi obijciam: quid enim tunc habeam de ſcelere, cuius nullum exſtabit iudicium, querimoniam? Vt enim abies ſtabilitatem ædibus dat, & præterea, dum radice ſua nititur, omnia circumquaq. frondibus opacat, ita perficiam, vt tu præſidio meo confirmeris, & ope mea æſtum arceas, ne te caloribus infeſtis adurat. Fructus præterea ex me proferes. Nã, quidqnid cum laude geſſeris, meo ſpiritu geres; neque quidquam ex te promes, quod non ſit nomine meo ſancitum.

**Quis ſapiens, & intelliget iſta? intelligens & ſciet hæc? quia rectæ viæ Domini, & iuſti ambulabunt in eis: præuaricatores vero corruent in eis.**

Epilogus, verbo breuiſsimus, pondere porro ſententiæ maximus, & ampliſsimus. Docet enim, omnem ſapientiæ rationem, omne prudentiæ lumen, omnem ingenii dexteritatem, huius diſciplinæ traditione contineri. Vanæ ſunt omnes artes, fallaces diſciplinæ, inanes calliditates, & omnia denique, quæ ſtudia hominum ſine Dei ſpiritu excogitarunt, ludibria quædam ſunt; grauiſsimumq. ruinæ ſempiternę periculum hominibus intendunt. Soli, qui viam Domini non ignorant, & iuſtitiæ diſciplinam tenent, & Diuinis Chriſti opibus innituntur, recta gradientur, & in cæleſtes tandem ſedes immigrabunt.

*Ego D. Antonius Agellius Congregationis Clericorum Regularium, perlegi hos Reuerendiſs. Hieronymi Oſorij Epiſcopi Siluenſis in Prophetam Oſeam Commentarios, ac teſtor nihil in eis eſſe contra Catholicam fidem, ac bonos mores, & vtiles fore ſi imprimantur. Die 11. Septemb. 1591.*

*Ego D. Antonius ſupraſcriptus, ex voluntate Reuerendiſs. Magiſtri Sacri Palatij.*

P. Antonius Vicesgerens.

F. Bartholomæus de Miranda. S. P. M.

# HIERONYMI OSORII LVSITANI

## IN ZACHARIAM PROPHETAM. COMMENTARIA.

### C A P. I.

IN menſe octauo, in anno ſecundo Darij factū eſt verbum Domini, ad Zachariam filium Barachiæ filij Addo prophetam, dicens, Iratus eſt Dominus ſuper patres veſtros iracundia. Et dices ad eos, Hæc dicit Dominus exercituum, Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum: & conuertar ad vos, dicit Dominus exercituum.

Tempus deſcribit, quo templi opus, quod fuerat improbitate vicinitatis impeditum, iuſſu Darii Regis inſtaurari ſummo ſtudio, & alacrirate, cępit. Nomen ſuum, & Patris, & Aui, non reticet, vt maiorem fidem faciat. Aliquando enim fit, vt inſidioſum videatur, nomen auctoris ſupprimere. Attentionem ſummam excitat, cum docet, ſe nihil omnino, niſi de ſententia Dei ipſius, effari. Calamitatem, cuius memoria vehementer animos exterrebat, refert; vt magis homines, eo metu, in pietatis ſtudio contineat. Ter vnica orationis conuerſione Dei ſanctiſsimum nomen commemorat; partim, vt homines ad trium perſonarum in natura vna cognitionem erudiat; partim, vt fortius eorum mentes ſpe ſalutis adfuturæ confirmet. Vt enim nomen illud ſanctiſsimum, & auguſtiſsimum, quod quattuor litteris inſcribitur, quod hic ter repetitum cernimus, naturæ Diuinæ conſtantiam ſempiternam deſignat; ita de promiſſorum Diuinorum fide, & conſtantia, dubitare non ſinit. Vt tamen omnem errorem tollat, oſtendit, qui ſint illi, ad quos ſit fructus promiſsi Diuini deferendus: illis nempe, qui toto animo ad Deum conuerſi fuerint; hoc eſt, qui Diuino ſpiritui minime repugnauerint, qui a ſcelere reuocantem audierint, minitantem expauerint, imperanti obedierint, beneficia conferentem gratiſsima voluntate perſecuti fuerint; atque poſtremo, vt omnia in ſummam referamus, qui ſtudia vitæ, qui animi cupiditatem, qui cogitationes, & actiones, in bonis fallaciſsimis, ſine vllo fructu, conſumptas, ad Dei cultum, atque ad vera bona, tranſtulerint. Cum enim homines, Diuinæ legis obliti, contra Dei ipſius præſcriptum nefariis cupiditatibus obſequuntur, & fidem, & officium, deſerunt, a Deo auerſi, res ab illo longe diuerſas, toto vitæ ſtudio contuentur. Conuerti vero dicuntur, cum, fallaciſsimis bonis poſt tergum relictis, totam mentem in Deum referunt, vt non minus operæ, & ſtudii, in res Diuinas conferant, quam antea in dolos, & fraudes, & ludibria vitæ, contulerant. Sed quid eſt hoc, quod ait, Cōuertimini ad me, & ego conuertar ad vos? num poſſumus, nos prius noſtrum officium facere, quam ille nobis benigne proſpiciat? Nullo modo. Niſi enim ille prius ad ſe vocauerit, niſi lucem ſuam obtulerit, niſi animorum noſtrorum vires ſtabilierit, nullo pacto poterimus a rebus corporeis auelli, vt illum ſequamur. Sed intelligendum eſt, tunc Deum ad nos conuerti, cum a puniendi ſeueritate deducitur, & nos beneficiis ornat, & vt filios amplectitur. Hoc autem minime fiet, niſi nos prius, imperio illius, nos a ſcelere deterrentis, ope illius ſuffulti obedierimus. Itaque prius ille nos ad ſe inuitat, & allicit, manumq. ſuam porrigit; &, cum benignitatem illius reſpuimus, minaciter exterret. In noſtra tamen poteſtate relinquit, vtrum vltimus, an ad ſtudium illius traduci, an potius, contra illius imperium, flagitia vitæ conſecta-

ri. Qui igitur illi dicto audientes eſſe voluerint, ope illius confirmati, ad illum conuertuntur; & ipſe tum demum ad illos ita conuertitur, vt, quos fuerat pœnis inſecutus, ſummis beneficijs afficiat. At illis, qui ſic ſunt corporibus, & terrenis rebus, addicti, vt neque Dei vocem audire velint, neque numen illius extimeſcant, in omnibusq. rebus ſuam temeritatem Diuinis monitis anteponnnt, aditus eſt ad benignitatem Diuinam omnino præcluſus. Deus igitur ad illos minime conuertitur, vt eis patria benignitate proſpiciat: immo potius illis eo grauiora ſupplicia conſtituit, quo pertinacius illius probitati reſiſtũr. Si igitnr cupimus, vt Deus ad nos conuertatur, opus eſt, vt prius nos illi, cum nos ad ſe vocat, obtemperemus; & ita nos, fide, ad religionem, & officium, referamus.

Ne ſitis ſicut patres veſtri, ad quos clamabant Prophetæ priores, dicentes, Hæc dicit Dominus exercituum, Conuertimini de vijs veſtris malis, & de cogitationibus veſtris peſſimis: & non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus.

Quantam vero malorum vim ea maiorum contumacia in res cõmunes inuexerat, oſtendit, vt intelligant, iis, qui illorum veſtigiis inſtiterint, eſſe eadem ſupplicia ſubeunda. Ait enim:

Patres veſtri, vbi ſunt? & Prophetæ numquid in ſempiternum viuent?

Si de vita corporis hæc intelligenda fuiſſent, certe neque ſancti Prophetæ vim mortis effugere potuerunt, ſed illorum fides, virtus, auctoritas, morte deleri non potuit. Vt enim eorum animi immortali gloria perfruuntur, ita nomen in gloria immortali viget. Maxime autem illorum decus enituit, cum omnia, quæ, ſpiritu Diuino afflati, prædixerant, veriſsimus euentus comprobauit. Longe vero ſecus impiis euenit: confidentia namque eorum compreſſa eſt; ſuperbia de ſtatu conuulſa; opes funditus euerſæ; ſpes fallaces inciſæ; pſeudoprophetarum vanitas redarguta, ita, vt mors illorũ errores, & inanitates, oppreſſerit, cum interim bonorum ſpes, ſemper in vita permanſerit. Hoc igitur Propheta dicit, Reputate cum animis veſtris illam minime ferendæ temeritatis inſolentiam, qua patres veſtri, pſeudo prophetarum vocibus inflati, incolnmitatem ſibi pollicebantur; & illam vanitatem, qua perditi homines, quaſi de ipſius Dei ſententia, ſummam tranquillitatem, & opulentiam, denuntiabant. Non cernitis communium rerum ſtrages, antiqui templi, & ciuitatis, inflammationem? & Reip. totius euerſionem? vbi igitur eſt illa tam inſolens maiorum veſtrorum fiducia? quo reciderunt prædicta eorum prophetarum, qui omnia ſecunda proponebant, & hominum mentes a metu ſanctiſsimi numinis ad ſpem fallaciſsimam impunitatis auocabant. Omnia perculſa, & ſtrata ſunt. Iudicium namque Diuinum parentes veſtros perdidit, & afflixit, pſeudoque prophetarum nomen internecione deleuit. Sed dixiſſet aliquis fortaſſe, homines illos, qui prophetis falſis fidem habuerant, dignos venia fuiſſe. Nam, cum veros Prophetas, quos ſequerentur, non habuiſſent, ad eos, qui, freti ſpecie ſanctitatis, multitudinem in ſui admirationem conuertebant, ſe ſimplici animo contuliſſe. Ne id dici poſſet, ait:

Verumtamen verba mea & legitima mea; quæ mandaui ſeruis meis Prophetis, numquid non comprehenderunt patres veſtros?

Dici inquit non poteſt, maiores veſtros, opera, & auctoritate, Diuinorum hominum caruiſſe. multi namque Prophetæ ſanctiſsimi, fuerunt a me miſsi, vt illos a flagitiis abſterrerent. Nec dici ſimiliter poteſt, prophetas, aut metu, aut ignauia, officio ſuo minime functos fuiſſe. valde namque ſtrenue munus, quod illis aſsignaui, perfecere: eos namque, qui a via deflexerant, vt in viam redirent, admonebãt, & illis, qui obedire nollent, exitium, & interitum, denuntiabant. Nec eam excuſationem parentes veſtri habebãt, quod ſerui mei Prophetæ minime auctoritatem ſuarum prædictionum euentis certiſsimis confirmarent. Veritas enim eorum quæ dicebant erat valde teſtata; atque tandem ea, quæ præmonſtrauere, fuere ad perditorum hominum perniciem conſecuta. Sed illud eſt. Mentiri, & adulari neſciebant; Principum gratiam inire nolebant; amentiæ multitudinis aſſentari, (quod falſi prophetæ faciebant) ſceleſtum facinus arbitrabantur. Itaq. non modo auditi nõ ſunt verum ab his, quibus ſalutem afferebant, omni crudelitate lacerati. Num igitur obſcurum eſt, quas pœnas maiores veſtri tantæ temeritatis exſoluerint? non ne pſeudo prophetarũ vanitas fuit apertiſsime exitu rerum funeſtiſſimo redarguta? numquid non omnes clades quas veri prophetæ impendere teſtificabantur, in patres veſtros inuectæ, & importatæ ſunt? Ergo, quod homines ſtulti faciunt, qui non impendens malum præcauent, ſed errorem tandem ſuum, cum oppreſsi ſunt omnibus malis, agnoſcunt, tunc demum intellexere, in quanto errore verſati fuiſſent, cum ciuium ſtragem, cum libertatem amiſſam, cum opes euerſas, cum patriam exuſtam, cum exſilium duriſsimum, cum reliquas calamitates, quas acceperunt adſpexiſſent. Sequitur enim:

**Et conuerſi ſunt & dixerunt, Sicut cogitauit Dominus exercituum facere nobis ſecundum vias noſtras, & ſecundum adinuentiones noſtras fecit nobis.**

Nullam, inquit, excuſationem ſceleris habemus. A diuinis hominibus moniti, & inſtituti, legibus ſanctiſsimis eruditi, ſuppliciorum, quæ erant in lege propoſita, denuntiatione perterriti fuimus, & tamen ita eramus nefarijs cupiditatibus, & perditis inſtitutis, addicti, vt, neglecta ſanctorum hominum diſciplina, aures hominibus impuriſsimis, qui nos a metu ſanctiſsimi numinis auocabant, præberemus. meritas igitur pęnas amentiæ, & impietatis, exſoluimus.

**In die viceſima & quarta vndecimi menſis Sabaht: in anno ſecundo Darii, factum eſt verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ filii Addo Prophetam, dicens, Vidi per noctem, & ecce vir aſcendens ſuper equum rufum, & ipſe ſtabat inter myrteta, quæ erant in profundo: & poſt eum equi rufi, varii, & albi. Et dixi, Quid ſunt iſti Domine mi? & dixit ad me angelus qui loquebatur in me, Ego oſtendam tibi quid ſint hæc. Et reſpondit vir, qui ſtabat inter myrteta, & dixit, Iſti ſunt quos miſit Dominus, vt perambulent terram.**

Viſum hoc nocturnum, prophetæ per quietem oſtenſum, diurna luce indiget, vt intelligi poſsit; nobis tamen, Diuino auxilio fretis, interdictum non arbitror, ne lucem aliquam rebus obſcuriſsimis afferre conemur, ita tamen, vt prius a Sole iuſtitiæ, qui ſolus tenebras humanæ mentis ſplēdore ſuo clariſsimo diſpellere poteſt, opem ſuppliciter imploremus. Equites, Angeli ſunt Diuinæ voluntatis adminiſtri. equis incedere dicuntur propter celeritatem, & alacritatem, quam in muneribus Diuinis obeundis ſuſcipiunt, & propter bellorum, quæ bonorum cauſſa gerunt, acerrimam functionem. Nec enim vllum in terris bellum mouetur, aut geritur, aut conficitur, ſine illorum opera, qui ſemper illis interſunt, vel vt a pijs impetum hoſtilem reprimant, vel vt illis, qui pietatem non ſancte colunt, pœnis erudiant; vel vt eos, qui ſanari nolunt, exſcindant, & reliquos mortales exemplo Diuinæ ſeueritatis exterreant; vel vt tandē eos ipſos, quibus, vt inſtrumentis, ad vltionem ſceleris vſi ſunt, propter immanes eorum mores, & intolerandam ſuperbiam, & impietatem, funditus euertant. Rufus color, eſt ſanguineus, & cruenti belli inſignia continet. Hoc enim accidere ſolet in belli principio, vt acriore impetu manus conſeratur, & plures in acie cadant, maximaq. cædes fiat. Deinde, cum victores belli reliquias perſequuntur, vt offenſionis acerbitas paullatim leniatur, & multæ humanitatis partes, ab ijs, qui pœnas ab hoſtibus expetunt, ſæpe ſuſcipiantur. Hi vero ſunt, qui equis, vario colore diſtinctis, inſident. Color enim, ex albo, & ſanguineo, mixtus, deſignat temperationem ſæuitiæ, rebus calamitoſis adhibitam. Poſtremo, parta iam victoria, & bello profligato, reliquum eſt, vt venia ijs, qui arma deponunt, & veniam petunt, humane tribuatur: hæc autem victoris benignitas, equorum albo colore deſcribitur: equi vero duces, ſunt, quorum opera angeli commiſſum plerumque munus exſequuntur. Hac autem ratione fuit a Cyro bellum, quod magis angelorum opera, quam illius virtute, gerebatur, adminiſtratum, vt in principio acerrime hoſtes euerteret, & multum ſanguinem funderet; deinde, perculſis, & abiectis, minus acriter inſtaret; poſtremo, capta Babylone, & imperio conſtituto, egregia ſigna clementiæ, & benignitatis, oſtenderet. Id igitur vt explicari poſsit, factum eſt, vt in Angelorum exercitu equitatus principia colore ſanguineo, acies media vario, ita, vt color rufus candidis maculis adſperſus eſſet, poſtrema candido, inſignis fieret. Ne autem in exercitu cæleſti perturbatio aliqua cogitari poſſet, ordo, quo equites vni principi ſine recuſatione parent, explicatur. Sic enim eſt a ſummo rerum omnium conditore conſtitutū, vt non omnes angeli eadem auctoritate, & dignitate, præditi ſint, ſed alij aliis obtemperent, & maiores minoribus, qui, quid opus facto ſit, auctoritate, & imperio, præſcribant. itaque huius militiæ princeps is Angelus erat, qui, equo rufo inſidens, in myrteto conſiſtebat, cui reliqui, quaſi duci, & imperatori, a Deo conſtituto, muneris ſui rationem referebant; hic vero inter myrteta in valle profunda ſe continebat. Myrtus, arbor humilis eſt, perpetuo virens, & odorem ſuauem diffundens. iccirco, per myrtetum, hominum fidelium cętus, qui in humili ſtatu (non enim ſe furenter extollit) perpetuo viret, & virtutum omnium ſuauitate complenus eſt, aptiſsime deſignatur. Vallis profunda, locus Eccleſiæ, propter ſapientem humilitatem, & influentis vndique in eam Diuinæ gratiæ magnitudinē, appellatur. Propheta opera angeli, vt omnes prophetæ factitabant, vſus eſt. omnes enim prophetæ angelos doctores habuerunt, ut Diuina myſteria perciperent. Orationis varietas, obſcuritatem parit, ita, vt, qui angelus ille fuerit, qui illum erudiendum ſuſcepit, ſtatui vix poſſit. In principio enim deſcribit angelum, equo rufo, in myrtetis, inſidentem; deinde ait, angelum, qui cum illo loquebatur, illius quæſtioni ſatisfeciſſe. Poſtremo, ait, virum, qui inter myrteta conſiſtebat, illi reſponſum dediſſe. Vnde colligitur, eundem angelum eſſe variis

nomi

nominibus appellatum. Vt autem Imperator, vt equitatui præeſſet, vt equo inſidebat, Diuinarum rerum interpres prophetam erudiebat, vt Eccleſiæ propugnator minime ſe ſe a myrteto, hoc eſt a fideliũ cœtu, remouebat. Docet autem angelus prophetam, illos equites à Deo miſſos exſtitiſſe, vt terras vniuerſas peragrarent, vt intelligeretur, nihil in terris fieri, quod Dei numine, prouidentia, & moderatione, angelorumq. myſterio, vacaret. Si igitur Babylonis imperium nationes innumerabiles amplexum fuit; ſi Perſarum armis Babylon funditus exciſa fuit; ſi Græcorum potẽtia Perſarum opes comminutæ, & diſsipatæ, ſunt; ſi armis Romanorum Greci nominis amplitudo de ſtatu concidit; ſi denique regna, & imperia, varie commutantur, & a gente in gentem, in ſceleris vltionem, transferuntur; omnia imperio, & moderatione, illius fiunt, qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.

Et reſponderunt angelo Domini, qui ſtabat inter myrteta, & dixerunt: Perambulauimus terram, & ecce omnis terra habitatur, & quieſcit.

Cum ait, Et reſponderunt, oſtendit, fuiſſe per angelum, tamquam per ducem, ab illis rationem commiſsi muneris petitam. Illi vero reſpondent, officium a ſe minime prætermiſſum fuiſſe, & docent, terras tranquilla pace perfrui. Erat enim Babylonis importuna tyrannis exciſa; bellum, quod Cyrus, & poſteri illius intulerunt, confectũ; Perſidis imperium conſtitutum; pax, quam amplitudo imperij illius fecerat, fundatiſsima; & ea de cauſſa, ſumma opportunitas inſtaurandi Hieroſolymis oblata videatur. Eam igitur opportunitatem angelus, Eccleſiæ rector, & propugnator, minime prætereundam putat. Itaque ſupplices continuo ad Deum preces adhibuit. Sequitur enim:

Et reſpondit angelus Domini, & dixit, Domine exercituum vſque quo tu non miſereberis Hieruſalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es, iſte iam ſeptuageſimus annus eſt.

Qui hos ſeptuaginta annos ab exitio, quod prædixerat Hieremias, numerandos eſſe putant, inconſiderate faciunt. Illi namque ſeptuaginta anni, vt ex Hieremia conſtat, ab eo tempore numerandi ſunt, quo Ieoachin Babylonem cum reliquis captiuis abductus fuit. Illud autem exſilium, fuit ſeptuaginta annorum ſpatio definitum; at, poſt recuperatam, Cyri beneficio, libertatem, Cyrus regnauit annos triginta. Cambyſes, illius filius, ſeptẽ. Magi, anno vno in tyrannide, quam occuparant, ſtatum ſuum conſeruauerunt. Septem principes, qui Magorum tyrannidem delerent, aliquo tempore communi conſilio Perſarum imperium tenuerunt. Anno denique circiter trigeſimo nono poſt Cyri mortem, Darius, qui fuit vnus e ſeptem principibus, Rex creatus eſt. Ab exſilii igitur principio, vſque ad ſecundum Darii annũ, quo viſum hoc prophetæ fuit oſtenſum Diuinitus, non ſeptuaginta, ſed centum & decem anni abierant. Ineptum igitur fuiſſet, de incommodis, quæ Hebræis ſeptuaginta illis annis acciderant, quaſi de præſenti calamitate, conqueri, & , vt finis illi tandem afferretur, deprecari. Qui ſunt igitur iſti ſeptuaginta anni, quos angelus Domini commemorat? alii certe, qui poſtea cum non paucis gentis illius incommodis effluxerant. Quamuis enim templum fuiſset abſolutum anno ſexto Darij; non licebat tamen Iudæis muros excitare, & vrbem munire, per finitimarum gentium inuidiam, & immanitatem. Cum igitur eſſent aſsiduis bellis agitati, ciuitatem frequentare minime audebant. Aliquot tandem annis poſt Eſdræ aduentum, muri exſtrui cœperunt. Cum vero id vicini hoſtes animaduertiſſent, impetum in vrbem tulerunt, & muros diſiecerunt, & portas incenderunt. Artaxerſis tandem anno vigeſimo, Neemias vrbis ædificandæ, & muniendæ, facultatem ab eodem Artaxerſe impetrauit. Itaque, Regiis opibus adiutus, operi fortiter, & vigilanter, incubie. Poſt illud deinde tempus, vrbs, hoſtibus inuitis, qui tamen bellum non intermittebant, coli, atque frequentari, cœpit. Nam, ad illum vſque diem, nulla erat in vrbe celebritas, ſed ſqualor, & ſolitudo, niſi cum diſperſi ciues vndique in templum, religiouis gratia, conueniebant. Ab abſoluto autem templo, uſque ad Artaxerſis annum vigeſimũ, anni ſeptuaginta numerantur, ad hunc modum. Poſt abſolutum templum, Darius vixit annis triginta. Xerxes regnauit annos viginti. Anno Artaxerſis vigeſimo, ut dictum eſt, quemadmodum ſcribit Neemias, ciuitas muniri, & frequentari, coepit. Hi anni ſunt ſeptuaginta, quibus, poſt abſolutum templum, fuit in vrbe vaſtitas, & ſolitudo. De his igitur ſeptuaginta annis, cauſſa erat, cur angelus orationem haberet, & non de illis, qui iã multis ante annis abierant. &, quamuis hi anni nondum coepiſſent; (nam illorum initiũ a ſexto anno Darij ducẽdum eſt, & hoc Diuinum oraculum anno illius ſecundo menſe vndecimo vigeſimo die menſis editum fuit) mirum videri non debet. mos enim eſt prophetarum, aut potius ſpiritus Diuini, qui prophetas inſtituit, vt de futuris rebus, quaſi de præſentibus, homines ſanctos erudiat. Hoc igitur in loco cernitur, mentem illam, quam multis poſt annis Deus Artaxerſi dedit, vt Neemię nõ ſolum ædificandi poteſtatem faceret, verum & opibus ſuis illum adiuuaret, non abſque angeli rectoris, atque cuſtodis, precibus, iniectam Regi Diuinitus fuiſſe.

Et re-

**Et reſpondit Dominus angelo qui loquebatur in me, verba bona, verba conſolatoria.**

Sub qua forma ſe Deus oſtenderit, non explicatur; ſed tantum, quod piis precibus reſponſum benignum dederit, aperitur.

**Et dixit ad me angelus qui loquebatut in me, Clama, dicens, Hæc dicit Dominus exercituum, Zelatus ſum Hietuſalem, & Sion zelo magno. Et ira magna ego iraſcot ſuper gentes opulentas, quia ego iratus ſum parum, ipſi vero adiuuerunt in malum.**

Obtrectatio, eſt æmulationis offenſio, ex amore ducta, cũ videlicet amator cernit, id, quod amat, in riualis poteſtate poſitum. Hoc autem dolore, Deus, vt humano more loquamur, afficiebatur, cum videret, Iſraelẽ, quem amabat, & tam multis ornamentis affecerat, amorem ipſi Deo debitum ad falſa numina trãſtuliſſe. Ea autem de cauſſa illum hoſtibus prædæ, atque direptioni, reliquit. Gentibus vero opulentis, atq. victoriis elatis, qui Iſraelem duriſsimo dominatu oppreſſum tenuerunt, multo acrius iratus eſt, eo quod gẽtem, quam Deus pertulerat, multo grauioribus pœnis inſecutæ fuiſſent, &, quaſi Deus minime potuiſſet ſcelus vindicare, ita Deo opem ad miſeræ gentis perniciem afferebant. Non uult enim Deus, eos, quos ipſe plectit, ſuppliciis acrioribus excruciari, ſed potius humanitate ſubleuari. Duplex genus indignationis hoc in loco expoſitum videmus. Primum, ex amore ſumptũ, quod Deus inuehitur in eos, qui in amore minime reſpondent, quibus, non ut eos omnino deleat, ſed ut ad officium erudiat, plagas imponit: alterum, acri odio conceptum, contra illos, qui populum pœnis afflictum omni crudelitate dilacerant, quos tandem non modo iudicio peruertit, ſed ex hominnm memoria prorſus euellendos ſuſcipit. Hoc igitur in ſumma dicit. Lõge grauius gentes, quæ immani odio Iſraelem perſequũtur, ulciſcar, quam Iſaelis flagitium ultus ſum. Ab Iſraele namque, amoris uiolati pœnas expetiui; a gentibus uero alienis, crudelitatis, & immanitatis, ſupplicium ſumam.

**Propterea hęc dicit Dominus, reuertat ad Hieruſalem in miſericotdiis: domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum: & perpendiculum extendetur ſuper Hietuſalem.**

Templum quidem eo iam tempore ædificabatur, cum nondum murorum fundamenta iacerentur. Vnde colligitur, ex Dei ipſius præſcripto, nihil eſſe ſanctitati religionis anteuertendum. Atqui humano quidem conſilio nihil videri potuiſſet fieri prouidentius, quam primum muros, atq. propugnacula, ædificari, vt deinde templum ſecurius cxſtrui poſſet. Verũ aliter illi Domino viſum eſt, in quo ſolo eſt vitæ, atq. ſalutis, noſtræ firmiſsimum propugnaculum. Nec enim fieri poteſt, ut illi, quibus nihil eſt ſtud o ſanctiſsimæ religiouis antiquius, ab illius ope deſerantur.

**Adhuc clama dicens, Hæc dicit Dominus exetcituum, Adhuc affluent ciuitates meæ bonis: & conſolabitut adhue Dominus Sion, & eliget adhuc Hietuſalem.**

Quod eſt ſummũ bonorum omnium? quod ſolatium in omni vita iucundiſsimum? quæ materia gaudiorũ? quæ priſtini mæroris obliuio? illa certe, quam Dei filius terris attulit, dum Hieroſolymam ſui luminis ſplendore, cæleſtibusq. diſciplinis, illuſtranit. In eũ enim finem fuit illa ciuitas inſtaurata, ut in ea, Chriſti numiue, pro calamitate, felicitas; pro vaſtitate, celebritas; pro mẹrore, iucunditas; pro egeſtate, cæleſtium bonorum affluẽtia, redundaret. Sed quærendum eſt, num illa ſumma bona, quæ ſola ſunt modis omnibus expetenda, erant ad omnes ciues illos, qui Hieroſolymis domicilium habebant, peruentura? Minime, inquit Propheta. Sed ad electos tantum. Hoc eſt, ad eos, qui erant fidem, atq. pietatem ſanctam, habituri. Ait enim, Et eliget adhuc in Hieruſalem. Id autẽ eſt, ex innumerabili multitudine ſeliget, in quos ſua dona, & munera, congerat. Sic enim erat ab Iſaia prædictum, ut, quamuis numerus filiorũ Iſrael eſſet cum arenæ maris multitudine conferendus, reliquiæ tantum eſſent ſeruãdæ per fidem, ſtudio ſanctiſsimæ religionis incenſam, & benignitate noſtri liberatoris innixam.

**Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce quattuor cornua. Et dixi ad angelum qui loquebatut in me, Quid ſunt hæc? Et dixit ad me, Hæc ſunt cotnua, quæ ventilauerunt Iudam, & Iſrael, & Hietuſalem. Et oſtẽdit mihi Dominus quattuot fabros. Et dixi, Quid iſti veniunt facete? Qui ait dicens, Hæc ſunt cornua quæ ventilauerunt Iudam pet ſingulos viros, & nemo eotum leuauit caput ſuum: & venerunt iſti deterrete ea, vt deiiciant cornua gentium quæ leuauetunt cornu ſuper tetram Iuda ut diſpetgetent eam.**

Quattuor cornua, quattuor regna fuerũt, Hebræis acriter infeſta. Primum fuit Aegypti regnum. Seſac enim, Aegypti rex, in Iudęam,

poſt

Digitized by Google

poſt Solomonis mortem, ferociter inuaſit, & Hieroſolymam cepit, templumq. diripuit,& Pharao multis poſt annis eandem ciuitatem expugnauit, Regi tributum imperauit, multosq. in ſeruitutem abduxit.Syriæ deinde regnum multas vrbes Iſraelis ſub imperium ſubiungit,multisq. Hebræis vitam, aut libertatem,eripuit,& magnam hominum multitudinem in varias regiones abire compulit. Aſſyriæ deinde Reges Samariæ regnum deleuerunt, maximamq. Iſraelis partem in exſilium grauiſsimum compulerunt. Babylonii poſtremo ſecurim Iudæorum rebus inflixerunt.Terris namque populationem, Hieroſolymis exitium, & vaſtitatem, templo, & omnibus ſanctitatibus,duriſsimam flammã, intulerunt.Hæc ſunt quattuor cornua, quæ Iſraelem,cum angelus loquebatur, cum Propheta diſperſerant.Quattuor vero ſabri,qui? Quattuor angeli ſunt, Diuinæ vltionis adminiſtri. Fabri namque nomen, artificium deſignat. Artificio autem fit, quod conſilio fit. Cornua quidem,nempe opes regiæ,quæ in alienas vrbes,atque natioues,inuadebant,non conſilio, ſed ambitione,& temeritate,ruebant. Erant igitur Reges,inſtrumenta potius, quam artifices,appellandi. Angeli porro,Diuinis inſtitutis eruditi, qui ſedulitate ſumma Dei iuſſa conficiũt,cornubus,vt inſtrumentis vtuntur, pro eo, ac vident gloriæ Diuinæ conducere. Eorum igitur opera Aſſyrius Syriam oppreſſit.Chaldæus ſimiliter Aſſyrium funditus perdidit.Babylonis Rex Aegyptum vaſtauit. Medus,atque Petſa, funeſtiſsimum exitium opibus Babylonis intulerunt. Eſt autem conſiderandum, quam inſenſus ſit Deus omnibus, qui hominum piorum cœtum infeſtis armis oppugnant, quamuis, vt ſuos ad officium reuocet,eos calamitatibus affligi patiatur. Illa enim cornua, angelorum opera perfracta, portendebant, nullum ſcelus contra Chriſti Eccleſiam ſuſceptum impunitum fore. Nec enim vmquam hoſtes acres deerunt, ſiue a Solis ortu, ſiue ab occaſu, ſiue ab Septemtrionibus,ſiue ab Auſtro,quos Deus opibus augeat, vt eorum opera ſuos erudiat. Verum,poſtquã opus ſuum abſolutum viderit, id autem eſt, poſtquam ſuorum maculas abſterſerit, & Eccleſiam ſuam ad priſtinam puritatem reduxerit,in illos, qui eam vehementer afflixerant, incitabitur, vt ſuſcepti ſceleris pœnas luant. Hæc autem omnia opera illorum fabrorum, quos Zacharias vidit, molitur,& efficit.

CAP. II. Et leuaui oculos meos & vidi: & ecce vir, & in manu eius funiculus menſorum. Et dixi, quo tu vadis? Et dixit ad me, vt metiar Hieruſalem, & videam quanta ſit latitudo eius, & quanta longitudo eius.

Nihil ſine modo, & ratione, & menſura, a Dei miniſtris fit. Iccirco funiculus ad vrbis ſanctæ magnitudinem dimetiendam adhibetur, vt intelligi poſsit, omnia opera Diuina eſſe ordine ſummo, & rectiſsima ratione,conſtituta. Quemadmodũ igitur in pœnis fuerat modus adhibitus, ne omnia funditus interirent,ita commodum fuit, vt in vrbis inſtauratione modus ſeruaretur,quo omnia conſeruari diutiſsime poſſent. Omnia ſiquidem, quæ non ſunt moderatione, atque lege, definita, corruunt,atque diſsipantur. Hoc igitur viſo, vrbis de integro ædificandæ ratio præmonſtrabatur.Quamquam in ædificio illo,non inſiſtit animus Prophetæ, ſed vltra progreditur,vt aliam fabricam multo opulentioris ciuitatis inſpiciat. De qua Dauid inquit, Benigne fac Domine in bonitate tua Sion,vt ædificẽtur muri Hieruſalem.Et Paulus item, Dei, inquit, agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis. Huius autem ædificationis gloriam deſcribit in epiſtola ad Hebræos luculentiſsime, cũ opes Hieroſolymæ cæleſtis exaggerat. quamuis igitur hoc in loco vir Diuinus aliqua ex parte ſabricam Hieroſolymæ terreſtris deſignaret, multo tamen ardentius eo mentem intendit, vt ſabricam Hieroſolymæ cæleſtis inſpiceret. Et,quia verbi Diuini munus,vt apud Hieremiam legimus,eſt diruere,& ædificare, fabri ſunt adhibiti, qui cornua perfringerent, & tyrannorum opera demolirentur; & alii rurſus fabri, qui collapſa reficerent, & ruinis oppreſſa rurſus inſtaurarent.Fabri vero,vt dictum eſt, angeli ſunt, quorum opera ad Diuinę legis normam exactiſsime dirigun tur. Sed,dum angelus abit, vt vrbis amplitudinem metiatur,alius interuenit,vt eum clariore notitia Diuinæ benignitatis inſtrueret. Ex hoc autem loco probat Dionyſius, nõ omnes angelos æquali dignitate præditos eſſe, & inferiores,eorum,qui dignitate præcellũt, lumine perfundi:ſtella namque a ſtella differt in claritate. Hic enim angelus angelum inſtruit.Sequitur enim:

Et ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, & angelus alius egrediebatur in occurſum eius. Et dixit ad eum,Curre,loquere ad puerum iſtum,dicens,Abſque muro habitabitur Hieruſalem præ multitudine hominum & iumentorum, in medio eius.

Angelus ille primus funiculum gerebat, quo vrbis ambitum, & muros, atque mœnia, metiretur. At angelus alter, qui ei obuiam proceſsit, docet, tantam fore multitudinem, vt muris cingi non poſſet. Quis igitur,inquit ille, ab eis hoſtium impetum propulſabit? Quis peſtem ab eorum capitibus auertet?

**Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: & in gloria ero in medio eius.**

Quæ ciuitas iſta ſit; quæ ciuium multitudo; quod propugnaculi firmamẽtum; qui murus igneus iſte ſit, omnem ciuitatem coercens, & continens; qui gloriæ ſplendor, atque magnificentia, Iudæi explicare non poſſunt. nec enim licet hæc in illam ciuitatem, quam Neemias ædificauit, illo pacto conſerre. Illa namque, muris, & turribus, vndique cincta, & egregie munita fuit. Multitudo vero tanta non fuit, vt eã vrbis ipſius amplitudo non caperet. Gloria porro magna illis eſſe non poterat, qui numquam omnino ſui iuris eſſe potuerunt. Tributa enim primum Perſis, deinde Græcis, penſitabant; & modo Aegypti Regibus, modo Babylonis, ſeruiebant; & ab illis non ſemel capti, & oppreſsi, ſunt. Et, quãuis ipſa ciuitas aliquo tempore ſub Machabeis libertate frui videretur, ita libera fuit, vt eam incommoda multa circumuallarent. Gloria veto, ſi Diuina fuiſſet, obſcurari certe minime potuiſſet. Non igitur Diuina gloria in illa ciuitate viguit, quam Pomptius expugnauit; non in templo, quod idem ipſe imperator profanum fecit; non in opibus, quas M. Craſſus impune deripuit. Porro autem, ſi illa igneo muro munita fuiſſet, numquam, innumerabilibus calamitatibus afflicta, miſerabili incendio conflagraſſet. Non tandem videbunt homines amentiſsimi, & profligatiſsimi, aliam eſſe ciuitatem, quam Propheta deſcribit, longe diuerſam ab ea, quam ipſi ſibi finxere? Hæc autem, quam vir Diuinus Diuina mente deſignat, non vrbis vnius ambitus, ſed vnius fidei conſenſio, atque puriſſimæ religionis foedus, amplectitur. Ciuium multitudo non eſt a ſanctis patribus ſanguine, atq. ſemine, ſed pietatis imitatione, propagata. Hoc genus ſanctiſsimum non corporis circumciſio, ſed nefariæ cupiditatis exciſio, inflammataq. fides, a reliquis nationibus diſtinguit. Murus igneus, eſt vnicum Chriſti præſidium, quod ciuitatẽ ſæpit; ita, vt, quamuis aſsiduis bellis cincta ſit, numquã tamen expugnari, & exſcindi, aut labefactari, aut de ſtatu conuelli, poſsit. Intra muros huius clariſsimæ ciuitatis non ſolum homines ratione rectiſsima præditi, & ſapientiæ veriſsimæ diſciplinis excellentes, incluſi ſunt, verum & multitudo non quidem fide vacua, ſed quæ animo rudi, atque ſimplici, rectoribus obſequitur, & illis ſine recuſatione paret, a quibus in cælum, monitis, & exemplis, dirigitur. Hi vero homines, quos vnius fidei conſpiratio, inter ſe foedere ſancto conſociat, vt iumenta quædam, maioribus vſui ſunt. At horum omnium, tam hominum, quam iumentorũ, multitudo, non vrbis vnius ambitu, non nationis vnius, non Regni, non Imperij latiſſimi finibus circumſcribitur, cum orbem terrarum admirabili virtute complexa ſit. In hanc igitur ciuitatem, quam Paulus Hieroſolymam cæleſtem appellat, multa millia angelorum, & ſanctorum hominum, ambitu ſuo continentem, tanta multitudo ab ortu, & occaſu, & ab omnibus terrarum finibus, admirabili alacritate cõfluxit, vt muris illis, quibus hominum cœtus ſæpiuntur, minime circumdari poſsit. Quo modo igitur pericula vitabit, quæ illi ex opibus Babylonis, hoc eſt, ex perfidæ, & impurę, multitudinis, ſcelere, & amentia, ſingulis prope diebus intenduntur?

**Ego, inquit Dominus, ero illi murus igneus.**

Itaq. hoſtium impetum ab illa reprimam, ne vllis vmquam tẽporibus opprimatur, immo ſemper, cum ſummo decore, & amplitudine, in omnibus malorum omnium tempeſtatibus, inuicta permaneat. Sic autem fit, vt Dominus nõ ſolum ciuitatem ſuam tueatur, verum etiam ſummis gloriæ ornamentis afficiat. Gloria porro noſtra eſt, Deum præſentem, vt libertatis vindicem, vt ſalutis auctorem, vt vitæ præſidium, vt arcem munitiſsimam. atque, vt vno verbo omnia complectamur, vt optimum parentem ſemper intueri, & exploratum habere, fieri non poſſe, vt ſpes in illo repoſita nos vmquam fallat, & hoſtibus ludibrio eſſe ſinat. Quod quidẽ nobis ea condicione promiſſum eſt, vt ſemper Babylonis cõmercium fugiamus. Nec enim eſſe poteſt vlla conuentio luci cum tenebris. Iccirco ſcriptum eſt apud Iſaiam: Recedite, recedite; exite inde: pollutum nolite tangere, qui fertis vaſa Domini. Paulus ſimiliter, Exite de medio eorũ, & ſeparamini. Quemadmodum Babylõ euerſa fuit, & Hieroſolyma terreſtris diro incendio deflagrauit, ita Babylon, hoc eſt, multitudo, tyrãnicis peccati legibus adſtricta, quæ bellũ aſsidue cõtra Hieroſolymã cæleſtem gerit, funditus interibit. Qui vitam igitur caram habuerit, opus eſt, ut illius ſocietatem vitet, ne eadem calamitate peruertatur. Nec enim hoc in loco Propheta tam de terreſtri Hieroſolyma ædificanda, quam de cæleſti diuinis munitionibus inſtaurãda, diſſerit; nec tantum periculum a Babylonis illius antiquę cõmunione, quam a peſtilẽtis Reipublicæ, legibus peſtiferis alligatæ, contagione denuntiat. Inquit igitur:

**O, o. fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus, quoniam in quattuor ventos cæli diſperſi vos, dicit Dominus.**

Babylon, Hieroſolymæ reſpectu, magis ad Ortum, quam ad Aquilonem, ſita erat. Imperium tamen Babylonis, cum eſſet late diffuſum ex ea parte, qua Aquilonem ſpectabat,

impe-

impetum in Iudæam fecerat, & præterea Babylon magis ad Aquilonem reſpiciebat, quã Hieroſolyma. Iccirco apud Hieremiam dictum eſt, omne malum ab Aquilone imminere. Facies igitur Aquilonis, vim, & imperiũ, Babylonis ſignificat. Illa vero inclamatio bis repetita, ingentis periculi denuntiationem continet. Quaſi dicat: O ciues, animis veſtris reputate, quantum vobis periculum, niſi tempore ſaluti veſtræ proſpexeritis, interum ſit. Fuiſtis ab Babyloniis euerſi, in exſilium pulſi, in quattuor orbis terrarum plagas, iudicio meo, diſperſi, atque rurſus ope mea in libertatem reſtituti, & in poſſeſsione hereditatis amiſſę collocati. Ne exiſtimetis, eſſe vos iam omni periculo liberatos. Niſi enim vos a ſocietate Babylonis ſeiunxeritis; fœde peribitis. Leuis illa prima calamitas exſtitit, præ ea, quæ vobis ſubeunda eſt, niſi celeri fuga Babylonis fines reliqueritis. Quam Babylonem narras? eam ne, quã Cyrus euertit? Minime. Sed aliam, cuius illa prima imaginem geſsit. Babylon enim eſt illa, quam imperium Satanæ complectitur; in qua ſcelerum, & flagitiorum, ſtudium viget; quæ ſemper eſt ſanctis hominibus infeſta; quæ arma comparat, bellum molitur, inſidias facit, perniciem machinatur, vſque eo, dum vobis ſalutem, atque libertatem, eripiat, & animos veſtros in ſempiternæ miſeriæ regionem exturbet. Arcete igitur peſtem, &, ſi vultis igneo muro defendi, vos ipſos a tam peſtiferę ciuitatis cõiunctione remouete. Hoc enim vobis non homines, ſed Deus ipſe denuntiat; fore nempe, niſi ſumma cuſtodia, & vigilantia, opes Diuino beneficio partas retinueritis, vt multo duriore dominatu a Principe Babylonis opprimamini. Inſiſtit autem in tenore magis explicando, vt fortius ſtudium mali propulſandi in animis inſculpat:

O Sion fuge quæ habitas apud filiam Babylonis.

Per filiam Babylonis, ipſam ciuitatem Babylonis Hebræorum nomine nominat. Sed, quis tantus metus tunc Sioni a Babylone impendebat, cum Sion, id eſt, Iudæorum multitudo, cum hæc litteris mandabantur, minime Babylonem incoleret, & ciuitatem funditus euerſam, & exciſam, metuere non poſset? Vertant ſe in omnia Iudæi, vt aliam Babylonem rurſus ædificent; aliũ Sionem exſtruant; aliam Hieroſolymam rurſus inſtaurent; alia portenta comminiſcantur. Nobis vero, qui per Sionem, vt Sanctæ litteræ facere admonẽt, Chriſti Eccleſiam, per Babylonem rempublicam omnia libidine immoderata metientem, & Satanæ placitis alligatam, intelligimus, nullis ſomniis opus eſt, vt veram huius loci ſententiam percipiamus. Non timet enim Propheta vrbis euerſæ ruinas, non imperij ſepultis reliquias, non diſpulſos longe cineres, atque & laruas inanes, ſi quæ ex prætietinis illis ad puerorum terrorem incurſare dæmonum ludibrio potuiſſent, ſed impuritatis conſortium, impietatis commercium, obliuionem Diuini muneris, negligentiam religionis, officinam ſceleris, extimeſcit. Has vitæ peſtes vt contento curſu, & ſtudio, fugiamus, nos excitat, &, magnitudine tanti diſcriminis attonitus, magnis vocibus inclamat. Ne vero quiſquam, timore debilitatus, animum demittat, docet, quam facile poſsimus omnem a nobis calamitatem propulſare, non viribus noſtris, ſed illius ope, qui nos caritate ſumma complectit? Sequitur enim:

Quia hæc dicit Dominus exercituum, Poſt gloriam miſit me ad gentes quę ſpoliauerunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.

Quis eſt hic, qui loquitur? Num propheta? Minime gentium. Nũquam enim ad gentes miſſus eſt, vel vt iniurias illatas vindicaret, vel vt alienigenas ad diſciplinam legis erudiret. Num Deus ipſe ſe miſſum oſtẽdit? A quo mitti potuit? A ſe ipſo? Abſurdũ eſt? Ab alio, qui non ſit Deus? Fieri non poteſt. O miſerandas Iudæorum tenebras? O tæterrimam gentis exſecrandę caliginem. O diram mentis impiæ cæcitatem. In meridie tenebris obruuntur; oculis apertis nihil omnino vident; offuſa caligine furibunde ruunt, vſque dum ſe ſe in ſempiternam peſtem præcipites eiiciant. Quid hoc loco excogitari poteſt illuſtrius? Quid Iudæorum interpretatione dementius? Dominus exercituum loquitur; & ipſe Dominus exercituum, ſe miſſum eſſe, dicit. Et, ne quiſquam per Dominum exercituum, qui miſſus eſt, aliquem angelum, cæleſtis militiæ principem, interpretari audeat, videmus illud ſanctiſsimum nomen, quod nullo modo, vt Iudæi conſtanter aſſeuerant, niſi in naturam Diuinam, conuenit, appoſitum; & tamen Diuinarum perſonarum diſtinctionem tam claro teſtimonio demõſtratam, impudentiſsime refellunt. Quid eſt deinde illud, quod ait, Poſt gloriam? Gloria, inquiunt, Romanorũ, qui ab Eſau propagati ſunt. Vnde hæc ſententia profluxit? Hoc enim in loco nomen Gloriæ, ſine adiunctione poſitum eſt. Quod cum ſit, non gloriam inanem in aura populari, aut in humana potentia conſtitutam, ſed veram, ſolidam, & ſempiternam, maxime vero, cum Deus ipſe loquitur, interpretari debemus. Nec enim Romanorum gloria in Dei conſpectu nominanda gloria eſt, ſed gloriæ inanis ſpecies, in multitudinis inſana opinione conſtituta. Audiamus deinde optimos antiquitatis auctores. Vnde cõpertum habẽt, Romanos ab Eſau originem duxiſſe? quãquam Iudæos minime miror. Sunt enim

inepti,

Digitized by Google

inepti,& inſulſi,eruditionis politioris experces, & totins antiquitatis ignari. Sed quoſdã Chriſtianos admiror,ſic Iudęorũ placitis addictos,vt ab illis diſſentire nõ audeant. Inde adeo factum eſt,vt multi ſibi perſuadeant,Romanotum genus eſſe ad Eſau,tãquam ad parentem,referendum. Nec aliam cauſsam poſſunt aſsignare,præter eam,quæ in Iudæorum teſtimonio conſiſtit. At ego contra ſtatuo, quidquid Indæi ſine teſtimonio Scripturę ſanctæ confitmãt,eſſe pro fabula ręputandũ. Ab illis tamẽ libenter audierim,quo ptimũ tempore Idumæi in Italia pedem poſuerint. Aborigines ſcimus, Arcades legimus,Lydios Italiæ partẽ occupaſſe antiquiſsima Græcorum monumenta teſtificantur: Idumæorum vero neque vllum leuiter impreſſum veſtigium reperitur. Vnde igitnr hæc opinio in Iudæornm animis inſita fuit? Ex odio Romanornm, quorum nomen exſtinctum, atque deletum, cupiunt. Quia vero ex occaſu, & interitu, Romani imperij, omnia ſibi feliciſsima pollicentur, & legunt in ſanctis Litteris diras minas Idumæorum generi propoſitas; vt miſeriam, in qua verſantur, aliquo inani ſolatio mitigarent, ſomniarunt, Romanos eſſe Eſau ſtirpe propagatos, vt omnes illas comminationes ad Romanorum genus pertinere contenderent. Sed animaduertendũ eſt, eſſe hoc in ſanctis Litteris vſitatum, vt uomẽ hoſtium illorum, qui Hieroſolymam olim bellis aſsidue perſequebantur,hoſtibus Chtiſtiani nominis frequenter accommodẽt. Sic per Babylonẽ inſtituta perditæ multitudinis intelligunt:ſic Palæſtinorũ,Arabum,Aſſyriorũ, aliarum nationum,nomina,frequenter exprimunt, cum volunt Chtiſtiani nominis hoſtes deſignare. Ex omnibus autem gentibus, quæ olim fuerunt Hebræis nimis infeſtæ,nulla tantã offenſionem illis intulit,quantã Idumæorũ natio. Erat enim cum Hebræis ſanguine coniuncta. Eſau namque,& Iacob,fratres gemini fuerant. Cum igitur Hebræi,& Idumæi,idem principiũ generis haberẽt,par erat, vt inter ſe inuiolatum fœdus amicitiæ conſetuarent. Quod quidem tantum abfuit,vt Idumæi facerẽt,vt ſe potius ad Hebręi nominis hoſtes adiungerent, & in Iudæorum calamitatibus petulanter inſultarent. Vnde illud,quod ſcriptũ eſt in Pſalmis: Recordare, Domine, filiorum Edom,in die Hieruſalẽ,qui dicũt,Exinanite, exinanite vſq. ad fundamentũ in ea. Hoc autẽ eſt,Domine, exerce tuũ iudicium in eos, qui tam crudeliter ſe geſſerũt,vt,cum Hieroſolymam captã,omnibusq. ruinis oppreſſam,cernerẽt,nulla miſericordia moti ſunt, immo hoſtes inſtigabant, vt nihil omnino in ciuitate perdita,& afflicta,relinquerent. Apud Iſaiam videmus Chriſtum ad Idumæorũ nomen exſtinguendũ,id eſt autem ad hoſtes ſuos,quos Idumęorũ nomine deſignat,acriter incitatũ. Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de boſta, quod perinde eſt, atqne ſi diceret: Quis eſt iſte, qui de hoſtibus ſuis, qui nomen illius irritis conatibus oppngnant, tam clarum triumphum ducit? Innumerabilia teſtimonia omitto, ex quibus clare cernitur, Idumæorum nomine Chtiſti hoſtes intelligi. Iudæi vero, vt omnia mala, quæ viri diuini Idumæis imprecantnr, ad Romanorum exitium referant,nimis confidenter, & temere, finxerunt, vt dictum eſt, Romanos ab Eſau, qui etiam Edom appellabatur, ortum habuiſſe. Hæc pluribns fortaſſe, quam neceſſe fuit, explicui, vt errorem, a multis ſuſceptum, ex eorum animis, ſi fieri poſſet,euellerem. Sed, vt ad locum Prophetæ redeamus,dicit hoc in loco Dei filius, ſe a patre miſſum eſſe,vt gentes alienas, eæ autem ſunt,quæ Eccleſiam oppugnant, & odio ſummo diuinis placitis aduerſantur,euertat. Oſtendit enim, ſibi tantæ curæ eſſe ſuorum vitam,& dignitatem, vt nõ ſecus accipiat iniurias illis illatas, quam ſi quis illius oculos, atque adeo oculi ipſius pupillam, grauiſsime læſiſſet. Non potuit magis grauitatem offenſionis exaggerare. Omnes ſenſus noſtros integros,& vigentes,eſſe cupimns. Oculos autem præcipne, qnod reliquis omnibus antecellant, egregie caros habemus; oculi autem pupillam,qnod in ea videndi vis tota conſiſtat,ſumma cura, & ſollicitudine, tuendam ſuſcipimus. Quid igitnr eſt hoc oraculo mirabilius, aut quod magis debeat animos noſtros ſtudio diuinæ benignitatis incendere, quam, diuini ſpiritus teſtimonio,certum habere, noſtram vitam, & honeſtatem, & gloriam, eſſe Deo ſummo longe cariſsimam? Itaqne non ſolum eſt vitæ noſtrę parens, noſtræ dignitatis architectus, atq. ſalutis propugnator,verum & iniuriarum, quæ nobis inferuntur,vindex acerrimus. Sed quid eſt, quod ait Poſt gloriam? Nondum enim id explicatum fuit, ſed tantum oſtenſum, nullo modo hic nomen Gloriæ, in res a Romanis geſtas conuenire. Gloria igitur, hoc in loco, non humana,ſed Diuina,exiſtimanda eſt. Senſns igitur hic eſt. Poſtquã gloria pattis mei, prædicatione mea,& operibus meis,apud homines illuſtrata fuit; poſtqnam templum ſecundum,vt eſt apud Aggæum,,fuit gloria cumulatum; poſtquam diſcipuli mei, oculis ſuis adſpexere gloriã meam, quaſi gloriã vnigeniti a patre,nã pro vmbris, & imaginibus, ſolidũ,& expreſsũ,iuſtitiæ decus amplexi ſunt,& pro tremenda legis ſeueritate,ſuppliciiq. metu,ſummã gratiã collegerunt, & ipſum fontẽ perennẽ bonorum omniũ cũ ſumma iucunditate perſpexerũt,miſit me Dominus,vt euerterem gentes, quæ tantum munus, & beneficium,aſpernatæ ſunt,& in vos,quos ille, vt oculos ſuos,diligit,tæterrimi fuerunt. Verũ enim eſt,vt,qui beneficentiã ingrate tepudiat, iudicio ſeueriſsimo peruertatur. Sed,quæ gẽtes illæ fuerunt? Si de numero quæris, innu-

merabiles. Prima tamen omnium, quæ veros Iudæos ſpoliare, perdere, & affligere, omnibusq. ſimul bonis euertere conata fuit, eorum Iudæorum cœtus extitit, qui non animi, ſed corporis, circumciſione, quaſi in ea iuſtitiæ ſumma conſiſteret, efferebantur. In illos igitur merito fuit multo acrius, quam fuerat olim in Babylonios, vindicatum. Quod vt magis explanet, ait:

Quia ecce ego leuo manum meam ſuper eos, & erunt prædæ his qui ſeruiebāt ſibi: & cognoſcetis quia Dominus exercituum miſit me.

Non eſt ira Domini, vnius gentis exitio definita. De omnibus enim loquitur, in quibus idem ſcelus inhæſerit. æquum enim eſt, vt, qui eodem ſe crimine adſtrinxerunt, eiſdem ſupplicijs torqueantur. Iudæam, inquit, primum euertam. Romanos item de ſtatu deiiciam. aliorum ſimiliter ſcelus vlciſcar, qui in vos odium expromſerint. & faciam poſtremo, vt omnes mortales, vos intuentes, admiratione veſtri ſplendoris, obſtupeſcant; &, qui vobis, tãquam ſeruis, imperabant, ſupplices veſtri ſint, veſtriſq. ſanctionibus obſequantur. Tunc igitur, cum tam admirabilis rerum conuerſio facta fuerit, intelligi poterit, me a patre miſſum fuiſſe. Opera namque Dei, conſilio deſignata, & conſtituta, ad finemq. feliciſsime perducta, teſtimonium mihi, numinis ſempiterni dabunt.

Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus.

Fidelem nationem alloquitur, eamque, vt voces ingētis lætitiæ profundat, adhortatur. Illud enim bonum nuntiat, quo nullum amplius, & magnificentius, excogitari poteſt. Non, inquit, angelos mittam, vt olim; non Moſen vobis præficiam; non duces eligam, qui vos ab hoſtibus circumfuſis eripiant; non denique prophetas ad vos legabo. Ipſe, inquit, ipſe veniam, vt per me ſalutem veſtram conſtituam. Neque, cum ſemel a vobis omnia mala depulero, a vobis demigrabo: ſemper enim ero vobiſcum, vt numquam ſitis ope mea deſtituti.

Et applicabuntur gentes multę ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & ſcies quia Dominus exercituũ miſit me ad te.

Gentium conuerſionem prædicit, nationiſque diſcrimen tollit, vt non ſit amplius Iudæus, neque Græcus, ſed noua forma, & noua diuinæ claritatis ſpecies in omnibus, qui eadem fide, & religione, in Dei populo cenſi fuerint. Hoc autem tam excellens opus pro maximo argumēto ponit Chriſtus, numinis ſui, quod in diuinis operibus eluxit. Et rurſus, ipſe Chriſtus, ſummus Deus, ſe a Deo ſummo miſſum, teſtificatur, vt magis eam diſtinctionem perſonarum, quam fides Chriſtiana prędicat, inculcet.

Et poſsidebit Dominus Iudam partem ſuam in terra ſanctificata: & eliget adhuc Hieruſalem.

Pars, id autem eſt hereditas Domini, eſt multitudo hominum, vnius fidei, atq. religionis iure ſociata. Eſt autem tranſlatio, ſumpta a multis heredibus, quorum cuilibet pars certa in hereditate contingit. Terra vero ſancta eſt, vbicumque ſanctitatis ſtudium viget. In huius terræ ſpatio Deus eligit, quibus munera ſua committat. In illius medio ſibi ſedem ſtabilem, & ſempiternum domicilium, collocat; in eo ſacerdotes inſtituit, qui non quadrupedes mactent, ſed interitũ cupiditatibus inferant, &, religionis veriſsimę ſanctitate, ſanctiſsimum Dei numen propitium reddant.

Sileat omnis caro, a facie Domini: quia conſurrexit de habitaculo ſancto ſuo.

Omnes humanas vires exterret, nullaſq. Principum opes fore dicit, quæ poſsint doctrinæ cæleſti reſiſtere. Ipſe namque ſe ipſum excitabit, acerrimumq. bellum comparabit, vt hoſtes ſui nominis euertat, & tyrannides deleat, & munitiones, atque mœnia, diſturbet, clariſsimeq. victorię monumenta conſtituat; vt nihil ſit impedimento, quo minus Euangelium latiſsime peruagetur.

Et oſtendit mihi Dominus Ieſum ſacerdotem magnum ſtantem coram angelo Domini: & ſatan ſtabat a dextris eius, vt aduerſaretur ei. CAP. III.

Idem Dei miniſter, qui prophetam inſtituendum ſuſceperat, hoc illi viſum ſimiliter indicauit. in quo vtrumque docuit, nempe, & quãto ſtudio ſancti angeli bonos tueantur, & quanta probitate, & cõtentione, Satanas eos oppugnet. Illis vero pręcipue infeſtus eſt, quibus eſt illud munus aſsignatũ, vt multos mortales ad iuſtitiam erudiant, Deumq. hominibus placent. Sed, quo modo Satanas Pontifici maximo aduerſaretur, eſt animaduertendum. Hominem accuſabat; crimen ſceleris intendebat; priſtina flagitia in memoriam redigebat; vt, conſcientia oppreſſus, munus obire renueret, imperiũq. Domini, humilitatis obtẽtu, detrectaret. Calumniã pręterea petulanter adhibebat, & Dei iudiciũ criminabatur, quod tantũ munus ad hominem minime eo dignum

dignum detuliſſet; atque, vt auctoritatem ſacerdotis ſummi frangeret, illius nomen apud multitudinem deſerebat, vt homines nõ libenter imperium illius acciperent, & ita, muneris, eorum gratia conſtituti, fructu priuarentur. Sed videamus, quo modo calumnia reputata ſit:

**Et dixit Dominus ad ſatan, Increpet Dominus in te ſatan: & increpet Dominus in te, qui elegit Hieruſalem: nũquid non iſte torris eſt erutus de igne?**

Hic rurſus perſonarum diſtinctionem videmus. Deus enim ipſe, Dei iudicio Satanam retundit; & ter ipſius ſanctiſsimum nomen expreſſum cernimus, vt clarius Trinitatis ſanctiſsimæ cognitionem capiamus. Et, quamquam angelus ſit, qui loquitur, mos, & conſuetudo Scripturæ ſanctæ eſt, vt angeli, Dei imperium, & auctoritatem, repræſentent, & nomine illius loquantur; ita, vt in eo, quod loquuntur, ipſum Deum loquentem audiamus. Duo præterea ſunt hoc in loco conſideranda. Primum, qualiter ipſe Dei filius omnia ad Patris gloriam referat. Nec enim dicit, Increpabo te Satan, ſed, Increpet te Dominus Satan. Alterum, quod non Satanæ maledicit, ſed tantum propoſito Dei iudicio minaciter exterret. In quo docemur, maledicentiam eſſe Deo vehementer inuiſam. Quemadmodum Iudas ait: Cum Michael, inquit, Archangelus cum Diabolo altercaretur de Moſi corpore, non eſt auſus illi iudicium inferre maledicti, ſed dixit, Increpet te Dominus. Eadem omnino verba vſurpat, quibus hoc in loco Propheta vtitur. Nil eſt enim in rerum natura tãta improbitate corruptum, vt non aliquid in ſe boni contineat. Nam primum, ipſius natura, cum opus Dei ſit, mala eſſe non poteſt. Vidit enim Deus, cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Deinde, nullum eſt malum, ex quo non Deus mirabiles fructus ſuæ probitatis eliciat. Ita, vt, ſecundum Dei moderationem, omnia ad ſuorum gloriam dirigentem, etiam improbitatis vſus ad bona quodammodo referendus ſit. Virtutis enim gloriam vehementer illuſtrat. Sed acrimonia, qua Satanæ calumnia refutatur, conſideranda eſt. Quam rem geris, inquit, o Satan? nondum crudelitatem tuam ſanguine tantæ multitudinis exſaturaſti? ciuitatem euerſam, & incenſam, adſpexiſti? multitudinem, partim ferro conciſam, partim vinculis impeditam, vidiſti: ſtrage ciuium oculos pauiſti: etiam ne pugnabis, ne reliquiæ vllæ ſuperſint? Quid enim eſt homo iſte, quem inſectaris, niſi torris, ex communi incendio liberatus? non enim erat omnino, quaſi aridum lignum eſſet, igni conſumendus, cum in illo aliquid viriditatis reſideret: itaq. fuit beneficio meo ex magnitudine communis calamitatis ereptus, vt populum, religionis negligentia collapſum, ſanctitate religionis erigeret. Si aliquod in ſe flagitium admiſit, ſatis pœnarum dedit; & præterea poſſum omnes illius maculas delere, & eum ornamentis nouis afficere, ne iure poſsis ullo modo ſanctiſsimi viri nomen maledictis inſectari.

**Et Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis: & ſtabat ante faciem angeli. Qui reſpondit, & ait ad eos, qui ſtabant coram ſe, dicens, Auferte veſtimenta ſordida ab eo. Et dixit ad eum, Ecce, abſtuli a te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis.**

Iſaias, coram Domino, antiqui flagitij conſcientia perturbatus, obſtupuit, peccatumq. ſuum confeſſus eſt, & eam confeſsionem puritas repente conſecuta fuit, puritatisq. adminiſter angelus exſtitit, qui, incenſa pruna labia illius contingens, omnem maledicentiæ labem (ea namque erat impuritas illius) abſterſit. Similiter, hoc in loco, ſummum ſacerdotem cernimus expiatum, & hoc diuinum opus fuiſſe opera angelorum mirabiliter effectum, vt clare videremus vtrobique hoc puritatis beneficium a Deo tributum per Dei miniſtros effectum conſequi, vt eorum importunam audaciam, & temeritatem, refutemus, qui nolunt in hoc diuinæ benignitatis munere vllam miniſtrorum operam adhiberi. Præterea, eſt adnotandum reſponſionis verbum. ſi reſpondit, aliqua certe oratio fuerat antegreſſa, cui reſponſum dedit. Oratio vero, quæ poterat eſſe, niſi humilis deprecatio, qua vir pius poſtulabat, omnem a ſe impuritatis labem remoueri? diuino enim ſpiritu cõmotus, & incitatus, vt diceret, Amplius laua me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me. Veſtis detracta, eſt vetuſti moris, & inſitæ in corpore petulãtiæ, & priſtinæ impuritatis interitus: noua veſtis, eſt acre pietatis ſtudium, iuſtitiæ decus, caritatis ardor, & mẽs cupiditate Diuini ſtatus inflammata. Sic autem exſuitur homo vetus, & induitur nouus, qui ſecundum Deum creatus eſt. Interim non eſt ſilentio prætereundũ, hunc ſummum ſacerdotem, imaginem ſanctiſsimi illius ſacerdotis, qui nos ſacrificio ſanctiſsimi corporis expiauit, expreſsiſſe. Quamuis enim nullæ flagitiorum ſordes veſtibus illius adſpergi potuerint, ideo tamen ſordidæ multis viſæ ſunt, quia ſimilitudinem carnis peccati, vt peccata noſtra deleret, arripuit. Præterea, naturæ imbecillitas Peccatum ſolet appellari: nam a peccato profluxit, &, per ſe, eo, quo cupit, peruenire non poteſt, & a fine propoſito, vi, & impetu, mortis, abducitur. At Chriſtus imbecillitatem naturæ mortalis induit, vitam ſuam pœnis expoſuit, eſuriuit, & ſiti vexatus eſt, æſtu, frigo-

re, laſsitudine, defatigatus fuit; ea autem de cauſſa calumniam ſuſtinuit, intolerandos dolores hauſit, &, quaſi maleficus eſſet, vitam in cruciatibus ſummis abiecit. Omnes nos, inquit Iſaias, quaſi oues, errauimus, & quilibet in viam ſuam deflexit, & poſuit in eo Dominus iniquitates omnium noſtrum. Hæ pœnæ igitur communium ſcelerum Chriſto pro nobis impoſitæ ſunt, ſordes illæ, quibus corpus illius ſanctiſsimum illitum fuit. Hæ veſtes illi detractæ ſunt, cum fuit a mortuis per gloriam patris excitatus, & de morte perculſa, & abiecta triũphauit; ita, vt nihil in illo mortale, & caducum, relinquatur. Veſtis enim, & cultus illius, admirabili claritate nitet, Diuino lumine ſplendet, opibus ſummis, immenſis, & infinitis, illuſtratur. Angeli, gloriæ illius ſeruiunt, pro amplitudine illius dimicãt, omnia illorum ſtudia ad Chriſti gloriam referuntur, & ipſe interim minime officium ſacerdotis intermittit. Sacrificium enim ſui corporis perpetuo repræſentat, patriſq. ſanctiſsimi numen, precibus ſuis, a ſeueritate ad miſericordiam inflectit. Hęc quidem omnia vir Diuinus, cum Ieſum illum ornari ab angelis per vſum vidit, mentis oculis contemplatus eſt. Sed viſum vlterius perſequamur:

**Et dixit: Ponite cidarim mundam ſuper caput eius, & poſuerunt cidarim mundam ſuper caput eius, & induerunt eum veſtibus: & angelus Domini ſtabat.**

Summi ſacerdotij inſignibus ornatur. Vt igitur Aaron tiaram capite ſuſtinuit, in qua erat Dei nomen affixum, vt intelligeret, omnia ſanctitatis munera eſſe ad ſummi Domini gloriam referenda, & mentis ipſius principatum, qui capite deſignatur, non alio ornatu, præter illum, qui ex amplitudine Diuini nominis efflorеſcit, eſſe decorandum, ita & Ieſus eiſdem inſignibus, & ornamentis, afficitur, & de officij magnitudine ab angelis admonetur. Angelus, qui ſtabat, eſt ille princeps, qui Deum præſentia ſua referebat. Stare autem dicitur, propterea quod conſtanter in officio tuendi, & admonendi, ſacerdotis permanebat.

**Et conteſtabatur angelus Domini Ieſum, dicens, Hæc dicit Dominus exercituum, Si in viis meis ambulaueris, & cuſtodiam meam cuſtodieris: tu quoque iudicabis domum meam, & cuſtodies atria mea, & dabo tibi ambulantes de his qui nunc hic aſsiſtunt.**

Teſtimonium ſumit Angelus, vt demonſtret, quanti referat ad ſalutis, & dignitatis, conſeruandæ rationem hæc admonitio. Omnis autem ſalus in eo poſita eſt, vt, viis noſtris omnino deſertis, in Dei vias ingrediamur. Nemo enim poteſt cum laude munus obire, qui viam inire ſtudet, & viam Domini ignorat. Nam via noſtra eſt illa, in quam nos amor noſtri, & temeritas, impellit: viæ autem Domini, ſunt illius leges, & inſtituta. In via Domini Spiritus ſanctus ductor eſt; in via noſtra cupiditatem nefariam ſequimur. Qui igitur Domini viam tenent, Diuini ſpiritus ductu, in ſempiternam felicitatem feruntur; cum interim illi, qui in viis ſuis pertinaciter inſiſtunt, in miſeriam ſempiternam impetu furibundo rapiantur. Cum vero hæc admonitio ad omnes pertineat, qui vitam, & dignitatem, caram habent, tum præcipue ad ſacerdotes, & ad eos maxime, qui principatum tenent. Illorum enim diſciplina, moribus, exemplo, religione, reliquorum hominum vita continetur. Cum igitur Dei vias deſerunt, vt viis ſuis gradiantur, cum grauiſſimo periculo communis omnium ſalutis in officio delinquunt. Ob id igitur angelus Domini Pontificem electum, & conſecratum, & puris veſtibus indutum, Dei nomine conteſtatur, ne ſe in viam ſuam det, ſed Dei viam ita teneat, vt numquam in alterutram partem declinet, ſed ſemper templi curam, ſacrorum religionem, morum grauitatem, iuſtitiæ diſciplinam, tueatur, & reliquos ſacerdotes in officio, debita ſeueritate, contineat. Prӕmia vero huius tanti muneris perfunctioni ea conſtituit, quibus maiora cogitari non poſſunt. Quæ ſunt illa? In hac quidem vita, ſumma in Dei templo iuriſdictio; in futura vero, angelorum ſocietas, atque communio. Facies, inquit Dominus, vt, quamdiu manſeris in hac vita, Pontificis dignitate præcellas, & omnes te intueantur, tibique libenter obtemperent; & in futura, inter angelos verſeris, idemque munus exſequaris, nempe, vt, quemadmodũ angeli Dei præcellentiſsimum numen pro hominum ſalute venerantur; ita & tu pro hominum ſalute ſupplices ad illum preces adhibeas. Vt autem illum magis ad officium exhortetur, oſtendit, quem ducem ſequi, quod exemplum intueri, cuius ſimilitudine conformari debeat, ſi velit munere ſuo cum ſumma laude perfungi. Ait igitur:

**Audi Ieſu ſacerdos magne, tu & amici tui qui habitant coram te, quia viri portendentes ſunt. ecce enim ego adducam ſeruum meum Orienten.**

Excitat mentem ſacerdotis ad ſpectaculum Chriſti, cuius ipſe ſacerdos ſimilitudinem referebat; & ſimul illius proximos, atque ſodales, ad eandem ſpeciem contemplandã adhortatur, quos proximos, Portẽdentes, appellat

pro-

propterea quod Diuinum illud Apoſtolorum ſodalicium portendebant. Erant enim, præter Aggæum, Zachariam, & Malachiam, non pauci, cum eodem Pontifice, amore, & pietatis fœdere, coniuncti. Illos igitur omnes ſpe muneris accẽdit, quo ne ab ipſo quidem Deo maius exhiberi potuiſſet. Ecce, inquit, adduco ſeruum meum. Quamuis enim multi, Dei ſerui appellari potuiſſent, non tamen ſemper huuc honoris titulum obtinere potuerunt. Quamdiu euim libidini, & flagitio, & ambitioni, ſeruiebant, ſerui Dei appellandi non erant. Ille igitur ſolus hoc homine præcipue inſignitus eſt, qui numquam in re aliqua Dei imperium recuſauit. Et quis tandem ille fuit? Is nempe, qui Germen Domini a prophetis appellatur. Erit, inquit Iſaias, germen Domini, in magnificentiam, & gloriam. Et apud Hieremiam inquit Deus, In tempore illo germinare faciam Dauid, germen iuſtitiæ, & faciet iuſtitiam, & iudicium in terra. Ne autem dubitare quiſpiam poſſet, quis eſſet ille, qui Germen appellatur, eſt in eodem loco: Et hoc eſt nomen, quo vocabit eum, Dominus iuſtitia noſtra. Germen, inquit, hoc eſt Dei filius, in terris ad ſalutem humani generis exortus, aliud etiam nomen obtinebit. Domini namq. nomen in illũ, vt in verũ Deum, optime quadrabit. Quod vt clarius demonſtret, nomen illud, quod quattuor illis notis inſcribitur, apponit. Iuſtitia vero noſtra appellatur, quod cauſſam iuſtitiæ veræ, quæ gratia illius continetur, attulerit. Hoc eſt, quod inquit: O Ieſu, o viri, qui eſtis cum hoc Pontifice meritis excellentibus conſociati, in illud germen Diuinum reſpicite; illud vobis exemplum vitæ proponite; in illo, tamquam in arce tutiſsima, omnes ſpes ſalutis, & immortalitatis, ardentiſsima fide, collocate. Nec enim ſolũ germen eſt, vt vos vbertate Diuini fructus expleat, verũ, & lapis, vt omnes hoſtium conatus frangat, & gladios, atque tela, retundat.

Quia ecce lapis quem dedi corã Ieſu.

Ponam, inquit alibi, in fundamento Sion lapidem probatum angularem firmiſsime fundatum. hic igitur lapis, in quo domus Dei, totaq. noſtra ſalus innititur, in ſummi illius ſacerdotis conſpectu a Deo proponitur. Hoc eſt autem, Ieſu ſanctiſsimum nomen, virtus, pietas, & amplitudo Ieſu, ſacerdoti, opera Diuini ſpiritus, oſtenditur, vt intelligeret legis; atque ſanctitatis, finem, in quẽ erãt omnes vitæ actiones, & ſacerdotij munera referenda. In quo quidem lapide non ſolum robur inuictum, verum & Diuinæ intelligentiæ multiplex lumen, homini Diuino præmonſtratum fuit. Sequitur enim:

Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt.

Lapis quidem vnus eſt. Quemadmodum enim vnus Deus, vnus ſpiritus, vna fides, vnũ lauacri puriſsimi ſacramentum nobis eſt, ita vnum Chriſtum, vnicum generis humani liberatorem, & iuſtitiæ noſtræ, ſempiternæq. ſalutis auctorem, veneramur; illiusque præſidio firmati, nobis immortalitatem, & ſempiternam gloriam, pollicemur. Qui tamen, quamuis vnus ſit, omnia multiplici ſapientia gubernat, atque moderatur. Illius autem ſapientia ſeptem oculis apte deſcribitur. Numero enim ſeptenario vniuerſitas bonorum deſignari plerumque ſolet. Ternarius enim numerus, propter trium perſonarum in vna Dei natura rationem, propter initij, progreſſionis, & conuerſionis, qua omnia ad Deum, vnde fluxere, referuntur, inſitam propenſionem, Diuinis rebus valde congruenter accommodatur. At quaternarius iuris æqualitatem, virtutis moderationem, inter extrema vtrimque vitia conſiſtentem, omnium modorum interualla, & continentiam, deſignat. In eo enim primum numero omnes rationes inueniuntur, e quibus harmoniæ fiunt. Cum tamen numerus par, propter naturam diuiſibilem, peſtiferis diſcordijs obnoxiam, nefandus exiſtimetur, tum demum quaternarius numerus erit laudabilis, & prædicandus, cum ternario fuerit adiunctus. Nullum enim humanum officium poterit eſſe perfectum, niſi fuerit e Diuina mente profectum, & cum ſpiritu illius arcte colligatum. Vnde fit, vt per ſeptenarium numerum omnes rerum perfectiones intelligantur. Oculi igitur ſeptem lapidis illius, ſummã Chriſti prouidentiam deſignant, qua omnia coercet, & temperat, & hominibus conſulit. quod fieri non poteſt, niſi cum Diuinis rebus humana coniungat.

Ecce ego cælabo ſculpturam eius, ait Dominus exercituum: & auferam iniquitatem terræ illius in die vna.

Non ſolum, inquit, erit hic lapis ſtabilitate firmiſsimus, neq. multiplicis ſapientiæ ſplendore clariſsimus, verum & virtutis ornamentis ampliſsimus. Ego namque opere excellenti perficiam, vt nullum opus artificio ſummo cælatum, ſit cum illo, pulchritudine, & dignitate, comparandũ. Sic autem fiet, vt non modo ex animo illius virtutibus Diuinis exaggerato, ſed etiam e manibus, atque pedibus, e latere, ex membris omnibus, illius opes immenſæ, admirandæ pietatis, atque benignitatis, emineant. Nec ea illius virtus erit, vt Dei gloriam pariat, & reliquis, qui nomine illius cenſi fuerint, minime ſalutem conferat. Immo, propter illius merita, omnes flagitiorũ, & ſcelerum, maculas abſtergã; atq. perficiam, vt in terra illius, nẽpe vbi mentes ſalutari imperio complexus fuerit, peccatũ minime dominetur. Et hoc vna die. Ea nempe, qua corpus

illius a me cælatum fuerit, & pulcherrimis vulneribus inſignitum, & ſanguis ſumma largitate profuſus, vt mentes, ſcelere adſtrictas, ſcelere liberet, & a terris abſtractas, in cælum deducat. eo namque die fuit pretium pro ſceleribus humanis abunde perſolutum, & imperium peccati deletum, & cauſſa ſempiternæ ſalutis allata, omnibus, qui illius imperium ſecuti fuerint. Quid autem ex hac puritate, Chriſti ſanguine parta, conſequetur? Animi confidentis elatio; & puriſsimæ mentis altitudo; & virtutis robur inuictum. Vt enim ſceleris conſcientia exterret animum, eumque frangit, atq. debilitat; ita puritas, & innocentia, quæ eſt perpetuo cum incenſa fide coniuncta, animum altum, & excelſum, efficit, nulla pericula metuentem. Hoc autem vt ſignificet, adiungit:

In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum ſuum ſubter vineam, & ſubter ficum.

Translatio, a pacis tempore ſumitur. Vt enim, cum bellum motum eſt, nemini licet bonis ſuis animo ſecuro frui; (metuunt enim homines hoſtium repentinos incurſus) ita, cum pax eſt certo fœdere cóſtituta, licet cuiuis bonis ſuis ſine metu potiri. Hoc autem in loco, nõ modo pax ſumma prædicitur, verum & eximium benignitatis ſtudiũ declaratur. Hoc enim dicit: Is, qui per Chriſti ſanguinẽ fuerit omni crimine liberatus, & ei, per quem eſt ſalutem conſecutus, obedierit, ne ignauia de manibus amittat, quod fuerat Chriſti meritis adeptus, animo erecto, & excelſo, præditus erit; neque ſolum bonis, quibus affluet, tamquam in tranquilliſsima pace, perfruetur, ſed etiam proximos ſuos ad eorum communionem frequenter inuitabit.

CAP. IV. Et reuerſus eſt Angelus, qui loquebatur in me: & ſuſcitauit me, quaſi virum qui ſuſcitatur de ſomno ſuo. Et dixit ad me, Quid tu vides? Et dixi, Vidi & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius ſuper caput ipſius: & ſeptem lucernę eius ſuper illud: & ſeptem infuſoria, lucernis quæ erant ſuper caput eius. Et duæ oliuę ſuper illud: vna a dextris lampadis, & vna a ſiniſtris eius.

Mira, & ſtupenda myſteria, quæ Diuino viro Diuinitus enuntiantur. Vidit Domini germen; vidit robur illius inuictum; vidit Diuinæ intelligentiæ, atque prouidentiæ, claritatem; vidit decoris, & dignitatis, amplitudinem. Stupore igitur defixus, & attonitus, dũ ea ſecum animo retractat, quaſi ſomno quodam conſopitus, extra mentem raptus eſt, & caligine circumfuſus, intellexit, nullius mente poſſe arcana ſapientiæ Diuinæ perfecte comprehendi. Id igitur aſſecutus fuit, vt ſenſibus oppreſsis nihil cerneret, niſi id tantum, in quo ſapientiæ ſumma conſiſtit, intueri, atque plane percipere, Diuinæ virtutis immenſitatem explorari minime poſſe. Hoc autem ſomno captus erat, cum fuit ab angelo, vt plura myſteria cerneret, excitatus. Vt autem videamus, an poſsimus huius viſi ſpeciem explicare, conſiderandum eſt, hoc candelabrum, quod Propheta vidit, eſſe illi longe diſsimile, quod fuit olim in tabernaculo ſtatutum. Illud enim ſeptem lucernas habebat, non tamen ita conſtitutas, vt poſſet oleum vnius ad alias dimanare. Erãt enim haſtilibus, quæ ex vtroque latere aurei ſtipitis prodibant, diſcretæ. at in hoc candelabro, ex vno tantum cratere, in orbem conſtitutæ lucernæ ſeptem prominebant. Illarum deinde lumen ad vnũ tantum locũ ſpectabant; hæ vero omnia circumquaque lumine ſuo colluſtrabant. Illud candelabrum, fuit manibus hominum factum; hoc vero, opere Diuino perpolitum. Iccirco neceſſe fuit olim, vt in illud bis ſingulis diebus oleum infunderetur; hoc vero, olei perennitate, quæ ſibi minime poterat, perpetuo redundabat. Forma autem eſt prius explicanda; deinde, quid ſignificarit, aperiẽdum. Candelabrum totum erat aureum, haſtili excelſo nixum, in firmiſsima baſi conſtitutum, in ſummo vas rotundum continebat. Ex eo autem vaſe lucernæ ſeptem, in orbem inter ſe diſtinctæ, modicis interuallis eminebant. Duæ autem oleæ candelabrum, diffuſis vtrimque ramis, opacabant. Ex vtraque olea canalis aureus aptus, atque nexus, erat, vt oleum, quod inſtillabatur, exciperet. E canalibus infundibula ſeptena, ad lucernas ſingulas pertinebant, quæ, quamuis eſſent in canali disiunctæ, ita paullatim contrahebantur, vt in lucerna iungerẽtur. In canales autem oliuarum denſitas arcte compreſſa, quam Propheta appellat Spicam, propendebat. Ex oliuis illis oleũ expreſſum, in canales defluebat. Inde vero per infundibula, quaſi per fiſtulas, in vas illud deriuatum, ſempiternæ luci materiam ſubminiſtrabat. Cum vero lucernæ ſeptem fuiſſent, & ſingulis lucernis infundibula ſeptẽ eſſent attributa, neceſſe erat, vt infundibula eſſent quadraginta nouẽ, qui numerus quadratus eſt. eſt enim e ſeptenario in ſe ipſum ductus: ſignificat autẽ in ſanctis litteris Spiritus ſancti munera, large, atque munifice, multiplicata, & veniæ tributæ beneficium, cum Diuinorum bonorum affluentia. Cum autem hic numerus impar ſit, non poterat in partes æquales diuidi. Itaque fuit neceſſe, vt ex vna parte viginti & vnũ, ex altera viginti & octo infundibula ad lucernas ducerentur; ita, vt viginti & vnum tribus lucernis, viginti & octo quattuor, reliquis oleũ ſemper infunderent.

rent. Vterque autem numerus trianguli formam efficit, vnius latera ſenario, alterius ſeptenario continentur. Hi vero duo numeri, nempe ſex, atque ſeptem, perfecti, diuerſis rationibus, exiſtimantur. Dicerem, quæ vis eſſet in his numeris, quid triãguli figura deſignat, niſi multorum faſtidium pertimeſcerem. nec ea, quæ dico, de numeris, attuliſſem, niſi, vt clarius viderent ij, qui diligentius hæc ſcrutari vellent, nihil eſſe in hoc candelabro ſine ſingulari myſterio deſcriptum. His explicatis, conſequens eſt, quid Diuini in hoc tam admirabili ſigno lateat. Quod vt commodius fiat, ipſius Prophetæ veſtigia perſequamur.

Et reſpondi, & aio ad angelum qui loquebatur in me: dicens, Quid ſunt hæc, Domine mi? Et reſpondit angelus qui loquebatur in me, & dixit ad me: Numquid neſcis quid ſunt hæc? Et dixi, Non Domine mi.

Videtur hæc angeli oratio nonnullam reprehenſionem continere, quaſi fuerit Diuino viro neceſſe, Diuina cognoſcere. Similiter Dominus, apud Ioannem, Tu es, inquit, Magiſter in Iſrael, & hæc ignoras? Et diſcipulos alibi corripit, quod non ſenſum orationis figuratæ percepiſſent; & illis hoc aſsignatum munus eſſe dicit, vt myſteria Diuina cognoſcant. Sed videamus, quid hoc oſtento ſignificatum ſit:

Et reſpondit, & ait ad me, dicens, Hoc eſt verbum Domini ad Zorobabel, dicens, Non in exercitu, nec in robore: ſed in ſpiritu meo, dicit Dominus exercituum.

Vidimus, quemadmodum ſacerdotium Ieſu, ſacerdotium ſummi, atque veri, Pontificis adumbrauerit: nunc eſt videndum, quo modo Zorobabelis imperium ſempiternum imperium noſtri imperatoris expreſſerit. Zorobabelis nomen hanc vim haber, vt Babelis diſperſionem ſignificet. Illi Principi videbatur hoc nomen conuenire, propterea quod eo tẽpore, quo munus illi imperij adminiſtrandi commiſſum fuit, Babylon euerſa, & diſsipata fuerat, & populus Dei, tyrannide liberatus, & in patriam reſtitutus; ſub illo præterea fuit ædificatum templum, inſtaurata religio, & reſpublica lege, & ordine, conſtituta, multi in illum hoſtes bellum comparauerunt, ſed nemo illum de ſtatu deiicere potuit. Sed ille ſub obſcuram imaginem geſsit illius Zorobabelis, qui hæc omnia multo illuſtrius, & clarius, Diuina virtute confecit. Quis enim Babylonis imperium excidit? quis opes illius diſsipauit? quis principem huius mundi perculit, & abiecit? quis ſuorum libertatem cõſtituit? quis templum ſempiternum exſtruxit? quis veriſsimam religionem ſanxit? quis cæleſtem rempublicam lege ſanctiſsima deuinxit? quis mores caſtiſsimos, & inſtituta Diuina, conſeuit? an parum perſpicuum eſt, hæc omnia in ſolum Chriſtum Dei filium conuenire? Imperium Zorobabelis, humili, & exiguo, temporis ſpatio definitum fuit. Templum, quod ædificauit, violatum, & direptum, & flammis tandem abſumptum. At noſtri Zorobabelis opes immortales ſunt, templumq. illius neque violari, neque diripi, neq. diſijci, vmquam poterit. Rectiſsime igitur Angelus, ſolo Zorobabelis nomine quæſtioni ſatisfecit. Quaſi diceret, Hoc, quod vides, quod admiraris, quod intelligere cupis, Chriſti, ſempiterni Regis, imperium deſignat. Ille namque eſt ille Zorobabel, cuius regnum non humanis armis, ſed potius Diuinis, fundatum eſt. In illius igitur ſplendorem, & in tanti, atque tam præclari, muneris ſocietatem, neque caro, neque ſanguis, neque vlla vis, & potentia, aut humanæ rationis induſtria, ſe offerre poteſt, cum omnia, quæ ad amplitudinem Regni huius pertinent, Dei ſpiritu deſignata, perfecta, & abſoluta ſint. Hunc eſſe verum ſenſum, ex ijs, quæ ſequuntur, magis apparet:

Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum.

Montis nomine in litteris ſanctis ſæpe numero Reges, Principes, atque tyranni, ſignificantur. Mons ad hunc modum fuit Pharao; mons Senacheris; mons Nabucdenaſor; montes deniq. appellati ſunt multi principes, qui Sionem oppugnabãt. Hoc tamen in loco Propheta, non in hos montes, ſed in Satanæ potentiam, reſpicit. Hoc enim dicit: Quis tu es, vt poſsis cum Chriſto, ſignis explicatis, manum conſerere? Regnum quidem tuum, eſt ſuperbia nixum, tyrannicis opibus elatum, quibus orbem terrarum oppreſſum cõtines; nullaq. in terris poteſtas eſt, quæ ſit, vlla ex parte, cum poteſtate, & imperio tuo, conferenda. Et iccirco Mons magnus appellatur. Contra vero, Chriſti Regnũ eſt in planitie ſitum. Nihil enim noſter Zorobabel ſibi temere, & inſolenter, aſſumit; non intemperanter extollitur; non minas, & conuicia, iactat; ſed ira ſe ſubmittit, vt magis in planitie, quam in edito colle, locatus eſſe videatur. Sed, quis tu es, vt poſsis illius impetum ſuſtinere? Cum auſus fueris, o Superbiæ Princeps, cum humilitatis auctore, & iuſtitiæ, atq. pietatis, architecto, confligere, is te inuicta virtute proſternet, & ſpiritu ſuo diſsipabit. Ita tandem fiet, vt tam illuſtris victoria multorum clamoribus, & inſigni prædicatione, celebretur.

Et educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius.

Præciſa

Præciſa oratio,obſcuritatem efficit. Breuitatis autem cauſſam lætitia ſumma cótinet, qua victoria celebratur. Cum enim lætitia cumulamur,vix mẽtis compotes eſſe poſſumus; & ita fit, vt integrã orationem minime proferamus; ſed vno,aut altero verbo animi motum ſignificemus. Senſus autem hic eſt: Pater educet lapidem capitis eius. Chriſtus eſt lapis fundamenti, vt ædificio ſtabilitatem det. Eſt etiam lapis ſummus, in capite locatus. Is enim, quem improbauerunt ædificantes, locatus eſt in caput anguli, vt vtrumque populum ita cõnecteret, vt vnus populus e duobus fieret, qui vna fide niteretur. Hunc igitur lapidem Pater ſummus in aciem eduxit,vt omnes copias hoſtiles euerteret. Hic enim eſt lapis ille, quem vidit Daniel abſciſum de monte,ſine manibus, qui rerum humanarum faſtigia demolitur, Satanæq. tyrannidem viribus Diuinis exſtinguit. Hanc tam inſignem victoriam acclamationes proſequuntur. Hæc autem gratulatio magis exprimitur, cũ Acclamationis nomine abſolute ponitur, quam ſi cum verbo aliquo iũgeretur. Orationis enim conciſæ prolatio, maioris lætitiæ argumentum continet. Sed,quid inquiunt ij, qui victoriam clamoribus in cælum ferunt? Gratia, gratia illi,non ferro,inquiunt,non ferro, non militum robore,non imperatoria diſciplina, ſed Spiritus ſancti gratia, qua fuit mirabiliter illuſtratus, bellum conficiet. Gratia, inquiunt,gratia,qua fuit ſupra omnes eiuſdem muneris participes, hoſtes in fugam conuertit,bellumq. maximum facillime profligauit. Iugũ enim, vt Iſaias inquit, olei virtute perfractum eſt,id eſt,autem diaboli tyrannis,per regni legitimi vnctionem,& ſanctitatem,funditus exciſum fuit. Gratia nomen bis repetitum, multo maius gaudium, & ardentiorem animi alacritatem,denotat.

Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens, Manus Zorobabel fundauerunt domum iſtam, & maius eius perficient eã: & ſcietis quia Dominus exercituum miſit me ad vos.

Zorobabel fundamẽta iecit templi in principio Regni Cyri,cuius humanitate,& clemẽtia,Iudæi nitebantur. Is,bellis implicitus, in lõginquas oras abſceſsit. Iudæi interim,multorũ odio,& inuidia, valde laborabant: erant præterea hoſtibus circumfuſi. opes illorum erant tenues: opus fuit varijs calumnijs extractum, & impeditum. poſt Cyri mortem, Cambyſis miniſtri,illius animum Iudæis grauiter infenſum reddiderunt. Cum ſic quadraginta circiter anni abiiſſent, erat ſpes templi perficiendi prorſus inciſa. Verum gratia Diuina facillime ſummas opes labefactat, & inuidiæ fraudes, atque propugnacula, diſturbat. Cum igitur Zorobabel,non humanis opibus,ſed Dei gratia,niteretur, dignus fuit,qui opus inſtitutum,vt ardenter cupiebat, abſolueret. Et, quo maiorem conatum hoſtes ad impedimentum operis comparauerunt, eo clarius ſe Dei numen oſtendit,cum,illis inuitis, & omni ſtudio repugnantibus, ſuis benigne conſuluit; illisq. vires dedit,quibus templum perficerent. In operis igitur illius contra tantas opes perfectione,cognitum,& exploratũ fuit, in eo filij numen præſens affuiſſe. Et iccirco dicit, Et ſcietis,quod Dominus exercituum miſerit me ad vos. Sed nos nunquã oculos a noſtro Zorobabele deiiciamus, ſi volumus intimum Prophetæ ſenſum mente percipere. Quæ fuere ſempiterni templi, id eſt Eccleſię,fundamenta? pro ſummis diuitijs,inopia; pro nataliũ ſplendore, gentis obſcuritas; pro diſciplinarum humanarum ſtudio,ſumma ſimplicitas; pro auctoritate maieſtatis,humilitas. Nõ enim multi nobiles,non multi ſapientes, non multi potentes, fuere,in ſocietatem tam excellentis fabricæ conuocati. Erant igitur illi,qui operi vigilãter incumbebant, ludibrio omnibus,qui ſapientes habebantur. Quod ſi iocis tantum, & machinis, opus fuiſſet impeditũ,tolerabilius fuiſſet. Sed non ſatis habuit mons ille magnus, qui contra Zorobabelem bellum duriſsimũ gerebat, iocis,& cõtumelijs, multos mortales a ſtudio pietatis auertere. Incitauit igitur libidinis flammam,inuidiæ furorem,potentium temeritatem, ementitæ ſapientiæ confidentiam, conuictæ turpitudinis, & impietatis, iracundiam,crudelitatem,& immanitatem, & reliquas furiarum faces,quibus ædificium demoliretur,& incenderet. Sed,quis erat mons ille magnus, vt poſſet contra Zorobabelem noſtrũ ex aduerſo conſiſtere? Opus igitur, quod in principio cõtemnebatur,ad ſummum peruenit: fraudes hoſtis ad nihilum reciderunt, impetus fracti ſunt, acies in fugam conuerſa fuit, templum, Iudæorum impietate reclamãto, Gręcorum ſuperbia contradicente, mundi totius furore in illud irruẽte, ab eo, a quo fundatum fuerat, ita perfectum fuit, vt nũquam viribus exſcindi, aut flammis abſumi, aut vetuſtate corruere, poſsit. Quo autem hoſtium conatus immanior exſtitit ad opus diruendum, eo clarius apparuit Chriſti numen, qui templum ſuum contra tantas opes tutum, & incolume, cõſeruauit. Et iccirco dicit, Et ſcietis,quod Dominus miſerit me ad vos: intelligetis, inquit, me non eſſe tantum hominis filium verum, & Dei filium, a patre miſſum, vt vos e tenebris ſempiternis eriperem. Apud alios Prophetas idem Dominus crebro hanc ſententiam repetit, nempe, Et ſcietis, quod ego ſim Dominus: Apud hunc vero dicit, Et ſcietis, quod Dominus miſerit me. Tempus enim appropinquabat,quo neceſſe erat paulatim homines apertius cognitione ſanctiſsimæ Trinitatis erudiri.

Quis

**Quis enim deſpexetit dies paruos? & lætabuntur, & videbunt lapidem ſtanneum in manu Zorobabel.**

Multi quidem in ptincipio ædificium templi contemnent, atque pro nihilo ducent. nec enim vllas opes humanas intuebuntur, non amplam, & illuſtrem, ſpeciem humanæ dignitatis oculis vſurpabant, non eloquentiæ magnificentiā in illius fundamento percipient. At, poſtquam magis atque magis operis amplitudinem, & incrementum, cōſiderauerint, &, luce eorum mentibus oblata, templi pulchritudinem, & dimenſionem, oculis perſpexetint, & operis totius firmitatem, & incluſas opes, animaduerterint, exſultabunt animis, & plane intelligent, nunquam opus ad tantam magnitudinem peruenire potuiſſe, niſi Zorobabel, nempe Chriſtus, Dei filius, architectus opetis exſtitiſſet. Ipſe namque eſt, qui perpendiculum manu ſemper getit, omniaque ad normam Diuinæ legis exactiſsime dirigit, templumq. ſuis omnibus numeris, & partibus, abſolutam, ſartum tectū perpetuo conſeruet. Hic dixiſſet aliquis, Num hic ſummus architectus Iudæorū tantum cauſſa, hoc tantum opus exſtruendum ſuſcepit? Non, inquit. Nec enim Iudæorum tantum Deus eſt, immo & gentium. Sequitur enim:

**Septem iſti oculi ſunt Domini, qui diſcurrunt vniuerſam terram.**

Vidimus, pettam ſeptem oculos habete. Petra autem, Chriſtus eſt. Oculi petræ, nunc oculi Domini appellantur. & nomē illud, quo natura Diuina ſignificatur, ipſi Petræ imponitur, vt in Chriſto non humana tantum natura, verum etiam Diuina, demōſtretur. Oculi vero Domini non Iudææ tantū proſpiciunt, ſed vniuerſam terram luſtrant, vt omnium ſaluti conſulant. Non enim eſt diſtinctio. Diues enim eſt Dominus in omnes, qui inuocant illum.

**Et reſpondi, & dixi ad eum, Quid ſunt duæ oliuæ iſtæ ad dexteram candelabri, & ad ſiniſtram eius? Et reſpondi ſecundo, & dixi ad eum, Quid ſunt duæ ſpicæ oliuarum, quæ ſunt iuxta duo roſtra autea, in quibus ſunt ſuffuſotia ex auro? Et ait ad me, dicens, Numquid neſcis quid ſunt hæc? Et dixi, Non Domine mi? Et dixit, Iſti ſunt duo filij olei ſplendoris, qui aſsiſtunt dominatori vniuerſæ terræ.**

De tribus rebus quæſiuit: & angelus, vnica tantum reſponſione, Prophetæ mentem edocuit. Quæſiuit enim, quid Oleæ duæ, quid Spicæ, quid Canales illi, ſignificarent. At angelus, per omnia illa, reſpondet, duos olei filius intelligi debere. Quid autē ſit Olei filius, explicandum eſt. Filij nomen, apud Hebræos, pro ratione verbi, cui adiungitur, variam, & multiplicem, vim ſignificandi conſequetur. Filius enim lucis, is eſt, qui luce illuſtratus eſt. Filius mortis, qui pœnæ mortis obnoxius. Filius pacis, qui eſt pacis obſeruantiſsimus. Ad hunc autem modum Olei filius, eſt, oleo perfuſus, nempe Chriſtus. Duplices erant olim in lege Chriſti, nempe Sacerdotes, atque Reges. Tempore autem, quo Propheta hæc mandabat litteris, Ieſus, ſummi ſacerdotis munus ſuſtinebat; Zorobabel autem Regium munus adminiſtrabat. Vterq. igitur eorum, Chriſtus poterat appellari. Hi erant Oleæ, ex quibus oleum in lucernas influebat. Omnis enim cœtus horum duorum Principū, exemplis, & inſtitutis, ſplendebat; & illi etiam, qui aliquid lucis communibus tebus afferebant, ab his lumen accipiebant, quod multitudini præferrent. Verumenimuero, nec in illo Ieſu, nec in Zorobabele, tantum lumen exſtitit, vt vniuerſam Eccleſiam illuſtrarent. Venientem in hunc mundum, ſed vmbram, & obſcuram imaginem lucis illius geſſere, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; nec ex illis potuit vllo modo oleum ſempiternum, vt lumen numquam deficetet, emanare. Angeli porro diſciplina clariſsima, minime eſt imaginibus defixa, & Ptophetæ mēs altiſsima, non eo animi neruos intendit, vt ſignis oblectetur, ſed vt in cælum, vt ſolidam veritatem adſpiciat, inflammato ſtudio rapiatur. Eo igitur, quo nos ille ducit, prouehamur. Per duas igitur Oleas, duplex Chtiſti munus, duplex imperium, duplex iuris adminiſtratio, ſignificatur. Multiplex enim virtus, quamuis ſimplicitate ſumma ſit, non poteſt vnico ſigno deſignari. Eſt autem Chriſtus, & Sacerdos ſanctiſsimus, & Rex maximus, atq. ſempiternus. Vtrimque autem nobis lucis, quam attulit, pabulum ſubminiſtrat. Ab illo namque pietas, atque Iuſtitia, ad Eccleſiæ capacitatem perpetuo manat, ne poſsit vmquā cæleſti luce deſtitui. Vaſa omnia, ſunt aurea, vt fides, & ſapientia, poſsit explicari. Oleum in canales exprimitur, deinde per fiſtulas in vas illud, quod continet lucernas, deriuatur, vt varij lucis adminiſtri intelligantur, qui, quo magis ad olei ipſius effluentiam adiuncti ſunt, eo magis ſimilitudinem illius referunt, a quo tam Diuino muneri præficiuntur. Lucernæ vero ſeptem, multiplices Eccleſiæ ſunt, locis quidem diſiunctæ, ſed vnius fidei conſpiratione, & caritatis vinculo, inter ſe arctiſsime deuinctæ. Quamuis enim Eccleſia vna ſit, pro multiplici tamen gentium numero, & ratione, diſtinguitut. Septem vero eſſe dicuntur, tam propter ſeptem ſancti Spiritus munera, quæ ab Iſaia tecenſentur, quam propterea

quod

Digitized by Google

quod numero ternario,& quaternario,e quibus ſeptenarius efficitur,ſignum pietatis,atque iuſtitiæ, continetur.Infundibula ſeptena; lucernis ſingulis apta ſunt,vt intelligatur,ſingulis multis opus eſſe inſtrumentis, vt lumen diutiſsime conſeruetur. Vt enim donorum diuiſiones ſunt, ita neceſſe eſt, vt multorum miniſtrorum functiones, ad opus vnum conficiendum adhibeantur. Lucernę ita ſunt in orbem conſtitutæ, vt facillime vnius oleum in alias influere,& ipſa viciſsim ab aliis quidquid redundat, aſſumere poſsit, vt caritatis communio,indiſſolubilisq. fidei ſocietas, explicetur. Adde, quod ex latere vno viginti & vna fiſtula ad tres lucernas protenduntur, qui numerus e ternario in ſeptenarium ductus efficitur; vt numquam religio, a ſeptemplici munere Spiritus diuini ſeiungatur. Ex altero autem viginti & octo, qui numerus e quaternario in ſeptenario ductus exſtitit; ut liqueat, Regiam maieſtatem, non abſque ſancti Spiritus ope, munere ſuo fungi cum laude poſſe. Hæc omnia, quæ diximus, & alia multa, quæ cauſſa breuitatis omittimus,& longe plura, quæ cogitatione complecti non poſſumus, Angelus, Zorobabelis (hoc eſt Chriſti) nomine complexus eſt.Ille namque petra fundamenti, propter operis ſempiterni ſtabilitatem, nominatur; ille, lapis anguli, propter connexionem, & maiorem fabricæ firmitatem, eſſe dicitur. Illius oculi, ſeptem eſſe perhibentur,vt illius ſapientia,& benignitas, qua ſuis omnibus admirabili cōſilio proſpicit, explicetur. Lucernæ ſeptem, quæ ſemper ſplendent, declarant, luce illius ſempiterna omnes illius eccleſias collucere. Oleæ duæ, ex quibus oleum exprimitur, Pontificis ſanctitatem, & Regis maieſtatem, explanant; e quibus omnia in nos diuinæ benignitatis munera,& beneficia, deriuantur. Hoc igitur viſo, Propheta, Chriſti ſanctitatem, imperium, virtutem, ſapientiam,lucem,& gratiæ perennitatem, & victoriam, & Eccleſiæ ſtatum, opibus diuinis exaggeratum, contemplatus eſt. Hoc igitur viſo, nihil potuit felicius excogitari. At ſpectaculum, quod deinde vidit,adeo turbulentum,& horrificum eſt, vt omnium furiarum diritatem in ſe ipſo contineat. Quod libro ſequenti explicare conabimur.

LIBER

## CAP. V.

ET conuerſus ſum, & leuaui oculos meos:& vidi, & ecce volumen volans. Et dixit ad me, Quid tu vides? Et dixi, Ego video volumen volans. longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum.

Io Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, nihil volucre, & inſtabile, a Propheta viſum fuit. At nonc volumeo volans inſpicit.Io impietatis enim diſciplina,nihil eſt conſtans, nihil firmum,& ſtabile,nihil illis ipſis, qui eã ſequuntur, exploratum, oullus certus finis,in quem ſtudia vitæ dirigantur. Status itaque ſingulis prope diebus immutatur, variatur, inuertitur, ſibiq. ipſi ſæpe oumero repugnat; admirabili tamen celeritate diſcurrit, vt multas nationes erroribus turbulentis inficiat. Voluminis igitur huius volatus multis mendaciis affinis ſit, oeceſſe eſt, ſed aliud etiam accedit, vt magis illius peſtiferam vanitatem confirmet. Hoc eſt autem voluminis ipſius dimeoſio. Numerus enim denarius, vim, & perfectionem, legis diuinæ cõplectitur. Erat autem io lege,capite ſancitum,ſiquis aliqnid ad legem adderet, quo mens, & ratio illius a vero ſeoſu detorqueri poſſet. At Iudæi, nefariis additameotis,interpretatiooibusq.ſallaciſsimis,legem adulterarũt;ita,vt nullum veſtigium,in Iudęorum diſciplina,puritatis,atque ſanctitatis, appareat:Longitudo enim latitudini minime reſpondet.Immo latitudinis modum, & rationem,denariiq. oumeri perfectiooem,fœde cõtaminat.Ea namque miſcet, & turbat,& tam multa ad Diuinã legem perditis cooatibus adinogit,vt pro Dei lege officinam iniuriæ, & impietatis, inſtituat. Quo modo autem id fiat, angelus ſtatim aperit.

**Et dixit ad me,Hæc eſt maledictio quę egreditur ſuper faciem omnis terræ:quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, iudicatur:& omnis iurans, ex hoc ſimiliter iudicabitur.**

Doplex eſt peccati genus.Voum,quo ſocietas humana læditur. Alterum,quo ſanctiſsima Dei religio violatur.Propheta peccatum in homines,nomine Furti, deſignat. Illud vero,quo pręcipue Dei numen offenditur,Periurium nomioat; vt ſic omne flagitij,& impietatis,genus comprehendat. Notam autem inſignem apponit, qua poſsimus falſam legis diſciplioam a vera diſceroere.Falſa namque diſciplina id excogitat, vt nullum flagitium in crimioe pooatur. Hoc autem noſtris etiam temporibus ſatis acute fuit a turbuleotis homioibus inuentum, vt eam fidem fingereot, qua mortales innixi, oullam omnioo pœnam metuaot.Sed,ne de boc inuento Luterus gloriari poſſet, intelligant homines,multis ante ſæculis,vt ex hoc loco perſpicitur, fuiſſe a Iudæis excogitatum,quo modo multi, iofandis ſceleribus alligati,minime pœnã metuerent. Quod quidem lex diuina minime facit. Immo ſontes,propoſitis pœnis,atque ſuppliciis, exterret.At Iudæi,qui ſapientes appellantur, multas dãt vias iniuriæ,multa ſcelera in Deũ comprobant, multa apud Deum flagitia ex eorum ſententia inulta,& impuoita ſunt.Itaque fas eſt,rem fraudibus augere,furari, & latrocinari,exitium ſanctis bominibus imprecari,ſceleris conuictos abſoluere,cum vxoribus præpoſtera libidine commiſceri,iuſiurandum violare, reſponſa diuina contẽnere,ſummum ſanctitatis ſpecimen, atque adeo ſummi Dei numen,maledictis omnibus inſectari. Secũdum igitur id,quod in volucris illius voluminis longitudine, nefariæq. legis additamento,continetur,tætra,& infaoda,facinora non modo pœna minime plectuntur, ſed etiam vaniſsima laude cumulantur.

**Educam illud, dicit Dominus exercituum:& veniet ad domum furis & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domus eius, & conſumet eum, & ligna eius, & lapides eius.**

Quis ſit Fur,& quis Periurus,eſt animaduertendum;vt intelligatur,quæ domus illa ſit, in quam volumen volans immigrabit. Fur quidem,eſt Diabolus:furatur enim Principis auctoritatem;opes fraudibus auertit;ſuis meotem eripit, eosq. tandem omnibus bonis ſpoliat:nec eoim venit,niſi vt furetur, & mactet, & perdat.Periurus,eſt Aotechriſtus.Se namque,quaſi generis humani liberatorem,& verum Deum, ioferet,& intrudet, & iureiurando ſceleſtiſsimo, id eſt autem ficta ſpecie ſanctitatis, perditis homioibus fidẽ faciet. Hoc autem ſcelus paſsim ab illius membris, qui ſunt hæretici,ioſtitui videmus. Omoes enim, religionis ſpecie ſubnixi, ad honores obrepunt;probitatisq. ſimulatione commendati,

peſtem

Digitized by Google

peſtem in ſuos machinantur. Id tamen Antechriſtus præcipue molietur, vt non modo ſibi ſanctitatem, ſed etiam diuinitatem, arroget, & aſſumat. Vt autem ille cum maximo plauſu a Iudæis ſuſcipiatur, faciet nefaria Iudęorum diſciplina, quæ in domu furis, atque periuri, domicilium collocabit. Talmud enim, & Caballá, his enim nominibus Iudęi duplex genus doctrinæ, quod ij, qui ſapientiæ nomine gloriantur, aſsidue colunt, appellare ſolent, id efficiunt, vt ad Antechriſtũ viam præclare muniant. Ita enim mẽtes erudiunt, & paullatim aſſuefaciunt, vt omnia, quę non ex palude Stygia prodierint, aſpernentur, & reſpuant. Sed, quem fructum periurus ille ex volumine, quo nixus, ſtupenda facinora conflabit, tandem præcipiet? Dignum certe tanto ſcelere, & immanitate. Domus enim illius corruet, ſtatus euertetur, opes abſumẽtur, & reliquiæ dignitatis, quæ per ligna, atque lapides, intelliguntur, incendio conflagrabunt; nomenque illius interibit. Idemq. volumen illi cauſſam calamitatis afferet, & diriſsimum exitiũ, cum cruciatibus ſempiternis, importabit. Idem alio oſtento non abſimili præmonſtratur:

Et egreſſus eſt angelus qui loquebatur in me: & dixit ad me, Leua oculos tuos, & vide quid eſt hoc quod egreditur. Et dixi, Quid nam eſt? Et ait, Hæc eſt amphora egrediens. Et dixit, Hæc eſt oculus eorum in vniuerſa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ. Et dixit, Hæc eſt impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeam in os eius.

Epha (quod vulgata editio Amphoram vocat) menſuræ genus erat, Iudæis vſitatũ, quod quidem (vt eruditi opinãtur) decem modios continebat. Cum vero iuris adminiſtrandi ratio in certa menſura, & pondere, cõſiſtat, non incommoda ratione factum eſt, vt per Epha iuriſdictio intelligatur. Lege autem prohibetur, ne mẽſura falſa ſit. Id autem eſt, ne is qui ius dicit, ſe iniquitate corrumpi, & iudicium conſtuprari, ſinat. Cum vero pietas in Epha, hoc eſt, in iudicio, conſederit, æquum ius adminiſtrabit. At, cum impietas locum illius occupauerit, omnia peruertentur, & apud eos, qui eam ſecuti fuerint, ius, & fas omne delebitur. Hoc quidem paſsim fit, quoties impij imperium adminiſtrant. Tunc enim mulier, quæ eſt impietas, inſidet in medio Epha, vt a iuris æquitate ad libidinem omnia trãſferat. Præcipue tamen hoc fiet, cum Antechriſto fuerit imperium delatum. Hæc autem poteſtas Antechriſto permiſſa erit, oculus Iudæorum in terra. Illum enim intuebuntur; illum acri ſtudio ſectabuntur; in illo omnem ſpem ſalutis collocabunt: neque, quid recta ratio viderit, ſed, quid Antechriſtus præſcripſerit, ſibi faciendum ſtatuent. Ipſi igitur orbati lumine iſtum quaſi oculum ſequentur, qui ruet in tenebris, vt illos ſecum præcipites in ſempiternam miſeriam detrudat. Maximũ vero plumbi pondus in os mulieris coniectum, eſt flagitiorum omnium ſarcina, animum in terram deprimens, & os obſtruens, ita, vt non liceat ei, qui crimine impietatis adſtrictus eſt, oculos attollere, vt cæleſtia, atque diuina, ſuſpiciat; aut aliquid vere ſplẽdidum, & excelſum, verbis exprimere, ut aliquod ſignum virtutis oſtendat. omnia namque illius ſtudia, omnes cogitationes, & actiones, omnes deniq. orationes, ad terreſtres opes, ad honores, & imperia, ad voluptates noxias, atq. peſtiferas, conferuntur. Significat præterea Plumbi maſſa, ingenium hebes, & obtuſum, tarditate, & ſtupore mentis, oppreſſum. quod cum in omnes impietatis auctores maxime quadret, tum præcipue in Iudæos conuenit, quibus nihil fieri poteſt obtuſius.

Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce duæ mulieres egredientes, & ſpiritus in aliſ earum, & habebant alas quaſi alas milui: & leuauerunt amphoram inter terram & cælum.

Vt impietati mulieris perſonam impoſuit, ita conſentaneũ fuit, vt impietatis miniſtras muliebri figura, & habitu, deformaret. Cum vero impietatis diſciplina apud Iudæos duplex ſit, recte duæ mulieres inducuntur, quæ Epha vtrimque ſuſtineant. Vtraq. autem Antechriſti tyrannidem cõfirmabit, pietatemq. ſimulabit, cum ſit vanitate, & mendacio, ſubnixa. Talmud enim, cum legis interpretationẽ ſuſcipiat, legis ſenſum oppugnat; religionem violat; iura diuina, & humana, perturbat; iniquitatem, & iniuriam, corroborat; & rebus clariſsimis tætras tenebras offundit. Altera vero doctrina, quam appellant Cabalan, cum legis diuinos ſenſus ſibi perſcrutandos, & inſpiciendos, proponat, notas varie commutatas, & vltro citroque tranſuerſas, & inexplicabiles labyrinthos, & nugas, & magiæ peſtiferæ ſomnia, conſectatur, & pro ſenſibus Diuinis Dæmonis infeſtiſsimi fraudes inculcat. Alas autem vtriuſque diſciplinę ventus impellit. Vanitas, & mendacium, harum diſciplinarum curſum, & volatum, incitat. Alæ vero, ſunt, alis ciconiarum ſimiles. Nam ciconiæ in ſerpentes inuolant, vt earum paſtu ſatientur. Similiter hæ Iudæorum diſciplinæ concitari ſolent, vt ſerpẽtis dæmonum cibis, & venenatis dapibus alantur, vſque eo, dum humanitatem exſuant, & omnes, qui ſe ad illarum ſtudium adiunxerint, in ſerpentis ſpeciem vertant. Epha, mulieribus alatis vtrim-

que

Digitized by Google

que ſubnixa,inter terram,& cælum defertur. Terram enim non rangit,quia nullum humanitatis ſenſum,& rationem,ſuſcipit:in cælum non euehitur, quia nihil vmquam cæleſte, atque Diuinum , meditarur . Horrendo igitur inuſitatæ vocis ſtrepitu, & incantationis ſtridore , ſapientiam Imperitis oſtentat ; & præſtigijs, quibuſdam hominibus, qui veritatem repudiaur,illudit;obſcuræ,& reconditæ,ſcientiæ nomen aucupatur, cum ſit erroris turbulentiſsimi documentum.

Et dixi ad angelum, qui loquebatur in me, Quo iſtæ deferunt amphoram? Et dixit ad me, Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar , & ſtabiliatur, & ponatur ibi ſuper baſem ſuam.

Terra Sennaar,eſt regio, pietati cõtraria, & inimica . Ibi enim Babel fundata fuit, quæ continet ſcelerum, & flagitiorum, omniũ colluuionem, vitæq. perturbationem, & religionis intetitum . Id enim molitur, in id neruos omnes intendit , in eo ſummo ſtudio pugnat, vt fidem exterminet,& perniciem Reip. cæleſti machinetur.Eſt igitur Sennaar,impiorum cœtus,& multitudo, ſceleris conſpiratione ſociata,in qua mundi Princeps (ſic enim a Ioanne Diabolus appellatur ) Regnũ poſsidet , vt inde Chriſti Eccleſiam, irritis conatibus, oppugnet.In hac tandem regione volucre volumen conſiſtet. Ibi Stygiæ diſciplinæ ſtudium vigebit;ibi impietas ſedem collocabit; ibi Antechriſto domus ædificabitur, vt impietas,ad ſummum perducta, ſummum ſupplicium ſubeat, iudicioq. ſanctiſsimi iudicis euertatur. Hic eſt ſtatus eorum,qui lucem fugiunt, vt tenebras amplexentur ; & ſponte ſua oculos claudunt , ne veritatem adſpiciant ; Diuinisq. monitis furorem inſitæ libidinis anteponunt; & Chriſto,auctori noſtræ ſalutis,aduerſantur,vt Antechriſti tyrãnidem ſubeant, cum quo tandem,niſi reſipuerint, ſempiterno ſupplicio mactabuntur.

CAP. VI. Et conuerſus ſum , & leuaui oculos meos,& vidi: & ecce quattuor quadrigæ egredientes de medio duorum mõtium : & montes,montes Ertæi. In quadriga prima,equi rufi; & in quadriga ſecũda, equi nigri;& in quadriga tertia,equi albi; & in quadriga quarta,equi varij fortes.

Quattuor hæ Quadrigę,quattuor maxima Regna ſunt . Quadrigæ appellantur,eo quod ſub vno imperij iugo variæ gentes, antea diſſidentes,in bellum ducerentur. Primum Regnum, Aſſyrios , & Babylonios , continebat; ſecundum , Medos, & Perſas ; tertium,Macedones,& Græciam vniuerſam ; quartum,Romanos,cum aliis Occidẽtis, & Orientis Solis nationibus,ſub imperium ſubiunctis . E duobus montibus æreis egreſſæ dicuntur , hoc eſt e duabus imperioſis nationibus : quæ omnia, quacumque impetum ferebant , armis perrumpebant. Babylonis enim, & Perſidis, Regna,a Solis ortu, Græcorum, & Romanorum, imperium,ab occaſu,indomitæ virtutis ſignificationem dedere. Equi primæ quadrigæ, Rufi dicuntur.ad colorem enim ſanguinis accedebant,vt magnam vim ſanguinis effuſi denotarent . Equi ſecundæ quadrigæ , Nigri dicuntur, propter funeſtiſsimum bellum,Babyloniis a Perſis illatum.fuit enim in omnem ſexum,& ætatẽ ſæuitum; imperiumq. illud ſuorum internecione deletum . Tertium Regnũ albis equis, propter victoris clemẽtiam,deſignatur. Tanta enim clementia Alexander erga victos vſus eſt, vt magis cõditor earum nationum,quas armis ſubegerat,quam euerſor, appellandus eſſe videretur . Quartũ Regnum varia ratione fuit ab Imperatoribus adminiſtratum. Alij namque erant mites,& manſueti, & ad humanitatem valde propenſi ; ita, vt quos virtute ſtrauerant , clementia ſubleuarent. Alij vero,crudelitate præditi,libentiſsime in cæde, & ſanguine, verſabantur . Ea de cauſſa quartæ quadrigæ equos vario colore diſtinctos eſſe dicit, vt doceat, colori ſanguineo fuiſſe maculas candidi coloris admiſtas. Hos autem equos præcipue Fortes appellat, quia numquam vlla natio fuit cum Romanis, virtutis robore, comparanda.

Et reſpondi,& dixi ad angelum qui loquebatur in me, Quid ſunt hæc , Domine mi? Et reſpondit angelus,& ait ad me, Iſti ſunt quattuor venti cæli,qui egrediũtur vt ſtẽt corã dominatore omnis terræ.

Reges,& Imperatores,illi venti nominantur,propter celeritatem,qua omnia,quacumque ferebant, impetum armis occupabant; & propter fluctus,& tempeſtates, quas in populis excitabant; & propter ruinas,quas,inſtar cuiuſdam turbinis,edebant . Dicit,eos egreſſos de loco,vbi ſteterant coram Domino vniuerſæ terræ : vt oſtendat , eorum potentiam Diuino conſilio fuiſſe comparatam,vt voluntati illius ſeruirent . Nullum enim imperium in terris excitarum vmquam fuit abſque Dei mente,conſilio,& poteſtate . Ille namque humiles,& obſcuros,erigit;ille altos,& excelſos, qui ſibi nimium præſidunt, vi, & impetu, proſternit, & alios in aliorum perniciem armat; vt nulla fraus,nulla ſuperbia,ſine pœna ſit . Illos deinde ipſos, quibus vt inſtrumentis vſus fuerat , cum res geſtas non Deo , ſed ſibi , adſcribunt , & propterea inſolentius efferuntur,quam humana condicio patiatur , funditus euertit . omnia tamen hæc ad ſuorum ſalutem, & incolumitatem,admirabili conſilio, moderatur .



Digitized by Google

In qua erant equi nigri,egrediebantur in terram Aquilonis.

Equos rufos præterit,eo quod iam Babylonis imperium deletum eſſet. De nigris equis loquitur,quia tunc Perſarum imperium vigebat. Terra Aquilonis Babylon appellabatur, quia, Hieroſolymæ reſpectu,in Aquilonem reſpiciebat,& multas regiones Aquilonares imperio continebat. Hoc igitur dicit angelus, Perſas immiſſos a Deo fuiſſe, vt Babylonem exſcinderent.

Et albi egreſsi ſunt poſt eos: & varij egreſsi ſunt ad terram Auſtri.

Poſt Perſarum imperium,Græcorum imperium repente conſecutum fuit. Poſtremo, Romanorum imperium ſucceſsit. Hoc autem ſignificat,cum ait,poſt equos rufos albos egreſſos fuiſſe, & poſt illos varios in Auſtralem plagam inuaſiſſe. Hoc autem euenit, cum Cæſar Octauianus in Aegyptũ inuectus eſt, vt Græcorum rebus finem imponeret. Quærendum tamen eſt, cum Romani nationes innumerabiles ſub imperium ſubiunxiſſent,cur angelus nunc huius tantum victoriæ mentionem explicite facit. Duplex cauſſa poteſt aſsignari. Prima quidem eſt,quod non multis poſt annis erat Dei filius lumen terris allaturus. ab interitu enim Cleopatræ, quæ in Aegypto regnabat, ad ortum Chriſti, de quo mentio ſtatim fiet, viginti & nouem tantum anni interiecti ſunt. Prophetæ autem prædictio ita contexitur,vt a ſerie quattuor Regnorũ,ad ſempiterni Regis ortum perducatur. Altera vero eſt, quod illa victoria tertium Regnum, nempe Græcorum,funditus euerſum fuit. Ita vero factum eſt, vt,quemadmodũ Perſæ Babylonios, Græci Perſas euerterant,ita Romani Græcos perderent, eorumque nomen exſtinguerent. Id autem exitum habuit,cum Cæſar Octauianus in Auſtrum,id autem eſt in Aegyptum,copias victrices eduxit.

Qui autẽ erant robuſtiſsimi, exierunt, & quærebãt ire,& diſcurrere per omnem terram. Et dixit,Ite perambulate terram, & perambulauerunt terram.

Equi quartæ quadrigæ,duplici nomine appellati ſunt. Varij nempe,atque fortes. vario colore præditos appellauit, cum vltima victoria, qua Græci nominis decus exſtinctum eſt,deſcripta fuit. Quamuis enim victoria inſignis exſtitiſſet,multæ tamen clementiæ partes in ea a victore ſuſceptæ ſunt. Nunc vero, cum orbem terrarum a Romanis ſubactum oratione perſequitur,fortes nominat. Ecce, inquit,Romani tanto animo præditi fuere,vt, partis victoriis minime contenti,eo prorumperent, vt terrarum orbem ſibi ſubdere conarentur.Quod illis fuit a ſummo rerũ omnium Domino cõceſſum. Ille namque eſt,qui dixit, Ite & perambulate terram. In eo vero, quod ſequitur, nempe, Perambulauerunt terram, eſt annotãdum, eſſe ſcriptum apud Hebræos, התהלכנה בארץ. Eſt autem התהלכנה verbum generis feminini. Sic igitur equos fortes appellat, quaſi non mares eſſent, ſed feminæ, vt illorum robur,non illorum naturæ,ſed moderationi Diuinæ,qui illorum animis tãtum roboris inſeuit,adſcribendum ſit.Quod ſatis apparuit, cum primũ ope Diuina deſtituti,omnibusq. prædæ, & direptioni, relicti fuerunt. Imperium igitur Romanorũ,non illorũ virtute,ſed voluntate illius,qui dixit,Ite,& perambulate terram,latiſsime propagatum fuit.

Et vocauit me,& locutus eſt ad me,dicens, Ecce, qui egrediuntur in terram Aquilonis, requieſcere fecerunt ſpiritum meum in terra Aquilonis.

Clamor attentionem excitat,ſententiamq. non vulgarem proferendam eſſe,prænuntiat. Cum vero adiungit, Vide,mentem ſimiliter audientis erigit ad rem maximã animo comprehendendam. Hoc eſt autem, quod dicit: Cernis ne tantas Regnorum commutationes, humanarumq. rerum conuerſiones,& varietates? intelligis, quo modo imperia magna corruunt,illisq. proſtratis, alia ſuſcitentur, & ad ſummum faſtigium dignitatis efferantur? percipis ne mente, & ratione, omnia,quæ geruntur in terris,numine meo contineri, omiaq. tandem ad gloriam meam reuocari? At velim ſcias,ex omnibus rebus,quæ olim ſummi Principes geſſere,nullã mihi fuiſſe gratiorem ea, quã equi nigri, id eſt, Perſæ, atque Medi, Cyro duce, in Aquilone geſſere. Babylonem enim excidere, in cuius euerſione ſpiritus meus a graui moleſtia,& ſollicitudine,conquieuit. More humano loquitur; vt oſtendat, quam gratũ illi fuerit impuriſsimæ ciuitatis exitiũ.Erat enim illa,ſuperbiæ propugnaculum, tyrãnidis domicilium,flagitiorum omnium ſeminarium, impietatis officina. Illa magiam aluit, ad ſummumq. perduxit; illa vaniſsimis prædictionibus, ex aſtrorum obſeruatione ductis, humanam imbecillitatem occupauit, & diriſsimis ſuperſtitionibus obſtrinxit; illa innumerabilem turbam deorum in Remp. furenter inuexit; illa denique fuit altrix omnium ſcelerum, quæ poſtea in multas regiones peſtilenti contagione dimanarunt. Leges illius cum Diuina lege pugnabant; inſtituta cum inſtitutis bellum gerebant; mores moribus erant acriter infeſti. Odium illius in ſanctam ciuitatem ſic exarſit, vt non ſolum ædes, & mœnia, auguſtiſsimique templi ſanctitatem, verum etiam omnia priſtinæ dignitatis ornamenta, & religionis monumenta, flammis abſumeret. Ea poſtremo, populum, Deo dicatum,

tum,

tum, duriſsimo dominatu oppreſſum, diu,cũ acerbitate minime ferenda,continuit. Illius opulentia inſignem maculam Diuinæ gloriæ apud multas nationes inurebat. Opinabãtur enim, Deum, vel fidem illis, quos in fidem receperat,minime pręſtitiſſe,quod illos tamdiu in ſeruitute verſari pateretur,vel viribus deſtitutũ fuiſſe, quod iniurias ſuis illatas minime vindicaret. Quamdiu igitur populus in exſilio, propter illius ſcelera, innumerabiles iniurias ſuſtinebat,erat neceſſe,ſi ita loqui licet,ancipiti cura diſtineri; cum aliud iuſtitię ratio flagitaret, aliud cauſſa gloriæ illius exquireret. Qui igitur vrbem illam euerterent, requietem ſpiritui illius attulerunt.Populum enim Dei, qui iam pœnis erat ad officium reuocatus,libertate donarunt, & ciuitatem maleficam diruerunt; ita,vt nullæ reliquiæ in illa decoris antiqui reſiderent. Nos tamen aliam Hieroſolymam animis agitemus, ad aliã Babylonem cogitationem referamus,ſi volumus Prophetæ mentem exacte percipere,& intelligere,non per Cyrum, ſed per Chriſtũ, fuiſſe requietem ſpiritui Diuino in excidio perditę ciuitatis allatam. Hieroſolyma namque,eſt electorum multitudo; Babylon vero,perditorum hominum colluuies,ſceleris inter ſe conſpiratione coniuncta. Babylonis Rex, eſt ille tyrãnus,qui genus humanum diriſsimis peccati vinculis adſtrinxit.Seruitus maxime deploranda eſt eorum, qui ſeruiunt flagitio, & turpitudini,&,tyrannicis imperiis diaboli,in peſtem ſempiternã ruere compelluntur. Hãc Babylonem, neque Cyrus, neque quiſquam princeps euertere vmquam potuit. Solus igitur Dei filius in Aquilonem inuaſit, Babylonis mœnia diſturbauit, ſuis libertatem reſtituit,eosq. opibus ſummis,atque ſempiternis, affecit. Peccati namque vires exſtinxit, bellumq. ſumma cum gloria cõfecit, & eos,quos in libertatem aſſeruit,Diuinis muneribus iuſtitiæ cumulauit. Vt igitur artifices excellentes in opere a ſe perfecto cõquieſcunt,ſic fuit neceſſe illi ſummo rerum opifici,in opere omnium maximo,nempe, in quo omnia illius ſtudia conferuntur, abſoluto, graui ſollicitudine liberari. Quod autem opus hoc aliud eſſe poteſt, niſi iuſtitiæ? ea enim continet Diuinæ formæ pulchritudinẽ, cæleſtis harmoniæ concentum, viuam Diuinæ mentis imaginẽ, Dei ſpeciẽ clariſsimam,veriſsimo decore, & ſplendore,referentem. Iccirco iuſtitia,quam Deus efficit illis, qui, fide Chriſti meritis innixa, omnia officia vitę metiũtur,Domini Requies appellatur. Surge,inquit Dauid, in requiem tuam,tu, & Arca ſanctificationis tuæ. Et Sacerdotes tui induantur iuſtitiam,& ſancti tui exſultent.Alibi vero apud eundem Deus grauiſsimas minas proponit omnibus, qui fidei vacui fuerint.fore namq. dicit,ne in requiem illius ingrediantur,hoc eſt,ne Diuinis iuſtitię muneribus exornentur. Huius autem operis tam excellẽtis miniſtri, non Cyri milites,ſed Chriſti diſcipuli,fuerunt:& id etiam præſtare nituntur,qui illorum veſtigiis inſiſtunt. Cum flagitijs enim internecinum bellum gerunt, acerbiſsimo odio commoti pugnãt, indutias numquam faciunt: nulla condicione poſſunt ab funeſtiſsimo interitu ſceleris, & nequitiæ, reuocari. Hi ſunt igitur, qui in Aquilone ſpiritui Domini requiem attulerunt. Quamuis enim opus Diuinum ſit,illius tamen diſcipuli, vt Paulus teſtificatur, coadiutores exſtitere. Quod autem hæc ad Chriſtum, & diſcipulos illius, referenda ſint,ea, quæ ſequuntur,aperte declarant:

Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens, Sume a tranſmigratione ab Holdai,& a Tobia,& ab Idaia:& venies tu in die illa, & intrabis domum Ioſiæ filij Sophonię,qui venerunt de Babylone.Et ſumes aurum,& argentum,& facies coronas:& pones in capite Ieſu filij Ioſedec ſacerdotis magni,& loqueris ad eum, Hæc ait Dominus exercituum, dicens, Ecce vir oriens nomen eius:& ſubter eum orietur,& ædificauit templum Domino.

Hæc omnia ita fuiſſe geſta,cõfitemur. Propheta imperata confecit: de illis, qui captiui fuerant,argentũ,& aurũ,ſumpſit; in Ioſiæ domo coronas fieri præcepit;eas capiti Pontificis illius impoſuit. Reſpõſum tamen Diuinũ, eo pertinebat, vt videret Pontifex ille, cuius imaginẽ gerebat.Omnia ſiquidem ad ſummũ Pontificem,qui Chriſtus eſt, referenda neceſſario ſunt,vt ſtatim videbimus.Vt autem clarius enuntiari myſteriũ poſsit,nominum etiã vis explicanda eſt. Aurũ ab ijs, qui Babylone ſeruierãt, accipitur, vt viderent ij,qui ſunt in libertatẽ vindicati,omnia illis ad eius gloriã, cuius opera libertatẽ, & opes, recuperarant, eſſe cõferẽda. Nomen Holdai,mundum meũ; Tobia, probitatem Dei; Idaia,cognitionem Dei; Ioſia,ignem Dei; Sophonia,ſecretũ Dei, ſignificat.Qui mundũ diligebãt,audiũt Chriſtũ,qui creditus eſt mũdo,vt Paulus ait.Ita vero iuſtitiã Dei bonitate conſequuntur; & Dei clariorẽ cognitionẽ capiunt, & amore illius inflãmantur, & in ſecretũ cõſilium Diuini ſpiritus admittuntur. Ab hominibus igitur,qui rebus terrenis erant addicti,&, Dei benignitate,iuſtitiam, & ſapiẽtiam adepti ſunt, & ad cupiditatem Diuini numinis exarſerunt, & arcana Diuina perceperunt, argentũ, & aurũ,cõparatum eſt, ex quibus coronæ Chriſto, excellenti opere,fierẽt.Argentũ,eſt eloquentiæ munus,quo Euãgelium explicatur. Aurũ, eſt ſapientiæ ſplendor,quo piæ mẽtes illuſtrãtur. Coronæ, ſunt laudes, & ornamenta, quibus Chriſti ſanctiſsimum numen perpetuo celebratur. Eæ vero in eorum domo,quorũ nomina ignem cæleſtem, ſecretumq. Diuinum,

exprimunt,coronæ perficiuntur, quia ab illis Chriſti nomen maioribus laudibus effertur, qui, igne cæleſti Diuini amoris incenſi, ſummo ſtudio ſcereta Diuina conſiderant. Sed, cur Coronæ numero multitudinis proferuntur? quia duplex eſt in Chriſto dignitatis decus, & ornamentum immortali præconio celebrandum. Vnum eſt ſacerdotij caſtiſsimi ſanctitas, alterum Regis inuictiſsimi maieſtas. Germen autem a Propheta ſæpe nominatur,non ſolum, quia Dei filius eſt,neque ſolum propter admirãdum illius in terris exortum, ſed etiam propter admirabilem fecunditatem, qua ſub ſe, vt inquit Propteta, hoc autem eſt ſub cæleſti diſciplina, innumerabilem ſobolem propagauit. Hic autem eſt, qui ædificauit domum.non enim Salomon,neque Zorobabel,neque Ieſus filius Ioſedec,domum Dei maieſtate dignam ædificare potuerunt. Excelſus enim,vt Stepbanus ait,non in manu factis habitabat.Quod ſi domum Deo ædificare potuiſſent, nõ pateretur ille domum ſuam deijci, & coniectis facibus inflammari? Quæ eſt igitur domus Dei, quam Chriſtus exſtruxit?Eccleſia fide illios fundata,ſanguine illius dedicata, Diuinæ virtutis conſtantia ſtabilita, opibus Diuinis,atque ſempiternis,exculta, in quam numen Domini ſemper habitat. Habitabo,inquit,in illis,& inambulabo. Alibi vero,de Chriſto loquens,ait,Ipſe erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem, & ædificabit domum nomini meo. Vt igitur in hunc ſummum ſacerdotem oculos coniiciat, ille ſacerdos admonetur, vt, cuius formam ſub aliqua ſimilitudine referebat, ſanctitatem imitaretur. Sequitur deinde:

Et ipſe exſtruet templum Domini: & ipſe portabit gloriã, & ſedebit, & dominabitur ſuper ſolio ſuo: & erit ſacerdos ſuper ſolio ſuo, & conſilium pacis erit inter illos duos.

Nõ is,inquit,erit, qui gloriam aucupetur, viamque illius ignoret,immo,qui,vera virtute nixus, ſummi decoris amplitudinẽ ad ſuorum ſalutem conſequatur. Peccato enim mortiferum vulnus infliget; ipſam mortem profligabit;hoſtes ſempiternos ſpoliabit; in cælum victor adſcendet; ad dexteram patris in Regia ſede locabitur;gẽtibus iura deſcribet;omniaq. ſempiterno imperio coercebit. Non erit autem dominationis alienę Vicarius,ſed Regnum ſuum iure legitimo poſsidebit. Dominabitur, inquit, in ſolio ſuo. Neque ſolum Rex erit ſummus, atque ſempiternus, verum & ſacerdos ſanctiſsimus.nec enim vi,aut precario,ſacerdos fiet,ſed id munus adminiſtrabit, quod ad illum fuit a patre delatum. Non igitur in alieno,ſed in ſolio ſuo ſedebit,vt Põtificis ſempiterni munus exſequatur:vt ſe medium interponat,vt nobis patris numen conciliet, vt vota pro omniũ ſalute ſuſcipiat, vt, ſanguine pro nobis omnibus profoſo, perpetuo litet, nobiſq. aditũ in cælum patefaciat. Pacis autem conſilio, quæ erant diſsidentia, coniunget.Quo modo?Sacerdotes enim a Regibus, & Reges a Sacerdotibus, ſæpenumero diſsidebant; cũ Reges Sacerdotij munus vſurpare conarentur; contra,Sacerdotes Regum temeritati repugnarent. Ea autem de cauſſa factum eſt, vt aliquot Sacerdotes a Regibus necarentur, multiq. metu debilitati Regum libidini ſeruirent. Hoc,inquit, non vltra fier, apud eos,qui Chriſto nomina dederint,illiſq. iuſsis obedierint. Sed, quemadmodum ipſe Chriſtus Rex,& Põtifex erit,ita,vt in illo nulla poſsit interuenire muneris vtriuſq. diſſenſio, ita principibus illis, qui ad vnum Chriſti corpus fuerint adiuncti, ſiue illi, qui regendæ Reip.munus obierint,ſiue qui placandi numinis officium rite ſuſceperint, nulla poſsit diſcordia concitari. Vtriq. enim ſe officij ſui regionibus continebunt, nec in alienum munus inuadent.Sic autem erunt animis conſentientes, vt ſibi ipſis operam mutuam nauent, & alij aliorum ope, & conſilio,fulciantur.

Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ,& Hen filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini.

Duo nomina commutantur. Qui enim Holdai, id eſt Mundus meus appellabatur, nunc Helem,id eſt autem Robur eorum,vocari cernimus. Amor enim huius mundi, animos imbecillos efficit.Qui vero ſe a mundi cupiditate ad Chriſti ardens ſtudium traducũt, robur aſſequuntur, quo non tantum a ſe, ſed etiam ab aliis,hoſtium impetum propulſent. Aliud nomen immutatum ſimiliter eſt. Ioſias enim appellatus ante fuit, qui modo nominatur Hen,id eſt Gratia: vt intelligatur,eos,qui,animo inflammato, ſe ſe ad Chriſti ſtudium contulere,contempta,& ſpreta, cum opus fuerit, ratione, omnem vitam Diuina gratia gubernare.Iubentur autem coronas illas in templũ reponere,ad benignitatis Diuinæ monumentum, vt numquam ex eorum animis diſcederet ſummi Regis, atq. ſanctiſsimi ſacerdotis, memoria;ſed diſcerent,iam ante illius aduentum de illius gratia, benignitate, & magnificentia,perpetuo cogitare.

Et qui procul ſunt,venient, & ædificabunt in templo Domini, & ſcietis quia Dominus exercituum miſit me ad vos.

Hic rurſus gentium conuerſionem prædixit,eamq. pro argumento ſuæ Diuinitatis apponit. Nec enim tanta vitæ, & tam repentina,commutatio fieri potuiſſet abſq. Dei præſentis numine. Ex ea igitur cerni poterat, Dei filium a patre miſſum fuiſſe,vt tam Diuinum opus efficeret. In quo Zacharias Iſaiam ſequitur, qui futurum dixit, vt, qui erant in longinquis terris a Iudæa remotiſsimi,

ſe ſe

ſe ſe ardentibus animis ad Dei populũ aggregarent. Et alibi fore prædixit, vt exteræ gentes templi ædificandi munus pro parte ſua ſuſciperent. Quemadmodum Paulus ait, Vos, qui eratis longe, facti eſtis prope. Aedificium vero Domini cernimus multos ſartũ tectum tueri, dum moribus, exemplis, inſtitutis, & diſciplinis, & litterarum etiam monumentis, Eccleſiam, quæ eſt verum templum Domini, fulciunt, &, ſi aliqua ex parte eam laborãtem cernunt, vigilantiſsime reficiunt.

Erit autem hoc, ſi auditu audieritis vocem Domini Dei veſtri.

Quia dixerat, Et ſcietis, quod Dominus miſit me ad vos, eos admonet, huius aduentus fructum ad eos tantum eſſe peruenturum, qui Deum audierint, & ſe ſe ardentibus animis ad nomen illius adiunxerint. Quotquot enim receperunt eum, filij Dei facti ſunt, reliqui vero in tenebras exteriores eiecti: porro autẽ illi Chriſtum recipiunt, qui vocem illius audiunt, & imperium minime recuſant. factus enim eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſſa ſalutis æternæ.

CAP. VII. Et factum eſt in anno quarto Darij regis, factum eſt verbum Domini ad Zachariam, in quarta menſis noni, qui eſt Casleu. Et miſerunt ad Domum Dei Saraſar & Rogommelech, & viri qui erant cum eo, ad deprecandam faciẽ Domini.

Duo legati miſsi ſunt cum viris ſuis, quos ſibi comites adhibuerunt. Legatorum nomina exprimuntur; a quibus miſsi ſunt, in dubiũ vocatur. Iudæi eẽſent, ex terris, in quibus exſulabant, fuiſſe miſſos, ab ijs, qui nõdum in patriam redierant. Ob id autem, verbum, quod eſt ſingularis numeri, multitudinis numero efferendũ arbitrantur. Illos interpretes noſtri ſequuntur. Non enim interpretantur Miſit, ſed Miſerunt. Aliud abſurdum fuit a Iudæis excogitatum, vt nomen Bethel, viri, & non loci, nomen eſſe dicerẽt. Nec minus, meo quidẽ iudicio, peccant, qui putant, per Bethel Hieroſolymam intelligi debere. Locus autem eſt facillimus, in quo tandem explicando multi ſine cauſſa laborant. Non video enim, cur nomine Bethel nõ intelligatur ipſa ciuitas hoc nomine appellata. Nam, cum Hieroſolyma non dum eſſet munita, Iudæi variis in locis ſibi ſedes delegerant, in quibus leuioribus incommodis vexarentur. Omnis odij furor, & impetus, in vrbem illam irruebat, quam volebant vicini in amplitudine amiſſam reſtitui; reliquis autem ciuitatibus non ita magnam moleſtiam exhibebant. Bethel igitur, hoc eſt ciuitatis illius conuentus, legatos Hieroſolymam miſit, qui Deo victimas offerrent, & ſapientes de re illis dubia conſulerent, ne videlicet propter inſcitiam religio in eorum animis inhæreret. Quæ fuerit illa quæſtio, ſtatim explicatur:

Vt dicerent ſacerdotibus domus Domini exercituum & prophetis, loquentes, Numquid flendũ eſt mihi in quinto menſe, vel ſanctificare me debeo: ſicut iam feci multis annis?

Poſt euerſam Hieroſolymam, & dirutum, & exuſtum, templum, fuit a Iudæis ſtatutum, vt diei illius funeſtiſsimi memoria lacrymis anniuerſariis, & lamentis, & ciborum abſtinentia, recoleretur. Fuerat autem euerſio, & inflammatio, mœnibus, & templo, omnibusq. ſacris, illata, mẽſe quincto, ſeptima die menſis. Dies igitur ille nefaſtus habebatur: omnes tunc exitij illius acerbã recordationẽ mœrore, & ſordibus, atq. ſollemni ieiunio, renouabant; & ſtatuebant, quo magis illius calamitatis memoriam retinerent, eo diligentius ſe religioni ſatisfacturos. Nam fore iudicabãt, vt ita ſe ſe, ſimilis ruinæ metu, diligentius ab exẽplo ſceleris, per quod fuerat illa calamitas importata, continerent, & a Domino veniam facilius impetrarent, ſi ſe totos lamentis dederent, & ſtratos oſtẽderent. Hunc morem, quãdiu fuerunt in exſilio, ſeruauerunt. Poſtquam vero fuerunt in ſedes patrias reſtituti, dubiũ erat, an adhuc, eo more maiorum, auctoritate, & conſuetudine diuturna, comprobato, tenerentur, an potius melioribus in rebus eſſet lugubris illa lamẽtatio relinquenda. In vtrãque enim partem diſputare licebat. Morem enim receptũ, quo ſe, quaſi ſacrata lege, multis annis adſtrinxerant, omittere, nefas eſſe videbatur: contra vero, lætioribus in rebus ſummæ mæſtitiæ ſignificationem dare, multi nimis abſurdum exiſtimabant. Res igitur digna viſa eſt, de qua homines religioſi ſententiam eorum, qui ſapientia excellebãt, ſtudioſe perquirerent. Hi erant ſacerdotes, atque prophetæ. Quod autem reſponſum illis Zacharias dederit, exponitur:

Et factum eſt verbum Domini exercituum ad me, dicens, Loquere ad omnem populum terræ, & ad ſacerdotes, dicens, Cum ieiunaretis, & plangeretis in quincto & ſeptimo per hos ſeptuaginta annos: numquid ieiunium ieiunaſtis mihi? & cum comediſtis & bibiſtis: numquid non vobis comediſtis, & vobiſmetipſis bibiſtis?

Non ſolum quincti menſis, verum & ſeptimi mentionẽ facit. Nã poſt euerſam Hieroſolymã fuit Godolias, vir optimus, multitudini

relictæ præfectus, vt eam bonitate ſua tueretur. Aliqua lux videbatur perditis rebus allata, cum Iſmael, vir ſceleſtiſsimus, eum per inſidias interemit. Eo caſu fuit omnis ſpes miſerrimæ gentis inciſa, & Iudæi, qui fuerant funeri patriæ ſuperſtites, cum ſumma omnium perturbatione, diſsipati; &, quia id ſeptimo menſe eiuſdem anni acciderat, etiam dies ille, quo facinus menſe ſeptimo factum fuerat, erat luctu publicq celebratus. Non intelligebant enim Iudæi, quæ ratio eſſet numinis placandi. Deus igitur illos per Prophetam ſuum errore liberat; atq. docet, Regnum Dei non eſſe in cibo, aut potu, aut inedia, aut ſiti; ſed in vitæ conuerſione, & in ſpiritus nouitate, collocandum. Septuaginta, inquit, annis in exſilio fuiſtis, quincto & ſeptimo menſe ſingulis annis acerbe fleuiſtis, & vos ipſos ciborum abſtinentia vehementer afflixiſtis: num eiuſmodi fletus, & ieiunium erat, vt me vobis propitium redderet? Non profecto. Veſtræ namque miſeriæ recordatio, non mei numinis offenſio, lacrymas veſtras eliciebat: ieiuniumque veſtrum erat cum veſtræ voluntatis ſtudio, & nō cū ſuſcepti ſceleris deteſtatione, coniunctum. Vobis igitur ipſi, & non mihi, a cibis abſtinuiſtis. Mæror quidem veſter aſsiduus me flexiſſet, ſi fuiſſet odio veſtræ improbitatis excitatus. At vos ærumnas veſtras, non flagitia veſtra, lugebatis: ieiuniumq. veſtrum erat non ſtudio gloriæ meæ; ſed ſenſu doloris veſtri, publice ſuſceptum. Vt igitur, cum epulabamini, vobis, nō mihi, epulabamini: dapes enim non ad gloriam meā, ſed ad voluptatem veſtram, erāt apparatæ: ſic, cum dapes, non quia ſcelus nefarium ſuſcepiſtis, ſed, quia in calamitates incidiſtis, aſpernamini, nulla cauſſa eſt, cur arbitremini, eam abſtinētiam vobis ſalutem allaturam. Nihil enim poteſt eſſe gratum Deo, niſi ad illius gloriam referatur. Ad gloriam vero Dei referri non poſſunt, niſi ea tantum, quæ cum iuſtitia, & pietate, fiunt. Qui igitur non violatam a ſe religionem, ſed acceptam cladem, lamentantur, ſibi, nō Domino, lamentantur; &, qui ieiunant, & cupiditatem minime coercent, ſibi, non Domino, ieiunant.

Numquid non ſunt verba, quæ locutus eſt Dominus in manu prophetarum priorum, cum adhuc Hieruſalem habitaretur, & eſſet opulenta, ipſa & vrbes in circuitu eius, & ad Auſtrum, & in campeſtribus habitaretur? Et factum eſt verbum Domini ad Zachariam, dicens, Hæc ait Dominus exercituum, dicens, Iudicium verum iudicate: & miſericordiam, & miſerationes facite vnuſquiſque cum fratre ſuo. Et viduam, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calumniari: & malum vir fratri ſuo non cogitet in corde ſuo.

Non, inquit, lacrymas veſtras expetiui; non acerbitatem luctui imperaui; ſed ea potius, quę, ſi facta fuiſſent, numquam veſtris rebus calamitas digna tam multis lacrymis incidiſſet. Quæ fuerunt autem admonitiones, quibus vſus olim ſum, cum, per antiquos Prophetas, vos a ſcelere reuocabam? Eæ certe, quibus per Zachariā vos hortor, & moneo, vt parentum a vobis temeritatem, & amētiam, deteſtemini, ſi velitis, vt vobis benigne conſulam, & ſimilem cladem lōgiſsime propellam. Hoc igitur prædico, moneo, teſtificor, & auribus veſtris inculco; primū, vt vere, & incorrupte, iudicetis; deinde, vt clementes, & benigni, ſitis; in eos autem præcipue benignitatis ſtudium conferatis, qui, propter inopiam, & imbecillitatem, ſunt magis affines iniuriæ; quales ſunt viduæ, pupilli, & peregrini, & homines humiles, & abiecti, in ſummaq. tenuitate conſtituti. Hæc quidem ſi feceritis, quamuis minime ad iſtum modum lugeatis, a me gratiam inibitis. Contra vero, ſi ius Diuinum neglexeritis, & in eos, qui ope veſtra indigent, inhumani fueritis, ſine vllo fructu miſeriam veſtram lamentamini, fruſtraq. vos ipſos ieiunio conficietis.

Et noluerunt attendere, & auerterunt ſcapulam recedentes: & aures ſuas aggrauauerunt, ne audirent. Et cor ſuum poſuerunt vt adamantem, ne audirent legem & verba quę miſit Deus exercituum in ſpiritu ſuo per manum prophetarum priorum: & facta eſt indignatio magna a Domino exercituum.

Varijs modis gentis rebellionem, & contumaciam, exprimit. Primum, per auerſum humerum, qui legis onus ferre noluit, cum peccati grauiſsimum pondus ſponte ſuſtineret. Deinde, per voluntariam aurium ſtupiditatem, quas, ne in ſe Diuinos ſermones admitterent, obſtruxerūt. Poſtremo, per cor adamantinum, quod neque promiſsis, neque minis, emolliri potuit. Redigit deinde in memoriā, quibus plagis, ob eam duritiem, & immanitatem, fuerint afflicti. Id enim ſignificat, cum ait, Iram Domini acriter incitatam fuiſſe. Ait deinde:

Et factum eſt ſicut locutus eſt, & non audierunt: ſic clamabunt & non exaudiam, dicit Dominus exercituum.

Magnum, & horrendum, ſupplicium, ſed rectiſsimo iudicio conſtitutū. Quod enim aliud habere poſſumus miſeriæ extremæ perfugiū? Quis vulnera ab illo nobis inflicta ſanabit, ſi

ille

ille medicinam non attulerit? cuius opẽ perditis in rebus implorabimus, ſi nobis aditus ad clementiam illius fuerit intercluſus? At is aperte denuntiat, ſe eorum preces, & clamores, non auditurum, qui voces illius, tam ſępe, & tanta ſanctorum hominum contentione, repetitas, audire noluerunt.

Et diſperſi eos per omnia Regna quæ neſciunt: & terra deſolata eſt ab eis, eo quod non eſſet tranſiens & reuertens: & poſuerunt terram deſiderabilem in deſertum.

Ipſi, inquit, ſceleribus ſuis, terræ cultiſsimę, & nitidiſsimę, vaſtitatem intulerunt. Exitium igitur illud non hoſtibus, qui in eus incitati ſunt, ſed illis, qui in ſe numen incitauerunt, adſcribendũ eſt. Huc igitur reſpõſi ſumma pertinebat, vt, ſiue lugerenr, ſiue riderẽt, ſiue comederent, ſiue ieiunarent, intelligerent, Dei numen placari non poſſe, ſi non iuſtitiam colerent, & miſericordes eſſent, & legi Diuinæ parerent. Ita igitur ſuperſtitione liberat animos, vt eos veriſsima religione fortiter adſtringat, vt, ea ratione, poſſent ſibi præſentẽ opem a Deo polliceri, qui, rebellione offenſus, obedientia placatur, &, iniuria irritatus, iuſtitia mitigatur; &, immanitati infenſus, miſericordia flectitur. Mauult enim miſericordiam, quam legis ſacrificium.

CAP. VIII.

Et factum eſt verbum Domini exercituum, dicens, Hæc dicit Dominus exercituum, Zelatus cum Sion zelo magno, & indignatione magna zelatus ſum eam.

Tranſlatio eſt, ab amatoribus ſumpta, qua Deus in ſanctis Litteris frequẽter vtitur; qui dolore cruciantur, quoties vident, alios illius amore frui, quam ipſi perdite amabant. Amabat enim Deus Hieroſolymam, eamq. multis muneribus ornauerat: at illa, vero Deo neglecto, amorem ſuum in numina falſa contulerat. Ea igitur offenſione commotus, Hieroſolymam multis plagis affecerat. Spes igitur erat, cum ira illius ex vehementi amore ortum habuiſſet, (hoc enim æmulationis genus e magnitudine amoris exſiſtit) vt facile in illam placaretur.

Hæc dicit Dominus exercituum, Reuerſus ſum ad Sion: & habitabo in medio Hieruſalem: & vocabitur Hieruſalem Ciuitas veritatis, & Mons Domini exercituum, mons ſanctificatus.

Cum ait; Conuerſus ſum, oſtendit, illam conuerſam fuiſſe. Dixerat enim, Conuertere ad me, conuertar ad te. aliter enim minime fuiſſet ab illo in gratiam recepta. Conuerſionis fructum exponit, cum præſentiam ſuam illi promittit, cum veritatis ornamẽta pollicetur, cum ſpem ſecuritatis oſtẽdit, cum eam ſplendidis admodum titulis illuſtrat.

Hæc dicit Dominus exercituum, Adhuc habitabunt ſenes, & anus in plateis Hieruſalem: & viri baculus in manu eius præ multitudine dierum.

Vt bellum immaturam ſobolem exſcindit, & ſenibus exitium infert; ſic longa pax, cum bonorum affluentia, infantium examina fundit, ſenumq. vitam, molliori cultu, diutiſsime conſeruat. Hanc autem felicitatem oratione perſequitur:

Et plateæ ciuitatis complebuntur infantibus, & puellis ludentibus in plateis eius.

Vix credibile videbatur, vt ex tanta vaſtitate tam multiplex cultus oriretur. ſed nihil eſt tam deſperatum, quod non omnipotentis Dei verbo reuiuiſcat, & priſtinum ſplendorem recuperet.

Hæc dicit Dominus exercituum, Si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi huius in diebus illis, numquid in oculis meis difficile erit, dicit Dominus exercituum?

Fidem in hominibus illis excitat, cuius fructus tanto amplior, & illuſtrior, eſſe potuiſſet, quanto minus ſpei erat, eam rempublicam, quam, vt perditam, lamentabantur, poſſe vmquam recreari, & in amiſſam dignitatem reſtitui. Sed, qui Diuina probitate, & benignitate, fulciũtur, & Deo fidem habent, numquam poſſunt ſpẽ ſalutis abiicere. Intelligunt enim, verbo Domini fieri, vt lumen in tenebris illuceſcat, & mortui in vitam ſuſcitentur; & ideo dubitare nõ poſſunt, quin exiguus ciuium numerus, intra breuiſsimum tempus, ſi Deo ita viſum fuerit, miris acceſsionibus amplificetur. Quod Iudæi tẽporibus illis experti ſunt, cum viderunt, ex illis reliquijs innumerabilem hominum multitudinẽ propagatã. Hoc tamen multo felicius eueniet, cum e perfidiæ tenebris in lucẽ reſpexerint, & ex exciſa ſtirpe, quæ exaruiſſe videtur, ſoboles propemodum infinita pullulauerit, in qua ſummum ſtudium pietatis vigeat.

Ecce ego ſaluabo populum meum de terra Orientis, & de terra Occaſus ſolis. Et adducam eos, & habitabunt in medio Hieruſalem: & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum in veritate & in iuſtitia.

Non

Non vnius vrbis ambitus tantam multitudinem poterat vllo modo coercere. Vna tamen fidei confeſsio, vna ſanctitatis conſpiratio, vna iuſtitiæ, & religionis, communio, facillime poteſt omnes, qui ſunt ex ſanctis patribus, fidei, atque pietatis, exemplo, procreati, complexu ſuo continere. Deus autem horum omnium Deus appellatur. Illis enim præcipue conſulit; illos beneficiis auget; illos firmiſſimo præſidio munit; illos lumine ſuo colluſtrat; illos denique, ſuæ pulchritudinis imagine confirmatos, immortali, atque Diuina, gloria cumulat. Sic etiam hæc vniuerſa multitudo reliquis omnibus Dijs, quibus humiliter, atque demiſſe, ſupplicabat, omnino repudiatis, (nec enim iam libidinem, neq. auaritiam, nec huiuſmodi monſtra, venerantur) vnum ſolum Deum colit; illum ardẽti ſtudio ſequitur; in illius tutela, & patrocinio, conquieſcit; illi ſanctiſsima ſacra conficit. Quæ vero ſunt illa ſacra? Num ea, quæ ſunt in quadrupedum victimis, & hircorum ſanguine, cõſtituta? Minime. Inquit enim, In veritate. Illa namque omnia vmbram, & imaginem, religionis, non ſolidam, & veram, religionem expreſſere. At Deus, ſpiritu, & veritate, non ſignis illis, quorum iam tempus ad finem appropinquabat, colendus erat. Num varijs luſtrationibus, quę fuerunt olim lege ſancita? Ne id quidem expetit. Veræ namq. iuſtitiæ ſacrificio delectatur, non ſimulacra iuſtitiæ requirit. Hoc eſt, quod ait, In veritate, & in iuſtitia. Veritas enim imagines expellit; iuſtitię verę ſplendor iuſtitiæ ſigna repudiat. Illorum igitur Deus, ſingulari ratione Deus nominatur, qui illum in ſpiritu, & in veritate, adorant. Hęc quidem in ciuitatem illam, vt in imaginem, conferebantur: mens tamen prophetæ, Diuino ſpiritu concitata, in omnes, qui vere pietatem colerent, ſiue illi Iudæi eſſent, ſiue ex alienis gentibus oriundi, reſpiciebat.

Hæc dicit Dominus exercituum, Confortentur manus veſtræ qui auditis in his diebus ſermones iſtos per os prophetarum in die qua fundata eſt domus Domini exercituum, vt templum ædificaretur. Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, nec merces iumentorum erat, neque introeunti, neque exeunti erat pax præ tribulatione: & demiſi omnes homines vnumquemque contra proximum ſuum.

Præteritæ calamitatis recordatio, illius ſtatus tranquillitatem multo iucundiorem efficiebat; & ſimul animos ad gratias agendas acrius inuitabat. Quanta igitur fuerit ærumna, exponit, cum aſſerit, Nec hominibus, neq. iumentis, mercedem, vt ædificiũ ad ſummum perueniret, propoſitam fuiſſe; hoſtis imminebat; metus impendebat; operi manus admouere minime licebat; annonæ caritas, & penuria, populum afflictabat: neque ſolus externus hoſtis illis maximus terror erat, verum & ipſi inter ſe inteſtina ſeditione laborabant.

Nunc autem non iuxta dies priores ego faciam reliquijs populi huius, dicit Dominus exercituum, ſed ſemen pacis erit: vinea dabit fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum. & cæli dabunt rorem ſuum: & poſſidere faciam reliquiæ populi huius vniuerſa hæc.

Apud Aggæum videmus hanc rerum conuerſionem fuiſſe, ex eo tempore, quo populus ędificando templo alacrius operam nauauit. Hic autem ſemen pacis, eſt ardẽs pietatis ſtudium, quo non modo cum Deo conciliatur, & animus, illius gratia, tranquilla pace perfruitur, verum & hominum inter ſe bella ſæpenumero conquieſcunt; ita, vt pietas rectiſsime Semen pacis poſsit appellari: cum Iudęi negligenter rebus Diuinis operam dabãt, &, quaſi in fabrica templi non omnium ſalus ageretur, ædificandi ſtudium intermittebant, multiplex bellum in illos comparabatur. At, vbi primum vtilitatibus ſuis templi ædificationem antetulerunt, vt id fieri commodius poſſet, pacem conſecuti ſunt. Tempore autẽ pacis, quam Deus efficit, arbores nõ exſcinduntur; fruges minime læduntur; agricolarum labor, & induſtria, non fruſtra ruſticis in rebus impenditur; rores, & pluuia, opportunè decidentes, vineas, & arua, lætificant. Sic igitur euenit, vt, qui ante templi fabricationem innumerabilibus incommodis erant impliciti, cum primum diligenter operi manus attulerunt, omnibus repente bonis affluerent.

Et erit: ſicut eratis maledictio in Gentibus, domus Iuda, & domus Iſrael: ſic ſaluabo vos, & eritis benedictio: nolite timere, confortentur manus veſtræ.

Maledictioni, hoc eſt, exercitationi, ſeruiebat Iudæorum nomen. Cum enim quilibet imprecabatur alicui inſignem calamitatem, petebat, vt illi, quem oderat, omnià mala euenirent, quibus Iudæi euerſi corruerãt. At Deus ſpondet futurum, vt ea condicio immutaretur, & Iudæorum nomen, fauſta, & felicia, precandi formulæ accommodaretur. Vt diceret nempe is, qui vota aliquorum gratia ſuſceperat, Non minus florens, & felix, veſter ſtatus ſit, quam Iudæorũ ſtatus exſtitit. Hac autem precandi formula quando primũ gentes vſæ ſunt? Num eo tempore, quo Iudæi ſub Perſis erant? an eo, quo Græcis tributa pendebant? an eo potius, quo ſingulis prope horis nomi-

nis Romani mentione trepidabãt? an parum liquet, multo feliciores ab omnibus exiſtimari eos, qui imperant, illis, qui dominatu aliorum oppreſsi ſunt? Quis igitur eo tẽpore ſic amens exſtitiſſet, vt filiis ſuis Iudęorum afflictam fortunam imprecaretur? Nullus profecto. Quando igitur hæc prædictio exitum habuit? Eo certe tempore, quo Chriſtus Sol iuſtitiæ in terris illuxit, & ex Hebræorum gente lumina ſelegit, quorum opere tenebras diſcuteret, & eorum hominum mentes, quæ in caligine verſabantur, illuſtraret. Tunc enim multi, pro ratione fidei, ſibi, atq. liberis ſuis, hominum Diuinorum, qui primum ex ſemine Iſraelis aſſumpti, deinde ex aliis nationibus ad Iſraelis nomen aggregati fuerant, felicitatem optare, atque precari, merito potuiſſent. Illorum namque ſtatus felix, atque beatus, erat, omnibusq. votis expetendus. & non ille, in quem fuere Iudęi poſt exſilium reſtituti. Tunc enim ad ſeruitutem nati videbantur. at, poſtquã per Chriſtum fuere in poſſeſsionem liberta is veriſsimæ collocati, imperio ſuo dæmonum tyrannidẽ, & potentiam, euertebant. Illa igitur tantæ felicitatis ſpe, Dominus apud Iſaiam homines Diuinos admonet, vt manus diſſolutas corroborẽt, & genua debilia confirment. Fore namque, vt per Chriſti aduentum omnia lætiora in dies fiant, &, qui erant viribus omnino deſtituti, virtute Diuina, roboreq. ſpiritus inuicto, fulciantur. Idem facit in hoc loco per Zachariam, cum ait, Ne timeatis. corroborentur manus veſtræ.

Quia hæc dicit Dominus exercituum, Sicut cogitaui vt affligerem vos, cum ad iracundiã prouocaſſent patres veſtri me, dicit Dominus, & non ſum miſertus: ſic conuerſus cogitaui in diebus iſtis, vt benefaciam domui Iuda, & Hieruſalem: nolite timere.

Cum Dominus manum intendit ad feriendum eos, qui in ſcelere contumaciam adhibent, nemo poteſt illius manũ impedire, quin debitum ſupplicium ſumat. Ideo dicit, minime ſe pęnituiſſe. Similiter, cũ eos, quos ſuſcepti ſceleris pænitet, in gratiam recipit, nemo poteſt curſum beneficentiæ illius aliquo modo retardare. Sine pænitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei. Hæc quidem, quamuis aliqua ex parte illi populo cõceſſa fuerint, cum in patriam Babylone remigrauit, multo tamen magnificẽtius collata ſunt illis, qui, Chriſti gratia, e peccati tenebris emerſerũt, vt cęleſti luce fruerentur. Tunc enim libertas reddita fuit, tũc Hieroſolyma cæleſtis exſtructa; tunc mœnia, & propugnacula, angelorũ operis, excitata; tunc iuſtitiæ ſacrificia, & victimæ laudis, ad aram ſtatutæ, quemadmodum Dauid Deum precabatur. Benigne, inquit, fac Domine in bonitate tua, vt ædificentur muri Hieruſalem. Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta, tunc imponẽt ſuper altare tuum vitulos. Quæ oblationes, & holocauſta, ſint ne grata Deo, intelliget plane, qui viderit, quod Dauid paullo ante dixit, nempe, Deum holocauſtis quadrupedum minime delectari. nec enim illius ſanctiſsimum numen beſtiarum ſanguine, ſed inflammato pietatis ſtudio, delenitur. Propheta igitur, de Dei ipſius ſententia, legis ſacrificia contemnit, Euangelij vero ſacrificia præſcribit. Ait enim:

Hæc ſunt ergo verba quæ facietis, Loquimini veritatem vnuſquiſq. cum proximo ſuo: veritatem, & iudicium pacis iudicate in portis veſtris.

Veritatem vnice cõmendat. in ea enim eſt iuſtitiæ fundamentũ. Iudiciũ pacis appellat, quod non eſt viribus extortum, aut furore, & amentia, turbulentum. Commode enim in animorum pace rectum iudicium exercetur. & eo prætereà pax, & otium, & tranquillus reip. ſtatus, Dei benignitate cõſeruatur. Portæ, non priuatarum ædium intelligendæ ſunt, ſed publicæ. Ad vrbis enim portas olim conuentus agebantur, & iudicia fieabnt.

Et vnuſquiſque malum contra amicum ſuum ne cogitetis in cordibus veſtris: & iuramentum mendax ne diligatis. omnia enim hæc ſunt quæ odi, dicit Dominus.

Si animus fuerit impurus, & in iniuriã propenſus: nullo modo poterit æquabile ius adminiſtrari: animus porro purus, & integer, eſſe non poterit, niſi pietatem coluerit. Cum igitur ſacrificium iuſtitiæ, atq. veritatis, exegiſſet, animi integritatem, & puritatem, ſancit, & ad ſtudium ardentiſsimum pietatis impellit, cum a falſo iuramento deterret. Nemo enim falſo iurabit, niſi primũ Dei numen contempſerit. Illis autem, qui iuſtitiam, & veritatem, coluerint, ipſe Dei filius, a patre miſſus, de patris ipſius mente, præmia proponit.

Et factum eſt verbum Domini exercituum ad me, dicens, Hæc dicit Dominus exercituum, Ieiunium quarti, & ieiunium quincti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi erit domui Iudæ in gaudium & lætitiam, & in ſollemnitates pręclaras: veritatem tantum, & pacem diligite.

Varia ieiunia a Iudæis variarum cladium munimenta continebant. Quarto menſe ieiunabant, quod eo die Hieroſoyma expugnata; quincto, quod euerſa, & incenſa, fuiſſet; ſeptimo

nio menſe Godoliam occiſum, cum ieiunio, & publico mærore, lamẽtabantur. decimo menſe erat ieiunium ſimiliter indictum, eo quod illo menſe pręcedentis anni vrbs obſideri cœpiſſet. At Dei filius omnia immutanda prædixit: fore nempe, vt, ſublatis mæſtitiæ ſignis, feſti dies agitentur, & luctus in ſummam lætitiam conuertatur. quemadmodum ipſe idem apud Iſaiã ait, ſe miſſum, vt fauſta omnia, atq. iucũda, nuntiaret, abiectis nempe gaudium, ægrotis medicinam, ſeruis, atq. ferro vinctis, libertatẽ, mærore afflictis ſolatium, imbecillis fortitudinem. Ait deinde, Vt darem eis ornamentum, pro cinere; oleum gandij, pro luctu; pallium laudis, pro ſpiritu męroris. Vtrobique igitur idem noſtræ ſaltis, atque dignitatis, auctor, pro calamitatibus, & ærumnis, quibus erat humanum genns oppreſſum, ſpẽ ſummæ felicitatis, & veriſsimæ voluptatis, oſtendit. Ne autem hæc promiſſa poſſet quiſquam Iudęorum ſenſibus, & opinione, metiri, & ad bona corporis fluxa, & interitura, reuocare, ait continuo: Veritatem, & pacem, diligite. Cum veritatem amare præcipit, Iudæos admonet, ne rerum vmbras, ne iuſtitiæ ſimulacra, ne ſanctitatis imagines, admirẽtur; ſed ipſum verum, ſummum, atque ſempiternum, bonum, ardenti fide, puris animis, incenſo ſtudio, complectantur. Similiter, cum pacis ſtudium commendat, & ſimul exhortatur, vt in pacis auctorem oculos mentis intendant, ſi velint fructu veriſsimæ iucunditatis, & gloriæ, potiri. Ipſe namque Dei filius, eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. Quod autem omnia hæc ſint ad Chriſtum referẽda, ea, quæ ſequuntur, clarius oſtendunt:

Hæc dicit Dominus exercituum, Vſque quo veniant populi, & habitent in ciuitatibus multis, & vadant habitatores vnus ad alterum, dicentes, Eamus & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum, vadam etiam ego.

Gentium conuerſionem, & ardorem mentis, explicat, quo ſe mutuo cohortabãtur, vt, abiectis ſimulacris, verum Deum caſtę, & pure, venerarentur. Vadam & ego tecũ, eſt oratio illins, qui ad ſtudium veræ religionis inuitatur, qua facilitas, & alacritas, oſtenditur. Quemadmodum Iſaias ait, Fluẽt ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicẽt, Adſcendamus in montem Domini, & in domum Dei Iacob. Nõ populum vnum, ſed multos populos, aiũt Prophetæ, appulſu Diuini ſpiritus excitandos, vt ad Deum ſupplices accedant. Nec eos eſſe prænuntiat, qui, propria ſalute contenti, de aliorum ſalute minime ſolliciti ſunt; ſed, qui omnem laborem, & induſtriam, in eo conſumant, vt aliorum ſaluti, non ſecus, atque ſi ſua ipſorum ſalus eſſet, inſigni caritate proſpiciunt.

Et venient populi multi; & gentes robuſtæ ad quærendum Dominum exercituum in Hieruſalem, & deprecandam faciem Domini.

Gentium multitudinem, & virtutis vim, & magnitudinem, & religionis ardorem, quo erant omnes inflammãdi, ob oculos ponit; & ſimul inquit, fore certum, & conſtitutum, omnibus, qui ex gentibus fuerint ad Deum conuerſi, fruſtra Deum extra Eccleſiã quæri. Hæc eſt enim Hieroſolyma cæleſtis, in qua templi ſanctitas inuiolata permanet; vbi veriſsimæ religionis ſtudium ſemper viget; vbi ſacrificia ſanctiſsima ab omnibus, qui fide vitã inſtituunt, offeruntur. Ad eam igitur omnes, qui vitam caram habent, & Spiritus ſancti diſciplinis inſtructi ſunt, vndique cũ victimis properant, nec alibi ſe poſſe litare confidunt.

Hæc dicit Dominus exercituum, In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi, dicentes, Ibimus vobiſcum: audiuimus enim, quoniam Deus vobiſcum eſt.

Hoc autem quando viſum fuit, niſi poſtquã Chriſti diſcipuli, ex Iudęorum natione electi, ab eo miſsi fuerunt, vt Euangelij diſciplinam cunctis nationibus traderent? Multi enim ex gentibus alieniſsimis, qui fuerant a ſtudio Diuinæ legis abhorrentes, ita commutati ſunt, vt vnum virum Iudæum, Petrum videlicet, exempli gratia, aut Paulum, aut Barnabam, aut quemuis alium ex illis viris Diuinis, qui lucẽ cunctis mortalibus afferebant, circumſiſterent, & ab illis ſtudio ſummo cõtenderent, vt eos ad cognitionem numinis Diuini perducerent. Illorum igitur diſciplinis exculti, ciues ſanctę ciuitatis effecti ſunt, & iuſtitię oblationes, laudisq. victimas, obtulerunt.

Onus verbi Domini in terra Hadrach, & Damaſci requiei eius: quia Domini eſt oculus hominis, & omnium tribuum Iſrael. CAP. IX.

Onus, eſt apud Prophetas prædictio diræ calamitatis. At in hoc loco nulla calamitas explicatur, immo nuntius lætiſsimus affertur. Sed intelligendum eſt, Iudicium plerumq. Diuinũ antegredi, vt rebelles vlciſcatur; deinde gratiam conſequi, vt ij, qui gratiam minime repudiant, erigantur. Hadrach, quæ terra fuerit, ignoratur. Cum vero hic Onus, quod verbum Supplicium portendit, & Requies Domini, quæ Bonorum omnium complexio-



Google

ne.n deſignat,ſimul ponatur; ita tribuēdæ videntur hæ particulæ, vt alia ad indicium, alia vero ad gratiam,referatur; ita nempe, vt Hadrach iudicio peruertatur, Damaſcus gratia ſublcuetur. Per Hadrach igitur, Hieroſolymā terreſtrem, inrelligēdam puto. Neque nomen ipſum hanc noſtram ſuſpicionem redarguit. Eſt enim compoſitum a חד & רך. חד autem a חדד deducitur, quod eſt Acuere; & רכך quod eſt Emollire. Vrrumq. in Hieroſolymam quadrar. Primum namq. ciuitas illa fuit diſciplina legis erudita, quæ mentem acuebat, vt Diuina clare cerneret; deinde multis deliciis eneruata, vt de ſtatu concideret. Quemadmodum igirur apud Iſaiam, & alios Prophetas, ita gentium ſalus prædicitur, vt ſimul Iſraelis caſus, & ruina, deſcribatur; ita in hoc loco gētium florens ſtatus præmonſtratur, vt ſimul Hieroſolymæ interitus explicetur. Mutauit igitur Dominus ſedem; ſoliumque, quod erat Hieroſolymis, Damaſcum tranſtulit: quemadmodum ait in Malachia, Non eſt mihi voluntas in vobis, & ab ortu Solis, vſq. ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus. Requies autem, vt in multis locis eſt a nobis explicatum, eſt iuſtitię munus, & beneficium. Nam Deus, in hoc opere omnium maximo, ad quod perficiendum omnia opera illius cōferuntur, tamquam in fine laborum omnium, quos noſtri cauſſa ſuſcipit, acquieſcit. Cauſſam vero, cur Deus in Damaſco quietam ſedem collocet, conſequenter exponit, dum ait, Quoniam ad Dominū oculus hominis. Quaſi dicat, Nullum genus eſt eximiū Deo, in quod præcipue beneficia ſua conferat. Non carnem enim, ſed fidem, reſpicit. Omnis igitur, qui cum acri, & incitata, fide oculos in Deum ſuſtulerit, & in eo habuerit præſidia vitæ conſtituta, erit viuum Dei templum, in quo Deus ſtabilem ſedem conſtituat. recte. Sed quæro, numquid Iudæi eo beneficio excludendi ſunt? Minime, inquit. apud Deum enim nulla eſt diſtinctio: ideo adiungitur, Et omnis tribus Iſrael. Quicumque enim opem Domini fidenter implorauerit, ſaluus erit. Iudæus igitur confidentiam legis abiiciat, antiquitatis cærimonias aſpernetur, ne ſanctitatis vmbris inſolenter efferatur, intelligatq. tandem, ſe non alia via poſſe ſalutē adipiſci, præter eam, qua gentes exteræ in Dei gratiam receptæ ſunt. Ea autem eſt, quam Propheta hoc in loco ponit, cum ait, Ad Dominum oculus hominis. Nec enim ij, qui ex Iſraelis ſtirpe ſalui facti ſunt, aliter ſalutē aſſecuti ſunt; nec aliter, cum omnis Iſrael ſaluus fiet, ſalutē conſequetur: nec enim per legem eſt promiſſio, ſed per iuſtitiam fidei.

**Emath quoque in terminis eius, & Tyrus, & Sidon aſſumpſerunt quippe ſibi ſapientiam valde.**

Imperium, inquit, Chriſti in gentibus dilatabitur: regio ſancta, terminis late continuatis amplificabitur: Hamar namque, Tyrus, atque Sidon, ad eam adiicientur. Quod quidem non armis humanis, ſed Diuina ſapientia, fiet. Erit enim repleta terra ſcientia Domini, tamquam aquis maris operientis. Propterea igitur regiones illæ, quæ fuerant a Diuinis placitis auerſæ, a Deo receptæ ſunt, vt Diuina gloria circumfluerent, quia ſapientia magna præditæ ſunt. Nam per Chriſti diſciplinam Dei mirabilem cognitionē ceperant. Populus autem Dei ab alieno populo, nō corporis habitu, ſed ſapiētiæ cultu, diſtinguitur. Sapientia porro, in Dei notitia conſiſtit. Verum, antequam gentes ad cæleſtem diſciplinam dociles fierent, opus fuit, vt ſe abiicerent, &, calamitatibus eruditæ, modum, & ordinem, cōſeruarent. Animus enim, opibus inflatus, & rebus ad voluntatem fluentibus elatus, exſultat, & huc, & illuc temere circumfertur, omnemq. diſciplinam repudiat, nullisq. legibus ſe adſtrictū exiſtimat; & ita fit, vt, ſcelerum impunitate propoſita, nefanda facinora moliatur. Iccirco autem Deus, antequam aliquot reſpublicas in ſanitatem reſtituat, illis primum plagas imponit, vt, fragilitatis humanæ memores, facilius diſciplinam ſalutarem percipiant. Hoc autem Propheta in Tyro factum fuiſſe commemorat, multo ante, quam ad eam Euangelij diſciplina perueniret. Ait enim:

**Et ædificauit Tyrus munitionem ſuam, & coaceruauit argentum quaſi humum, & aurum vt lutum plateatum. Ecce Dominus poſſidebit eam, & percutiet in mari fortitudinem eius, & hæc igni deuorabitur.**

Iſaias, Hieremias, & Ezechiel, Tyrum euertendam eſſe, multo ante prædixerant. duplici tamen calamitate Tyrus afflicta fuit. Nam Nabucodenaſor illam primum euertit. vt illi tres Prophetæ vaticinati fuerant. Altera vero Tyri ruina fuit, de qua Zacharias nunc loquitur, quam Alexāder Magnus intulit, cum illam excidit. Neque ſolum Tyro exitium denuntiat, ſed etiam finitimas illi nationes eadem formidine perterret.

**Videbit Aſcalon & timebit: & Gaza, & dolebit nimis: & Accaron, quoniam confuſa eſt ſpes eius: & peribit Rex de Gaza, & Aſcalon non habitabitur.**

Belli tempeſtas, atque procella, per regiones illas impetu peruaſit, omniaq. perdidit, & afflixit; vt ſic tandem ſuperbia frangeretur, & diſcerent omnes, in rebus ſecundis modum tenere.

Et ſede-

Et ſedebit ſeparator in Azoto, & diſſperdam ſuperbiam Philiſtinorum.

Notum appellat externum hominem, & peregrinum, ad quem nullum ius poſſeſsionis in ea regione pertinebar. Eo autẽ ſupplicio, præter alia, excruciãtur illi, quos diuitiarum affluentia feroces, & infeſtos, effecerat, vt videant, opes, atque prædia ſua ab externis gentibus occupari. Poſtquam vero Palæſtinorum calamitatem deſcripſit, illius calamitatis fructum exponit. Ait enim:

Et auferam ſanguinẽ eius de ore eius, & abominationes eius de medio dentiũ eius: & relinquetur etiam ipſe Deo noſtro, & erit quaſi dux in Iuda, & Accaron quaſi Iebuſæus.

Sanguis, homicidiũ deſignat: Os, atq. Dentes, maledicentiam denotaut, quibus homicidium comparatur. Maledieẽtia enim famam bonorum carpit, & corrodit, & cædem molitur, neque ſolum hominum vitam dilacerar, ſed in Deum etiam conuicia iactar, & contumelias furenter intorquet. Hoc igitur in loco, futurum dicit, vr, poſtquam videlicer ijs, qui ſanari nolunt, ſupplicium mortiferum intulerit, reliquos, qui medicinam minime reſpuerint, omni crimine liberet, & expiatos ab omni calamitate conſeruet. Sic autẽ, cum, ſanctiſsimis piaculis luſtrati, innocentiã fueriut aſſecuti, nulla diſtinctio erit. Poterit enim Palæſtinus eodem ordine cenſeri, quo dux in Iuda, ſimiliq. ſanctitate principatum obtinere: & ciues ſimiliter Accaron, qui etiam erãt Palæſtini, perinde exiſtimari, atque ſi Hieroſolymæ ciues eſſent. Iebuſæi enim ciuitatẽ illam poſſederant. Aptiſsime vero Iebuſæi nomen pro Hieroſolymirano ciue poſitum eſt, vt ſignificaretur, externarum genrium ius in ſancta ciuitate fuiſſe ab illis, gratia Diuina, recuperatum. Cnm vero dicir, reliquum Deo offerendum, oſtendit, non omnes eſſe ad cultum Diuini numinis adducendos, ſed illos tãtum, qui fuerint ex incendio communis calamitaris erepti. Scoria enim abſumitur, vt purum argentum relinquatur.

Et circumdabo domum meam ex his qui militant mihi euntes & reuertentes, & non tranſibit ſuper eos vltra exactor: quia nunc vidi in oculis meis.

Domus, inquit, mea, in qua ſempiternum domicilium conſtitui, erit caſtris meis vndique cincta, ne poſsit vmquam ab hoſtiũ exercitu expngnari. Conabuntur illi quidem, & copias ſuas comparabũt, & machinas admouebunt, & modo in vnam partem, modo in aliam, diſcurrent; ſed omnes illorum conatus ad nihilum recident. Prçterea, tyrannidi, quæ populum meum dinexabat, finem imponam. Nec erit enim in populo, qui peccati tributũ penſitare cogatur, & infeſtiſsimi dæmonis iugũ ſubcat. Perfectã enim libertatẽ cõſtituam, ita, vt, qui ſeruierant, cupiditatis, libidiniſq. effrenatæ, mancipia decori tantum, atque dignitati, ſeruiant, & opibus iuſtitiæ cumulentur. Erant quidem anre hæc oculi mei ab illis auerſi, eo quod nihil in illis eſſet, quod oculi mei ferre poſſent. nec enim flagitium, & ſcelus, neque immanitatem, nec iniuriam, libenter adſpicio. Non igitur erat mirum, ſi eos ab hoſtibus opprimi ſinerem, qui, vt ope mea hoſtes a ſe repellerent, minime laborabant. At nunc, contra, vidi oculis, id, quod eſt ad adſpectum venuſtiſsimum, nempe iuſtitiæ ſplendorem, continentiæ puritatem, Diuinæ caritatis incendium. eos igitur, quos video tanta cæleſtis virturis elegantia cultos, orbare meo præſidio non poſſum. Huius vero tantæ felicitatis effector, qui ſalutẽ generis humani procuraret, quis nam futurus eſſet, oſtendit. Ait enim:

Exſulta ſatis filia Sion, Iubila filia Hieruſalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluator: ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinum, & ſuper pullum filium aſinæ.

Hieroſolymam alloquitur; eamq. ad ſummam lætitiam maximis vocibus inuitat. O homines, inquit, qui hucuſq. in mæſtitia ſumma fuiſtis, maximum vobis gaudium nuntio. Rex magnus aduentat, qui vos ex hoſtium faucibus eripiet, & in poſſeſsione firmiſſima libertatis ſempiternæ collocabit. Si vos hoſtium dominatus afflixit, ſi tyrãnorum immanitas oppreſsit, ſi iugum, ceruicibus veſtris impoſitum, vobis intolerandum dedecus inuſsit; gaudete tanto veſtro bono; & lætis acclamationibus eximiam voluptatem mentis exprimite. Rex enim, non Tyrannus; veſter, non alienus; non ſibi, ſed vobis, aduenier; vt vos ex omnibus malis eripiat, & omnibus bonis expleat. Non enim venit, vt ſibi diuitias congerat, qui nullis opibus indiget, ſed vt vos opibus ſuis locupletet; iuſtus, & ſalutis compos. Quo modo Iuſtus? quia in ſe labem nullam impuritatis admiſit, qua iuſtitiæ decus inquinaret; illumque ſtatum aſſecutus eſt, vt non ſolum iuſtus eſſet, ſed etiam omnes, qui ad eum ſupplices adeunt, iuſtos efficeret. Quo modo autem Salutis compos? quia pugnauir, vt ſalutem ſuis pareret; inuictaq. virtute perfecit; vt omnes, qui ſe ſe incenſo ſtudio ad nomen illius adiungerent, ſalui fierent. Eſt autem annotandum, hoc in loco, verbum hoc non actiuum eſſe, ſed paſſiuum

uum. Eſt enim apud illos נוֹשָׁע, quaſi dicas, Saluatus. quod non eſt ita intelligendum, vt is aliunde, quam a ſeipſo, ſalutem ſuis repererit. Salutem, inquit ille apud Iſaiam, præſtitit mihi brachium meum. Attamen, vt homo, fuit ab inſito numine ſalutem cõſecutus. Cum enim peccati vires exſtinxit, cum mortem perculit, & abiecit, cum, a mortuis excitatus, in cælum adſcendit, cum cæli, atque terræ, ſempiternum imperium ſuſcepit, ſalutem a gloria patris, hoc eſt, a ſua ipſius Diuinitate, conſecutus eſt, quam ſuis omnibus impertiret. Nihil igitur Hebræo verbo eſt de amplitudine dignitatis imminutum. Id enim fatemur, humanam Chriſti naturam fuiſſe a Diuina illius natura gloria ſempiterna cumulatam, vt non ſolum ipſe ſempiternis muneribus ornatus eſſet, verum & omnibus illi obedientibus eſſet caußa ſalutis æternæ. Vidimus, principis noſtri dignitatem, & amplitudinem, duobus nominibus contineri, nempe, iuſtitiæ, cuius ille parens eſt, & ſalutis, cuius architectus ſimiliter eſt. Sed videamus, vtrum tam ſplendidis titulis corporis cultus aliqua ex parte reſponderit. Minime, inquit. Pauperem enim nominat. Paupertas autem inſignis efficitur, cum non eum curribus inuectum, ſed aſino inſidentem, in die triumphi conſpicimus. Vt autem Propheta humilitatem hanc magis verbis exaggeret, bis Aſini nomen repetit. Idem enim eſt Aſinarum pullus, quod Aſinus. Tamquam, ſi diceret: Rex ille veſter, qui miſſus eſt in mundum, vt tyrannos euerteret, ſuos in libertatem vindicaret, Reip. ſalutem cõſtitueret, & orbem terrarum imperio coerceret, cui exercitus cælites obtemperant, vt doceret, non eſſe verum decus, & ornamentum, in auro, aut gemmis, aut in ſpecie ſplendoris humani, collocandum, in die magnificentiſsimi triũphi, pauperis perſonam ſuſcipiat, & aſino, atque adeo aſinarum pullo, inuehens, in vrbem ingredietur, vt, exemplo ſuo, ſuperbiæ ſecurim infligat. Particula autem illa, nempe, Aſinarum pullo, humilitatem magis explicat. Oſtendit enim nomen Pulli, infirmam Aſini naturam; nomen autem Aſinarum declarat, non fuiſſe illũ præter ceteros ab hominibus, quaſi pręcelleret animantibus ſui generis, aliqua maiore æſtimatione dignũ, ſed e quauis aſina ſuſceptum. In illius igitur animantis cõtemptiſsimi tergo ſummus cælitum imperator inſedit, non modo vt humanam inſolẽtiam proſterneret, verum etiam, vt ſignificaret, futurum, vt gentes, ſine mente, ſine conſilio, ſine legis onere, Chriſtum tergo ſuſtinerent, legemq. illius acciperent, priuſquam aſinæ, id eſt, Iudæi, oneri legis aſſueti, vellent onus illius iucundiſsimũ ſubire. Hic Iudæus occurrere potuiſſet: An non prædictum fuit a viris Diuinis, fore, vt Rex noſter cum potentiſsimo hoſte confligeret, bellumq. maximum maxima virtute profligaret? Vbi igitur arma? vbi bellica inſtrumenta? vbi exercitus inuictus? Huic reſponderi poteſt, ex victoriæ magnitudine, armorum vim, & robur exercitus, intelligi. Illa victoria numquam maior exſtitit. Vnde concluditur, nec maiores vires fuiſſe ab vllo umquam imperatore comparatas. Arma enim, non humana, ſed Diuina, fuerunt. Et, quo minor fuit vſus armorum, quibus homines in bellis vtuntur, eo clarius cæleſte numen apparuit. Ait igitur:

Et diſperdam quadrigã ex Ephraim, & equum de Hieruſalem, & diſſipabitur arcus belli.

Tanta, inquit, felicitate ſummus imperator bellum conficiet, vt armis opus minime ſit. Ephraim enim, & Hieruſalem, minime diſsidebunt, & aduerſus hoſtes externos erunt Diuino præſidio muniti. Per Ephraim, & Hieruſalem, omnes intelligendi ſunt, qui fuerint in Dei populo cẽſi, hoc eſt, qui fuerint ad Chriſti nomen adiuncti. Omnes igitur illi, pace perfruentur. nec enim illos cupiditas exagitabit; nec ambitio inſanire compellet; nec odium ad hominum perniciem adducet; neque denique vlla perturbatio eorum mentes de ſtatu deiiciet.

Et loquetur pacem Gentibus, & poteſtas eius a mari vſque ad mare, & a fluminibus vſque ad fines terræ.

In illius ortu cælites pacem hominibus annuntiarunt: omnis illius doctrina ad pacem dirigitur; cum illius mors appropinquaret, pacem diſcipulis vnice commendauit; & eam pacem, quam mundus ignorat; quæ tranquillo animi ſtatu, quæ caritatis incenſo ſtudio, quę Diuina gratia, continetur. Hanc eandem pacem gentibus vniuerſis, quæ ſe ad imperium, & ductum, illius aggregauerunt, attulit; vt omnes, ex inteſtinis bellis, atque tætris tenebris, emerſi, libertatis lucem adſpicerẽt, & Dei gratiam ſapientiſsime conſeruarent. Imperium illius, orbem terrarum complectitur. Poſtula, inquit pater, a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. Alibi vero ſcriptum eſt apud eundem Prophetam: Dominabitur a mari vſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum. More Scripturæ ſanctæ, terminis Hebræorum nationi cognitis, Mundi totius imperium deſcribit. A mari, id eſt autem ab intimo Arabici maris ſinu, qui eſt ad Auſtrum uſq. ad mare Iſsicũ, nẽpe ſinũ, qui pertinet ad Septemtrionẽ, & a fluuio Euphrate, qui ad ortũ Solis ſpectat, ad fines terræ, ad occaſum nẽpe, Imperiũ definit; vt intelligantur, omnes regiones, quæ

ab Auſtro ad Septemtriones, & ab ortu Solis ad occaſum pertinet, ęterno illius imperio contineri.

## Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui.

Hoc in loco annotandum eſt, hãc vocẽ Tu, apud Hebræos eſſe generis feminini. Eſt igitur orationis conuerſio ad Iudæorum multitudinem, quæ erat conſeruanda per fidem. Nam, cum de gentium reliquarum ſalute diſſeruiſſet, ad Iudæorum nationem conuerſus, ait, Neque tu quidem expers ſalutis eris. Eſt autem oratio præciſa. Addendum igitur eſt aliquid, vt clarius intelligatur; veluti, Seruaueris; aut, Salutem conſequeris; aut aliquid aliud huiuſmodi. In ſanguine vero fœderis tui, dicit, vt intelligat Iudæorum ſynagoga, non eſſe ſalutem in ſanguine pecudum, ſed in Chriſti ſanguine, cõſtitutam. Fœderis autem tui, dicit, quia proprie noſtrum appellare nõ poſſumus id, ex quo vtilitatem nullam capimus. Quamuis igitur Moiſes, cum populum ſanguine adſperſit, dixiſſet, Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum; id erat potius ad ſanguinem, quem vir Diuinus mẽte prouidebat, quam ad ſanguinem, quem fundebat, referendũ. Illud enim fœdus, aut, vt rectius dicam, illa foederis vmbra, quem fructum tulit hominibus? nũ peccata in profundo demerſit? nũ offenſas humani ſceleris oblitterauit? num veram, & ſolidam, iuſtitiam ſanxit? num hoſtes ſempiternos exterruit? Minime. Sed tantum ſubobſcure vim ſanguinis ſanctiſsimi, qui erat fundendus pro vniuerſi generis humani ſalute, deſignauit. Non erat igitur illud antiquum foedus, proprium eorum fœdus, cum quibus ictum fuit. Foedus enim illud proprium habendum eſt, quod exitioſum bellum dirimit, vt pacem ſalutarem conſtituat. Commodiſsime igitur dictum eſt, Tu quoque, o Iudęorum multitudo, non ſanguine victimarum antiquarum, ſed ſanguine foederis tui, eris ad Chriſti imperiũ adiuncta, & ita ſalutem conſequeris. Quemadmodum ipſe Dominus ait, Hic eſt ſanguis foederis, qui pro vobis effundetur.

## Emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua.

Chriſtus ipſe loquitur, & vim foederis ſalutarem eo beneficio inſignẽ facit, quod per illud fuerint antiqui patres e cuſtodia, in quã traditi erant, emiſsi. Nemini enim patebat aditus in cælum, antequam Sacerdos ille ſanctiſsimus proprio ſanguine litaret, & aditum cunctis, qui ſpe illius nitebantur, aperiret. In lacum igitur, hoc eſt, in cuſtodiam, dati fuerant omnes, qui cum pietate vixerant, diem illum exſpectantes, quo erant e tenebris eripiendi, vt Diuina luce fruerentur. Lacus appellatur locus depreſſus, in quem aquæ vndique fluunt; Locus vero ille, in quo ſancti homines detinebãtur, propterea quod profundus eſſet, Lacus appellabatur, non tamen in illum aquæ confluebant. Per aquas enim in ſanctis Litteris ſæpenumero calamitates, & ærumnæ, ſignificantur. At locus ille omni moleſtia vacabat. Nullus enim dolor ſanctos homines attingebat. Quamuis autem illos deſiderium ſollicitaret, ſpes tamen gloriæ firmiſsima maximum illis ſolatium afferebat; Spiritusq. ſancti iucunditas eos mirifice ſuſtentabat. Hic erat ille ſinus Abraham, in quo ſancti homines, quamuis nõdum eſſent in poſſeſsione hereditatis ſempiternæ conſtituti, in tranquillitate tamen verſabantur. Lacus tamen ille, & carcer erat. omnis enim tanti boni dilatio, poena poterat exiſtimari; & locus, qui illos continebat, carceris inſtar obtinebat, quamuis ſpes deſideriũ illud ardentiſsimum leniret. Hoc etiam beneficio ſanctis patribus attributo, Dei filius Iudæis ſpem certiſsimam futuræ ſalutis oſtendit. Inquit enim: O Sion, non ita gentium ſaluti proſpicio, vt non tui memoriam in earum etiam ſalute procuranda retineam. Seruabetis enim & tu, non tamen ſanguine foederis antiqui, quod a te fuit nefarie violatum, ſed foedere proprio, atque ſempiterno, quod erit ſanguine meo ſancitum: cuius ſanguinis meritis, & ſanctitate, factum eſt, vt patres tui e lacu, & e tenebris, quibus incluſi tenebantur, eximerem, vt Diuina gloria fruerentur.

## Conuertimini ad munitionem vincti ſpei, hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi.

Si patres, inquit, veſtros e carcere liberaui, vos etiam, quamuis ſitis flagitiorum vinculis impediti, e vinculis eripiam. Omnes igitur, qui minime ſpem ſalutis abieciſtis, reuertimini ad arcem veſtræ ſalutis, quam deſeruiſtis. Quamuis enim in firmamentum veſtræ ſalutis, atque dignitatis, tæterrimi fuiſtis, etiam hodie, hoc eſt, dum manetis in vita, dum ſpatium pœnitendi conceditur, dum aditus ad clementiam patet, ad Chriſtum, vnicum miſeriæ veſtræ perfugium, conuertimini. Deſerite igitur perfidiam, amplexamini fidem, vos ipſos ad Regis ſanctiſsimi pedes abiicite: & ita futurum prænuntio, vt duplicia capiatis. Multo namque maius erit donum, quod Chriſti ſanguine recuperabitis, quam illud exſtitit, quod antiquitus, neglecto ſtudio legis, amiſiſtis. Non enim, ſicut delictum, ita & donum. Quod vt clarius a vobis cerni poſsit, reputate cum animis veſtris, quam illuſtres victorias tribules veſtri de orbe terrarum conſecuti ſint.

Quo-

**Quoniam extendi mihi Iudam quaſi arcum,impleui Ephtaim : & ſuſcitabo filios tuos Sion ſuper filios tuos Gtæcia,& ponam te quaſi gladium fortium .**

Crebræ perſonarum conuerſiones reddũt orationem paullo obſcuriorem.Deus ipſe loquitur, & ait:Ego Indam , vt arcum,tetendi, vt hoſtes configeret.Ephraim autem,vt pharetram,ſagittis impleui, vt Iudæ telam miniſtraret . Non enim erit Iudæ, & Iſraelis , Regnum , quod nomine Ephraim appellari ſolet, vlla diſſenſio , vt olim fuit, ſed coniunctis animis in hoſtes inuadent. Filiosque tuos , o Sion, excitabo, vt contra filios tuos , o Græcia,arma corripiant . Et te, o Chriſte, vt gladium viri fortiſsimi cõſtituam , vt,quocumq. tuleris impetum, hoſtiles acies in fugã cõuertas . Græciæ namque faſtum , & inſolentiam, proſternes. Superbiam enim e ſolio detrudes; amentiam diſsipabis ; impietatem exterminabis; falſum ſapientiæ nomen , & ementitæ virtutis ſtudium , exſtingues .

**Et Dominus Deus ſuper eos videbitur , & exibit , vt fulgur iaculum eius : & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine Auſtri.**

Multis, inquit , ſignis admirabilibus Deus ipſe præſentiam ſuam declarabit,vt illis ferat opem, qui ſub Chriſto militauerint . Sagitta enim illius,quaſi ſplendor fulguris, emicabit; Euangelij clangor hoſtes exanimabit ; motus admirandi turbines , Auſtrum perterrebunt. in Aegypto enim,in qua regione ſuperſtitiones diriſsimæ , & errores turbulentiſsimi,mentes humanas occupauerant,verbi Diuini vis incitabitur,vt ruinas edat, & ſtrages efficiat; vt tandem in ipſis ſedibus , in quibus ſummæ impietatis ſtudia vigebant , pietatis acerrimum ſtudium dominetur.

**Dominus exercituum proteget eos : & deuorabunt , & ſubiicient lapidibus fundæ : & bibentes inebtiabuntur quaſi a vino,& replebuntur vt phialæ, & quaſi cornua altatis .**

Diſcipulorũ victoriam ſimilitudinibus luculentiſsimis exorãt,& in oculis,& adſpectu, conſtituit. Primum enim,dicit, futurum, vt a Dei tutela , & patrocinio, minime deſerãtur . Deinde,vt,parta victoria, conuiuiũ inſtruãt , & iucũdiſsime epulentur . Interim vero,dum illi, ſine hoſtium timore,exquiſitis epulis accumbũt,hoſtes minime ceſſant, & cum cominus rem gerere non audeant , vt eos eminus oppugnent, ſummopere contendunt . Sancti porro homines,fundę lapides ſibi ſubiiciebãt, vt eas in hoſtes retorquerent, & omnes Satanæ machinas,& fraudes, eluderent . Interim vero comedebant,atque bibebant iucundiſsime . Meus, inquit Dominus,cibus eſt,vt faciã voluntatem patris mei , & perficiam opes eius. Hoc eodẽ cibo diſcipuli illius,inuitis hoſtibus,alebantur. Vinum eſt,ille Diuini Spiritus ardor,quo piæ mentes incenſæ, & exhilaratæ,ita rapiuntur, vt contineri non queant, quin imperitis inſaniæ ſpeciem præferant,cũ interim veriſsimæ ſapientiæ opibus,cum voluptate ſumma, perfruantur . Hoc ſe vino diſcipuli Chriſti,ſæpe,atque libenter,ingurgitabant; &, quoties opus illud Dei clariſsimum , quod in conuerſione eorum,qui ſeſe ad Chriſti fidem adiungebant , perfectum adſpiciebant,exſultabant animis,& vim illius vini iucundiſsimi,quo ebrij erant, motibus Diuinis indicabant;ita,vt eſſent cum phiala plena, & altaris cornibus, conferendi . Metaphora ſumitur e ſacrificiis antiquis,quæ non abſque libamentis offerebãtur. Vt igitur e phiala plena aliquid ſemper redundat,& effluat,neceſſe eſt ; & vt altaris cornua , propter frequentes , & aſsiduas, libationes , continuo madebant; ita ex ſanctorum hominum, qui ſeruiebant Euangelio,moribus, oculis,& oratione, multa neceſſario profluebant ; quæ, quam eſſent eorum animi Diuini Spiritus vbertate compleri , & quam ſæpe Diuino libamento perfuſi,facile demoſtrabant.

**Et ſaluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, vt gtegem populi ſui .**

Non, inquit. ſine ſumma cura, & ſollicitudine, populi ſui ſaluti,& incolumitati,proſpiciet, ſed , vt vigilantiſsimus paſtor , ſomnum non capit,& ſedes ſuas ſæpe cõmutat, vt gregem in læta pabula deducat , ab illo luporum truculentiam arceat . ita Dominus , eos, qui ſeſe illius cuſtodiæ commiſere, tanta vigilantia tuebitur,vt nullum officium,quod ad illorum paſtum,& ſecuritatem, pertineat, vlla ratione prætermittat.

**Quia lapides ſancti eleuabuntur ſuper terram eius.**

Rationem ſalutis eam adducit, quæ eſt in cultu religionis ſanctiſsimæ conſtituta . Lapides ſancti nominabantur illi, e quibus altare fiebat , aut templum exſtruebatur . In ſublime vero feruntur , cum opus creſcit , & alij lapides illis , qui iam apte conſtructi ſunt , adiiciuntur . Aedificium vero Domini, ex lapidibus viuis fit, ſuper fundamentum Apoſtolorum,& Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide nixum,qui fabricæ ſtabilitatẽ dat.Hoc autem ſignificatur per Lapides ſanctos in ſublimi loco diſpoſitos.Hac igitur otatione, veręreligionis inſtauratio deſignatur.Et,quia,

propter puræ, & integrę,religionis ſtudium, Deus ab ira deducitur,& ad cuſtodiā ſui gregis allicitur,nō incommode ſanctorum Lapidum, in ædificatione Diuina conſtructio, tamquam cauſſa data ſalutis affertur.

**Quid enim bonum eius eſt,& quid pulchrum eius niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?**

Hic Propheta,extra ſe lōgius euectus,conſideratione Diuinæ bonitatis, obſtupeſcit, & in voluptatis magnitudine bacchatur, & quodammodo furit, ſi Furor appellandus eſt, animi,Diuinis viribus incitati,vehemēs, contra conſuetudinem humanæ naturæ,commotio.Neque dubium eſt, quin, ſolito vehementius,Diuino ſpiritu afflatus, & inſtinctus, dū ſpeciem Chriſti,atque numen, contemplaretur,inſolita admiratione defixus,in hæc verba proruperit:Quanta, inquit,eſt illius benignitas,qui ſe,gregis cuſtodiēdi cauſſa, in terras demittet, vt vitam pro ouium ſulute ponat?Quāta pulchritudo illius, qui gloriæ ſplēdor,& imago patris eſt,totiusq.ordinis,& venuſtatis, & elegantiæ, modum numine ſuo complectitur?quam firmo robore confirmat, quanto gaudio cumulat,eorum animos, qui ſpeciē illius frequenter intuentur?frumētum enim large,& munifice,præbet,cuius vi iuuenes fortes efficiantur. Vinum copioſe ſuppeditat, quo virgines,amore illius ardentes, exhilaratæ, niteſcant. Vtrumque enim neceſſarium eſt,vt robur fortium pane cæleſti confirmetur, & integræ, & incorruptę,mentes, amoris dulcedine liquefacta, vino, id eſt autem Spiritus ſancti iucunditate, recreentur, ingenti lætitia, in ſummis etiam laboribus, efferantur. Omnes autem, qui Chriſti fidem ſancte colunt, & Iuuenes, propter inuictum robur,& Virgines,propter animi puritatem, & integritatem, appellari poſſunt. Omnibus igitur & panis ille cæleſtis promptus, atque paratus eſt, ne vires illorum debilitari poſſint, & vinum ſimiliter infunditur,vt non modo reficiantur,verum & in ſumma iucunditate verſentur.

LIBER

## CAP X.

PEtite a Domino pluuiã in tempore ſerotino,& Dominus faciet niues,& pluuiam imbris dabit eis, ſingulis herbam in agro.

Quamuis pluuia alijs etiã temporibus vtilis ſit, eo tamen tempore vehementius flagitatur, quo ſpica nondum emerſit e culmo, vt granum vaginis incluſum proferat. Fruſtra enim mandatum eſt ſemen agris; fruſtra fruges enatæ ſunt; fruſtra culmi adoleuerunt, ſi tempore, quo ſpes vbertatis maxime oſtendebatur, Solis ardoribus exuruntur. Ideo, in ſanctis Litteris, Deus iis, qui pie vixerint, nõ autumni tantum pluuiam ad ſementẽ faciendam valde neceſſariam, ſed multo etiam magis pluuiam veris, quæ ſerotina ſolet appellari, ſæpenumero pollicetur. Propheta igitur, cum frumenti illius, quod iuuenũ robur confirmat, & vini illius, quod virginum intimos ſenſus dulcedine mira perfundit, meminiſſet, exhortatur nunc omnes, vt pluuiã a Deo poſtulent, & imbrem gratiæ Diuinæ frequenter efflagitent, vt, quod ex ſemine verbi Diuini erat in animis enatum, ad maturitatem perueniret. In quo vero pluuiæ ſerotinę mentionem facit, oſtendit, meſsis tempus appropinquare. Quemadmodũ ſcriptũ eſt apud Iſaiã, Iuxta eſt ſalus mea, vt veniat, & iuſtitia mea, vt reuertatur. Alibi vero apud eundem Prophetam inquit, Quo modo deſcendit imber, & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, ſed irrigat terram, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedẽti, ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet, & proſperabitur in ijs, ad quæ miſi illud. Hanc igitur niuem, & hos imbres, vt aſsidue poſtulemus, admonent viri ſancti, vt lætiores in dies iuſtitiæ fruges efferantur.

Quia ſimulacra locuta ſunt inutile, & diuini viderunt mẽdacium, & ſomniatores locuti ſunt fruſtra: vane conſolabantur. iccirco abducti ſunt quaſi grex: affligentur, quia non eſt eis paſtor.

Qui Diuina potiſsimũ intuentur, a rerum humanarũ præſidio minime deſeruntur. Omnia namque, ſiue cæleſtia, ſiue terreſtria, ſummi Domini imperio, qui eſt bonorũ omnium principium, & fons, adminiſtrantur. Contra vero, cum homo neſarius, rerum humanarũ cupiditate cæcus, a ſtudio Diuinarum abſtrahitur, non modo Diuinarum fructu caret; ſed plerumq. etiam ab humanarum poſſeſsione deiicitur. Cum igitur Hebræi, a cæli cõſpectu in terram deiecti, ita terreſtrium opum cupiditate flagrarent, vt Deos etiam in terra quærerent, merito fuere opibus Diuinis, quas neglexerant, orbati, & a terreſtribus ſimul, quibus incumbebant, expulſi. Hęc redigit illis in memoriam Propheta, vt ad ſtudium pietatis ardentius excitet. Simulacra, inquit, opẽ non attulerunt: diuini fallaciſsimam ſpem ſalutis oſtenderunt; ſomnijs inaniſsimis ſectatoribus ſuis illuſerunt: dicebant enim, fore, ſi Deos commenticios rite colerent, vt frugibus, vt opibus, vt omnibus bonis, affluerent, & hoſtes a ſe facillime propulſarent. At illi, pro frugum copia, famem; pro opibus, egeſtatem; pro victoria, cædem, vaſtitatem, & exſilium, experti ſunt. Itaque, vt oues, diſpulſæ, & a paſtore derelictæ, crudelitati hoſtium, rapinis, & contumelijs, expoſiti fuerunt. Quia vero potiſsima cauſſa ruinæ, in paſtoribus conſiſterat, paſtores inſectatur:

Super paſtores iratus eſt furor meus, & ſuper hircos viſitabo.

Paſtores, inquit, acerrime perſecutus ſum, non tamen hircis parcam. Hirci, ſunt improbi, qui ſponte ſua in peſtem ruunt.

Quia viſitauit Dominus exercituum gregem ſuum domum Iuda, & poſuit eos quaſi equum gloriæ ſuæ in bello.

Ratio, quam aſsignat, animaduerſionis, parum cum his, quæ dicta ſunt, congruere videtur: cum tamen nihil aptius eſſe poſsit. hoc enim dicit, Paſtorum ſocordiã acerrime vindicaui. Nam gregem meum, quem plurimi facio, incuſtoditum reliquerunt: hircorũ ſcelus vlciſcar. Nam, cum oues eſſe potuiſſent, inſita petulantia hircorũ ſimiles affecti ſunt. at hoc, inquit, non obliuione mea factum fuit. Dominus enim gregi ſuo non tantum ouium ſimplicitatem, ſed equorum etiam robur, inſeuerat, vt poſſent a ſe hoſtium impetum in bello propulſare. at homines ingrati, in tantum beneficium, cum ouium manſuetudinẽ, & obedientiam reliquiſſent, robur etiam amiſerunt. Quo autem beneficium amplius exſtiterat, eo grauiore ſe crimine alligarũt. Aliud deinde beneficium multo maius commemorat:

Ex ipſo angulus, ex ipſo paxillus, ex ipſo arcus prœlij, ex ipſo egredietur omnis exactor ſimul.

Lapis angularis, Chriſtus eſt. Clauus in pa-

riete fixus, quo inſtrumenta omnia ſuſtinentur, Chriſtus eſt. Arcus bellicus, quo ſagittę in hoſtium corpore defiguntur, verbum Chriſti eſt. Exactores, qui operibus Diuinis incumbũt, & tributum peccatis imperãt, Chriſti diſcipuli ſunt. At Chriſtus ex Iudæ ſtirpe exortus eſt. Non leue igitur eorum flagitium fuit, qui gregẽ ita Deo carum, quaſi is ad eos, quibus fuerat commiſſus, minime pertineret, paſſim errare permiſerunt. Neque mediocre ſcelus eorum fuit, qui paſtoris ſummi ſæptis cõtineri minime voluerũt. Eorum vero, qui ſtrenuam operam erant Chriſto nauaturi, virtutem egregie celebrat.

Et erunt quaſi fortes, conculcantes lutum viarum in prœlio: & bellabunt, quia Dominus cum eis: & confundentur aſcenſores equorum.

Erunt, inquit, robuſtiſsimi; erunt in armis acerrimi; hoſtes, vt platearum lutum proculcabunt; bellum cum facilitate ſumma conficient: Deus enim illis præſens aderit. Qui equis efferebantur, & quaſi ad exploratam victoriã concurrebant, a Chriſti militibus cum dedecore, & ignominia, repellentur.

Et confortabo domum Iuda, & domũ Ioſeph ſaluabo: & conuertam eos, quia miſerebor eorum: & erunt ſicut fuerunt quando non proieceram eos: ego enim Dominus Deus eorum, & exaudiam eos.

Per domum Iuda, & Ioſeph, Iudæorum vniuerſitatem intelligit, quæ quidem iam aliqua ex parte, maxime vero poſtquam plenitudo gentium intrauerit, ſalua fiet. Fide igitur, qui nunc imbecilli ſunt, vires Diuinas aſſument; qui malis omnibus oppreſsi ſunt, ſalutẽ amiſſam recipient; qui exſules, & extorres, vagantur, quietis in ſedibus locabuntur; qui erant denique aditu benignitatis excluſi, ad Dei clementiam admittentur; & eorum preces Deus, qui antea aures illis præbere noluerat, clementer exaudiet.

Et erunt quaſi fortes Ephraim, & lætabitur cor eorum quaſi a vino: & filij eorũ videbunt, & lætabuntur, & exultabit cor eorum in Domino.

Fides, in Chriſti ſtudium acriter incitata, vires confirmat, animos lætitia complet, & mira iucunditate permulcet. Rurſus vini meminit, illius nempe, quo expletus animus incredibiliter exſultat.

Sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi eos: & multiplicabo eos ſicut antea fuerunt multiplicati.

Apud Iſaiam queritur Deus de populi inueterata perfidia, atque pertinacia, quæ tanta erat, vt, quamuis aſsidue magnis clamoribus a Deo vocaretur, aures obſtrueret, & clementiæ Diuinæ perpetuo repugnaret. At nũc foredicit, vt tanta ſit in illo populo ad obediẽdum alacritas, vt nõ ſit clamoribus opus, ſed vno tantum ſibilo omnes vnum in locum, id eſt, in vnum fidei, & religionis ſanctiſsimæ, ſacramẽtum libentiſsime compellantur. Et, quemadmodum in Aegypto, quo Hebræi magis erant, Aegyptiorum immanitate, vexati, eo magis eorum numerus augebatur; ſimiliter fiet, poſtquam ad Chriſti ſtudium traducti fuerint, vt, quamuis a multis hoſtibus oppugnati ſint, ipſi nihilo minus miris acceſsionibus amplificentur.

Et ſeminabo eos in populis, & de longe recordabuntur mei: & viuent cum filiis ſuis, & reuertentur.

Innumerabilem, inquit, ſobolem in populis ſitu diſiunctiſsimis, fide, ſalutariq. diſciplina, propagabunt; neque religio eorum erit vna vrbe, vt olim fuerat, definita, ſed, vbicumq. pedem poſuerint, ſacrificia iuſtitiæ, atq. laudis, immolabunt. In omni enim loco erit memoria nominis mei. Ita demum intelligent omnes mortales, non vnius vrbis ambitu, ſed vnius fidei confeſsione, & vnica pietatis, & religionis veriſsimæ, conſenſione, contineri. Id autem quo modo fiet? Viuent, inquit, cũ filijs ſuis. Nemo enim eſt in morte, qui memor poſſit eſſe Domini. Viui ſunt igitur illi, qui Dei memoriam conſeruant. Sed vita ſemel amiſſa quo modo recuperatur? Vitæ conuerſione. Et reuertentur, inquit. Nam a finibus iniquitatis emigrabunt. Et tota mente ad cultum iuſtitiæ reuertentur. Sic autem fiet, vt conuerſio vitam reſtituat; vita vero in Dei recordatione conſumatur: hæc vero recordatio perficiet, vt auxilium Diuinum ſemper adſit, & via ad immortalẽ gloriã præclare muniatur.

Et reducam eos de terra Aegypti, & de Aſſyrijs congregabo eos: & ad terrã Galaad & Libani adducam eos: & non inuenietur eis locus.

Per Aegyptum, & Aſſyriam, regiones olim Hebræis infeſtiſsimas, Eccleſiæ hoſtes intelligit: per Galaad autẽ, & Libanum, quæ regiones ad promiſſæ poſſeſsionis hereditatẽ pertinebant, officiorum omnium religionem, & pietatis, atque iuſtitiæ, patrimonium. Futurum igitur dicit, vt Chriſtus, cuius imaginem Moiſes olim geſsit, populum ſuum e tyrannide peſtiferi hoſtis eripiat, & inquietiſsimas iuſtitiæ poſſeſsiones ita mittat, vt nemo ſit, qui iter illius remoretur. Aegyptij populum inſecuti ſunt, vt illius iter impediret; Aſſyrij ſimiliter eum adeo violenter oppreſſerunt, vt non poſſet vllo modo in patriam remeare. At nec ex Aegyptijs, qui perſequebantur Iſraelem, nec ex Aſſyrijs, quorum dominatu Iſrael oppreſſus erat, quiſquam euaſit. Omnes enim

fuere

fuere ſeuerisſimo Dei iudicio conſumpti. Ita fore dicit, vt omnes intereãt, qui pietatis ſtudio repugnare voluerint, & verum Iſraelem ab itinere, quo in cælũ tendit, abducere. Non, inquit, inuenietur eis locus. Vis enim hoſtiũ ita delebitur, vt nullum veſtigium ſuperſit.

Et tranſibit in maris freto, & percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis: & humiliabitur ſuperbia Aſſur, & ſceptrum Aegypti recedet.

Profundum, & anguſtum ſinus Arabici fretum, a Moſe percuſſum, atque diuiſum, facilẽ, & expeditũ, trãſitum præbuit Iſraeli, & hoſtes furenter inſequentes oppreſsit. Iordanis ſimiliter alueus tantisper exaruit, dum Iſrael pedibus in aduerſam ripam euaderet. Omnia, inquit Paulus, in figura contingebant illis. Si quis Iudæorum nugis oblectari velit, ſomniet aliam Aegypti potentiam, alium Aſſyriorum dominatum, alias maris anguſtias iterũ diſſecandas, alios fluuios a curſu continendos, vt Iſrael eo, quo cupit, deferatur, & pedem in terra ponat, vt lactis, atq. mellis, fluenta perſpiciat. Nos vero, quos minime Iudæorum fabulæ delectant, Chriſtum mentis oculis adſpiciamus, populum ſuum ex hoſtium poteſtate in libertatem auxilio præſentisſimo vindicantem, & omnia ſanctisſimis conatibus obſtantia dimouentem, peccataque noſtra, vt Micheas Propheta dicit, in profundo pelago demergentem; ita, vt nihil ſit, nec in mari, nec in terra, tantis fluctibus impeditum, aut tantis molibus obſtruſum, quod poſsit curſum pietatis, in eis, qui pulchritudinem illius admirantur, aliquo pacto retardare. Nec enim in illis, aut Satanæ potentia, aut peccati regnum, dominatur, qui ſub gratia ſunt.

Confortabo eos in Domino, & in nomine eius ambulabunt: dicit Dominus.

Quam ſæpe Diuinus hic Theologus, & quã luculenter, myſterium ſanctisſimæ Trinitatis explanat? Dominus loquitur, ſeq. in nomine Domini vires illis daturum ſpondet, qui ſpem in illo collocauerint, ita, vt per medios etiam fluctus libere gradiantur.

CAP. XI. Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas. Vlula abies, quia abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vaſtati ſunt: vlulate quercus Baſan, quoniam ſucciſus eſt ſaltus munitus.

Frequens eſt in ſanctis Litteris allegoria, qua per montes, & ſiluas, & nemora, munitiones vrbium, & ciuium frequentiam, & hominum celebritatem, deſignant. Hoc autem in loco Hieroſolymæ vaſtitas, & exitiũ, cum Iudææ vniuerſæ ruina, prædicitur. Hieroſolymã Propheta Libani nomine compellat. Portas, inquit, aperi, & hoſtes, odio tui furentes, admitte. Nihil enim tibi proderunt muri, nihil turres, nihil in hoſtium impetu ſuſtinendo pertinacia. immo, quo acrius reſtiteris, eo miſerabilius euerteris. Irruet enim tandem hoſtis, & omne robur exercitus tui contrucidabit; cedroſq. tuas, id eſt, ciuitatis principes, & inſigni potentia præditos, ferro, flamma, vaſtitate, conſumet. Qui non tantis opibus excellitis, vlulate, cum eos, qui vos multum ope, & dignitate, ſuperant, exciſos adſpexeritis. Cedrorum enim ruina, eandem quercubus calamitatem imminere demonſtrat. Vos autem quercus Baſan, ſic enim reliquas vrbes Iudææ nominat, cum videritis ſaltum munitum, id eſt, Hieroſolymam ruinis ſtratã, acerbisſimis lamentis eam ſtragem deflete, aſsiduoq. plangore, & eiulatu, quanto dolore ſitis intercluſi, demonſtrate. Vrbis enim illius interitus, vobis funeſtisſimam cladem denuntiat.

Vox vlulatus paſtorum, quia vaſtata eſt magnificentia eorum: vox rugitus leonum, quoniam vaſtata eſt ſuperbia Iordanis.

Pontifices, inquit, & Sacerdotes, qui populum paſcendum ſuſceperant, ingentes vlulatus edent. Eorum enim decus, quod in templi ſanctitate, & ſacrorum religione, conſiſtebat, interibit. Similiter, qui opibus, & potentia, principes erant, &, tyrannide conſtituta, populum lacerabant, veſtrum exitium lamentamini. Iordanis enim faſtus, id eſt autem illud Iudææ, quam Iordanis alluit, inſolens, & intolerandum, faſtidium, illa gentis arrogantia, qua ſe cunctis nationibus anteponebant, ita cõcidet, vt nihil deinceps in terris ſit Iudæorum natione contemptius.

Hæc dicit Dominus Deus meus, Paſce pecora occiſionis, quæ qui poſſederant, occidebant, & non dolebant: & vendebant ea, dicentes, Benedictus Dominus, diuites facti ſumus: & paſtores eorum non parcebant eis.

Oues cædi deſtinatę, fuere, vt Paulus interpretatur, Chriſti diſcipuli. eas Sacerdotes, & Pontifices, in principio poteſtate continebant, tantoq. odio in eas ferebantur, vt illas vel omni ſupplicio lacerarẽt, vel exſilio damnarent, omnibusq. bonis euerterent. Et, cum adeo ſceleſtum facinus in ſe concepiſſent, tantus erat in illis ſtupor, vt ſe minime deliquiſſe putarent; immo ſic efferebantur, quaſi pieta-

ti, &

ti,& religioni,cumulate ſatis feciſſent.Sic autem habuit exitũ illa Chriſti prædictio, qua diſcipulos ad labores,& dolores, excelſo animo perferendos,incitauit. Veniet,inquit,hora,quando omnis, qui occiderit vos, arbitretur,ſe obſequium præſtare Deo. Neque ſolum nullam omnino miſericordiam ſanctis hominibus tribuebant, ſed etiam in eorum vel cæde,vel exſilio,multum de rei familiaris amplificatione cogitabant. Opes enim eorum,qui erãt Chriſti diſciplinis adſtricti, in rem ſuam conuertebant:quemadmodum Paulus in epiſtola ad Hebræos teſtificatur. Sic vero,cum perfidia,immanitate,& auaritia, flagrarent, ita tamen erãt falſa ſpecie religionis inflati, vt gratias Deo, pro bonis, quæ ſanctis hominibus detrahebant, agendas exiſtimarent. Quid eſt autem hoc, quod ait, Paſce oues occiſionis? Animaduertẽdum eſt, per actiones, quæ Prophetis præſcribuntur, non ſemper actiones,ſed prædictiones,intelligendas. Velut, cum Deus imperat Iſaiæ, vt excæcet cor populi. Id eſt autem, vt denuntiet populo futuram cæcitatem,qua erat a ſe Chriſti beneficium obſtinato animo repulſurus; aut, cum ait,ſe Hieremiam conſtituiſſe,vt diruat,& ędificet,euellat,& conſerat. Et,cum eidem Prophetæ præcipit,vt calicem gẽtibus porrigat, quo ſenſibus ſpolientur. Nihil horũ fecit Hieremias,ſed futurum aſſeruit.Similiter,hoc in loco,cum ait Dominus,Paſce oues cædi deſtinatas, hoc dicit: Prædic omnibus, oues has, quæ ſe pro gloria nominis mei ad mortẽ obtulerunt,quas falſi paſtores,amentes, atq. ſcelerati, contumelijs, & ſupplicijs, afficiunt, & in quorum cæde,quaſi in pietatis officio,gloriantur, non fore vllo modo a paſtore ſanctiſſimo deſerendas. Immo,tunc vel maxime,cũ videbuntur e paſcuis eijci, & expelli,pabulis lætiſsimis, cum admirabili animorum iucunditate, perfruentur. Præterea, ſcelus eorum, qui has oues contumelijs onerant, & plagis afficiunt,non impunitum dimittam.

Et ego non parcam vltra ſuper habitantes terram, dicit Dominus: ecce ego tradam homines, vnumquemque in manu proximi ſui, & in manu Regis ſui: & concident terram, & non eruam de manu eorum.

Illi quidem,ait, nulla miſericordia ab ouiũ cæde reuocari potuerunt.Similiter ego miſericordia non impediar, quo minus eos meritis ſupplicijs excruciem. Primum igitur ipſi ſeſe inteſtina ſeditione lacerabunt, & proximus in proximi perniciem furenter incitabitur, eosq. tandẽ in manum Imperatoris Romani,quem ipſi,me neglecto,Regem adoptarũt,tradam. Rectiſsime in eorum exitio Rex eorum appellatur, de quo dixerunt, Non habemus Regem,niſi Cæſarem. A Dei igitur filio,cuius imperium contempſerunt,derelicti, & a Cæſare, quem ſibi Regem adſciuerunt, euerſi,cum in rebus deſperatis opem Dei implorarent,auditi non ſunt. Et ideo ait Deus, Non eruam eos.

Et paſcam pecus occiſionis propter hoc o pauperes gregis.

Vtitur hic ea figura, quam Græci appellãt ἀποσιώπησιν, qua Prophetæ vti etiã ſolent,maxime vero cum ſententia incidit admiratione digna,vel illa ad metũ,vel ad lætitiã ſignificandã, pertineat. Oues,inquit,meæ numquã erunt patrocinio meo deſtitutæ. Ego ipſe per me eas paſcã,& a luporum truculẽtia ſemper eripiam; ita,vt,etiam cum cædi deſtinatæ videbuntur, tunc maxime in tutela mea deliteſcãt,& pabulis vberrimis ſecure fruãtur.iccirco,o pauperes gregis, qui vos ad pedes meos abiecciſtis, nec in vobis, neque in lege, ſed in gratia mea,vitę pręſidiũ collocauiſtis,erigite animos, & in omni malorũ tẽpeſtate in cælũ mẽtes intẽdite,vnde vobis auxiliũ adueniet. De reliquis antẽ ouibus,quæ Pauperes appellari nõ poſſunt,(ſibi enim opes iuſtitiæ inſolẽter aſſumpſerũt,cũ eſſent iniquiſsimę,& ea de cauſſa ſeſe ab oculis Domini ſegregauere) q̃d fiet?Ipſe paſtor earũ conſequenter explanat:

Et aſſumpſi mihi duas virgas,vnam vocaui Decorem,& alteram vocaui Funiculum: & paui gregem. Et ſuccidi tres paſtores in menſe vno.

Duæ rationes fuere, quibus Dominus gregem ſuum, id eſt Iſraelem,paſcebat, quæ duæ Virgæ appellantur. Eſt enim Virga,vel Baculus,paſtoris inſigne. Vna virga fuit lex, quæ Decus,& Elegantia,poterat appellari. Ea nãque iuſtitiæ ſplendorem, religionis ſanctitatem,moderationis cõtinentiam,& ornatum, continebat. At,cum Iſrael legem contemneret, religionisq. infandis ſceleribus violaret, altera virga opus fuit, qua Deus populum ad officium redire compelleret. Ea vero,numero multitudinis explicatur: multi nãque fuere,quibus,vt inſtrumentis,vtebatur,vt homines rebelles,malo coacti,ſuum officium facere diſcerent. Hamonitæ enim,Moabitæ,Palæſtini, Aſſyrij, & Chaldæi, & reliquæ nationes Hebræis infeſtæ, Virgæ officio fungebantur. Iccirco Dominus Senacherib furoris ſui virgam nominat. Hi Diſsipantes appellantur, propter populationem, & euerſionem, quam Hebræis inferebant. Hunc autem morem, & conſuetudinem,Deus in illius populi moderatione tenebat, vt vel eum legis diſciplina deuinciret, vel, cum legem minime ſeruarent, in eos incitaret. Hæ ſunt duæ illæ virgæ. Quãdiu igitur Hebræi in officio manebant,eos beneficijs augebat, & egregiæ dignitatis inſignibus ornabat. Cum vero ſeſe ab illius imperio remouebat, hoſtes ad illius coercionem

euoca-

euocabantur. Duabus virgis expoſitis, videndum, quid fuerint illi tres paſtores, vnius mēſis ſpatio ſublati. Omne tempus, quo lex in ſtatu ſuo manſit, Menſis vnus appellari poteſt. Menſis enim apud Hebræos, quemadmodum & apud Græcos, erat vna Lunæ conuerſione definitus: ob id ſæpenumero Lunam pro Menſe ponebāt: vt hoc in loco cernimus. Nō enim חדש, quod eſt Menſis, ſed ירח quod nomen Lunam ſignificat, ſcriptum eſt. Luna vero varie commutatur. In principio namque tenuiſsimum lumen illius eſt, augeſcit deinde paullatim, vſque eo, dum, orbe pleno, integrum lumen accipiat; deinde attenuatur in dies, & in initia recurrit; & tandem, Solis acceſſu, lumen amittit. Sic fuit olim ſtatus antiquæ legis. in principio enim non ita late lumen in terras ſparſerat. creuit in dies illius ſplendor, donec ad eam claritatis plenitudinem, quam pro illo tempore potuit habere, perueniret. Hebræis, ſub Dauide, & Salomone, maximum illius lumen illuxit. Ex eo tempore imminui cœpit, vſque ad Chriſti aduentum, quo legis ipſius lumen, in Solis veriſsimi lumen incurrēs, euanuit. Fuit igitur legis definita conuerſio, Lunæ conuerſioni ſimillima. Per tres Paſtores, intra Lunam vnam ſublatos, non tres ſingulares homines, ſed tres ordines hominum, qui Remp. illam rexerunt, intelligendi ſunt. Primus ordo fuit Iudicum, quorum vltimus exſtitit Samuel. Secundus fuit ordo Regum, vſque ad Sedecbiam. Ordo tertius Pontifices habuit, penes quos etiam ſumma in Rep. poteſtas fuit. Hi ſunt illi tres paſtores, quos vno menſe ſublatos fuiſſe, dicit. Hoc autem triplici ordine, & ſtatu, magis Iudæorum amentiam, & ſcelus, coarguit. Quaſi diceret, Non mea negligētia factum eſt, vt populus hic effrenata mente rueret. Triplicem enim Paſtorum ordinem, pro varia temporum ratione, ei præfeci, qui illū in officio contineret. Sed neque Iudicum integritas, neque Regum maieſtas, neque Pontificum ſanctitas, potuit illius temeritatem coercere.

**Et contracta eſt anima mea in eis: ſiquidem & anima eorum variauit in me.**

Cum animaduerterem, inquit, omnem a me curam in illis regendis ſine fructu ſuſceptam fuiſſe, benignitatem meam contraxi, cum illi etiam faſtidio quodam, & offenſione mei numinis, ſeſe a pietatis ſtudio remouiſsent,

**Et dixi, Non paſcam vos: quod moritur, moriatur: & quod ſucciditur, ſuccidatur, & reliqui deuorent vnuſquiſque carnem proximi ſui.**

Supplicium diriſsimum exponit, quo erant oues illæ mactādæ. Ait enim, eas eſſe præſidio illius orbandas, & deſideriis ſuis relinquendas, vt, errore præcipites, in diras calamitates inciderent. Tria vero mala denūtiat illis, qui ſeſe a Dei patrocinio ſubducunt. Primum eſt, morbus, & peſtilētia, & fames, omniumq. rerum pænuria. Secundum, bellum durum, & exitioſum, ab externis gentibus illatum. Tertium vero, inteſtina ſeditio, qua, dum quilibet in brachium ſuum, hoc eſt in proximū ſuum, cuius opē fulciri debuiſſet, furēter inuehitur, & ipſe viciſsim a ciuibus ſuis oppugnatur, vires Reip. conſumuntur. Cum, inquit, vos ipſe paſcebam, a vobis omnem vim morbi depellebam; hoſtes in bello comprimebam; inter vos ipſos pacem ſalutari legis diſciplina conſeruabam. At, poſtquam imperium meum pro nihilo habuiſtis, & mei pabuli tędio vos ipſos in paſcua peſtifera contuliſtis, vos abieci. Itaque, ſi vos fames, aut peſtis, abſumpſerit, abſumat; ſi vos hoſtes ferro trucidauerint, trucident ſane; ſi vos inteſtina ſeditio mutua cæde confecerit, conficiat; vt tandem intelligatis, quam malum, & amarum, ſit omnibus, qui meo auxilio viuebant, auxilio meo ſpoliari.

**Et tuli virgam meam, quæ vocabatur Decus, & abſcidi eam vt irritum facerem fœdus meum, quod percuſſi cum omnibus populis.**

Lege quidem fœdus ictum inter Deum, & Iſraelem, fuit, quo Deus ſe adſtrinxit ad auxiliū illi afferēdum, ſi is iuſsis illius obœdiret, & populus viciſsim exſecratione ſe deuinxit, ſi Dei aliquādo imperium recuſaret. hoc quidem fœdus ab Hebræis violatum ſæpenumero fuit. Sed, quo modo fœdus illud gentes alienas etiam teneret, eſt animaduertendū. Dicitur fœdus fieri, non modo cum gentibus, verum & cum belluis immanibus, atque adeo cum ſaxis, cum omnia, quę nocere poſſunt, ita Dei poteſtate coercita tenentur, ne poſsint illis quidquam detrimenti, qui ſub illius tutela latent, inferre. Lege autem a Deo cantum Hebręis fuerat, vt, ſi illius placitis obtēperarent, nunquam illis noceri a gentibus, vlla ratione poſſet. Ita igitur poterant Hebræi liberi a gentium metu viuere, atque ſi ſacroſancto fœdere fuiſſet inter illos, & gentes alienigenas, ſumma pax, & amicitia, confirmata. Itaq. neceſſe erat gentibus, vt ſe ſe ſuis finibus continerent. Aliter enim illis a Deo ſupplicium imminebat, quaſi illis, qui fœdus perfregiſſent. Hoc igitur fœdere ita gentes tenebantur, vt, quoties, abſq. Dei permiſſu, bellū in Hebræos inferrent, victi, conciderent. hoc fœdere ſolutæ ſunt gentes, cum, propter Iudęorum ſcelus, & improbitatem, gentibus permiſſum fuit, illorum ſtatum euertere.

**Et in irritum deductum eſt in die illa,**

Quam Diem dicit? Illam nempe, qua fuit

Roma-

Romanis aditus apertus, vt in vrbem, Dei præſidio nudatam, armis inuaderent, illamq. funditus euerterent.

**Et cognouerunt ſic pauperes gregis qui cuſtodiunt mihi, quia verbum Domini eſt.**

Pauperes gregis, Chriſti diſcipuli ſunt, quos ante ad certam ſpem ſummæ felicitatis erexerat. Hi, cum Hieroſolymæ ruinā cernerēt, intelligebāt plane, caſum illum, nō ad fortunæ temeritatem, vt imperiti ſuſpicantur, ſed ad Dei ſanctiſsimum iudicium, reuocandum. Recordabantur enim, cum fuiſſe a Prophetis, multis ante ſæculis, prædictū, ipſumq. Dominum, cuius ſpiritu Prophetæ loquūtur, prædixiſſe, vt lapis ſuper lapidem in ea vrbe minime remaneret.

**Et dixi ad eos, Si bonum eſt in oculis veſtris, afferte mercedem meam : & ſi non, requieſcite.**

Perſonarum commutatio ſententiam obſcurat, & facit vt multi, nō Iudæi tantum, ſed Chriſtiani etiam, in abſurdas ſententias incidant. Non ſunt autē iſti, ad quos nūc Deus loquitur, Pauperes gregis, vt quidam opinati ſunt, ſed illi potius, quorum perfidia fœdus violatum fuit. Vt enim Dominus oſtendat, quam iuſte fuerit in illis ſcelus vindicatum, ſceleris ipſius magnitudinem exponit. Mercedem, inquit, meis meritis debitam, ab illis flagitaui, at illi pro mercede me nefarie prodiderunt. Quid Mercedem narrat? nū rerum omnium Dominus operam ſuam locauerat? num, certo pretio, cum illis, quibus operam ſuam dabat, depactus fuerat? Fuerat profecto. Se namque eo demiſit, vt noſtræ ſaluti, atque dignitati, ſeruiret; dies, atque noctes hominum cauſſa laboraret; &, quaſi mercenarius, propoſitæ mercedis ſpe, omnes etiam cogitationes in noſtrum ſtatum ornandum, & fulciendū, conferret. Apud Iſaiam conqueritur, quod, vt peccata noſtra deleret, ſeruierit, & immenſos labores exceperit. At, quam mercedem exegit? Fidem, & animi gratam voluntatem, vt ea videlicet donū iuſtitiæ conſequamur, vt operibus ſanctis ad ſempiternā gloriam adſpiremus. Nec enim bonis noſtris indiget, ſed ita nobis omnia largiri ſtudet, vt tunc ſatis amplam mercedem laboribus ſuis perſolutam iudicet, cum nos muneribus ſuis frui conſpexerit. Ita tamē hoc quaſi præmium flagitat, vt liberum nobis relinquat, vtrum velimus, vel fide, & debita caritate, beneficium amplecti; vel perfidia oblatum munus aſpernari. Hoc enim ſignificat, cū ait: Si bonum eſt in oculis veſtris, afferte mercedem meam; ſi non, omittite. Non enim vim infert, ſed admonet tantum, & omnibus modis exhortatur, vt ſalui eſſe velimus. Quid ad tam immenſæ probitatis poſtulatum homines illi reſponderent? Non modo gratiam minime retulerunt, ſed etiam illum impie, atq. nefarie, prodiderunt.

**Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.**

Cum fidem, inquit, ab illis exigerem, illi pro fide, quam flagitabam, immane perfidiæ ſcelus in me machinati ſunt. me namque, triginta argenteis, proditori perſolutis, addictum, ad ſupplicium abduxerunt.

**Et dixit Dominus ad me, Proiice illud ad ſtatuarium decorum pretium quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos: & proieci illos in domum Domini ad ſtatuarium.**

Iubentur ſæpenumero Prophetæ, quaſi mimi quidam, id motibus imitari, quod eſt opportuno tempore faciendum. Veluti, cum Iſaias iubetur nudus incedere, vt portendat eorum nuditatem, qui erant in ſeruitutem abducendi; aut, cum Hieremias, lagena fictili perfracta, ſignificat, omnes opes Iudæorum eſſe perfringendas; aut, cum Ezechiel, ſimili ratione, quaſi fabulam ageret, vrbis obſidionem, atque ruinam, multis actionibus hortendis expreſsit. Similiter hoc in loco Prophetæ imperatur, vt Iudæ facinus in oculis ponat. Id igitur ex Dei præſcripto agit Propheta, vt triginta argenteos (tot enim erat Chriſtus, ſcelere Iudæ, Sacerdotibus addicendus) in domum Domini referat, vt pretium ſanguinis, vt poſtea fecit Iudas, abiiciat, vt ita argentū in figuli manum perueniat, quemadmodum factum eſt, cum figuli ager emptus fuit in ſepulturam peregrinorū. Et inquit, Decorum pretiū, quo ab illis æſtimatus ſum. En merces mea, en pietas, en fides. Ideo videlicet pretiū æſtimationis immenſæ pro eorum ſalute libenter obtuli, vt illorum corpus, & vitam meam, non pluris, quam triginta argenteos, facerent, & tam vili pretio id, quod nec vniuerſi natura compenſari poteſt, ab homine perditiſsimo mercatur. Reiice igitur argentum; teſtificare ſcelus; deteſtare monumentum; fac, ne facinoris infandi pretium pecuniam ſacram contaminet. Cedat in vſum figuli, vt intelligant, vaſa fictilia a ſeſe, quaſi figuli vaſa, confringenda.

**Et præſcidi virgam meam ſecundam, quæ appellabatur Funiculus, vt diſſoluerem germanitatem inter Iudam & Iſrael.**

Hoſtes, qui per virgam, quam appellat, Diſſipantes, intelliguntur, hunc vſum habebant,

vt ho-

vt bomines, opibus inſolentes, & religionis oblitos, ad officium reducerēt, &, qui ſimultate, inteſtinaq. ſeditione, Deum offenderant, eum mutua caritate, & bonorū ſtudiorum cōſenſione, placarēt. Homines enim, pręcipites, atque deuij, malis eruditi, in viam redibant, & humanam ſocietatem, quam violarant, vnice ſibi colendam ſtatuebant. At, poſtquam ſic omnia prolapſa ſunt, vt nullum in illa gente pietatis veſtigium reſideret, nullam vtilitatem diſsipantes afferebant, nec ad pietatem recolendam, nec ad voluntates conglutinandas. Fruſtra, inquit alibi, percnſsi filios veſtros. Apud Iſaiam vero ſæpe conqueritur, quod ij, qui erant plagis fracti, atque debilitati, non fuerint ad percutientem conuerſi. Tūc igitur illa virga confringetur. Non quidem, vt non contundantur plagis ij, qui fidem violarunt, ſed vt plagæ non ad correctionem imponantur, ſed tantum ad perfidiæ ſupplicium conferantur. Illa igitur virga tunc non eſt virga paſtoris, ſed vindicis, & vltoris, appellanda. Senſus igitur hic eſt; vt doceat Dominus, ſe ſic eſſe Iudæis, propter atrocitatem ſceleris, infenſum, vt ne plagis quidem eos iam a ſcelere reuocare conetur, cum omnem conatum in populo pertinaci curando fruſtra comparari perſpiciat. Equidē, inquit, paſtoris vigilautis officio perfunctus ſum, legeq. mea populum regendum & nntriendum ſuſcepi, at illorum ſcelere factum eſt, vt legis foedus irritnm fieret. Reliquum igitur erat, vt eum bellis affligerem, vt, malis edocti, ad officium redirent. At illi, tam obſtinatis animis in ſuſcepto ſcelere perſtiterunt, vt fruſtra fuerit a me omne paſtoris officium in eorum moderatione conſumptum. Sic autē factum eſt, vt illam alteram virgam, qua illos antea ſanabam, perfringerem, & illorum curam prorſus abiicerem, cum morbus eorum inſanabilis eſſet. Eſt antem boc ſatis horrendum ſupplicium, ita deſeri quemquam a Deo, vt neque præſidio illius ſæpiatur, nec illius flagello in ſanitatem reuocetur. Sed, quod tandem malum bāc adeo miſerandam orbitatem conſequatur, eſt animaduertendum:

Et dixit Dominus ad me, Adhuc ſume tibi vaſa paſtoris ſtulti. Quia ecce ego ſuſcitabo paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit, & id quod ſtat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum diſſoluet.

Adhuc, inquit, qnia vnam tragoediam egerat, in qua futurum Iudæ ſcelus luculēter explicuit: nunc vero oſtenditur alia, qua Antechriſti ſceleſtiſsimū facinus in conſpectu proponat, in cuius quidem tyrānide erit Iudæorum ſupplicium, extremæ calamitatis acceſſione cumulatum. Non enim eſt anerſus furor Domini, ſed adhuc manus illius eſt extenſa. Quamuis enim Iudæi, ciuium ſtrage, vrbis euerſione, templi inflammatione, exſilio diuturno, odio cunctarum gentium, contumeliis innumerabilibus, immanitatis, atque perfidiæ, poenas exſoluerint, nondum tamen omnium maximum in hac vita ſupplicium pertulerunt. Nam, cum nihil ſit mentis cæcitate funeſtius, tum ea cæcitas mentis, cuius cauſſam Antechriſtus perditis hominibus allaturus eſt, tam dira, & deteſtabilis, erit, vt nulla ſit cum ea, vel erroris turbulentiſsimi magnitudine, vel exitus triſtiſsimi diritate, comparanda. Quod quidem ſupplicium eſt illis, merito, atque iure, ſubeundum. Vt enim Panlus, ad Theſſalonicenſcs ſcribens, ait, Quia noluerunt ſpiritui veritatis aſſentiri, immittet in illos ſanctiſsimus iudex ſpiritū erroris, vt mendacium amplexentur: ita fiet, vt, qui lucem odio immaui perſecuti ſunt, tenebris oblectentur; qui vitæ, atque ſalutis, auctori necem machinati ſunt, periuri, & homicidæ, iugum ſubeant; qui verum paſtorem repulerunt, falſum libenter adſciſcant. Antechriſtum vero, Stultum paſtorem nominat. Nam, cum ſumma ſtultitia in improbitate ſumma conſiſtat, ille maxime ſtultus erit, qui ad ſummum improbitatis, & impietatis, euaſerit. Improbitas vero, & impietas, illius, tanta erit, vt ſibi Diuinitatem imprudenter arroget, & honores Diuinos inſolenter vſurpet. Stultitiæ autem ſummæ confeſtim documenta ſtatuet, e quibus poſsit intelligi, quātum inter illum, & paſtorem verum, interſit. Veri namque paſtoris officium eſt, ouium vulneribus medicari; at ille ouibus mortiferum etiam vulnus infliget; diſpulſas inquirere; at ille, bene cōuenientes diſpellet; ægrotas ſanare, at ille ouibus peſtē molietur; greſſum ouium ſtabilire, at ille vngulas ouium diſcindet, ad ſuam cupiditatem, & ambitionem, reuocabit. Ab hoc igitur paſtore fallaciſsimo, & amētiſsimo, qui peſtem, qui tenebras, qui cruciatum ſempiternū, eſt perditis hominibus illaturus, ſe decipi ſinent illi, qui verum paſtorem, vitæ, lucis, dignitatis, immortalitatis, architectum, omnia vitæ ſtudia ad gregis utilitatem referentem, triginta argenteis addictum, in Crucem ſuſtulerunt. Antecbriſti perſonam agit, iuſſu Domini, Propheta, nt ſpectatoribus horrorem ſpectaculi tam atrocis incutiat. Deinde, in illius truculentiam, & immanitatem, reſpiciens, exclamat:

O Paſtor & idolum, derelinquens gregem: gladius ſuper brachium eius, & ſuper oculum dextrum eius: brachium eius ariditate ſiccabitur, & oculus dexter eius tenebreſcens obſcurabitur.

O uir, inquit, amētiſsime, quì tibi Diuinos hono-

honores aſſumis,cum ſis omnium mortalium ſceleſtiſsimus, qui paſtoris officium vſurpas, cum ouibus exitium machineris,quas tandem pœnas ſceleris, & amentiæ, perſolues? Ira namque Diuina in te iudicij gladium vibrabit,viresq. tuas exſcindet, mentemq. tibi totam eripiet,vt omnes, qui tibi ſummam potentiam tribuunt, ad ſpectaculum tuæ imbecillitatis obſtupeſcant;&,qui te nomine ſummæ ſapientiæ laudibus efferebant, ſtultitiæ tuæ tenebras,& mentis cæcitatem, deteſtentur. Animaduertendum autem eſt,per Brachium, vires intelligi; per Oculum dexterũ, rationem. Vtriuſque autem rei exitium Propheta prænuntiat:nam vires Antechriſti frãgendas,& funditus euertendas,eſſe prædicit, & rationem tenebris obruendam. Oculus quidem illius ſiniſter, nempe acumen, & calliditas, ad fraudes capitales faciendas integer permanebit. Lumen vero oculi dexteri, ideſt conſilium ad malum præcauendum, in illo erit tætra caligine demerſum. Sic vero fiet,vt,quo magis ingenium ad malitiam verſauerit, eo furentius ſibi ipſe peſtem, & exitium,machinetur.

CAP. XII. Onus verbi Domini ſuper Iſrael.Dixit Dominus extendens cælum, & fundans terram,& fingens ſpiritum hominis in eo, ecce ego ponam Hieruſalem ſuperliminare crapulæ omnibus populis in circuitu: ſed & Iuda erit in obſidione contra Hieruſalem.

Cum nomen Oneris eam vim contineat, vt calamitatem præuuntiet, & eam contra Iſrael futuram Dei verbum aſſcueret, non poteſt vlla ſpes ex hoc Dei verbo ſalutis oſtendi illis Iudæis, qui ſunt, mentis adſpectu, in terra defixi, nec veram religionem, ſed vmbram religionis,intuētur. Vt autem doceat, Deum nec in perſona, nec in ritu, nec in legis piaculis,vllum iuſtitiæ fructum collocare, nec vllam gentem eximiam habere, cui præcipue conſultum eſſe velit;docet,illius amplitudinem, qui cælum extendit, terram fundauit,ſpiritum hominum finxit, Iudææ finibus includi minime poſſe, beneficentiamq. ſuam ad omnes ex æquo pertinere, qui cum pietate vixerint. Nulla enim præmia generis dignitati, ſed vitæ puritati, conſtituit; neque pro ratione religionis adumbratæ, ſed pro fidei ſanctitate, opera remunerat. Sic autem liquet, neque Iudæis fuiſſe, ſi deliquiſſent, impunitam culpam,neque gentibus,ſi fidem coluiſſent, aditum ad fontem benignitatis interclusum. Sed,vt ad Prophetæ mentem propius accedamus,intelligendum eſt,hanc orationem eſſe ex Euangelij Lucę, & non ex tenebricoſis Iudæorum ſenſibus, interpretandam. Hieruſalem,eſt cœtus fidelium, iure Diuino ſociatus. Hanc ciuitatem, omnes, qui a ſtudio ſanctiſsimæ religionis abhorrent, immani odio perſequuntur. Illa nihilominus, cum ſit petræ firmiſsimæ fundamento nixa, conuelli de ſtatu non poteſt, immo omnibus hoſtibus ſuis vinum mortiferum amentiæ, & ſtuporis, infundit. Dei namque iudicium eos errore mentis exagitat,& vita etiam ſpoliat. Sic enim ſcriptum eſt apud Iſaiam: Obſtupeſcite, & admiramini: fluctuate, & vacillate: inebriamini, & non vino: conturbamini, & non ebrietate: quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſopotis. Hieremiæ autem præcipitur, vt hoc vinum,quod ſtupore,& mentis inſania,continetur,porrigat omnibus gentibus, ad quas erat calamitas peruentura. Interpretes Græci hoc verbum רצל, quod Venenum,aut Stuporem,aut mentis de ſtatu deiectę perturbationē,ſignificat, κατανύξιν, ideſt acrem Compunctionem,appellant. Nominatur autem hoc extremũ ſupplicium improbis illatum Vinum ſoporis, aut compunctionis;vel propterea quod mentem iudicio ſpoliat, animumq. dilacerat, vel quia maxima ſceleris pœna eſt excæcatę mentis inſania, animiq. præcipitis,& deuij, temulentia, qua gentes perditæ ſe in peſtem furibundæ præcipitant. Hoc autem vas in Eccleſiæ manu poſitum eſſe dicitur, eo quod ipſa, ſemper occaſionem extremi furoris, atque dementiæ,gentibus perditis, atque profligatis, intulerit. Non quod gentium ſanguinem, & exitium,exſpectat, ſed, quia, dum oppugnatur, dum vexatur, dum opprimitur, numen Dei in eas gentes, quæ bellum nefarium mouent,inuehitur, vt eas, ſanitate mentis ſpoliatas, omnibus malis excruciet. Ne autem poſſent Iudæi dicere hoc in loco, Deum non Iudæis, ſed exteris gentibus, qui Hieroſolymam oppugnabant, ſupplicium comminari, dictum eſt, Etiam contra Iudam erit; ideſt autem, Iudæi etiam idem poculum Diuinæ ſeueritatis ebibent, eandem omnino pœnam ſuſtinebunt, eodem furore conturbati,ad ſempiternum ſupplicium trudentur; ob quod ſcelus? in munitione, inquit, contra Hieruſalē. Ob id igitur, quod Iudæi Hieroſolymam ſummis viribus oppugnandam ſuſcepere, & munitiones,vt eam euerterent,excitauere, furore mentis excruciabuntur,ſempiterniſq. ſuppliciis pœnas tam diri ſceleris exſoluent. Dicant Iudæi, quo tempore Iudæi Hieroſolymam, poſtquam a Dauide capta fuit, oppugnauerint, aut opem illis, qui eam euertere funditus cupiebant, attulerint, ſi velint ea, quæ ex Diuino Prophetæ ſenſu explicanda ſunt,ad ſomnia ſua reuocare. Hieroſolymæ quidem terreſtris faſtus euanuit:cæleſtis autem Hieroſolymæ dignitas,& amplitudo, inuicta permanebit. Omnes,qui eam oppugnauerint, interebunt. Sed,quamuis ea multis vndiq. bellis cincta fuerit, nulla vmquam gēs

inſenſus Chriſti numini aduerſata fuit, quã Iudæorum natio, nec odio maiore Eccleſiam oppugnare conſtituit, & iceirco nulla tãtum vini mortiferi, atque ſoporis, exhauſit. Tanta enim amentia Iudæi vexantur, rantoq. ſtupore mentis oppreſsi ſunt, vt nihil cogitari poſſit inſanius.

**Et erit in die illa, ponam Hieruſalem lapidem oneris cunctis populis: omnes qui leuabunt eum, concisione lacerabuntur: & colligentur aduerſus eam omnia regna terræ.**

Non ſolum, inquit, Hieruſalem caſicẽ mortiferi ſoporis manu geſtabit, vt omnes, qui in eam inuecti fuerint, a mente deſerantur, verum & ipſa lapis erit grauiſsimus, vt oẽs, qui illam mouere conati fuerint, onere grauati, deprimãtur, illiusq. duritate ſauciẽtur. Itaq. Hieroſolyma, lapis etit, ſoliditate firmus, & ſtabilitate ſempiternus, ne vmquam conuelli poſsit; immo oẽs, qui tantum onus ſuſtinere voluerint, pondere illius obruantur. Erit præterea lapis duriſsimus, vr, qui illi plagas inflixerint, grauiſsime ſaucientur. Quanta porro futura fuerit huius lapidis firmitas, ex eo declaratur, quod ait Propheta, fore nempe, vt oẽs gentes cõtra eas cõgregẽtur. Quo enim maior eſt hoſtium multitudo, quo odium immanius, & turbulentius, quo violentior eorũ impetus, qui Hieroſolymã oppugnant, eo clarius, quam inuicta ſit virtus illius, oſtenditur. Iudæorum perfidia oẽs conatus ad illius exitium cõparabat; gentes innumerabiles inter ſe de illius pernicie coniurabant; Tyranni, Reges, & Principes, quaſi eorũ ſalus, & dignitas, ageretur, omni impetu in Chriſti nomen, vt eum exſtinguerent, ferebantur; mores profligati, atque perditi, odium acerbiſsimum puritatis, atque religionis, incitabant: inanis philoſophia, ficta virtutis ſpecie, ſceleri auctoritatem dabat; oẽs denique Satanæ opes in illã frequenter irruebant; & tamen illa nulla ex parte lababat, immo tunc magnificentius Diuinæ virtutis lumen eminebat, quo violentius hoſtes eam euertere nitebantur. Quo modo? Num viribus ſuis poterat tantæ hoſtium multitudini repugnare? Minime quidem. Sed illius ope, qui hoſtes facillime fundit, & ſuis decus, & gloriam, pollicetur. Ait enim:

**In die illa, dicit Dominus, percutiam omnem equum in ſtuporem, & aſcenſorem eius in amentiam: & ſuper domum Iuda aperiam oculos meos, & omnem equum populorum percutiam cæcitate.**

Per Equos, miniſtros furoris intelligit: per eorum agitatores, Duces, & Principes, qui illis ad ſanctorum hominum perniciem abutũtur. Per Iudam vero, eorum Iudæorum coetũ intelligit, qui non circumciſione corporis inſoleſcunt, ſed cupiditatis exciſione gloriantur. Qui non in aperto Iudæi ſunt, vt Paulus inquit, ſed intima mente nominis huius dignitatem tuentur, atque ſuſtinent. Quorum gloria, non ex hominibus, ſed ex Deo, eſt. Hic autem eſt ille Iuda, cui Deus oculos ſemper adijcit, vt eum ab hoſtium incurſione defendat, & in arce firme munita conſtituat.

**Et dicent duces Iuda in corde ſuo, Confortentur mihi habitatores Hieruſalem in Domino exercituum Deo eorum.**

Principes, ait, Iuda non ij erunt, qui viribus ſuis victorias aſsignent, immo, qui omnem ſui decoris ſplendorem Deo acceptum referant. Itaque a Deo ſuppliciter, & obnixe, contendent, vt eos robore confirmet. Sapienter enim vident, non eſſe Virtutem ingenij humani ſtudijs, ſed numinis Diuini muneribus, adſcribendam. Recte igitur quidam clariſsimus dux Iuda, Paulus nempe, dicebat, ſe omnia poſſe numine illius, qui eum corroborabat. Illa vero orationis particula, nempe, Habitatores Hieruſalem, in Deo ſuo conciſa eſt. Eſt igitur aliquid, vt clarius intelligatur, adiungendum. nempe, Spem ſalutis in Deo ſuo collocabunt. Quam illuſtris autem fidei victoria ſit, conſequenter exponitur:

**In die illa ponam duces Iuda ſicut caminũ ignis in lignis, & ſicut facem ignis in feno: & deuorabunt ad dexteram, & ad ſiniſtram omnes populos in circuitu: & habitabitur Hieruſalem rurſus in loco ſuo in Hieruſalem.**

Eſt animaduertendum, verbum, pro quo interpretes Caminum ponunt, eſſe apud Hebræos כיור. Erat autem כיור, vas amplum, aqua plenum, in templo poſitum, vt ſacerdotes, antequam ſacrificia offerrent, manus, atque pedes, lauarent, & carnes etiam immolatas abluerent. Non incommode autem eodem verbo Propheta vſus eſt, vt intelligeremus, vas hoc, quod Caminum appellamus, eſſe eiſdem ſacris vſibus deſtinatum. Illud enim, aquam corporis ſordibus eluendis ſuppeditabat; hoc autem, ignem abſtergendis animi ſordibus ſubminiſtrat. Non enim, vt Iſaias ait, ſordes filiarum Sion legis aqua, ſed ſpiritu iudicij, atque ardoris, eluuntur. Hoc autem in loco illu-

ſtris,& clara,victoria prędicitur,quam duces Iuda erant adepturi. Vt enim ignis arida ligna facillime conſumit; & vt fax in manipulos coniecta eos repente deuorat; ita Chriſti diſcipuli, concitato ſpiritus incendio, hoſtiũ opes conficiebant, ita, vt nemo poſſet eorum virtuti reſiſtere. Vtrumque autem ſimul faciebant,vt & omnium flagitiorum ſordes flãma conficerent, & animos hominum Diuini amoris facibus inflammarent. Itaq. eadem opera hoſtes conſumebant, & ignem cæleſtẽ in humanis viſceribus implicabant. Hieruſalem nomen bis repetitum eſt, vt ſanctæ ciuitatis non modo frequentiam, & celebritatem, verum & ſempiternam ſtabilitatem, videremus. Hieruſalem,inquit, firmo, & ſtabili,fundamento nixa,locum minime mutabit,ſed in loco ſuo firme conſiſtet. Ciues,inquit,qui Hieruſalem nomine ciuitatis appellantur, numquam ab eo demigrabunt, ſed in ipſa Hieruſalem perpetuo manebunt. Hoc eſt autem,numquam ab ea fide,quæ ciuitatem vnam effecit, deduci poterunt,illi,qui fide diriguntur,& fidem ad pſcriptum Diuini ſpiritus inſtituunt. Vnde clarius liquet,hoc de ciuitate illa terreſtri dici non poſſe,quæ ita funditus euerſa eſt, vt nõ ſit vmqnam,vt Iſaias,& Aggæus prædixerunt,ædificanda. Numquam enim eſt ad eadem inſtituta,legisq. diſciplinam,reuerſura.

Et ſaluabit Dominus tabernacula Iuda,ſicut in principio:vt nõ magnifice glorietur domus Dauid,& gloria habitantiũ Hieruſalem contra Iudam.

Non ſolum,inquit,ij,qui Dauid, Chriſtum nempe,ſummo ſtudio venerantur,& gloria illius efferuntur, ſalui erunt per fidẽ; neque ij, qui ciues in ſanctam ciuitatẽ adſcripti ſunt, qui ſplendore Chriſtiani nominis exſultant, ſalutis compotes erunt; verum etiam Iudæi, qui extra ciuitatem ſanctam variis in locis tabernaculum poſuerunt,& ſunt a Chriſto abhorrentes, ſalutem tandem adipiſcentur. quærent enim,vt ait Oſee, Deum ſuum, & Dauid Regem ſuum. Vt igitur olim nullus Hieroſolymitanus ciues eos,qui erant ſatu procreati,a conſortio ſuo repellebat,cum omnes eundem generis principẽ haberent; ſic tunc fiet, cum ij,qui nomine tantum Iudæi ſunt,fuerint tãdem ad eos,qui veri Iudæi ſunt, impulſu, & inſtinctu Diuini ſpiritus,aggregati. nullũ igitur erit inter vtroſq. diſsidium. Nunc quidẽ, noſtri Regis gloria,ſublimes efferimur, & Iudæos inſectamur: nunc, ciuitatis ſanctæ mœnibus incluſi, Iudæorum amentiam proſcindimus, & contra illorum ſcelus inſurgimus. At tunc,cum fuerint, propter fidem, in ciuitatem recepti, omnis hæc diſſenſio compreſſa ſilebit, & antiqua gentis vnius communio vnius fidei vinculo confirmabitur.

In die illa proteget Dominus habitatores Hieruſalẽ, & erit qui offenderit ex eis in die illa,quaſi Dauid: & domus Dauid, quaſi Dei, ſicut angelus Domini in conſpectu eorum.

Gratiæ Diuinæ largitatem, munerisq. cæleſtis affluentiam, inſigni comparatione luculẽter exaggerat. Vir quidem,inquit,magnus, & excelſus, Dauid exſtitit. Fuit enim a Deo multis donis,atque muneribus,egregie cumulatus, & amore Dei ipſius acriter exarſit. At inter illos,qui fuerint Chriſti gratia in cæleſti Rep. cẽſi, vir aliorum comparatione tenuis, & abiectus,& imbecillus,tanta mentis altitudine præditus erit,vt ſit cum Dauide ſanctitatis magnitudine conferẽdus. Illi vero, qui fuerint in Dauidis ſtirpe numerati, ideſt, qui in ſancta ciuitate fuerint veriſsimæ dignitatis principes,ad diuinitatẽ adſpirabunt, tãtisq. opibus affluent,vt ſint quaſi Dij quidem inter reliquos ciues habendi, & in angelorum gradu locandi: & hoc non erit in hominũ opinione ſitum,ſed ipſorum angelorum iudicio comprobatum. Ideo autem dicit, Coram eis. Dij enim etiam angeli,cum quibus iuſti conferũtur,nomine אלהים appellari ſolent.

Et erit in die illa: quæram conterere omnes gentes quæ veniunt contra Hieruſalem.

Si enim non ſecus accipit iniuriam ſuis illatam,atque ſi quis pupillam oculi ſui grauiſsime læſiſſet; qui fieri poterit, vt ſcelus contra Hieroſolymam cæleſtem conflatum,inultum; & impunitum,eſſe patiatur.

Et effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ & precum.

Cernis, Diuinorum munerum amplitudinem,& magnificentiam,& dubitas, quin hæc omnia ad gloriam,& dignitatẽ, cæleſtis Hieroſolymæ referenda ſint? Cum ipſe Dominus ait,Effundam,liberalitatis magnitudinem explicat,qua oĩa ijs, qui ſe ad illum ardenti fide contulerint, elargitur. Cum ſpiritum gratiæ nominat,ſuos legis terrore,atque dominatu, liberat. Nihil enim dãnationis eſt ijs,qui ſunt in Chriſto Ieſu,qui nõ ſecundum carnem ambulant,ſed ſecundum ſpiritum. Cum vero miſerationis multiplicis nomen adiungit,infinita beneficia,ſingulis horis,atque adeo momẽtis,attributa,commemorat.

Et adſpicient ad me,quem confixerũt.

Deus ipſe loquitur,& ſe confixum eſſe commemorat,vt intelligant Iudæi,eundem illum, quem homines ſceleſtiſsimi in Crucem egerunt, & clauis confixerunt, eſſe cæli rectorem, hominumque iudicem,vt pœnas expetat ab illis, qui in ſcelere contumaciam adhibent, imperiumq. illius ad extremum vitæ

ſpiritum,

Digitized by Google

ſpiritum,cum proiecta impudentia, & andacia,recuſant.Qui ſunt autem illi,qui Chriſtū, quem cōfixere,viſuri ſunt? Omnes certe mortales.Primum quidem, ſceleris miniſtri, cum in mortem illius terrā tremefieri, Solem obſcurari,ſepulcra reſerari,ſaxa concurrere,velum templi diſcindi, vidiſſent, percipere potuerunt, ſe ſacrilegas manus Maieſtati ſummi Imperatoris attuliſſe. Illi ſimiliter,qui poſtea in tanti ſceleris vltionem ciuitatem obſideri,ciues fame,peſtilentia,ferro.ciuium ſtrage,cruciari, vrbemq. expugnari,& exſcindi, templumq. flāmis vltricibus abſumi, perſpexerunt, clare numē illius cernere potuiſſent. Sed illi tunc multo clarius eum videbunt,quē confixere,cum in extremo iudicio eum videbunt,cum ampliſsima gloria,& maieſtate,nubibus inſidentem,angelorum exercitu circū ſæptum, ſanctorum hominum multitudine circumfuſum, pœnas de ſceleſtiſsimis hominibus tepetentem,ſempiternoq. ſupplicio cōdemnantem omnes,qui cauſſam illi cædis attulerunt. Hi autem erunt omnes,qui numen, patris ſceleribus offenſum, vitæ conuerſione placare noluerunt. Illi etiam,quos ſtatim ſceleris admiſsi pænituit, qui numen illius confeſsi ſunt, & percutientes pectora ſua reuertebantur,viderunt profecto, cum magno ſalutis fructu,numen illius, quem vel manu, vel facinoris conſenſione, in Crucem ſuſtulerāt. Quid de ſanctis mulieribus, quæ plangebant, & lamentabantur? Quid de Petri fletu, & reliquorum mærore,dicendū? Numquid illi Chriſtum,quem tam ardenter amabant, in Crucē egerunt. Egerunt certe. Omnes enim,qui Dei legem tranſgreſsi ſunt,illum confixerunt. Vt enim noſtrum ſcelus expiaret, & debitum, quo eramus obſtricti,diſſolueret, Crucis ſupplicium ſubire voluit. Omnes deniq. nos illum in Crucem ſuſtulimus: nos clauis manus illius,atque pedes, confiximus: nos latus illius ferro tranſuerberauimus. Si enim homo minime deliquiſſet,Dei filius nulla cruciamēta pertuliſſet. Omnibus igitur,ſiue improbis, & ſceleratis, qui tantam vim benignitatis aſpernātur, ſiue bonis,& integris,qui, a flagitiis auerſi, illius veſtigia conſectantur, illud accommodari poteſt, nempe, Videbūt,quem confixerunt,ita tamē, vt alij ſceleris pœnam ſempiternam ſuſtineant; alij contra, Crucis ipſius fructu,æuo ſempiterno potiantur.

Et plangent eum planctu quaſi ſuper vnigenitum,& dolebunt ſuper eum vt doleri ſolet in morte primogeniti.

Hic,mutatio perſonę fit. Filius enim dicit, Videbunt me, quem confixerunt; Propheta. ſpiritu patris incitatus,dicit,Plāgent ſup eū.

In die illa magnus erit planctus in Hieruſalem,ſicut plāctus Adadrēmon in campo Mageddon.

Similitudines in luctu conferuntur,non tamen exæquantur. In campo Mageddon fuit interfectus Ioſias: eius mors acerbiſsimum luctum excitauit, vniuerſamq. Remp. a ſumma ſpe ſalutis ad ſummum mærorem,rerumque deſperationem, traduxit. Erat enim ſingulari pietate prędιtus,& in omni genere Regiæ virtutis excellens. Religionem enim inſtaurauerat, diram ſuperſtitionem ſuſtulerat, fluxos hominum mores diſciplina ſalutari deuinxerat; Rempublicam labentem, atque præcipitantem, ad ſtatum priſtinum reuocauerat. Lux Iudæorum rebus,in extremum diſcrimen adductis, oblata videbatur, cum ſubito, præter opinionē, Rex ſanctiſsimus in prœlio, quod magis animoſe, quam ſapienter, inierat, occiſus fuit. Homines igitur illius memoriæ, non modo propter tam inſolitæ virtutis deſiderium, verum etiam propter Reipub. ipſius orbitatem, lamentis acerbiſsimis ſe dediderunt, luctumque illum quotannis inſtaurabant. Nec enim dubitabant, quin in Ioſiæ morte vniuerſa Reſpub. concidiſſet. Similiter,in Chriſti morte,cum illi, qui virtutem illius adamauerant,qui opera illius Diuina conſpexerāt, qui omnē ſpem ſalutis,& dignitatis, in illius benignitate repoſuerant, repente viderent illud ſummum vitæ præſidium, quo nitebantur,exſtinctum, non modo quod cernerent ſe tam ſuaui familiaritate,& conſuetudine, deſtitutos, ſed etiā quod exiſtimarent omnē ſpem melioris conditionis eſſe omnino præciſam, in ſummo luctu,& ſqualore,verſabantur:& in hoc quidem luctus fuit,in vtriuſq. morte ſimillimus. Luctus tamen tāto fuit acerbior in Chriſti morte,quanto virtus Chriſti acrius ſui deſideriū concitabat,& quanto is maiorem, & firmiorē,ſpem ſalutis attulerat. Sed Addrimō illud quid nam eſt? Nomen enim hoc non alibi reperietur. Quidam putant, eſſe loci nomen: ſed inepte. Nomen enim loci,in quo Ioſias cecidit,explicatū cernimus: Hieroſolymis aſsiduum mærorem renouatum fuiſſe, cum maximo oīm dolore,cōſpicimus. Non erat autem cauſſa,cur loci illius,qui nō eſſet vel clade illa vel aliquo luctu grauiore,nobilitatus, mētio fieret. Alij,viri nomē eſſe dicūt, qui Ioſiā interemit: ridiculū. Luctus enim nō eſt victoris, q hoſtem peremit, ſed illorum, qui morte illa, magno fructu priuati ſunt. Non eſt aūt ſcriptum, Sicut planctus, cuius cauſſam attulit Addrimon, ſed, Plāctus Addrimon. Vnde colligitur, Addrimon minime Ioſiæ necem intuliſſe,ſed necem ab hoſte illatam acerbiſsime lamētatam fuiſſe. Ionathan Chaldæus in Paraphraſi ſic locum interpretatur: Sicut planctus Achab,quem occidit Addrimō filius Tabrimon. Et ſicut planctus Ioſiæ,quem occidit Pharaon claudus in campo Mageddon. O lepidum nebulonem,qui tam ridicule nodū expediuit. Sed quæro, quo modo ſimplex luctus

geminus repēte factus eſt. Deinde, quid fingi poteſt ineptius? Luctus enim, nō illius eſt, qui cecidit: mortui enim minime lugēt: ſed illorū qui in aliorū funere dolent, & angūtur. Deinde, non legimus, Achab, Regis impij, funus, fuiſſe publicis lacrymis, atque mærore, procuratum. Deinde, quis fuit iſte Addrimon? quis patet illius Tabrimon? vnde ſunt exortì? quo caſu perempti? In ſanctis enim Litteris nulla eorū mētio fit. Poſtremo, quam ſit aliena ſimilitudo, Iudæus tenebris occæcatus, ſuſpicari non potuit. Vt autem noſtrā ſententiā in medium afferamus, hoc certe nomine cōſtat, primum exercitum Ioſiæ, deinde Rempublicam, ſignificari. Quis enim illū luxit in campo Megido? quis pectora planxit, & caſum illū ægerrime paſſus eſt? quis deinde fuit Regis ſanctiſſimi cadauer, cū lacrymis, & mærore, proſecutus? Exercitus illius, qui videbat, ſe optimi regis ope deſtitutum. Hieroſolymis vero fuit luctus acerbiſsime renouatus, & plangor ab oībus editus, vniuerſaq. Reſp. publico mærore ſignificauit, in quāto dolore verſaretur. Quod vero ad nomen attinet, quid opiner, dicam. Nomen hoc, vt mea fert opinio, eſt cōpoſitū ex Hadad, & Rimon הדד aūt idem eſt, quod Adhortatio: valet enim idem, qđ verbū Græcum κελευσμα. Rimon vero, eſt malum punicū. eo vero multiplex, & varia multitudo, ordine iuris vnius diſpoſita, & quaſi quodā legis integumento circūdata, deſignatur. Vt enim grana mali punici, ordine miro compacta, & inuicem cōiūcta, & cōſtabilita, membranisq. diſcriminata ſunt, vt nihil neque copulatius, neq. diſtinctius, fieri poſsit; ita varij coetus, in vnam tū rōnem legitimę ſocietatis incluſi, ordineq. diſtincti, mirabile vinculum caritatis, quo inter ſe aptiſsime nexi ſunt, & ſingularem ordinem, quo diſtinguuntur, ne pturbatio vlla cōſequatur, oſtendunt. Nec enim ſine cauſſa, cum ſummus ſacerdos, gratia multitudinis expiandæ, in templi aditum ingrediebatur, mala punica ex auro facta vim aureis tintinnabulis ex fimbria veſtis appēſa geſtabat. Per Malum enim punicū, ordo multitudinis caritate deuinctæ; per Tintinnabulum, eloquentia ſacerdotis, qua multitudo eſt ſemper inſtruēda, ſignificabatur. Et ideo malum punicum inter duo tintinnabula erat interiectum; & rurſus vnum tintinnabulum inter duo mala punica colligatū; vt cerneretur, neque multitudinē poſſe ſine graui periculo ſacerdotis diſciplina priuari, neq. ſacerdotē a multitudinis ſibi pmiſſæ caritate diuelli. In Canticis vero Sponſa ardenter expetit ſponſum inuenire, vt illū arcte cōplectatur, & ſucco, ex malis granatis expreſſo, illum expleat, hoc eſt, vt fructu ſummæ caritatis, & moderationis, afficiat. Nouit enim, nullū poculū ſponſo fore iucundius mutua piorum hoīm caritate, & ſtudiorū conſenſione. Ex illiſ, quæ dicta ſunt, apparet, hoc nomen non tam in Ieſoiæ exercitū, neq. tam in Hieroſolymā terreſtrē, quam in Hieroſolymā cæleſtē, conuenire. Cōtinet enim illam vim, & alacritatē, qua Eccleſiæ oēs, vnico fidei, & caritatis, vinculo vehementer adſtrictæ, ſe mutuo ad pietatis vinculum cohortantur. Olim igitur Addrimon Ioſiæ necem ita lamentatus eſt, vt alij alios ad ſtudiū plāgoris excitarēt. Similiter Eccleſia, nūc, cum miro pietatis ſtudio, luctū renouat, mortis, & cruciatus, quem Chriſtus pro nobis pertulit, gratia ſuſceptum. Vt autem Propheta, nihil ab Eccleſia temere fieri, neq. ſine ſumma rōne mærorē certis tpibus indici, ait:

Et plāget terra: familiæ & familiæ ſeorſum: familiæ domus Dauid ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum: familiæ domus Nathan ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum: familiæ domus Leui ſeorſum, & mulieres eorū ſeorſum: familiæ Semei ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum. Omnes familiæ reliquæ, familiæ & familiæ ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum.

Scriptum eſt in libris Paralipomenon, non tantum eo tpe, quo cecidit Ioſias, Hieroſolymam luxiſſe, verum & quotannis fuiſſe memoriam publici luctus inſtauratā, & Hieremiam lugubre carmen compoſuiſſe, quem oēs annis ſingulis flebilibus modis concinerent. Itaque inſtitutum illud geſsit imaginem moris illius ſanctiſsimi, quem ex Eccleſiæ præſcripto retinemus, vt ſingulis annis memoriā mortis Chriſti, cū acerbo doloris ſenſu, repetamus. Id quidem variis in locis, vna tamen rōne, & inſtituto, fit; & ordo ſummus, in pia, & incūda, lacrymarum effuſione conſeruatur. Hic autē ordo, p has pſonarum, & generum, diſtinctiones, quibus Propheta vtitur, luculenter explicatur. Per varias enim familias, varias hoīm rōnes intelligit. Sunt enim, qui in Rep. Chriſtiana principatum obtinent, & ptinet ad domum Dauid: ſunt, qui, donis, atq. muneribus, ſancti Spiritus incitati, Diuino ſenſu pmonentur; & hi ad Nathā, qui Propheta fuit, familiā referuntur: ſunt, qui Deo, ardenti pietatis ſtudio, coniuncti ſunt; & hi in Leui familia cēſentur: nomen enim Leui arctiſsimam cōiunctionem deſignat. ſunt poſtremo obedientia fidei prompti, atque parati, ad opus ſibi commiſſum alacriter efficiendum; & hi, vt vis nominis facere admonet, ſunt ad Semei familiam reuocandi; &, quia nec eadem vis, nec idem robur, in omnibus ineſt, robuſtiores viris, imbecilliores feminis, adnumerantur. Hæc eſt autem illa diſtinctio virorum, & mulierum, quam hic appoſitam videmus. Præterea, cum non omnes hoc in loco virtutes enumerentur, quibus Diuinæ familiæ diſtinguuntur, non quod nō omnes omnibus virtutibus excultæ ſint, ſed quod aliæ alijs magis excellant; tandem omnes familias in ſumma complectitur.

plectitur, vt intelligamus, nullam fore nationem ad Chriſti nomen adiunctam, q̃ ſibi cum Chriſto pij doloris ſocietatẽ ineundã minime putet, vt poſsit ſimiliter gloriæ illius particeps fieri, ita tamen, vt pietatis gradus inter ſe diſtincti ſint, &, pro ratione ſenſus acerbi, lætitiæ ſimul munus, & præmium, tribuatur. Sunt tamen interim, qui facile eſſe volunt, & pias lacrymas impie condemnent. Quid ais, homo vęſane? cenſes ne, ſalutarius eſſe, tanti beneficij memoriã in animis noſtris ſemper viuere? an potius, nefaria obliuione ſepeliri? Viuere profecto, inquies; quamuis ſis ſtupiditate mẽtis oppreſſus. Rurſus interrogo, quid magis memoriã confirmet, ea ne, quæ præſentia oculis intuemur? an potius illa, quæ multis abhinc ſæculis trãſacta ſunt? Præſentia, dices. Quod ergo remediũ conuenientius aſsignari poteſt, eo, quod Deus ipſe præſcripſit, ne tẽporis vetuſtate ex animis noſtris exciderẽt ea, quibus oĩum ſalus, & vita, continetur? voluit enim, cum populũ ſuũ ex Aegypti finibus eduxit, vt ſingulis annis oẽs quaſi comoediarum actores id agerent, quod fuerat tunc, Dei munere, & beneficio, geſtum, & ſanctorũ hominũ manibus adminiſtratum; vt ita, quaſi præſentia, cernerent ea, quæ antiquitas ſola perſpexerat. Itaque nec azimi panes, nec lactucæ agreſtes, nec aſsi agni paſtus, nec celeritatis imitatio, poterat, abſque nefario ſcelere, prætermitti. Quid nobis igitur faciendum eſt, qui tanto clarius, & magnificentius, beneficium a Deo, non Moſis opera, ſed filij Dei beneficẽtia, conſecuti ſumus? non in Chriſtum, quaſi nunc Cruci affixus ſit, vt præſentem intuebimur? non illius benignitatẽ admirabimur? nõ in ſupplicio illius ſcelus noſtrum, qui illum ad ſupplicium adegit, agnoſcemus? non denique, cum noſtræ vitæ parente ſocietatem doloris inibimus? Si ideo laboras, vt tanti beneficii memoriam paullatim deponamus, ſtrenuam operã Satanæ nauas, qui in eo neruos omnes intendit, vt obliuione tandem conterat, quod eſt (ſi volumus ſtatum noſtrũ tueri) recordatione perpetua retinendum. At non fuit ea Zachariæ mens, & ſententia, qui tam multis ſæculis has lacrymas, verę pietatis indices, & luctum iucundiſsimum, merita prædicatione celebrauit. Beneficium deinde clarius oratione perſequitur. Ait enim:

CAP.XIII In die illa erit fons patens domui Dauid & habitantibus in Hieruſalẽ in ablutionem peccatoris & menſtruatæ.

Fons apertus, eſt gratiæ Diuinæ penitas, ad oẽs, qui Chriſtum fide incenſa venerãtur, emanans. Ad eam vero aditus minime patebat, antequã Chriſtus oſtium aperiret. Quin etiam ille idem eſt ipſius gratię fons. Vt enim olim e ſilice, Moſis virga pcuſſo, aquæ perennes extiterunt, quæ ſimul & populi ſitim extinguerent, & contractas ſordes abſtergerent, & viriditatem e terris antea peruſtis elicerent; ita e Chriſto, Iudicij Diuini ſeueritate, pp flagitia, vulnerato, fluẽta profluxerũt, q̃ noſtrum deſiderium expleuerunt, & inſitas peccati maculas deleuerunt, & ex animis antea nimis aridis virtutum oĩm frondes, & fructus, extulerunt. Hoc autẽ vt ſignificaret, voluit, vt ex illius latere cũ ſanguine ſimul aqua flueret, vt in ſanguine redẽptę ſalutis pretiũ, in aqua puritatis noſtræ rõnẽ, & fructus multiplicis vbertatẽ, videremus. Hęc eſt illa aqua munda, quæ eſt apud Ezechielem, qua omnes, qui ad Chriſtum ſupplices accedũt, inſignem puritatem conſequuntur. Hac eadem aqua, fore dicit apud Iſaiam, vt nationes innumerabiles abluãtur. Vt id aũt clarius explicari poſsit, cum Chriſto nomina damus, ſalutaribus aquis immergimur, vt inde puri, atque viridi, ſuſciremur. Quia vero duplex peccati genus eſt; vnum quidem, conſilio ſuſceptum; alterum vero, naturæ imbecillitate cõtractũ; vtriq. malo promptum, atque paratum, remedium eſſe, demõſtrat. Per peccatum enim, omne flagitium conſilio cõmiſſum; p ſanguinem menſtruum, naturæ impuritas, & corruptela, deſignatur. Alium deinde fructum admirabilem recenſet. Ait enim:

Et erit in die illa: Dominus exercituũ, Diſperdam nomina idolorum de terra, & non memorabũtur vltra: & Pſeudoprophetas, & ſpiritum immundum auferam de terra,

Libenter a Iudæis quæſierim, quo nomine, qua vi, qua potentia, fuerint nomina Iouis, Apollinis, Mercurij, Veneris, & Cupidinis, euerſa funditus, & exciſa? Quis Saturni ſacra, quis Febris, Palloris, atq. Pauoris ædes, quis Furiarum templa diriſsima ſuperſtitione cõſecrata euertit, afflixit, atq. diſsipauit? Quis oĩa deniq. monſtra, quę imbecillitatem humanam, obtentu religionis, occupauerant, extinxit, falſorumq. deorum nomina e terris exterminauit? Hęc oĩa certe opera tã Diuina nemo facere poterat vllo modo, niſi Chriſti numen pſens affuiſſet. Neq. ſolum numina falſa Chriſtus, opera diſcipulorum, ſuſtulit, verum & Pſeudoprophetarum fraudes expulit, & ſpiritum erroris peſtiferi, ne Eccleſiæ ſuæ noceret, inſita poteſtate, cõpreſsit. Sic enim eſt in iis, qui a Chriſto electi ſunt, ſtudium pietatis incitatum, vt nemo ex illis poſsit mendacium, ficta ſpecie religionis inuolutum, ſuſtinere.

Et erit: cum prophetauit quiſpiam vltra, dicent ei pater eius, & mater eius qui genuerunt eum, Non viues, quia mendacium locutus es in nomine Domini.

Olim quidem apud Iudæos, cum multi, cupiditate diuitiarum, aut gloriæ popularis, inducti, falſo Prophetarum nomen

aſſumebant, nemo erat illis infeſtus. At nunc, vbi veræ religionis ſtudium viget, longe ſecus fit. Non deſunt enim, qui ſummo veritatis ſtudio flagrent, & mendacium odio acerbo perſequantur, vſque adeo, vt nullam rationem neceſsitudinis ſtudio veriſsimæ religionis anteponant. Cum igitur Deus præcipiat, vt Pſeudoprophetæ ſceleris poenam morte luant, & nihil apud bonos ſit obedientia, & cultu Diuinæ legis, antiquius, reſtat, vt pater etiam, atque mater, ſint filiis, qui fuerint peſtiferi erroris auctores, acriter infenſi. Is enim vere pius eſt, qui, cum gloria Diuini numinis agitur, naturæ caritatem repudiat. Qui dicit, inquit Deus apud Moſem, patri ſuo, & matri ſuæ, Neſcio vos; & fratribus ſuis, Ignoro illos, & minime filios ſuos agnoſcunt, hi cuſtodierũt eloquia mea, & pactum meum ſeruauerunt. Hoc igitur in loco, cum Propheta fore dicit, vt pater, & mater mortem filio comminentur, ardentiſsimum ſtudium pietatis fore prædicit.

Et configent eum pater eius, & mater eius, genitores eius cum prophetauerit.

In eo perſtat, vt amplificet acerrimum illud pietatis ſtudium, quod viget in bonis; quod tantum eſt, vt etiam in eos, quos, non ſecus, atque ſi filij fuiſſent, amauerant, vbi viderint illos contra veritatis diſciplinam vaticinari, & inſanire, commoueantur, & ſuos filios de medio tollendos arbitrentur, ne malum longius ſerpat, vniuerſamq. Rempub. erroribus pernicioſis inficiat: huius autem ſeueritatis non mediocrem fructum exponit.

Et erit in die illa, confundentur prophetæ vnuſquiſque ex viſione ſua cum prophetauerit, nec operientur pallio ſaccino, vt mentiantur.

Diuinæ viſionis neminem pudet: uiſionis uero, quam quilibet, propria temeritate, & amentia, ductus, ſomniauit, neceſſario tandem pudeat, opus eſt. Exitus enim rerum uaniſsimis prædictionibus minime reſpondent; &, re uera, omne, quod a ſumma ueritate minime profluxit, ſed a cuiuſque ingenio promitur, pudendum mendacium, eſt diris omnibus exſecrandum. Olim Prophetæ non ſolum erant a communi uita, moribus, & inſtitutis, uerum & cultu diſsimili, ſegregati. At Pſeudoprophetæ, cum ad Prophetarum decus, & ſplendorem, adſpirare non poſſent, ut cultum ſaltem imitarentur, operã dabant. Itaque omne ſtudium in horrido cultu, & ueſtitu, in frontis contractæ ſupercilio, in ementitæ religionis ſpecie, conſumebant, ut, ea aſsimulatæ ſanctitatis oſtẽtatione, multos in ſui admirationem conuerterent. Hoc Propheta futurum negat in illis, qui ſe Chriſto dederint. Nihil enim fictum, nihil fallax, & captioſum, in illis moribus apparebit; nec aliquod, quod a ſtudio ueritatis abhorreat, aſſument. Immo, eos, qui id auſi fuerint, acri ſupplicio coercendos exiſtimabunt. Sic autem fiet, ut eo metu multi ſe contineant, nec audeant Prophetarum nomen aſſumere.

Et dicet, Non ſum Propheta, homo agricola ego ſum: quoniam Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea.

Ne me, dicet quilibet homo ſanus, vt virũ Diuinum adſpiciatis: non me reliquis hominibus antepono. primi parentis imaginem gero. terrã colo. ſic naturæ inſtitutis ab adoleſcentia mea victum labore meo comparo, vt ea, quæ ſupra me ſunt, ad me pertinere non putem.

Et dicetur ei, Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarũ? Et dicet, His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me.

Quis eſt, qui quærit? num is, qui fraudulenter in Prophetæ nomen inuaſit? Minime, is enim rem ſuam familiarem curat, & minime eſt de plagis aliorum ſollicitus. Num pater, aut mater, qui filium ob ſcelus infandum transfixit? Ineptum fuiſſet certe, de vulneribus, quæ ipſi filiis impoſuerant, percunctari. Num is, qui, ne falſi Prophetæ poenã lueret, agris ſe colendis dedit? Is etiam, cum, ne ſe contagione ſceleris inquinaret, ad agriculturam contulit, iudicat certe, merito fuiſſe in falſos Prophetas animaduerſum. Deinde, quis eſt ille, de quo quęritur? Num Pſeudopropheta, quem parentes interimendum ſuſcepere? At illi dictũ fuerat ab illis, Non viues. Itaq. vita ſpoliatus, non modo vulneratus, exſtiterat. Deinde, non dicit, Pater meus, & mater mea hæc mihi vulnera inclemẽter inflixere. Hęc non ſine cauſſa hoc in loco a me dicuntur. Admiror enim eos, qui Iudæorum ineptiis oblectantur, & hæc volunt de Prophetis falſis inquiri; nempe, quis ille fuerit, qui manus illorum transfixerat; & non vidẽt, hic non de auctore vulnerum, ſed de vulnerũ cauſſa, atque ratione, ſermonem haberi. Nec enim dicitur, Quis te vulnerauit? Sed, Quid ſunt plagæ iſtæ? Vt igitur huiuſmodi ineptias omittamus, eſt huius loci veriſsimus ſenſus aperiendus. Sub perſona Chriſti dictum eſt, Videbunt me, quem cõfixerunt. Fructus Crucis explicatus eſt a Propheta, cum ait, aperiendum eſſe perennem fontem ad flagitiorum omnium ſordes eluendas; cum falſa nomina exterminanda, falſosq. prophetas interimendos eſſe, prænuntiat. Hac igitur animi puritate conſtituta, falſaque religione ſublata, & ſuperbia vanitatis exſtincta, reliquum eſt, vt is, qui ſibi nihil arrogat, &

aſſumit,

aſſumit, qui ſe non inſolenter extollit, qui ſe hominem, & agricolã, eſſe dicit, & ita ſe abiicit, vt poſsit a Deo clementer excitari, Chriſti plagas admiretur, & dicat, Quid sũt plagę iſtæ in medio manuũ tuarũ? Quaſi diceret, Si alios viderem ita vulneratos, id non interrogarem. Scirem nãque, de his, propter admiſſa ſcelera, meritum ſupplicium ſumptum eſſe. De te vero, eſt, quod vehementer admirer. Nullum enim ſcelns in vita ſuſcepiſti; nullum in te dedecus admiſiſti; nũquam religionem aliqua ex parte violaſti. Quid igitur in cauſſa fuit, cnr hominis malefici, & iniuſti, pœnam ſuſtineres? Sed, cur non de pedum vulneribus quærit? Quia manus ſunt nagis in improbis, quam pedes, ſceleris totius adminiſtræ. Aequum erat igitur, vt ij, qui manibus multa tætre, & impure, conficiant, eas manus clauis transfixas haberent; & non is, qui ſemper manus ſuas ab omni etiam leuiſsima maleficij ſuſpicione conſeruauit. Reſponſum vero videamus. His, inquit, vulneratus ſum in medio eorum, qui diligunt me. Si hoc reſponſum Prophetæ falſo tribueris, reſponſum falſum eſt. Nam, ſi parẽtibus erat odioſus, & inuiſus, neceſſe etiam erat, vt reliquis, qui eum minus iure ſanguinis attingebant, odio eſſet. Deinde, erat ineptum: non enim quærebatur de loco, in quo vnlnus acceperat, ſed de cauſſa, propter quam illi vulnus inflictum fuerat. Si vero reſponſum ad Chriſtum reuocaueris, videbis, neque verius quidquam, neque magis accommodatum, reſpõſum dari potuiſſe. Hoc enim dicit, Si plagas admiraris, eo quod in me nullam culpam inſpicias, admirari deſine. In medio namque eorum, qui me diligũt, his plagis affectus ſum. Hoc eſt, tanta me vis amoris erga eos, qui me diligũt, aut, quod tãtumdem eſt, dilecturi ſunt, & tanta cupiditas ſalutis eorum inflammauit, vt me, eorum gratia, ad mortem libenter obtulerim. Quid igitur, non alia commodiori via potuiſſet ſalus eorum, qui te amant, conſtitui? Non certe. Erat enim neceſſe, vt par, & æqualis, numini Diuino, ſceleribus humanis grauiter offenſo, compenſatio fieret. Hoc igitur ſuppliciũ non amori tantum meo, ſed etiam Diuino iudicio, adſcribẽdum eſt. Opus igitur erat, vt ſupplicium ſponte ſubirent, quod ille mihi conſtituit. Hoc vt planũ fieret, pater, ſententiam ferens, inducitur:

**Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meũ, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute paſtorem, & diſpergentur oues.**

Pater frameam ſuum, hoc eſt, ſui iudicij ſeueritatem, alloquitur, illiq. præcipit, vt verũ paſtorem percutiat; &, quod magis admirandum eſt, illum Paſtorem ſuũ appellat, eo quod in cuſtodiendis ouibus numquam aliquid vtilitatis propriæ gratia geſſerat, ſed omnia ad patris voluntatem contulerat. Nec hoc contentus, vt magis innocentiam, & pietatem, ſanctiſsimi paſtoris explicaret, adiecit, Et ſuper virum cohærentem mihi. Nihil enim fuit vmquam, quod eum a coniunctione patris ſummi diuelleret. Quid igitur in paſtorem vigilãtiſsimum, & hominem ſanctiſsimum, atque Deo proximũ, gladius Dei ipſius diſtringitur? Itaq. Diuina, quæ ſemper in Dei inimicos exarſit, in virum ipſi Deo cariſsimum, qui numquam illius numen violauit, erũpet? Deinde, quid ouibus illis facies, quas cuſtodiæ illius commiſiſti? id etiam volo, vt oues ipſæ perterritæ diſpergãtur. In hoc enim maxime mei numinis potentia omnibus perſpicua eſſe poterit. Nam paſtorem meum gloria ſumma in ſui muneris perfunctione decorabo. pro ouibus enim ſuis vitam ponet: quo nullum clarius virtutis ampliſsimæ documentum dari poteſt. Deinde, illum imperij ſempiterni inſignibus ornabo, & oues ipſas minime deſeram. Ait enim:

**Et conuertam manum meam ad paruulos.**

Non omnibus, inquit, ſalutem conſeram, ſed paruulis tantum. Hos Paruulos gregis appellauerat. Hi ſunt humiles, & abiecti, nihil ſibi temere, & arroganter, aſſumentes, ſed omnem ſpem ſalutis in Dei benignitate collocãtes, gratiaq. illius nixi vitã ad illius normam dirigentes. Hi ſunt Paruuli, qui erant a repentina illa perturbatione reficiendi, & rurſus a paſtore colligendi. quemadmodum & nunc omnes, qui, fide ſtabiliti, in eo laborãt, vt vitã ad præſcriptum diſciplinæ cæleſtis inſtituant, ab eodem paſtore colliguntur. Reliqui vero omnes, qui Diuinum munus aſpernantur, ab illius conſortio repelluntur.

**Et erunt in omni terra, dicit Dominus: partes duæ in ea diſperdentur, & deficient: & tertia pars relinquetur in ea.**

Multo plures erunt, inquit, qui ſint, propter perfidiæ ſcelus, fructu gratiæ Diuinæ priuandi, quam ij, qui, ob Chriſti fidem, & inſignem in Deum pietatẽ, ſint immortali gloria commutandi. Maior enim pars, in temeritate, & inſania, verſabitur; naturæque viribus enixa, Dei clementiam aſpernabitur; &, cum ſit tenebris immerſa, Diuinæ lucis ſplendorem minime ſuſtinebit. Tertia igitur tantum pars a communi exitio immunis erit; non tamen ita, vt per otium ſibi gloriam quærendam arbitretur.

**Et ducam tertiam partem per ignem, & vram eos ſicut vritur argentum: & probabo eos ſicut probatur aurum.**

Non

Non coronabitur, inquit Paulus, niſi qui legitime certauerit. Summus igitur agonotheta non timidis, non otioſis, non delicatis, & omnem laborem fugientibus, ſed animoſis, & induſtriis, & laborioſis, ſempiternæ coronę præmium proponit. Et, quo virtus clarior eſt, eo pluribus ærumnis homines ſanctos exerceri vult, vt præmium amplius, & magnificentius, adipiſcantur, & ipſa virtus in terris maiorem ſui admirationem commoueat. Ignes, cruces, equulei, parabãtur; gladij, carnifices, atque tortores, excitabãtur; noua cruciamentorum genera a perditis hominibus exquirebantur; & tamen ipſa Chriſtiana virtus, immobilis, & inuicta, permanebat; &, quo erat acrius, & infenſius, oppugnata, eo clarius de ſempiternis hoſtibus triumphabat. Tantum vero aberat, vt bonorum cruciatus reliquos homines a ſtudio pietatis auerteret, vt, quo plures, propter pietatem, dæmonis opera carpebantur, eo maior hominum numerus ſe ſe ad Chriſti nomen adiungeret; vt, quorum virtutem admirabãtur, imitatores exſiſterent; doloriſq. partem ſuſciperent, vt gloriæ participes fieri poſſent. Hic fuit ignis ille, quo Deus ſuos expurgari, & examinari, uoluit, ut cum Chriſto, ad cuius ſe imitationem contulerant, ſempiterna gloria fruerentur.

Ipſe vocabit nomen meũ, & ego exaudiam eum. Dicam, Populus meus es, & ipſe dicet, Dominus Deus meus.

Hos igitur Paruulos hos ab hominibus expulſos, & eiectos, hos denique, qui nullis tempeſtatibus a ſtudio numinis mei deduci poſſunt, & ſunt denique parati ad omnia ſupplicia ſubeunda, potius, quam fidem deſerant, & mei nominis obliuiſcantur, meo præſidio ttuebor, ornamentiſq. Diuinis afficiã. Hi ſũt igitur, qui ſunt in populo meo numerandi; qui, cum ſe afflictos eſſe viderint, nõ hominũ auxilium, ſed opem meam, implorabunt; & ego exaudiam eos; & ita illis præſens adero, vt cognoſci ab omnibus poſsit, hunc eſſe populum, in quo tuendo, & ornando, ſtudium, & operam meam conſumo. Ipſeq. populus viciſſim me Deum ſuum appellabit, in me prꝙſidia vitæ conſtituet, & in nominis mei fiducia conquieſcet. His quidem opibus, atque præſidiis, & ornamẽtis, illa pars tertia redundabit, quæ eſt in Chriſtum fide e cõmuni exitio conſeruanda. Quid de reliquis duabus fiet? ita enim maiorem illam hominum partem nominat, quæ Chriſtum maledictis conteguut, & odio exſecraudo perſequuntur.

CAP. XIV.

Ecce venient dies Domini, & diuidentur ſpolia tua in medio tui.

Denuntiat Hieroſolymis, exitium, & vaſtitatem, Diuino iudicio, cum horribili exemplo, dirisſimæ calamitatis, inferendam.

Et congregabo omnes gentes ad Hieruſalem in prœlium, & capietur ciuitas, & vaſtabuntur domus, & mulieres violabuntur.

Ea mala recenſet, quæ ſolent ab hoſtibus in vrbium expugnatione fieri, quæ tãto grauiora fuerunt in vrbis illius excidio, quanto maius illud ſcelus exſtitit, quo ſe vniuerſa ciuitas obligauit. Cum omnes gentes bellum Hieroſolymis illaturas eſſe dicit, Romanos intelligit, ſub quibus omnes ferme gentes militabant.

Et egredietur media pars ciuitatis in captiuitatem, & reliquum populi non auferentur ex vrbe.

Exſcindi, hoc in loco, eſt, exterminari, & a complexu patriæ diuelli. Porro Media pars non ſemper in ſanctis Litteris par eſt, & æqualem, aut numero, aut magnitudine, parem, ſed vnam e duabus ſignificat. Senſus igitur eſt: fore, vt vna ciuium pars in exſiliũ pellatur; altera vero in patria remaneat, vt ibi partẽ ipſius cladis excipiat; & hoc quidem iudicio ita ciuitas euerſa fuit, vt nunquam rurſus caput attolleret. Aliud deinde iudicium explicatur, quo princeps huius mundi honore deiectus eſt, imperiumq. illius extinctum.

Et egredietur Dominus, & prœliabitur contra gentes illas, ſicut prœliatus eſt in die certaminis.

Egredi dicitur Dominus, cum aliquo facto mirabili præſentiam ſuam declarat. Domine, inquit ille, cum exires de Pharaon, & tranſires per regionem Edon, terra mota eſt. Similiter, multis in locis, exitus Domini, eſt Diuinæ virtutis, atque maieſtatis, explicatio. Eſt enim quodammodo numen illius recõditum, quãdiu ſe cõtinet, nec aliquo ſigno vim ſuam oſtendit. Egreditur autem, & erumpit, cum iudicium exercet, & nouum aliquod opus efficit, quod horrorem incutiat. Nullum vero opus Dei clarius, & mirabilius, poſt Chriſti in cælum adſcenſum, exſtitit, eo, quo Satanæ imperiũ deleuit, verbiq. Diuini viribus orbem terrarum ſub imperium ſubiunxit. Tunc illis etiam gentibus, quę Hieroſolymam ceperãt, bellum intulit, vt impietatem profligaret, & eos, qui ad extremum repugnare nolent, ſalutari lege, & imperio, deuinciret. Sed, quod eſt illud certamen Domini, quod hoc in loco memoratur, cui hoc, de quo nunc loquitur, ſimile eſſe dicit? Omnia quidem bella ita Dei virtute adminiſtrantur, vt conſtet, omnem victoriam ad illius voluntatem, & conſilium,

referen-

referendam eſſe. Verumenimnero, id non ita clare cetnitur, cum homines confidentes, & elati, vel omnem belli gloriam, vel maximam illius partem, ad ſe trăſferre conantur. Tnnc igitur ptæcipue bellum Domini dici poteſt, cum nemo gladinm ſtringit: quemadmodum ſcriptum eſt: Dominus pugnabit pro uobis, & vos tacebitis. Cum vero multæ olim pugnæ a Deo pugnatæ fuerint, ex quibus nullam gloriæ partem potuit inſolentia hnmana decerpere, tum nulla fuit mirabilior ea, qua Pharao, cum exercitu ſuo, in profundo demerſus eſt. Dominus, inquit Moſes, quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius. Ille igitur dies prœlij clariſsimi, fuit carmine luculentiſsimo memoriæ ſempiternæ commendatus; non ſolum ob ſacinoris magnitudinem, ſed propterea quod imaginē alterius prœlij multo magis memorandi continebat. Illo namque, fuit Pharao gurgite maris abſorptus; boc autem, ſempiternus hoſtis generis hnmani in imas Herebi ſedes detruſus. Illo, Aegyptij fluctibus obruti ſunt; hoc autem, inſerorum copiæ, cum flagitiorum omninm colluuione, demerſæ. Eo prœlio, ea, quæ viribus bumanis vinci aliquo modo poterant, victa ſunt; hoc vero, tyrannis illa profligata eſt, quæ vinci non poterat. Illa pugna, libertas conſtitnta fuit, breuis æui ſpatio definita; at libertas, qnam, hoſte ſuperato, Chriſtus attulit, ſempiterna eſt. Quantum igitur imago veritati, terrena bona cæleſtibus, interitura ſempiternis, de claritate concedunt, tantum victoriæ illius antiquæ decus, magnitudine victoriæ huius obruitur.

Et ſtabunt pedes eius in die illa ſuper Montem oliuarum, qui eſt contra Hieruſalem ad Orientem, & ſcindetur Mons oliuarum ex media parte ſui ad Orientem, & ad Occidentem præruptu grandi valde, & ſeparabitur medium montis ad Aquilonem, & medium eius ad Meridiem.

Cnm Dei præſentia in legis promulgatione borrendo terræ motu inſignis fieret, obtinuit vſus, vt, cum ſanctæ Litteræ Dei præſentiam ſignificare volunt, ingentem terræ motum oratione deſcribat. Vtinā, inquit Iſaias, diſrumperes cælos, & venires, & a facie tua montes diffluerent. Similiter Dauid inquit: Commota eſt, & contremnit terra, fundamenta montium conturbata ſunt. Maximus tamē omnium terræmotus ille fuit, quem Deus apud Aggæum futurum prædixerat: Ecce, inquit, ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & commouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus. Motus igitur hic, vt ex boc Aggæi loco perſpicimus, non eſt ad montis diſciſsi ſtrepitum, ingentemq. terræ labem, ſed ad hominum perturbationem, & mnndi connerſionem, referendus. Nam, vbicumqne Enangelij claſsicum perſonabat, neceſſe erat, vt homines, inſolito clangore conturbati, motus ingentes concirent, & populares concionum fluctus excitarent, & diſcordias paſsim ſererent; dū quidam, magnitudine tanti ſplendoris attoniti, ſeſe ad Chriſti nomen adiungerent; quidā vero perditis conatibus Chriſti nomē oppugnarent. Interim vero ſummus imperator e cælo tonabat, atque fulgurabat, & fulmina intorquebat, & in ſceleris uindictam Romanum Imperiū aſsiduis motibus concutiebat, easq. vires diſcipulis ſuis dabat, vt ex omnibus bellis victoriam reportarent. Huius autem motus initium in monte Olineti ſactum eſt, in quo Chriſtus inſtitit, vt in cælum victor adſcēderet; inde vero diſcipulos in omnes orbis terrarum regiones armis Diuinis tectos immiſit, vt vniuerſum mundum diſciplina veriſsimæ pietatis inſtruerent, & Satanam a tyrannidis poſſeſsione depellerent. Dicitur autem, montem illum in quattuor partes diſciſſum, & ingentem labem, & hiatum, in medio relictum, vt intelligi poſſet, ad omnes nationes, ſiue quæ ad Ortū Solis, ſiue quæ ad Occaſum, ſiue quæ ad Septemtrionem, ſiue qnæ ad Auſtrum, pertinerent, gratiæ Diuinæ fructum ex monte illo perueniſſe; Iudeamq. ſolam, propter rebellionem, & cōtumaciam, de ſede conuulſam, atque in altitudinem depreſſam fuiſſe. Itaq. ſactum eſt, vt mons Olineti, qui miſericordiæ myſteriū continebat, & ex quo Chriſtus diſcipulos legauit, vt pacem inter homines, & Deum, conciliaret, Iudęis quidem deiiceret, &, in omnes mūdi plagas diuiſus, impetu delatus, omnibus terrarum nationibus fructum diſciplinæ cæleſtis importaret.

Et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam coniungetur vallis montium vſque ad ptoximum: & fugietis ſicut fugiſtis a facie terræmotus in diebus Oziæ Regis Iuda.

Recentiores interpretes pro verbo Proximo, poſuerunt Azal. אצל enim, loci nomen eſſe putant. Nomen vero loci huius alibi nō exſtat. Nos vero rectius eſſe putamus ab interprete noſtro factnm, qni, verbi originem ſecutus, Proximi nomen reddit. Eſt enim ſenſus multo conuenientior. Hic Iudæis ingentem terrorem ex illo terræmotn denuntiat. Vallem vero montinm, illam labem appellat, quæ poſt diſciſſum in quattuot partes montem erat in medio illorum quattnor montium relinquenda. Deinde, futurum dicit, vt labes illa non in vno tantum loco inſiſtat, ſed longius excurrat, vſque eo, dum terra propinqua ſimili motu deſideat, & habitatores fugere compellat. Vt enim, cum Sodoma, igne ſuperne

demiſ-

demiſſo,conſumpta fuit,incendium in vicinitatem erumpens omnia populabatut, & ex vna in alias propinqnas ciuitates impetum ferebat;ita,vt Loth non anderet, in ea ciuitate, qnam ad ſedem delegerat, habitare : ita fore dicit, vt labes illa cōtinuata locum propinqunm exterreat, ita, vt habitatores inde migrare, variasque ſedes mutare, cogat. Compatat autem hunc terræmotum cum eo tertæmotu, qui in diebus Oziæ Regis exſtitit.vterque enim,proptet ſacrilegiū editum, fuit. Ozias enim,ſummi ſacerdotis officium, & munus,vſutpauit. Iudæorum vero natio ſe multo ſceleſtiore crimine impietatis adſtrinxit. Ipſum namque Pontificem maximum interfecit. Vallis autem hęc abiectionem,& inopiam, infirmumq. Reip. ſtatū,omni præſidio deſtitutum, & orbam multitudinis inconditæ turbam,& collnuionē,deſignat. Vt enim montes præſidio ſunt illis, qui ad eos ſe cōferunt; ita,qui in valles deiecti ſunt, hoſtibus prædæ, & direptioni, relinquuntur. Iudæi igitur,qui olim in montibus inſidebant,dum in Dei prępſidio latebant,nunc,in valles delati,metu trepidant, & huc & illuc diſcurrunt, & labes in dies amplificata eos conſequitur, &,dnm omnia circumſpiciunt, quibus homines periculū vitent, malis multo grauioribus obruūtur.

Et veniet Dominus Deus meus, omnesq. ſancti cum eo.

Dominus quidem in extremo illo Iudicio veniet,cum poteſtate magna,& maieſtate, & omnes ſancti eius cum eo.Eſt autem animaduertendum, non ſolum tunc illum eſſe venturum, vt de ſontibus ſupplicium ſumat, & bonos corona ſempiterna remuneret;verū,cnm impias cinitates,& nationes,iudicio peruertit, & ſcelus inſanabile exemplo ſeneritatis vlciſcitut,Venire etiam,& iudicium exetcere, dicitur. Venit igitur ille,vt Hieroſoylmā, infando ſcelere contaminatam, exſeinderet. Indiciumq.illud fuit a ſanctis angelis,& a ſanctis etiam hominibus,ſingulati laude,& ptæconio,celebratū. Lætabitur enim iuſtus, cum viderit vindictam. Mutatio illa perſonæ, qua ipſum Deum alloquitur, continet in ſe acris, & concitatæ,mentis iudiciū. Non dicit enim, Et omnes ſancti cum illo, ſed, Omnes ſancti tecum. Vt de abſente enim, orationem habebat, & ſubito, quaſi ſe tunc Dominus illi ptæſentē oſtenderet, vt ptæſentē veneratur.

Et erit in die illa : non erit lux,ſed frigus & gelu.

Lux,eſt auxilinm Diuinnm; Ftigus, & Gelu, Diuinæ lucis abſentia. Vt autem lōginquo Solis abſceſſu aqua cōgelat;ita,cū Sol ille ſempiternus ab hominibus emigrat, omnia congelant,& intolerabili frigore cruciantur. Nō dixit autem Propheta, Non erit lnx,ſed tenebræ. Nam, cnm ex Solis digteſſu tenebtæ ſimul, & frigora,repente ſentiantut, is voluit id in oratione ponere, qnod magis excruciatum explicaret,

Et erit dies vna quę nota eſt Domino. non dies neque nox : & in tempore veſperi erit lux.

Cum Chtiſti adſcenſus in cælnm appropinquaret,quæſierunt de illo diſcipuli,an tempore illo eſſet Iſrael in priſtinum ſtatum reducendus.Ille veto teſpondit,non eſſe cōceſſum illis,cognoſcere,quo tēpore ſit Iſrael reſtituēdus. Similiter hoc in loco Propheta docet,nō eſſe Indæorum ſalutem deſperandam; diem tamē, qno ſunt e tenebris emetſuri, ſoli Deo cognitam eſſe. Interim tamen ſic agitandos fore dicit,vt neque dies illis illnceſcat, neque nox ad qnietem detur. Dies lucem diffundit, qua patent omnia. Nox affert hominibus,aſſiduo labore defatigatis, allenamentum. At Iudæis lnx non exoritut, vt miſeriam, in qua verſantur, adſpiciant,cum ſint oppleti tenebtis, & erroribus peſtifetis imbnti:nox ad animi requietem minime cōceditut, cum ſint aſſiduis furiarum ſtimulis agitati. Ad veſperum tamen lux orietur. Vltimis enim temporibns, poſtquam videlicet plenitudo gētium inttauetit, Iudęi, qui nunc in tenebris ſunt, inſtitię Solem perſpicient, lnceq. Diuina perfruentur.

Et erit in die illa : exibunt aquæ viuæ de Hierūſalem : medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare nouiſsimum : in æſtate & in hieme erunt.

Per Aquas, gratię Diuinæ vis, cęleſtinmq. bonorum affluētia,ſignificatur.Hę ſunt aquę, quæ,petenni cnrſu,ex ſancta ciuitate,ad animos eorum,qui fidem ſancte colunt,emanāt, vt eos bonis expleant, & fecundos efficiant. his aquis carebunt Indæi, qnamdin fuerint a luce ſegregati. At vero, poſtquam ad Chriſtum redierint, aquæ perennes Spiritus ſancti, ad inſignem illorum gloriam, profluent. Vt fiat in illis fons aquæ ſalientis in vitam æternam,mare antetius,Ortū Solis;poſterius, Occaſum,reſpicit. Verum,ſi Prophetæ mentem intueri cupis, intelliges plane,Anterius mare eſſe Iudæorum multitudinem, cuius erat legislatio,& adoptio,& ptimi fœderis ſacramentum,& qnę primum vocata eſt,vt gratiæ Dininæ particeps fieret;mare autem Poſterius,innumerabilis numerus gentinm,quę ſe, poſtea quam Apoſtoli ad eas erudiendas contulete, Chriſto conſecrauerunt.Cum igitur Iudæi viderint,eas aquas non magis in illos,

Digitized by Google

los, quam in genteſ reliquas, influere, plane percipient, Deum, vt Petrus ait, non hominũ perſonam, ſed fidem, & iuſtitiam, reſpicere. Aquarum vero perennitatem explicat, dum ait, eas, & æſtate, & hieme, manaturas. Nec enim eas ardores Solis exſiccare, neque tempeſtates ſordibus lutulentis inficere, vllo modo poterunt.

Et erit Dominus rex ſuper omnem terram: in die illa erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum.

Rex ille nobis eſt, cuius leges accipimus, cuius imperium ſequimur, cuius maieſtatem reueremur. Deus ille nobis eſt, in quem, vti ſummum bonorum omnium, tota mente reſpicimus. Alij vero alios deos ſibi, pro vario errore mentis, adſciuerunt. Nam, præter numina commenticia, quibus ſupplicabant, alij veneri, alij ventri, alij pecuniæ, frequenter immolabant. Præterea, quamuis ea opinio eſſet multis nationibus inſita, vnum eſſe ſummum rerum omnium conditorem, & Dominum, omnia æterno imperio coercentem, eum tamen variis nominibus appellabãt, pro ratione naturæ multiplicis, quam illi affingebant. Cyri nãque, Baal; Chaldæi, Bellum; Dia, Græci; Iouem, Romani nominabãt. Propheta igitur hic admirabilẽ vitæ conuerſionem, maxime vero poſtquã Iudæi errorem ſuũ agnouerint, fore prædicit. Primum enim, inquit, futurum, vt omnes nationes Deo obtemperent. Deinde, vt vnum tantũ Deum colant. eumq. Deum vno nomine, & non variis nominibus, appellẽt, intelligantq. naturam maxime ſimplicem, ſibiq. ipſi in omni æternitate ſimillimam, vno nomine appellandam eſſe, vnaq. pietatis ratione colendam. Vt vero breui omnia complectamur, hoc fore prædicit, vt ſimulacrorum cultus, inaniumq. Deorum nomen exterminetur, nec aliud religionis nomen, præter eam, quam Chriſtiani colunt, in terris audiatur.

Et reuertetur omnis terra vſque ad deſertum, de colle Remmon ad Auſtrum Hieruſalem.

Antea videlicet multi in circuitu montes erant, qui Hieroſolymis imminebant. At tũc, inquit, omnes circumquaque montes, & editi colles, ita deprimentur, vt nihil ſit, quod contra montem Domini poſsit inſurgere. Hic Iudæus exſpectabit, dũ mõtes, ingenti motu cõcuſsi, ſubſideant, vt terreſtis Hieroſolyma poſſit altius imminere. Nos vero, qui per mõtes, vt ex ſacris Litteris didicimus, ſummos Principes, & poteſtates aduerſarias, intelligimus, hanc eſſe Prophetæ ſententiam nouimus, vt oſtendat, tantam fore Hieroſolymæ cæleſtis altitudinem, vt Reges, & Principes, ſe illi ſubmittant, & aduerſariæ poteſtates de ſtatu deiiciantur; vt ſint denique omnia recta, plana, & expedita, nec quidquam impedimẽto ſit, quo minus, vt inquit Iſaias, videat omnis caro ſalutare Dei.

Et exaltabitur, & habitabit in loco ſuo, a porta Beniamin. vſque ad locum portæ prioris vſque ad portam angulorum: & a turre Hananeel vſque ad torcularia regis, & habitabunt in ea.

In eadẽ allegoria perſiſtit. ſanctæ ciuitatis amplitudinẽ oſtẽdit, &, a portis antiquis ducta ſimilitudine, docet, ab omnibus mũdi partibus aditũ patere omnibus, qui voluerint, in ſanctam ciuitatem, quæ non vnis mœnibus, ſed vna fide, & vnius Dei præſidio, cingitur, cõuenire, vt Deo ſanctiſsima ſacra conficiãt.

Et anathema non erit amplius: ſed ſedebit Hieruſalem ſecura.

Verbum Græcum, Anathema, eſt idẽ חֵרֶם apud Hebręos, Exciſio nẽpe, Religionis expiandæ gratia conſtituta. Sic autem ciuitas, quæ ad ſceleris ſummam peruenerat, &, Dei iudicio, ita exſcindebatur, vt nullũ veſtigium illius exſtaret, Anathema nominari ſolebat. Ad eum modum Hieroſolyma, cum omnium maximum ſcelus ſuſcepiſſet, anathema fuit. Nec enim poterat religio aliter expiari, quã extremo ſceleſtiſsimę ciuitatis interitu. Hoc, dicit Propheta, non euenturũ cæleſti Hieroſolymæ. Nec enim vmquam Religionem violabit, & ideo numquam a Diuino præſidio deſeretur, & ea de cauſſa confidens ſemper erit, & in ſumma tranquillitate verſabitur.

Et hæc erit plaga qua percutiet Dominus omnes gentes quæ pugnauerunt aduerſus Hieruſalem. Tabeſcet caro vniuſcuiuſque ſtantis ſuper pedes ſuos, & oculi eius contabeſcent in foraminibus ſuis, & lingua eorum contabeſcet in ore ſuo.

Non ſubito peruertit Dominus eos, qui Eccleſiam oppugnant, vt, ea vindictæ dilatione, ſuos ad militiam erudiat, & hoſtibus ſpatium pęnitendi concedat. Senſim tamen eos frangit, atque debilitat. Dum vero vident, virtutẽ in dies excitari, & opes pietatis amplificari, Reip. cæleſtis munitiones augeri, eorum uires attenuantur; oculi inuidia contabeſcunt; maledicẽtia vero comprimitur; ita, vt, quamuis impius ſtet, & pedibus ſuis ingrediatur, hominisq. ſpirantis ſpeciem referat, pro mortuo ſit habẽdus, vt illi ſunt, qui inſanabili morbo paulatim intabeſcunt. Aliud eis deinde

vulnus

vulnus imponitur, quo perculſi, & ſtrati, concidunt. Sequitur enim

**In die illa erit tumultus Domini magnus in eis: & apprehendet vir manum ptoximi ſui, & conſetetut manus eius ſuper manum ptoximi ſui.**

Seditio, eſt ſimul & pœna ſceleris, & ſceleris etiam cohibitio. quamuis enim in diſcordia ciuili multa ſcelera publice ſuſcipiantur, dum tamen alij aliorum impetum reprimũt, omnium furor, & amentia, aliqua ex parte refrenatur. At, cum omnes ſunt in ſceleſto facinore conſpirantes, tantum malum eſt, vt ſuſtineri non poſsit. Reliquum igitur erit, vt in eã ſceleris conſenſionem extremo ſupplicio vindicetut, & Reſp. illa, quaſi Sodoma, incendio deflagret. Quamuis igitur Deus in ſceleris pęnam ſeditiones concitati permittat, in illis etiam clementiæ pattes ſuſcepit. Niſi enim per diſcordiam ſtetiſſet, multo grauiora facinora ſuſciperentur. Quoquo modo igitur diſſidium exoritur, id eſt ad iudicium Dei referendum. In diſcordia vero primum tumultus exoritur. Deinde, quilibet ſocium furoris aſſumit, & cum illo de pattis alterius pernicie coniurat. Hoc eſt autem, quod dicit, Quilibet manum proximi ſui confirmabit, & manus ſua in manum ptoximi ſui inſurget.

**Sed & Iudas pugnabit aduetſus Hieruſalem.**

Falſos etiam Iudęos, qui animum incircumciſum gerunt, & circumciſione corporis efferuntur, hoſtibus importunis annumerat, vt cerni poſsit, quæ ſit iſta Hieroſolyma, contra quam bellum compatant. Si enim Hieroſolyma terreſtris illa fuiſſet, bellum certe minime mœnibus illius intuliſſent.

**Et congtegabuntur diuitiæ omnium gentium in citcuitu, aurum & argentum, & veſtes multæ ſatis.**

Quantis conatibus a tyrannis, & hoſtibus reliquis, Eccleſiam impugnandam dicit, vt omnes omnium opes ad illius exitium conferantur.

**Et ſic erit tuina equi & muli & cameli & aſini, & omnium iumentorum quæ fuerint in caſtris illis, ſicut ruina hæc.**

Non ſolum, inquit, hi, qui homines ſunt, qui, cum tatione valeant, ea ad conatum ſceleris abutuntur, & ſanctam ciuitatem oppugnant, verum & illi, qui non multum diſtant a brutorum immanitate, & ſine rationis examine ductorum iuſsis obſequuntur, Dei iudicio funditus interibunt. Itaque omnes, ſiue Iudæi, ſiue Græci, ſiue Romani, ſiue principes illi ſint, ſiue plebeij, qui vel infeſtis armis, vel peſtiferis opinionibus, fidem labefactãdam, & Chriſti Remp. euertendam, & affligendam, ſuſceperint, cũ omnibus opibus euertẽtut, exituq. vitæ diriſsimo ſceletis infandi pœnas dabũt.

**Et omnes qui reliqui fuerint de vniuerſis gentibus quæ venerũt contta Hieruſalem, aſcendent ab anno in annum, vt adotent tegem Dominum exercituum, & celebtent feſtiuitatem tàbernaculorum.**

Impij quidem in ſcelere pertinaces prorſus exſcindentur, eorumq. nomen ex memoria hominum euelletur. Reliqui vero, qui fuerint communi calamitati ſuperſtites, aliorũ plagis admoniti, fidem, & pietatem, colent, & religionem pute conſetuabunt. Quo ritu? qua cærimonia? qua ſanctitate? num ea, quam Iudæi ſomniantes alucinantur, vt ex omnibus gentibus veniant omnes ſingulis annis, vt tabernaculorum dies feſtos agitent? Minime gentium. Quo modo enim fieri poſsit, vt, qui terras vltimas incolunt, in quacumque otbis terrarum plaga ſedes habeant, domos relinquant, arationes deſerant, curam rei familiaris abiiciant, vitamq. perpetuo in profectione, & reuerſione, conſumant? Deinde, quis locus tantã multitudinem capiet, aut quæ tam lata planities erit, in qua tabernacula infinita collocentut? aut quibus frugibus ſuſtentari poterit vniuerſum genus hominum, vnum in locum, procutandæ teligionis gratia, congregatum? O perditorum hominum dementiã? O Iudaicæ ment s anguſtias? O cæcitatẽ volũtariam, eorum, qui oculos ad diuinarum rerum conſpectum excitare nolunt. Reſpice, inquit Iſaias, Sionem ciuitatem ſollemnitatis noſtræ. Oculi tui videbunt Hieruſalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod a loco in locum minime transferetur: claui illius non euellentur; funes non rumpentur. Docet deinde, quo modo Rex verus, atq. ſempiternus, ſempiternam ſibi ſedem in eo tabernaculo collocauetit. Deinde, fluminũ lapſus, aquarum deriuationes, & telluris amœnitatem, & reliquas illius ciuitatis opes, oratione complectitur. Quæramus nunc a Iudæis, quę ciuitas illa ſit, quod ſempiternum tabernaculũ, qui claui, qui funes, quæ flumina, quibus terrarũ voraginibus abſorpta, vnde, aut quo tẽpore, rurſus erumpẽt? aut quod in terris ſummi Regis ſolium immutabile, atq. ſempitetnum, poterit excogitari? Reſpiciant miſeri cæleſtem Hieroſolymam, vnde ſunt, propter perfidiam, deiecti; dent operam, vt fide recipiantur; & tunc demum poterunt has tantas opes cum admiratione contemplari. Sed, cur hoc in loco, reliquis diebus feſtis omiſsis, vnius tantum celebritatem reſpicit? Duæ rationes



Digitized by Google

tiones aſsignari poſſunt. Prima quidem eſt, quod feſtum illud agebatur, poſt omnes fruges reconditas, vt omnium bonorum, quæ acceperant, memoriam conſeruarent, Diuinaque beneficia mente recolerent, ſollemniq. ritu celebrarent. Sic igitur nobis, qui non corpore, ſed animo; non pedibus, ſed fide, Hieroſolymam tendimus, faciendum eſt, vt perpetuo gratias Deo, qui nos tantis beneficiis ornauit, habeamus, nullumq. tempus intermittamus, quo non tantæ benignitatis præconia celebremus. Altera vero ratio eſt, vt intelligamus, Tabernaculorum nomine non eſſe nobis in terra ſedes ſtatuendas. Peregrini enim ſumus, & in tabernaculis habitamus, quę ſunt nobis tantum relinquenda. Iccirco neceſſe eſt, de cæleſti patria perpetuo cogitemus, & hanc vitam, non vitam, ſed iter, & tranſitum, arbitremur, ſummoq. ſtudio, & alacritate, in vitam illam ſempiternam feramur.

Et erit: qui non aſcenderit de familiis terræ ad Hieruſalē, vt adoret regem Dominum exercituum, non erit ſuper eos imber.

Qui, inquit, non fide in Eccleſiam accelerauerit, vt memori mēte debita vota perſoluat, & gratias ſemper optimo parenti, bonorūq. omnium largitori, agat; imbre gratiæ carebit, nec vllos ex ſe iuſtitiæ fructus efferet. Ingratus enim animus, eſt beneficiis indignus; &, qui ſe peregrinum eſſe minime confitetur, humiq. defixam mentem habet, cæleſti pluuia lætificari minime poteſt.

Quod & ſi familia Aegypti non aſcenderit, & nō venerit: nec ſuper eos erit, ſed erit ruina qua percutiet Dominus omnes gentes quæ non aſcenderint ad celebrandam feſtiuitatem tabernaculorum.

Non inſoleſcat, inquit, Aegyptus Nili deriuatione, non ſe tumidam inferat, quaſi nō indigeat imbre. Non minus enim illā fame conficiam, quam reliquas omnes gentes, quæ pluuiæ deſiderio cruciantur. Hoc eſt autem, nemo in vita ſecurus ſit: quamuis enim, vt Paulus ait, fide ſtemus, non animis efferamur. poſſumus enim de ſtatu concidere. Ruinam igitur timeamus. Quamuis enim fuerimus gratiæ Diuinæ fluentis rore irrigati, quamuis gratiæ Diuinæ vbertate completi, ſi non aſsidue gratias Deo de tantis donis egerimus, non ſecus nos accipiet, quam reliquos omnes, ad quos numquam tanta copia Diuinæ benignitatis influxerat. Itaque ſalus omnium in eo poſita eſt, vt in tabernaculis Diuina beneficia recolamus, & laudes Domini, qui nos tantis muneribus auxit, perpetuo celebremus.

Hoc erit peccatū Aegypti, & hoc peccatum omnium gentium quæ non aſcenderint ad celebrandam feſtiuitatem tabernaculorum.

Duplex fidei munus, & officium, eſt. Vnum enim eſt in ſumma fiducia Diuinæ beneficentiæ, vt, quoties ſumus in aliqua ærumna, aut diſcrimine, poſiti, opem Domini fidenter imploremus: alterum vero, in animo grato, atq. memori, quo gratias Deo ſemper agendas arbitramur. Hac autem ratione, dies feſtus tabernaculorum ab iis, qui fidem debitam ſeruant, aſsidue celebratur. Quamdiu vero hoc officio fungimur, labi non poſſumus: at, vbi obliuio noſtri muneris irrepit, tunc facillime labimur, & flagitia non grauate ſuſcipimus. Recte igitur dicitur, hoc eſſe peccatum Aegypti, & omnium nationum. Omnia namq. ſcelera ab ingrati animi crimine, & religionis obliuione, naſcuntur.

In die illa erit quod ſuper frenum equi eſt ſanctum Domino: & erunt lebetes in domo Domini quaſi phialæ corā altari.

Omnia, inquit, ſiue ad vſum belli pertineāt, ſiue ad religionis inſtrumētum, Domino conſecrabuntur. Itaque, qui bella ſuſcipient, arma ſua ad Dei gloriam referent, victoriæque ſpē in illius præſidio collocabunt: vt Conſtantinus Imperator, & omnes, qui fuerunt illius veſtigiis ingreſsi, fecerunt. Hoc autem vt ſignificaretur, non ſine conſilio Diuino factum eſt, vt idem Imperator, in equi ſui freno, Clauum vnum ex illis, quibus Chriſtus confixus exſtiterat, geſtaret. Similiter enim ſacerdotes multo ſanctius religioni operam dabunt. hoc autem ſignificat, cum ait, futurum, vt lebetes ſint phialis ſimiles, quibus libamenta in cornu altaris infundebantur. Maior namque religio erat in phialis, quam in lebetibus, quo phialæ magis ad ſacrificiorum ſanctitatem accedebant, ſacratioribusq. erant vſibus deſtinatæ. Fidei tamen magnitudo, & animorum alacritas, hoc præſtat, vt aliquando minora inſtrumenta, cum maiorum gloria conferantur.

Et erit omnis lebes Hieruſalem & in Iuda ſanctificatus Domino exercituum: & venient omnes immolantes, & ſument ex eis, & coquent in eis, & non erit mercator vltra in domo Domini exercituum in die illo.

Omnia, inquit, rite, atq. ſancte, fient. inſtrumenta namq. erunt pura. Cuncti tandem venient, vt ſacrificia iuſtitiæ, vt libamenta laudis, vt precationum odores, offerant; nec ignis alienus, nec aliquod vas impurum, adhi-

adhiberi poterit. Sic autem erunt omnes ſacris ſanctionibus addicti, vt nemo audeat alium ſacrificandi ritum inducere, qui non ſit Diuinis inſtitutis ipſius Eccleſiæ comprobatus. Omnis auaritia mercatorum, & quæſtus nefarius, exſulabit, ita, vt omnia puriſſime fiant, & ad Dei gloriam referantur.

*Ex mandato Illuſtris admodum, & Reuerendiſsimi Sacri Palatij Magiſtri P. Bartholomæi Mirandæ S. Theologiæ Doctoris, vidi, attenteq. perlegi Hieronymi Oſorij, Luſitani, atque Epiſcopi Siluenſis, in Zachariam Prophetam minorem commentarios, libris tribus diſtinctos; qui cum doctrinam, nec fidei orthodoxæ contrariam, nec morum integritati obuiantem, contineant, ſed veram, piam, atque Catholico genere loquendi expreſſam, ſint præſeferentes, dignos illos quidem iudicaui qui prælo mandarentur; cum ad hæc ſint ſermonis elegantia tanta exculti, quod ſingulare fere eſt in hoc Auctore, ſi eius omnia ſcripta reuoluantur etiam ipſis noſtræ fidei Catholicæ inimicis; vt, dum aures illa συμφωνία, id eſt, concinnitate muſica verborum, permulcentur, ſententiæ pariter Prophetæ, ſeu potius Dei per Prophetam loquentis, intimis ſenſibus infigantur, & hæreant. Dat. Romæ, VII. Idus Aprilis, Anno MDXCII.*

*Hieronymus Vitalis, Sac. Theologiæ Doctor.*

*Imprimatur.*

P. Ant. Vicesger.

F. Bartholomæus de Miranda. S. P. M.

# HIERONYMI OSORII
## LVSITANI
## IN LAVDEM D. AECATHERINAE
## ORATIO.

*Simile eſt Regnum Cælorum Theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius abiit, & vendit omnia, quæ habet, & emit agrum illum.*

OPeræ pretium me facturum exiſtimaui, antequã Virginis Aecatherinæ laudes oratione complecterer, hęc domini verba pro viribus explicare, vt intelligi poſſet, quo ſtudio, quo mentis ardore, ſeſe ſanctiſsima Virgo ad Christi nomen adiũxerit, qua cura, & vigilantia, Theſaurum iſtum peruestigarit, & quam Diuina conſtantia Diuinas opes cuſtodierit. Hoc autem accidere plerumq. uidemus, vt, cum homines audiũt ea, quæ quondam viri ſanctiſsimi, religionis gratia, pertulere, vel non credant, vel nimis admirentur, vel virtutis excellentis exempla ad ſe pertinere non putent. Qui nõ credunt, impietatis ſuſpicionem vitare non poſſunt. Non enim vident, quantas vires vera virtus, Chriſti gratia conceſſa mentibus piis, habeat. Qui vero nimis admirantnr, cauſſam tam præclari facinoris ignorant. Cauſſarum enim ignoratio eſt, quæ nimiam admirationem commouet: cauſsis vero explicatis, admiratio omnis elabitur. Qui vero exempla Diuinorum hominum ad ſe pertinere non arbitratur, nnmquã, quis ſit finis legi Diuinæ propoſitus, intellexit. Finis legis, eſt Diuinæ virtutis imitatio. Immenſa namque probitas, vt omnia bona ſna cum humana natura communicet, naturam humanam ad ſui ſimilitudinem perducit. Eſtote, inquit, ſancti, quoniam ego ſanctus ſum. Quo modo enim filij, & heredes, eſſe poſſumus, ſi nos non omni ſtudio ad ſanctiſsimi patris imitationem contulerimus? Si enim filij parentum imaginem natura referunt, qni filiorum Dei nomen vſurpant; conſequẽs eſt, vt huius Diuinæ ſtirpis claritatem factis clariſsimis, & vitæ puritate, & ſanctimonia, repræſentent, aut cum ſumma turpitudine, & ignominia, nomen Diuinæ nobilitatis abiiciant. Opus igitur eſt, ſi volumus ſtatum noſtrum benignitate Diuina conceſſum tueri, vt iuſti, vt ſancti, vt Diuini, ſimus, &, quo ad fieri poteſt, uirtutem, decus, beneficentiam, ſanctitatem, ſummi patris imitemur, & ad ſimilitudinem illius accedamus, ut quodam modo Dij nominari poſſimus. At, inquis, id fieri minime poſſe. O uerbum impium, & ſceleratum. O animi puſilli, & anguſti, turpiſsimam diffidentiam. An parum conſtat, Diuina lege uitæ puritatem, cæleſtem uitæ rationem, Diuinamque uirtutem, ſeueriſsime fuiſſe ſancitam? An Diuina bonitas, atque ſapientia, aliquid nobis præſcripſiſſet, quod a nobis ſeruari minime licuiſſet? Quid enim aliud eſſet, iocari, atq. riſum quęrere, atq. adeo humano generi in deſperatione ſalutis inſultare, quã id præcipere, quod exſequi nullo modo liceret? Si princeps cæcum in ſpecula collocet, ut omnia circumquaque loca ſpeculetur, aut claudum iubeat pedibus longiſsimæ uiæ curſum breuiſsimo temporis ſpatio conficerẽ, nonne uel inſanus, uel maleſalſus, poſſet iure, atque merito, iudicari? Id igitur, quod in homi-



Digitized by Google

nibus, vel furoris, vel leuitatis, clariſsimum argumentum continet, audeat quiſquam in illam ſempiternam ſapientiam, & infinitam probitatem, coniicere? Dubium igitur non eſt, quin omnis, qui negat, ea, quæ a Deo nobis præcipiuntur, a nobis fieri poſſe, non mediocre in hoc ſcelus admittat. Nec enim dicimus, vt noſtris viribus legem Diuinam ſeruare queamus, ſed Diuinis, quæ numquam illis, qui cum ardenti fide Dei opem quæſierunt, vllo in loco deſuerunt. Quod ſi quis hoc credit, & tamen egregia conari non audet, mortiferis animi morbis impeditus, animum certe gerit omnibus extremæ turpitudinis maculis inuſtum, & luculentiſsimis vitiis inquinatum. Vt autem magis eorum amentia, & animi turpis abiectio, conuincatur, & intelligant homines, quam ſit facile id, quod multi difficillimum ſuſpicantur, oculos coniiciam in Aecatherinam, cuius hodie memoriam celebramus: quæ quidem, vt innumerabilem Diuinorum hominum, atque mulierum multitudinem ſileamus, quæ pro Chriſti nomine facinora præclara Diuinæ virtutis ediderunt, huius ſententię veritatem conſtantia Diuina confirmauit. Non enim erat e robore dolata, aut ex ſilice exculpta, ſed eadem naturæ imbecillitate prædita, qua ſumus omnes; & tamen nullis minis perterreri, nullis doloribus frangi, nullis cruciatibus detorqueri, potuit. Accedebat, quod erat ætate tenera, cultu vitæ delicata, in opibus ſummis, atque deliciis, enutrita. quæ omnia cum ſupplicia feruntur, multo acriorem morſum acerbiſsimi doloris efficiunt. Adde nunc inſignem formam, & oris ſpeciem præclaram, & eximiam venuſtatem, quæ reliquas virgines naturæ blandimentis, atque lenociniis, ad perfruendas voluptates inuitat, & allicit, illisque ſpem vitæ iucundiſsimæ proponit; ita, vt difficillimum ſit, eas, quas formæ fiducia elatas, & inſolentes, efficit, a luxu, vitæque laſciuia, ad ſtudium vitæ ſeuerioris, & amorem pudicitiæ, reuocare. Hæc tamen omnia, quæ virginum animos inſolenter efferre ſolent, Aecatherina deſpexit, contempſit, pro nihilo duxit, & animo conſtantiſsimo repudiauit. Neque ſolum omnia hæc aſpernata fuit, verum etiam ſponte, atque voluntate ſua, pro iucunditate, dolorem; pro voluptate, ſupplicia; pro uita, mortem expetiuit; & vltro, cum frui poſſet omnibus vitæ commodis, omnibus ſe tormentis obiecit. Quid igitur dicemus? Catherinam orbatam fuiſſe corporis ſenſibus? Minime. Nec enim poterat, integra manente natura, ipſius naturę communes ſenſus opprimere. Num iudicio mentis ſpoliata fuit? Interroga homines eruditionis gloria præcellentes, quos omnes illa ſuperauit, & ſtupore defixit: & tunc aude dicere, eam mente priuatam fuiſſe. Si igitur neque vllus ſtupor in ſenſibus, neque vllus furor in mente illius exſtitit, quid dicendum eſt, virginem, & natura, & ingenio, & opibus, & ornamentis, & diſciplinis, inſtructiſsimam, in eam mentem impuliſse, vt omnia aſpernaretur, atque reiiceret, quę vulgus hominum amat, conſectatur, adipiſci cupit: pro quibus parandis, atque fruendis, vitam infinitis periculis exponit? Quid igitur in cauſſa fuiſſe dicemus, vt admirari deſinamus? Hoc vnum certe, eam aliquid mentis oculis adſpexiſſe, multo ad vtilitatem melius, ad voluptatem iucundius, ad ſpeciem magnificentius, cuius ſtudio incenſa, omnes humanas opes abiecit, vt Diuinis frueretur. Facile namque, qui Diuinis opibus affluit, humanas parui pendit; qui vera, & ſtabili, voluptate perfunditur, futilem, & inanem, voluptatem aſpernatur; qui immortalis glorię ſtudio flagrat, auræ popularis leuitatem pro nihilo ducit. Nemo igitur Catherinam admiretur, eo quod, fluxis, & interituris, rebus abiectis, ſtabiles, atque ſempiternas, expetierit. Vidit enim theſaurum abſconditum in agro. Theſauri igitur inuentione ſupra modum lęta, vendidit illa omnia, quę natura, vel fortuna, congeſſerat, vt emeret agrum illum. Quam ſapienter autem hoc in animum induxit, poterit intelligi, ſi fuerit explicatum, quis iſte Theſaurus ſit, qui ſit ager, qui tanti theſauri magnitudinem, & pretium, occultat, & quo modo tandem inueniri poſsit. Sed, antequam id faciamus, non erit alienum, quę vis, & vtilitas, theſauri ſit, explanare. Communis hominum vita, cum fragilis, & imbecilla, ſit, multis ſubſidiis fulcienda eſt, ne miſeriis circumualletur. Primum enim eſt vndequaque victus ſuppeditandus, vt nos, & omnes, qui ſub tutela noſtra latent, ali, atque ſuſtentari, queant. Vt aeris vero iniuria a nobis arceatur, multiplici cultu, & ędium pręſidio, indigemus, vt ęſtum, & imbres, & frigora, depellamus. Cum vero multa vitam pericula circumſtent, ſunt etiam hominum varia pręſidia comparanda, quibus & apertam vim, & occultas inſidias, a nobis arcere poſsimus. Tum, cum voluptatis cupiditas ita ſit implicata in natura, vt illi repugnare difficillimum ſit, opes etiam appetendæ videntur, vt poſsimus vitæ iucunditate potiri, & voluptates vndique delibare. Poſtremo, cum natura ſimus decoris, & honeſtatis, appetentes, & honores vehementer exquiramus, & in ore hominum cum gloria verſari cupiamus, vitam ſine dignitate, & nimis iniucundam, & acerbam plerumque, cenſemus. His autem rebus omnibus expleri vitam beatam iudicamus. Cum vero omnia hæc ſine pe-

ne pe-

ne pecunia comparari minime credamns, fit, vt pecuniæ magnitndinem vitæ beatæ effectricem ſæpenumero furenter arbitremur. Hæc autem pecuniæ magnitudo, ad hos tam multos vſus congeſta, & aſſeruata, Theſanrus appellari ſolet. Iccirco fit, vt plerique mortales pecuniæ ſeruiendum exiſtiment, qnia florentem, atqne beatam, vitam, ea contineri arbitrantur. illa namque victum, & vitæ præſidia, & cultum, & elegantiam, & volnptates innnmerabiles, & firmum vitæ propugnaculum, & laudis, & gloriæ, materiam, atque ſegetem, contineri cenſent. inde adeo euenit, vt illam multi in Dei loco venerentur, &, præ illius ſtudio, fidem, atqne religionem, deſpiciant. In quanta antem rerũ ignoratione verſentur, qui bac mente ſunt, dici non poteſt. Primum enim, cum vitæ neceſsitas modicis naturæ opibus, quæ ſunt valde parabiles, atqne terminatæ, exprimi facillime poſsit, quæ maior excogitari poteſt dementia, quam ſine vlla neceſsitate, & immani pecunia comparanda, vitam abſque vllo fructu conterere. Deinde, ſi voluptas expetitur, pecuniæ ſtudium ingentes ſollicitudines inuehit, animum triſtiſsimis curis exedit, & doloribus etiam interdum innumerabilibus intercludit. Si vero ſecuritatem nobis parare cupimus, nihil eſt hominum vitæ immanibus diuitiis infeſtius. Eæ namque inuidiam concitant, & cupiditatem multorum incitant, e quibus morbis omnes inſidiæ iis, qui maximis pecuniis abundant, intendnntur. Quod vſque adeo verum eſt, vt ne filij quidem parentes ſuos fideli præſidio munire poſsint; nempe, quibus celerem interitum frequenter exoptent. Iam vero, vitæ decus, & gloria, quæ vitutis comes eſt, quo tandem modo vitæ ſordes, & auaritiam, conſequetur? qua enim tandem ratione gloria circumfluent illi, qui quoduis lucrum opibus honeſtatis, & dignitatis, anteponunt? Deinde, qui pecunias ingentes poſsident, vel illas gloriæ cauſſa libenter inſumunt, vel nulla condicione adduci poſsũt, vt ſumptus illos gloriæ cauſſa faciant. Si pecunias abſumunt, ad inopiam rediguntur; & ita neceſſe eſt, ſi pecunia felices homines facit, vt is, qui pecuniam exhauſit, miſer ſit: Si vero pecuniæ pepercit, ne in inopia verſaretur, nullum illi pecunia, nec ad vitæ oblectamentum, nec ad nominis claritatem, fructum tulit. ita colligitur, eum, qui pecuniæ ſtudet, ſemper in miſeria verſari. Summa namque inopia conflictatur is, qui, ne quidquam de congeſtæ pecuniæ aceruo diminuat, labores, & ærumnas ſibi tolerandas exiſtimat. Sed, vt hæc omnia omittamus, illud ſolum conſideremus, in quem finem pecuniæ comparentur; & tanta vigilantia cuſtodiantur. Numquid non ob eam cauſſam, vt mala omnia, quæ in humanam vitam incurſant, earum præſidio depellantur? Quæro igitur, num pecnnia pellit morbos? num curas eximit? num animum metu, & ſollicitudine, liberat? num mortis impetum repell t? num Diuinum iudicium redimit? num ignem illum ſempiternum, quo ſunt cruciandi ſontes, exſtinguit? Non certe. Quę mala igitur ſunt, aut quę pericula, quæ propulſat pecuniæ magnitudo? Nulla profecto. Hæc enim, quæ oratione perſtrinxi, vere Mala nominari poſſunt, quæ minime pecunia repelluntur. Hunc igitur ſolum pecuniæ fructum afferunt, vt in exitu vitæ, maiore cum dolore, & cruciatu, homines ab illis auellantur, maioraqne illis ſupplicia ſubeunda ſint, quo furentius, illarum cupiditate cæci, iuſtitiam, & fidem, violarunt. Reliquum igitur eſt, ſi Theſaurus eſt vitæ præſidium, ſollicitndinis alleuamentum, voluptatis inſtrumentum, gloriæ firmamentum, & vnicum calamitatis in omni loco perfugium, & pecunia neque vitæ ſtatum conſeruat, neque ex animo ſollicitudines euellit, neque vllam veram, & ſtabilem, voluptatem affert, neque viam ad laudem, & gloriam, munit, neque poſtremo e malis ſempiternis eripit, vt minime in illam Theſauri nomen conueniat. Quis igitur ille Theſaurus eſt, cui vere eſt hoc nomen impoſitum? Iuſtitiæ cæleſtis ſplendor, qui Dei immenſa gratia, & benignitate, continetur. Qui ſunt Diuites appellandi? Illi, qui veriſsimæ iuſtitiæ compotes, Chriſti gratia, fiunt. Illis enim diuitiis abundant, quæ nec auerti, nec exhauriri, nec imminui, poſſunt. Nec enim ad corporis mollitiem, ſed ad animi decus, & ornatum, conferuntur: nec cum hominum iniuria, & offenſione, ſed cum ſumma hominum vtilitate, conſeruantur: nec vſu imminui poſſunt; ſed, quo maior vſus illarum exſtat, eo magis amplificantur: quæ non homines, dignitatis ſpecie deceptos, turpitudine inſigni commaculant, ſed quæ mentes puras cæleſtibus, atque plane Diuinis, ornamentis afficiunt: quæ poſtremo homines illis confidentes in morte minime deſerunt; ſed poſt hanc vitam immortalitatem, & gloriam, ſempiternam conſtituunt. Quod aurum igitur, quæ gemmæ, quæ vaſa, quæ monilia, qui veſtium ſplendor, quæ cultus elegantia, erit cum hac tanta diuitiarum magnitudine conferenda? Quid enim fide potentius? quid animi robore, & virtute, valentius? quid hominum caritate magnificentius? quid Diuinarum rerum notitia clarius? quid modeſtiæ ornatu pulchrius? qnid pietate, & religione, Diuinius? Hæc autem omnia, & multa alia ornamenta, quæ complecti oratione non poſſumus, cæleſtis iuſtitiæ nomine continentur; ita, vt Theſanri nomen illi tantum iure conueniat. Illius igitur tantus ſplendor eſt, & tam

admirabilis pulchritudo, vt, cum primũ oculis cernitur, mirabiles ſui amores excitet, & animos cupiditate acriter, ſupra quam explicari poteſt, inflammet. Auctor autem, & cuſtos,& princeps,& monſtrator, atque largitor huius Theſauri Chriſtus eſt. itaque fit, vt ij ſolum diuites, atque beati, ſint, qui ſe totos ad Chriſti nomen,& ſtudium,inflammato animo, contulerunt. Regno enim cæleſti repente potiuntur. Reges enim cæleſtes, atque ſempiterni,ſunt;qui iuſtitię opibus ornantur, ipſiq. Dei filio, qui cæleſtibus imperat, amoris ſanctiſsimi fœdere coniunguntur. Eſt igitur cæli Regnum, hoc eſt iuſtitiæ cæleſtis dignitas, & ornamentum, theſauro perſimile. Regnum enim cęlorum,cum alia multa ſignificet in Euangelio, tum illius eſt vſus admodum frequens, cum deſignat, cæleſtem Chriſti Rempublicam, virtutis Diuinæ conſtantiam, inuictum fidei propugnaculum, perfectum æternæ legis ſtudium, Euangelij deniq. ipſius diſciplinam, cum ſumma obœdientia, & amore,cōiunctam,quę omnia iuſtitiæ complexu,& gremio,continētur. Huc enim ſumma Euangelij pertinet,vt nos ab omnibus rebus abſtrahat, quæ cum Diuina lege pugnāt, & ſub Chriſti imperiũ, ditionemque, ſubiungat,& illius ſtudio, & amore, vehementer incendat, ita,vt nullis rebus,vel ſecũdis,vel aduerſis, ab illius fide,& imperio,deficiamus:in quo Iuſtitiæ perfectio conſiſtit. Iuſtitia nāque, legitimi imperij, atque ſempiternæ legis,incenſo ſtudio continetur.Qui igitur hũc ſtatum aſſecutus eſt, vt eum neque voluptatum blanditiæ liquefaciant, neque ſuppliciorum dolores exterreant, vt Chriſto debitam fidem prodat, ab illiusq. imperio vlla conditione deficiat, hic vere iuſtus eſt, & intra pectus habet cæleſte Regnum,more, lege, diſciplina cæleſti fundatum,Diuinoq. præſidio firmatum, & ſtabilitum. Nec enim cæleſte Regnum illud ſolum appellatur, in quo cælites omnes Chriſto ſine vlla recuſatione parent, ſummaq. celeritate omnia, quæ ſunt ab illo imperata, conficiunt:ſed etiā in hac vita omnis ſtatus,qui eſt Chriſti lege,& imperio, conſtitutus, & in quo omnes, qui ſunt illius lege deuincti, iudicia illius metuũt, eumq. debita veneratione proſequuntur, Regnũ cælorum nominari plerumque ſolet. itaq. nō ſolum Eccleſia vniuerſa, ſed cuiuſlibet etiam hominis fidelis animus,iuſtitiæ ornamentis excultus, Regnum cæleſte nominatur. Conſtat enim, ſtatum illius eſſe Chriſti ſapientia moderatũ; inſigni magnificentia locupletatum; virtute, & vigilātia,defenſum;pręſidio firmiſsimo munitum. Quæ enim vis alia potuiſſet in humanis animis cupiditatis indomitæ fibras amputare, flagitiorum omnium radices euellere, totamq. mentem a ſtudio rerum caducarum prorſus abductam ardentiſsima cupiditate gloriæ immortalis incendere? qua potentia fieri poſſet tam ſubitæ vitæ conuerſio, vt, qui modo ſeruiebat libidini,flagitio,turpitudini, ſeruiat honeſtati,ſeruiat pietati, & religioni, cæliq. Dominum nimis incenſo ſtudio veneretur?itaq. præſidio illius mens in animo facile principatũ tenet, Diuinoq. lumine collucet, atque clare cernit,quibus legibus,atque diſciplinis, ſint animi partes, antea diſsidentes, coercendæ,& fœdere certo coniungendæ, ne tumultus nefarie concitent, ordinemque,& conuenientiam,perturbent. ſic autem deniq. ſtatum animi,ſapientia, atque virtute, componit,vt facile appareat, in illa Chriſti numē inſidere. ergo, quoties ſtatũ animi videmus lege Diuina conſtitutum, moribus ſanctiſsimis ornatum,Chriſti præſidio munitum, toties cæleſte Regnum,opibus Diuinis florentiſſimum,intuemur. Minime igitur mirandum eſt,huius feliciſsimi Regni ſapientia, atq.virtute,res altiſsimas adminiſtrari. Luce namq. Diuina completur,pace,& trāquillitate,perfruitur,vires inuictas adipiſcitur,opibus ſempiternis abundat, incredibili gaudio cumulatur. Qui igitur cęleſtibus opibus inſtructi sũt, quo modo poſſunt opes terrenas admirari? qui voluptatibus ſummis,atque ſempiternis, affluunt,qua tandem ratione voluptates inanes exquirēt?qui Diuino præſidio cincti ſunt, quo ſenſu homines inanes extimeſcent? quare deſinant homines admirari Diuinā in Virgine virtutem; in adoleſcentiæ flore ſapientiam; in fragili ſexu conſtantiam;in fortuna florente ſeueritatem;& in ſtatu florentiſsimo humanarum rerum contemptionem. Hic enim theſaurus abſconditus tantas opes habet,vt, qui illas inſpexerit, omnes mũdi opes repente faſtidiat. Illud igitur eſt potius admirandum,cur nō id facimus omnes, neque, deſertis humanis opibus, Diuinas ſummo ſtudio,& acriter inflammato, perſequimur. Sed nimirum illud eſt: theſaurus hic abſconditus eſt, & pauci admodum ſunt, qui illum adſpiciũt.Si enim expoſitus eſſet omnibus,vix credibile eſt,vt non omnes certatim vndique,potiundi illius gratia, conuenirent. Nam, quid homines appetant, quod in hunc theſaurum minime incluſum ſit?victũ ne,atque veſtitum, & cultum? at,qui hunc theſaurum poſſederit, in ſordibus,& mendicitate,verſari non poterit, cum Dei ſingulari munificentia ſuſtentetur,& cæleſti etiam cultu veſtiatur.Honores, & dignitates? ſed nulla dignitatis amplitudo maior eſſe poterit,quam Dei filium numerari, & mentibus illis beatiſsimis, quæ opibus Regni ſempiterni fruuntur, adſcribi.Num voluptates? At ſoli,quos Diuinus ſpiritus incitat,puras,& ſtabiles, atque ſempiternas, voluptates hauriunt,& ingenti lætitia,quæ verbis explicari non poteſt,efferuntur. Num firmum ſtatus ſui præſidium? Sed, cum omnia humana ſint mortalia, & caduca, exiguoque tēporis ſpatio definita,ſoli, qui Deo ſunt amo

re ſan-

re ſanctiſsimo deuincti,cæleſtiq. præſidio conſtipati,vt ſunt omnes, qui per Chriſti gratiã in illius fidem recepti ſunt,Diuino,atque ſempiterno, præſidio ſtipantur, ita, vt nullis humanis viribus queant de ſtatu ſuo dimoueri. Reliquum igitur eſt, cum ſolus hic theſaurus omnia bona complexu ſuo contineat, quæ homines ſitienter appetunt, vt ſint illi valde ſapientes,qui, reliquis rebus neglectis,& repudiatis, omnes conatus eo comparant, vt hunc theſaurum adipiſcantur. Sed, inquiet fortaſſe aliquis, ſi theſaurus hic abſconditus eſt, haud æquum eſt, vt vitio detur illis, qui eo minime fruuntur. Accuſanda eſt igitur illius inuidia, qui aurum ſub terram abdidit, non ſegnities eius, qui aurum abſconditum nõ quæſiuit. Quo modo enim quærere, & inueſtigare,poteſt,id,quod eſt ab illius ſenſibus,& cognitione,remotum? Recte diceres, ſi aurũ hoc fuiſſet in ſolitudine.atq. vaſtitate, quo nemo vmquam facile penetrare potuiſſet,abſconditum,ant in rupibus altiſsimis, in quarum faſtigio pedem nemo vmquam poſuiſſet. Sed non id dicit Dominus, ſed eſſe abſconditum in agro. Deſidiam igitur fuge, diligentiam adhibe, agrum cole: ſi aratrum ſolito altius impreſſeris, in theſaurum incides. Ager enim, hoc in loco,animus eſt, qui arandus eſt ratione, ſubigendus diſciplina, conſerendus hominum caritate, expurgandus religione. Hoc autem ſtudium in te, non ſine Chriſti præſentis auxilio, ſi fidem illius verbis adhibueris, incitari poterit. Sed ille auxilium tibi minime denegabit, auriq. reconditi venam tibi non grauate monſtrabit: itaque, ſi tibi ipſi non defueris, facillime theſaurum iſtum erues. Prope namque eſt verbum in corde tuo, & in ore tuo, hoc eſt verbum fidei.Si igitur opertum eſt Euangelium, ijs,qui pereunt, eſt opertum. Libido nempe tua tibi tenebras offundit,ſuperbia tibi mentem eripit, auaritia te oculorũ adſpectu priuat, tenebrarum princeps te ſenſibus orbat, ne vel, quæ te circumſiſtant, mala diſpicias, vel,quæ ob oculos tuos conſtituta ſunt,bona, ſapienter animaduertas. Vt autem rectius dicam,tu tibi ipſi cauſſam iſtius tam duræ cęcitatis attuliſti. Lucem namque reſpuis, tenebras conſectaris, monitoribus infeſtus es, viſum recipere non vis, & ſponte tua in peſtem ruis. Non eſt igitur, quod theſauri abſconditi culpam in numen cæleſte conijcias. Clemẽtia namque illius, omnibus prompta, atque parata, eſt. numquam difficiles aditus habuit: vltro omnes ad opes ſuas adſpiciendas,atque fruendas, inuitat. nec exſpectat,dum nos ad illum prius adeamus, ſed ipſe primum nobis occurrit,vt lucem ſuam prę ferat,ſpemq. ſuarum diuitiarum ijs,qui illum audire voluerint,oſtendat. Nos vero plerũque lucem adſpicere recuſamus,verbisq. Diuinis aures præbere nolumus;& ita fit,vt bonorum verorum fructu, propter noſtra flagitia,priuemur. Si theſanrus igitur abſconditus eſt,non eſt, cur Deum in inuidiam vocemus, qui diues eſt in omnibus, qui inuocant illum;ſed nobis ipſis hanc amentiam, & cæcitatem,aſsignemus. Certe enim, ſi ad medicũ illum,qui, vt morbos noſtros ſanaret, mortem, & cruciatum, ſumma voluntate ſuſtinuit,adierimus. is nobis viſum, & ſanitatem, reſtituet, Diuinumq. theſaurum nobis, e terræ viſceribus effoſſum,monſtrabit.Sed dices fortaſſe, quid theſaurum adſpicere proderit,niſi vires habuero, quibus illum domũ feram, atque firma cuſtodia conſeruem? Recte quidem diceres,ſi is, qui tibi diuitias ſuas explicat, vt earum deſiderio flagres, non ſimul vires inuictas daret,quibus contra Satanæ machinas theſaurum tueri,atque conſeruare,poſſes: ſed tantis ille viribus inſtruit omnes,qui ſumma fide nomen illi dant, vt nullũ tam munitum ſit Satanæ præſidiũ, quod non diſijciant; nullæ tantæ copiæ, quas non fundant;nulli hoſtes tam robuſti, quos non, impreſsione facta,proſternant. Sancti, inquit Paulus,per fidem uicerunt regna: quibus autem armis victoriæ ab illis partæ ſint, exponit, dum ait, Operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt promiſsiones. Multa quidem alia præmia Deus illis,qui colerent iuſtitiam, promiſit:inter quæ illud fuit, ſe eis numquam, vllo in diſcrimine,defuturum. Hac autem promiſſione confirmati, quemadmodum idem Paulus continuo ſubiungit, fortes facti ſunt in bello. Addit deinde:Obſtruxerunt ora leonũ. Quo in loco plane docet, neque Sanſonis robur inuictum,neque Dauidis virtutem admirabilem,eſſe vllo modo ad naturæ beneficiũ, ſed ad gratiæ Diuinæ magnitudinem referendam. Sequitur deinde, Exſtinxerunt ignis vim.Non ſolum enim Moſis, & Aaronis, precibus fuit incendium in ſolitudine reſtinctũ, verum & pueri, in fornacem coniecti;nullam vim experti ſunt illius ignis, quo perditi homines,qui illos coniecerant,ſubito conflagrarunt.Effugerunt aciem gladij;ex imbecillitate,viribus excitati, conualnerunt; caſtra hoſtium in fugam verterunt. hæc autem facinora,quamuis præclara ſint,ad alia tamen,quæ ſequuntur,collata,non valde magna vidẽtur: non eſt enim magnum, vires humanas, quæ natura perfringi poſsunt,exſcindere;de morte autem,quæ omnia ſuperat, & conficit, & conſumit, victoriam obtinere. id demum eſt amplum,& excelſum,ſempiternaq. memoria celebrandum. Et ideo ſubiungit, Acceperunt mulieres mortuos ſuos in vitam reuocatos. Heliæ namque, & Eliſei, precibus fuerunt diuerſis tẽporibus duo pueri vita functi a mortuis excitati, & eorum matribus reſtituti; vt intelligi poſset,ne morte quidem,quæ omnia, delet,poſse ſanctorum hominum vim frangi atque debilitari. Subiungit deinde, id,quod

eſſe

eſſe videtut admirabilius, tantum enim terrorem incutir dedecus, atque ſupplicium, vt multi, aut ignominiæ, aut doloris vitandi gratia, mottem ſibi ipſis vltro conſciuetint. Igitur humanum dedecus non extimeſcunt, vt Diuina gloria, æuo ſempiterno, perſruantur; & dolotes huius vitæ contemnunt, vt voluptatibus illis immenſis, quæ nullum ſunt finem habituræ, potiantur. Hi demum ſunt fortes, & inuicti, Diuinarumq. virtutum præſidio circumſæpti, & immortali laude digniſsimi, in omni ſæculorum æternitate iudicandi. hac ratione Paulus poſtremo in loco perſequitur ludibria, & cruciatus acerbiſsimos, quos homines ſancti ſponte ſua perpeſsi ſunt. Itaquo ait, illos & ignominia affectos, & flagris conciſos, & vinculis alligatos, incommodis oppreſsos, & lapidibus obrutos, & omni ctudelitate laceratos: omnia tamen ſupplicia, non animo tantum inuicto, ſed etiam libenti, pertuliſſe. Tanta namque vis eſt in fide, tantaq. amotis Diuini vehementia, vt nihil omnino ſit, vel rantis opibus munitum, vel tantis difficultatibus impeditum, vel tam firmo præſidio vallatum, quod non inſita vittute vincat, & ſuperet. Iccirco clementiſsimus ille pater, qui filiorum gloriam auctam, & amplificatã, vult, non modo eos contra Reges maximos, contra belluas immanes, courra flammas etiam, armis Diuinis regit, & cæleſti præſidio fitmat, vt bellorum omniũ auctotes exſiſtãt, verum etiam tanto illos robore ſæpit, vt de multitudinis furote, & amentia, de ſummis dolotibus, & intolerãdis cruciatibus, de mortis truculentia, & immanitate, atque poſtremo de manibus infetis, quorum machinis acerbiſsima ſupplicia in ſanctos homines cõparantur, clatam, & inſignem, victoriam reportent. Si igitur homines, Diuini Solis radiis illuſtrati, vera bona perſpiciunt; fontem ſempiternæ felicitatis puris oculis intuẽtur; opes ab aliorum conſpectu remotas clariſsime cernunt; ſi earum deſiderio ardentiſsimo tenentur; ſi cæleſtis pulchritudinis amore flagrant; ſi poſtremo tãtis viribus ſæpti ſunt, vt omnia, quæ videntur horribilia, contemnant, atque deſpiciant; quid eſt admirandum, eos tam præclaras contentiones pro Chriſti gloria ſuſcepiſſe? fides enim, eorum mentes illuſtrabat, ſpes animos a cogitatione totius acerbitatis abducebat, amor omnes labores, atque dolores, non modo leues, & tolerabiles, ſed etiam iucundos, efficiebat; virtus autem, qua dimicabant, non erat humana, ſed potius Diuina. Nihil autem eſt, quod Diuinam vim labefactare poſsit. Multi fortaſſe fuimus in hac ſententia explicanda. ſed, cum nobis eſſet propoſitum, Aecatherinam debitis laudibus ornare, id etiam demonſtrare non alienum duximus, quid eam, & innumerabiles homines, atque virgines etiam, impulerit, ad tã præclarum certamen, cum interitu vitæ, & acerbiſsimo cruciatu, tam conſtanter ineundum. Vt igitur ad illius laudationem propius accedamus, opus eſt, vt ſtatum Eccleſiæ tẽporis illius, quo illa res adeo memorabiles effecit, oratione deſcribamus. Maxentius tyrannus imperium Romanum occuparat, & orbem terrarum dominatu oppreſſum continebat. Erat autem is Chriſtiano nomini vehementer infeſtus. itaque omnes animi neruos intendebat, vt Chriſti religionem ex hominum memoria euelleret. tantoq. huius ſanctiſsimi nominis odio flagrabat, vt, quamuis & nimis cupidus, & ambitioſus, eſſet, non tamen ſibi tantum pro opibus, & imperio, dimicandum, exiſtimaret, quantum, vt interitum ſtudio Chriſtianæ pietatis afferret. Cum autem is eſſet Alexandriæ, Deorum ſuorum religionem iam a multis neglectam inſtaurare voluit, & hoſtias ſtatuere, quibus homines, partim exemplo, partim minis, atque terrore, ad idem ſtudium impelleret. Capite autẽ ſanxit, ſi quis non Dijs hoſtias immolaret: edictumq. propoſuit, vt omnes Alexãdriam, religionis procurandæ gratia, conuenirent. Magna igitur multitudo vndiq. confluit cum victimis & alij maiores hoſtias, alij minores, ad aras ſtatuunt, rituq. ſollemni mactant, nõ tam, vt numen Deorum placarent, quam, vt Imperatoris ipſius irã a capitibus ſuis auerterent. Non enim mediocriter illis, qui imperium recuſabant, minabarur. Itaque ſimul & hoſtias ipſe, rite, vt ſibi videbatur, cædendas, acri ſtudio, & vigilantia, curabat, &, vt aliæ victimæ, multo certe numini Diuino gratiores, offerrentur, operam dabat: omnibus enim, qui, morte etiam propoſita, Chriſti fidem retinebant, erat mors continuo cum acerbiſsimo cruciatu ſubeunda. Quanta autem cædes interim hominum Sanctorum fieret, verbis explicari minime poteſt. Ponite autem ante oculos Maxentij potentiam, truculentiam, immanitatem, odium in Chriſtianos acerbiſsimum, acerrimum diræ ſuperſtitionis ſtudium, miniſtrorum amẽtiam, & crudelitatem, & in Chriſtianis e tenebris extrahendis, & torquendis, ſedulitatem, & vigilantiam. Cogitate cum animis veſtris, in alios nimis diligenter inquiri, alios in iudicium vocari, alios in carcerem conijci, alios ad ſupplicium trudi, & ſumma crudelitate torqueri, ignes, cruces, eculeos, nouaq. tormentorũ genera, vbiq. conſtitui, ſpoliari fortunis quãplurimos, qui vitam exſilio redimebant, in vaſtas ſolitudines, & ſpeluncas, in quas ſe abderent, metu perterriti, properabãt. Nulli ætati, nulli ſexui, veniam tribuebat immanis ille tyrannus, nec vlla miſericordia ducebatur, vt quidquam de inſita feritate remitteret.

Itaque neceſſe erat, inde ſenes trahi, aliunde virgines a matrum complexu diuelli, pueros, & adoleſcentes, crudeliſsime raptari, & indigniſsime cruciari, hoc vno tantum crimine,

quod

quod flagitium, & ſcelus, & impietatem, odio perſequerẽtur,&,Chriſti veſtigiis ingreſſi, viam in cælum munirent. Hæc autem omnia mala, rolerabilia videbantur illis, qui in ſuppliciis gloriæ ſempiternæ materiam Chriſtianis datam eſſe videbant, &, quanta eſſent illis in cælo præmia conſtituta,qui in tormentis exſultabant, animo ſecum reputabant. Illud autem eis acerbiſsimum,& maxime luctuoſum, minime ſerendum eſſe ſtatuebant, quod multi, formidine perturbati, ne tyrannum offenderent, ſempiterni Regis maieſtatem, & teligionem, violabant, &,contra fidem Chriſto datam, ad aras etiam cum victimis accedebant. Sic autem amore huius miſeræ vitę,tam bteuis æui ſpatio circumſcriptæ, ſeipſos ab illa beata, atque ſempiterna, uita,per ſummum ſcelus,exterminabant. Ea veto tempeſtate erat in ea ciuitate Catherina virgo,ſtirpe Regia propagata, eximia facie, multisq. opibus affluens, & maximis artium diſciplinis non mediocriter erudita. nec enim ea fuit, quæ adoleſcentiæ florem in vitæ luxu, & ætatis lubricæ lenociniis, ſed in animi egregio cultu, conſumendam arbitraretut.quæ,quãuis eſſet in Græcis litteris ſtrenue verſata, non tamen tantam operam in illis poſuit,quantam in Chriſti diſciplina,& in ueriſsimæ ſanctitatis ſtudio, in quo multum iam eo tempore progreſſa fuerat. Cum autem uideret, tyranni ſcelere, Chriſti religionem uiolari, & nõ paucos ex Chriſtianorum numeto per uim a ſtudio pietatis abduci,idq. nullo modo ſibi tolerãdum videretur;ſtatuit, in publicum prodire, & coram Imperatore ſcelus inſectari. quod conſilium pleriſque poſſet temeritatis,& amentiæ, plenum iudicari: neque dubito,quin,ſi aliquis veſtrum illi tunc affuiſſet, eam ab eo conſilio conaretur auertere.diceret enim fortaſſe,ut ſe fuga proriperet,tantiſper, dum furot tyranni illius immaniſsime deſæuiret. tempeſtatem illam bteui ſedari poſſe. in fuga nullam eſſe perfidiæ notam, ſed fidei clariſsimum documentum.qui enim ſe exſilio multabant, ne Chriſti boſtem adſpicerent,ſatis oſtendebant,ſe pietatis ſtudiũ omnibus vitæ commodis anteferre. Multos iam homines, ſanctitatis gloria præſtantes,in ſimili tumultu,lucem hominum, atque celebritatem,fuga uitauiſſe,ut ſe ad Chriſtianæ Reip.fructum teſeruarent. Temerarium eſt, diceret quiuis, cum poſsis diu uitam in pietate conſumere, uitę longioris ſpem tibi ipſi,abſque ulla graui neceſsitate, præcidere. Si comprehenſa a tytanno fueris,omnia ſupplicia cenſeo perferes potius,quam fidem,& officium, prodas. At,quãdiu potes te ſine crimine ab hac retum flamma ſubducere, conſule uitæ tuæ, conſule tei familiari: ne tuos tecum perditura eas, ſolitudinem pete; aut in latebram aliquam te coniice, ne conſpici ab illo poſsis. Quid illa ad hæc reſponderet? hęc ſane:Fugiat ille, qui non adeo ardẽter amat, aut eſt Diuino conſilio ad vtilitatem Eccleſię reſeruatus. amor autem, qui me iucundiſsimis flammis exurit,cum ſit immodicus, modum ſeruare nequit: & ego nullum officiũ video, quod poſtea præſtare clarius poſsim, ſi modo hanc tam inſignem occaſionem teſtificãdæ pietatis amiſero. Tantum igitur abeſt, vt vel fugam ſpectem, vel occultari ſtudeam, vt potius mihi iam deliberatum, & conſtitutum, ſit,ipſi morti conſtanter occurrere. Tyrannum igitur aggrediar, atque, vt a furore deſiſtat,admonebo. Quid igitur? te in conſpectu virorum, virgo, dabis? & formam iſtam, quam tanto pudore ſæptam,ne ab hominibus impudicis videri libidinoſe poſſet, habuiſti, nunc omnibus vltro,atque libenter,oſtendes? Pudicitiam quidem meam ſponſo illi clariſsimo, qui me ſibi amore coniunxit, illibatam conſeruabo; illiusq. præſidio, qui meæ formæ cuſtos, & defenſor, eſt,freta, nullius viri petulantiam timebo. Atqui, pudoris tui eſt, quoad licet, conuentum hominum vitare. Eſſet quidem,ſi nulla domum Dei tempeſtas agitaret. At, cum tanti malorum fluctus in illam concitati ſint, flagitium eſt, metu perculi, & non potius opem,quam quilibet prę́ſtare pto parte ſua poteſt,afferre.Sæuiſsimi Imperatoris vultum ſubire audebis? Vnius tantum Imperatoris, qui cælum temperat,atque moderatur, Maieſtatem vereor: hunc autem, qui ſe Imperatorem dici, & haberi, vult, cum ſit furoris, & cupiditatis effrenatæ,mancipium, deſpicio,& cõtemno, & ne hominem quidem puto. Quid,ſi tibi vitam eripiat? Quam vitam narras? Illam ne,quæ corporis huius animali ſpiritu continetur, an illam, quæ in ſpiritus Diuini coniunctione, atque fructu, conſiſtit? Si de hac communi vita loqueris, non inuita illam deſerã,quæ eſt mihi impedimento, quo minus illa ſempiterna cito perfruar. Si de vitę illius luce loqueris, ea non poteſt vllis tyranni viribus, aut machinamentis,exſtingui. Itaque laruas non metuo: minas irrideo:terrores,quos Imperator iacit, puerilia deliramenta puto. Non enim ille mihi caſtitatem, non pietatem, non religionem, non animi robur inuictum,non ſapientiæ Diuinæ lumen,eripiet,neque me a complexu Chriſti diuellet. Non igitut vllus me pudor,aut metus, ab animi deſtinata ſententia teuocabit. Puderet quidem me temetitatis,& ignauiæ, ſi tantam amoris ſignificandi facultatem prætetmitterem. Metuerem vero tytannum, ſi is vlla ratione me poſſet a Chriſto,ſponſo meo,qui vitæ fons eſt, vllis tormentis abducere. At,cum pro Chriſti gloria ſummum diſcrimen adire, gloriam ſempiternam pariat; & huius vitæ contemptio,in vitam illam ſempiternam dirigat;opus eſt illi,qui decus, & vitam, tueri cupit, vt popularem gloriam,& vitã hanc ærumnoſam,deſpiciat. At longe ſecus homines opinantur.

nantur. Quid illi opinentur, minime laboro. Omnia enim, quæ deſigno, quæ molior, quæ facio, ad angelorum iudicium, & ad Dei voluntatem, & ſententiam, perpendo: dolorem vero nullum extimeſco: ſed opto potius, illius gratia grauiſsimos dolores excipere, qui, vt me e ſempiternæ mortis faucibus eriperet, dolores intolerãdos in Cruce ſuſtinuit. Cum illo igitur, qui me ſibi ardentiſſimo amore copulauit, Crucis ſocietatem inire cupio: cunctos huiuſmodi cruciatus omnibus huius vitæ voluptatibus antepono. Quare nemo mihi moleſtiam exhibeat, neq. conſilium dare, minime petenti, fruſtra conetur: meum amorem conſulo: illius ſentẽtiam ſciſcitor: illius conſiliũ ſequor: humanæ prudẽtię cõſilia, quæ amori, quo mirabiliter ardeo, repugnãt, valde mihi ſuſpecta, & inuiſa, ſunt: amor vero meus mihi faces inijcit, & acriter incitat, vt ad Tyrannũ iſtum adeam, & illi ſcelus immaniſsimum, quo furit, exprobrem. Hæc, & his ſimilia, animo verſans Aecatherina, tandem omnia repagula, vel pudoris, vel timoris, humani, conuellit; &, amoris ſtimulis incitata, feſtinanter erumpit; & ad Tyrannũ, qui in tẽplo tunc impuriſsimæ religioni operam dabat, recta contendit; illumque, non vt ſubdita Principem, ſed vt Domina Seruum nequiſsimum, oratione plena grauitatis, alloquitur; illiq. diriſsimum ſcelus obiectat, Diuinumq. iudicium comminatur. O vim virtutis admirandam, quæ nullis hoſtium opibus, aut vllis rerum aduerſis tempeſtatibus, poteſt de Regio mentis ſtatu conuelli. quod in Aecatherina explorari facillime potuit. Statuite nunc ante oculos ex altera parte Tyrannum, imperio tumentem, impietate, & ſcelere, furentem, exercitu maximo conſtipatum. addite etiam lictorum faces: addite pompã, & inceſſum, & vultus ipſius truculentiam, minas, atque terrores, immaniſsime iacientem: ex altera autem parte virginem teneram, & delicatam, ancillis tantum comitatam, Tyrãni minis oppoſitam, cum ſumma libertate, & acrimonia, illius ſcelus increpantem: & intelligetis plane, virtutem egregiam dominatu ſibi attributo depelli non poſſe. Ille namque, qui tam multos mortales metu propemodum exanimabat, virginis cõſpectu, & oratione, perturbatus, a mente deducitur: virgo autem illum, tanquam ſeruum, ſupplicem, & obnoxium, oratione plena conſtantiæ, & ſeueritatis, exterret. Atque primũ quidem ille grauiter offenſus eſt, tantaq. iracundia flagrauit, vt neque vox illi, neque lingua, conſiſteret. Tandem, vbi ſe collegit, virginẽ iubet abſcedere. nec enim quidquam ſacrificijs illis, quibus erat intentus, prævertendum exiſtimabat; dixitque, ſibi curæ fore, vt illam, rebus ſacris rite procuratis, audiret. ergo, poſtquam ſacrificia peregit, acceſſit ad ſe Aecatherinam, cum iã furor ille aliqua ex parte conſediſſet. Vt autem illam facilius ad ſententiam ſuam pelliceret, blandis admodum verbis alloquitur; atq. primum quidem de illa quærit, quo genere procreata ſit, quo nomine appelletur, quas artes colat, qua mente verba illa contra Deorum religionem protulerit. Pater meus, inquit illa, in hac regione Principatum tenuit: nomen mihi eſt Aecatherina. rhetoricæ, atq. philoſophiæ, diſciplinis inſtituta ſum. at, cũ intelligerem, hominum ſapientiam eſſe multis erroribus inquinatam: ſummus enim Deus rebus oſtendit, quam ſint amentes illi, qui ſibi ſapientiam inſolenter, propter litteras, aſſumunt: dicit enim per Prophetam ſapientiſsimum, ſe interitum ſapientium, atque prudentium, vagis, & errantibus, opinionibus, allaturum: cum igitur harum artium vanitatẽ, nempe quæ nullum ſolidum fructum ad bene, beateque viuendum afferant, percepiſſem, alium mihi magiſtrum adſciſcẽdum putaui, qui me, ſanctiſsimis diſciplinis, ad cognitionem veriſsimæ religionis, atque Diuinitatis, erudiret. hic autẽ eſt Chriſtus, ſũmi Dei filius, qui, vt homines turbulentiſsimis erroribus liberaret, e cælo delapſus, ſub humana forma, & ſpecie, quã ſibi Diuina ratione copulauit, terras inuiſit, hominesq. cæleſtibus diſciplinis inſtruxit. illi autem iam deſponſa ſum, illum ſolum colo, veneror, & nimis ardenter amo, qui me plane docuit, quibus in rebus beata vita conſiſtat; neq. tantum docuit, ſed etiam multis opibus, atq. muneribus, quaſi ſponſam egregie caram, exornauit. Huius igitur ſapientiſsimi doctoris diſciplinis imbuta, video ſummam fuiſſe hominum dementiã, qui, relicto veriſsimi Dei cultu, Diuinos honores ad hominum impurorũ imagines tranſtulerunt; vt non ipſi ſolum ſe ſe præcipites in tenebras diriſsimas eijcerent, verum etiam & reliquos mortales in peſtis ſempiternæ regionem, exemplo ſuo, detruderent. Hæc cum cernerem, tui, & aliorum, qui te ſequuntur, miſericordia commota, in medium proceſsi, vt te a tam immani facinore deterrerẽ. Simul enim & monſtra, quæ tibi nihil omnino profutura ſunt, inaniſsimo ſtudio colis, & homines ſanctos, qui verum Deum, cæli, atq. terræ conditorem, incorrupta mente venerantur, indigno ſupplicio mactas: in quo nihil tu illos lædis, quorũ gloriæ miniſter es: nec enim quidquam de hac miſera vita ſolliciti ſunt, qui illam ſempiternam ſpectant; & quo abs te crudelius excruciantur, eo maiorem in cælo gloriam a Deo conſequentur. Tui igitur, atq. tuorum, vicem doleo, quibus, niſi ad verum Deum conuerſi fueritis, ſunt ſempiterna ſupplicia, Diuino iudicio, conſtituta. Ad hæc Maxentius: De nobilitate, inquit, tua, virgo, non dubito. iſta enim forma, qua prædita es, te non Regia, ſed Diuina potius, ſtirpe propagatam eſſe declarat. Tantum namq. eſt

pulchri-

pulchritudinis tuæ decus, & elegantia, vt te Veneri, aut Dianæ, aut alicui Dearum, ſimillimam eſſe iudicem. Sed, quo magis ſpecie, & pulchritudine, omnibus puellis antecellis, eo magis doleo, te in tam ineptam, & impiam, ſententiam, cum tanto vitæ periculo, furenter incidiſſe. nec enim decebat iſtam formam, quam a Dijs accepiſti, tantus furor, & inſania, vt illis ipſis, ad quorum accedis ſimilitudinem, malediceres, ſed vitæ iucunditates, & lepores, atq. voluptates, quibus illecta, de tantis donis vota Dijs ipſis, memori mente perſolueres. Forma quidem mea, inquit illa, numquam animum meum extollit. ſum enim e puluere, & luto, ficta, vt reliqui mortales, & in eũdem puluerem, cum illi ſummo Domino viſum fuerit, redigẽda. Sed illud animaduertendũ, cũ tãta Dei vis, & ſollertia, ſit, vt e puluere hãc formã, quã tu admiraris, effingat, quanta illius erit in animi pulchritudine formanda, & decore mentis excolendo ſapientia. corpus enim, cum ſit mortale, & caducum, non erat, quamdiu ſtatus huius vitæ manet, multis ornamentis afficiendum. at animus, in quo Deus naturæ ſuę imaginem impreſsit, & quem ad glorię ſempiternæ ſpem erexit, erat Diuinis muneribus exornandus, & decore, quod Diuinam ſpeciem, & pulchritudinem, referret, afficiendus. nam, quoad voluptates attinet, prætefers Deorum tuorum diſciplinam: ſunt enim dæmones infeſti, flagitiorum artifices, turpitudinis architecti. itaque munus illorum eſt, incendere, & incitare, libidines, ad nefarias voluptates cũ animi dedecore percipiendas. vt homines miſeri, illarum illecebris liquefacti, facilius in totius miſeriæ colluuionem, effrenata mẽte, ruerent. Mea vero voluptas eſt, cælum intueri, Diuinam lucem adſpicere, pulchritudinem illius ſponſi contemplari, ſpirituſq. Diuini ſuauitate perfundi: quam vt accuratius ſentiam, ſoleo vehementer eos, qui Veneri, aut Cupidini, & reliquis impuriſsimis cupiditatibus, hoſtias immolant, exſecrari. Pergis ne tu, inquit Imperator, in Deos immortales maledicta conijcere? Vtinam, inquit illa, velles verum cernere, & fraudes, quæ menti tuæ tenebras offundunt, ratione deteſtari. facillimum namq. tibi fuiſſet, inſpicere, quam dira ſuperſtitio miſeras hominum mentes occuparit, cum, contempto, & abiecto, præpotentis Dei cultu, a cæli conſpectu deiecti, Deos ſibi in terra finxerunt, memoriamq. vel tyrannorum, vel libidinum, vel eorum, qui libidines impuriſsimas incitare ſolent, religione nefaria conſecrarunt. Sic enim ſtulti ſunt, vt Deos ex auro, & argento, aut ex lapide, & ligno, factos, orent, & ab mutis ſignis, quæ ſe loco cõmouere non poſſunt, pacẽ, & veniam, petãt. Si ſimulacris immolas, illa ſenſu carent, & iccirco nullo modo tibi poſſunt in precibus, & votis, occurrere. Si maleficorum hominum imagines honoribus Diuinis dignas arbitraris, ipſi, quorum imagines colis, tantum abeſt, vt tibi opem afferre queant, vt nec a ſe ipſis peſtem, atq. perniciẽ, propulſare poſsint. Si vero dæmonas in Deorum numero reponis, illorumq. vim, & potẽtiam, reformidas, & iccirco eorum ſimulacra veneraris, debuiſſet tibi in mentem venire, nihil magis abeſſe a numinis Diuini ratione, quam flagitiorum dedecus, & virium imbecillitas. At dæmones iſti, quos colis, omnes libidinum faces in animos hominum, qui ſunt illis addicti, conijciunt, & ſic imbecilli ſunt, vt, conſpecto Crucis ſigno, perterriti metu, diffugiant. Sic enim viribus Chriſti per Crucem illam, quam ſanguine ſuo conſperſit, dum pro nobis omnibus mori ſibi pulchrum, nobis autem ſalutare iudicauit, profligati, & abiecti ſunt, vt ipſius ruinæ mentione ſola perhorreſcant. Elige nunc, Imperator, vtrum malis, vt ſaluti tuæ proſpicias. Nam, vel, quanta ſit in Diis tuis imbecillitas, ſtatim apparebit, vel rationibus te cogam fateri, te, & omnes, qui commẽticiis iſtis numinibus ſacra peragiris, in magna dementia verſari. Ad hæc Maxentius æſtuare, in variaſq. partes animum verſare, cœpit. Rationibus enim pugnare cũ Virgine, periculoſum ſtatuebat: verebatur enim, ne cogeretur aſſentiri religioni, quam peſsime oderat. Statim vero ad ſupplicũ duci virginem, ea forma, & eloquentia, præditam, quam ſeruare cupiebat, inhumanum illi videbatur. cõſilium igitur ex re cepit. exiſtimauit enim, maximum ingenium, cum egregiæ virtutis indole coniunctum, non metu, ſed ratione, a ſuſcepta ſemel ſententia dimoueri, & virginem eruditam nulla re facilius, quam eruditorum hominum oratione, inflecti poſſe.

Itaque illam aſſeruari iubet, & quinquaginta viros, artibus maximis inſtructos, & eloquentiæ nomine præſtantes, accerſiuit, quibus negotium dedit, vt, argumentis e media philoſophia ſumptis, & omnibus eloquẽtię viribus, Aecatherinam aggrederentur: fore, ſi contra illius orationem Deorum religionem tuerentur, & illam amentiæ conuincerent, vt eos multis muneribus, & donis, afficeret. homines, qui omnem in illis ſtudiis ætatem contriuerant, dicendiq. laude præcellebant, cum cernerent ſibi fore cum puella certamẽ, ſe ab Imperatore deludi ſuſpicabantur. quamuis autem id ridiculum arbitrarentur, tamen Virginis, vt credebant, temeritatem, & inſaniam, oratione grauiſsima comprimendam rati, maxime cum & Cæſaris imperio cogerẽtur, & præmiis ad ineundum certamen allicerentur, in eam infeſtis animis inuehũtur. Sed non eſt conſilium, non eſt ſapientia, contra Dominum: nam quinquaginta viri eruditiſsimi ab vna puella vincuntur; oratores vehemẽtiſsimi Virginis oratione refelluntur; &, qui ſibi tantum arrogabant, vt exiſtimarent, ni-

hil

hil tam ſæptum,atque munitũ,fore,quod non orationis vi, & impetu, diſturbarent, vnius adoleſcentulæ voce, quæ tantum ex diſciplinis illis hauſerat, quantum ætas illa puerilis capere potuerat, repreſsi, conticeſcunt. tum demum intellexerunt, aliud ſapientiæ genus eſſe, quod mens Diuina tradit, aliud, quod in hoīm diſciplina conſiſtit; aliam eſſe vim eloquentię, ad quã Diuinus ſpiritus erudit, aliã, quæ humanis litteris, & eruditione, continetur. Vt nemo poterat ex aduerſarijs, qui Stephanum circumſiſtebant, illius ſapientiæ, quã illi Chriſti ſpiritus tradiderat, obſiſtere; ita nemo, ex tanto doctorum hominum numero, ſapientiæ Diuinæ viribus, quibus Aecatherinæ mens incitabatur, repugnare quiuit. Vt igitur in Aegypto Magi confeſsi ſunt, opera admirabilia, quæ Moſes efficiebat, non humanis artibus, ſed Diuinis viribus, edita fuiſſe, ſic illi oratores Alexandrini, qui Virginẽ argumentis obruere conabantur, admiratione defixi, Deo gloriam dederunt, & confeſſi fuerunt, ſe non Virginis eloquentia, ſed Diuina virtute, & ſapientia, ſuperatos fuiſſe, Quæ quidem victoria eo clarior exſtitit ea, quam Diuinus olim vir de maleficis aſſecutus fuit, quod illi, licet opera Moſis Diuina virtute perfici cognouiſſent, nihilominus tamen in inſtituto ſcelere perſtiterunt; at illi, qui ob Aecatherinam victi, atque ſuperati ſunt, ſe ſe continuo ad Chriſti numen inflammato ſtudio coutulerunt. O præclaram bellandi rationem, & victoriam, ipſis victis, qui in acie conciderunt, egregie ſalutarem. Quãto meliore conditione oratores Alexandrini in ruina fuerunt, quam in victoria fuiſſent. Si enim Virgini ſilẽtium impoſuiſſent, numquã e tenebris, quibus circumuenti fuerant, emerſiſſent. At a Virgine victi, cæleſti repente luce frui cœperunt. Sic autem perculſi, & ſtrati ſunt, vt ad ſalutem ſempiternam ſe ſe nouis confirmati viribus excitarent: Sic ingenij luminibus orbati ſunt, vt Diuinæ ſapientiæ ſplẽdorem reciperent: Sic deniq. a Virgine victi ſunt, vt non modo potentiſsimi tyranni ſæuitiam, verum & omnes inferorum manium copias, robore inuicto profligarent. Cũ enim obmutuiſſent, Maxẽtius illos multis male verbis accipit, eisq. vanitatem, & infantiã, obijcit, quod, cum ſibi ſummum eloquẽtiæ, & multiplicis eruditionis, nomen aſſumerẽt, vnius puellæ voce ſuperati, tanto cum dedecore cõcidiſsent. Non ij ſumus, inquiunt, Imperator, qui facile vitis eruditiſsimis, & eloquentiſſimis, victoriam concedamus. multi iam ingenij noſtri periculum fecere, & perſpectum ab omnibus plane fuit, numquam nos vel argumentorum copia, vel dicendi vi, fuiſse vllo in loco deſtitutos. ſed non fuit nobis cum humano ingenio, ſed cum Diuina virtute, certamẽ. Nec enim Virgo lucuta nobiſcũ eſt, ſed Chriſti numen, in pectus ipſius Virginis incluſum. Quare, homines cum ſimus, nõ eſt a nobis poſtulandum, vt Diuinæ potentiæ repugnemus. immo, tam admirando ſigno cõmoniti, Chriſtum eſse verum Dei filium, confitemur, & dæmonum fraudes inexpiabiles, quorum malitia iſtæ cõmenticiæ religiones inſtitutæ ſunt, odimus, & exſecramur, verumq. Deum, vt errori noſtro veniam tribuat, ſuppliciter oramus. His auditis, Imperator furore, & amentia, flagrauit; ardebant oculi; facies erat inflammata; ex toto ore feritas eminebat. nec enim mentis compos eſse poterat, cum cerneret, per eos ipſos, quorum opera Virginem conuinci facile poſse crediderat, fuiſse victoriam illius multo clarius amplificatam. Itaq. illos confeſtim abripi, & in ignem detrudi, iubet. Illi vero maximis vocibus Virginem inclamant: Quid faciemus, inquiunt, o Virgo ſanctiſsima? ad ſupplicium namque rapimur, antequam ſimus ſalutaribus aquis expiati. Illa vero ad hæc, Bono, inquit, animo eſtote, commilitones. nam, Diuini ſpiritus incẽdio, per iſtam fidem, qua Chriſti ſanctiſsimum numen conſtanter in mediis cruciatibus adoratis, cunctæ flagitiorum maculæ, quibus eratis infecti, deletæ omnino ſunt. Sic autem, qui tenebris eratis immerſi, ſplendore, & claritate, ſidera, miro candore fulgentia, ſuperatis. Ite igitur in cælum, felices. breui namque virtutis iſtius præmium, ab eo, qui mentes veſtras cognitione ſui ſempiterni luminis illuſtrauit, percipietis. Abducuntur illi rabide, atque turbulenter, a tyranni ſatellitibus: vincti in ignẽ coniiciuntur: corpora confeſtim flammis exanimantur: & mentes in cælum victrices emigrant. Vt autem appareat, quanta cura optimus pater animorum piorum ſaluti proſpiciat, in corporibus etiam piorum hominum tuendis aliquando ſigna demonſtrat, quibus intelligatur, nec mentes, neque corpora, bonorum, ullis umquam ſæculis interitura. Nã, quamuis in cinerem redacta corpora ad nihilum recidere uiſa ſint, integra tamen, nouoq. ſplendore colluſtrata, ſuſcitanda ſunt; ut homines pij, non mente ſolum, ſed etiã corpore, immortali luce, æuo ſempiterno, fruantur. Vt autem id poſſet aliquo ſigno mirabili cognoſci, factum eſt, vt, cum Chriſtiani poſtridie ad rogum, vt reliquias colligerent, de mane properarent, integra corpora inuenirent, ſine vlla deformitate, & incendij veſtigio, vſque adeo, vt ne capilli quidem aduſti aliqua ex parte fuerint. Eo ſigno Chriſtiani Deo gratias egerunt, & multi ex illis, qui erãt a Chriſti ſacris abhorrentes, ad Chriſti nomen adiũcti ſunt. At Maxentius, quaſi in ea re, & illius ſalus, & Imperii dignitas, ageretur, ita totus, omni cogitatione, & cura, in id ſtudium incũbebat, vt Aecatherinam in ſuam ſententiam traduceret: &, quia argumẽtis eam vinci minime poſſe cognouerat, eam rurſus blanditiis ad ſe pellicere contendit. O Virgo, inquit,

Diui-

Diuina forma,atque venuſtate,prædita,ne ſalutare conſilium,ab amore profectũ, aſperneris. te namq. non tam propter admirabilem pulchritudinem , quam propter ingenium,& eloquentiã,patrio amore proſequor.Paterne igitur ſuadeo,vt Deos, qui te tã multis ornamentis decorarunt, debita religione colas, eisq. pro tantis beneficiis gratias agas.Si Veneris dona non reſpicis, ſi mentis ornatũ elegantiæ corporis anteponis,at ſaltem Muſas, atque Mercurium, venerare: quorum Deorũ benignitate,tanta rerum cognitione, & tam ſingulari orationis vbertate, & elegantia,inſtructa fuiſti . Quod ſi feceris,nihil a te ſeiunctum habere volo . in Regia namq. ſimul mecum ſemper habitabis , & Imperij Romani opibus,omni metu,& ſollicitudine,libera,potieris.Deos immortales teſtor, me hanc fidẽ, quam tibi do, nullo vmquam tempore mutaturũ.Fruſtra,inquit illa, lenociniis oppugnas eam,quam Chriſti conſilium confirmat. dixi iam tibi, me Chriſtianam eſſe , & ipſi Chriſto deſponſam.itaq. nulla me uis,nullæ minæ,nullæ vitæ commoditates,poterunt vmquam ab amore illius abducere.Si enim opes exquirẽdæ ſunt,ille cælum, atq. terras vniuerſas,imperio ſuo complectitur : ſi vitæ, & dignitatis, præſidium comparandum eſt , cunctæ copiæ cæleſtes illi ſoli obtemperant : ſi voluptates expetendæ videntur,illius amplexu ſempiternæ voluptates,nullis flagitiis inquinatæ , ſed puriſsimæ,& honeſtiſsimæ , continentur . Illius igitur amore perfruor; conſiliis illius inſtruor;eiusq. præſidiis munita, facile minas, atque ſupplicia conſtituta deſpicio. In rebus incertis conſilium , in periculis auxilium , in aduerſitate ſolatium, dat; & pudicitiam meã non inuicto tantum præſidio cingit , verum honeſtatis,& decoris ſempiterni, muneribus luculenter exornat. Quod ſi tam felix futura ſum , vt pro nomine illius ſumma ſupplicia perferam , equidem omnes meos cruciatus longe & Regiæ purpuræ , & opibus cunctis, anteponam. At Maxentius, Iſta, inquit, quam adhibes , in ſumma temeritate contumacia, ne inuitum cogit hanc inſignem tuam venuſtatem ſuppliciis deformare. Vt lubet, inquit illa. Si enim hoc corpus,quod eſt tandẽ,ſi modo illi peperceris,morbo,atque vetuſtate,cõſumendum , ſuppliciis exſtinxeris, opera tua mihi ſempiternum in cælo domicilium,& immortalem gloriam , comparabis ; & inuitus perficies , vt multi , exemplo meo , prouocati, Chriſto nomina dent , meumq. triumphũ in cælum, læti, & ouantes , & gloriæ eiuſdem participes, continuo proſequantur. His auditis , Maxentius , iracundia , & ſtomacho, vehementer exarſit , Virginemque nudari , & acerrime verberari, iuſsit . Illam continuo valentiſsimi lictores proripiunt ; detractaq. purpura crudeliſsime cædunt ; neque terga tantum , ſed pectus, & ventrem , flagris concidunt . riui cruoris vndique manant, & corporis niueum candorem purpureo colore ſanguinis inficiunt ; vt ita multo pulchrior, in conſpectu cæleſtis ſponſi, redderetur.

Erant iam lictores cædendo defeſsi : at illius virtus patiendo defatigari non potuit : &, cum multi ex illis , qui aderant , miſericordia commoti, lacrymas funderent, illa neque lacrymas vllas emittebat, neque gemitus vllos edebat , nec inter plagarum crepitus vlla vox eius audiebatur, niſi quæ laudes Diuinas cum ſumma animi iucunditate celebraret.

Exſultabat in vulneribus,& Deo ſummas gratias agebat,quod dolores,& cõtumelias, pro Chriſti nomine toleraret: in dolore ſummam voluptatem, in ignominia decus egregium, ponebar, cæleſtisq. gloriæ cupiditate, omnem dolorem vulnerum depellebat . Sic autem, cum lictores integri defeſsis ſuccederent , duabus horis cæſa fuit , cum ſemper eodem vultu Diuinam in fide conſtantiam , cum hominum admiratione , retineret . Quo autem magis illa virtutis ſuæ indicium faciebat , eo magis illam permulti illo cruciatu prorſus indignam iudicabant, atque dolebant, quod non ei formæ, atque virtuti , conueniens fortuna contingeret . Aecatherina vero , præclari facinoris conſcientia , & firmiſsima ſpe ſempiternæ vuluptatis , inter aliorum lacrymas, atque gemitus, gaudio mirifice triumphabat . Sic tandem ea die tyranni truculentia , & immanitate , fuit egregiam victoriam conſecuta . Qui eam deinde in cuſtodiam tradidit , vt interim per otium aliquod ſupplicij genus excogitaret, quo illam vel a ſentẽtia deduceret, vel doloribus ſummis excruciatã exſtingueret . Fama cõtinuo peruagatur: Virginis forma, virtus,& animi magnitudo, in cælũ laudibus effertur. Quæ cũ Auguſta vxor ipſius Maxentij percepiſſet, illius colloquio frui acerrime concupiuit. Erat aũt eo tpe vir fortiſsimus, noĩe Porphyrio, cohortis primæ ductor, qui multa in bellis facinora virtutis militaris ediderat . Hunc Porphyrionẽ Auguſta clam alloquitur, iure iurãdoq. deuincit, ne, quod cũ illo cõicare volebat, enuntiet: docet deinde , ſe miro deſiderio Virginis illius cõueniẽdæ teneri: & ab eo enixe cõtẽdit, vt ineat rationem, quẽadmodum ad illã intromitti poſſet. Porphyrio operam ſuam pollicetur: atque, ſub noctem, cuſtodibus corruptis, Auguſtã, ducẽtis militibus ſæptã, ad Aecatherinam deducit. Cum vero Auguſta illã adſpiceret, primo quidem obſtupuit : radiis enim cæleſtis ſplendoris , facies illius micabae . Ve enim ſpeculum , radiis Solis oppoſitum, lumẽ in ſe recipit, quod oculos intuentiũ perſtringit , ita neceſſe eſt , vt animus purus , & integer , qui ſemper in Diuinam lucem reſpicit, ſplendore Diuino colluceat , ipſiusq. cæleſtis

ſplendoris imaginē in ſe ipſo contineat. quod vt intelligi poſsit, vult aliquando cæleſte numen, vt ex animi ſplendore in corpus etiam claritas effundatur, quam multi adſpicientes obſtupeſcant. Quemadmodum igitur in Moſe factum eſſe cognouimus, (ſic enim ſplendebat eo tempore, quo cum Deo loquebatur, vt, cū ſe ad populum reciperet, nemo auderet in illius faciem oculorum aciem intendere) ad eūmodum Aecatherina, cum in tenebricoſo carcere Diuina luce frueretur, vt, quantum eſſet illius decus, explorare cognoſci, & perſpici poſſet, in corpore etiam lumen recepit, quo Auguſtam, & Auguſtæ comites, illuſtraret.

Itaque Auguſta ſe ad illius pedes abiicit; neque tamquam mulierem, ſed vt Chriſti ſponſam, veneratur. Ibi, cum ſermo de fide, & religione, de vitæ ſanctimonia, & puritate, de iudicio Diuino contra nefarios homines conſtituto, atque de præmiis ſempiternis, a Virgine fieret, Auguſta, & omnes, qui cum illa venerant, Chriſti religionem inflāmato ſtudio ſuſceperunt. Inquit autem Auguſta: Quid mihi conſilij das, o Virgo Diuina? hoc enim meū ſtudium diu celari non poteſt. Imperator autem, uir meus, cum natura immanis, & truculentus, ſit, vbi intellexerit, me eſſe religione, cuius ipſe eſt hoſtis acerrimus, alligatam, tātis me ſuppliciis excruciabit, vt ea perferre nequeam. Non ita eſt, inquit Aecatherina: nō enim viribus tuis, ſed Chriſti numine, quod tibi preſens aderit, omnia ſupplicia perferes, atque ſuſtinebis. Quod ſi tecum reputaueris, dolores fore breuiſsimos, coronam vero gloriæ ſempiternam, dolores facillime contemnes, & in mediis ſuppliciis ſumma gaudia mēte percipies. Itaque intra tres dies in cælum emigrabis, in quo, cum immenſis voluptatibus, gloria immortali circumflues. Hic Porphyrio ſe tenere non potuit, quin orationem Virginis interrumperet. Quid, inquit ille, præmij conſequar a Chriſto, ſi ſub illo deinceps ſtipendia fecero? Illud, inquit Aecatherina, quod nec humanis oculis adſpici, neque verbis explicari, neque mēte, & cogitatione, comprehendi poteſt. Eris enim cælitibus, qui ſub illo militant, virtute, & claritate, & glorię ſplendore, ſimillimus. Hæc, & alia multa, in hanc ſententiam, cum Aecatherina diſſeruiſſet, Porphyrionem, & ducentos illos milites, ad Chriſti cultum, & obſequium, traduxit. Cū autem ſermonem ad multam noctem prouexiſſet, Auguſta, cum Porphyrione, & militibus, e carcere egreſsa, ſe domum recepit; ita tamen, vt Virginis ſpeciem, orationis ſplendorem, virtutis amplitudinem, mentis altitudinem, animo ſecum reputaret; mentemque ſuam Chriſti amore vehementer inflammari, & ſtudio vitæ immortalis flagrare, ſentiret. Aecatherina vero interim in illo tenebricoſo carcere diligenter aſſeruatur; atque, ne quid quam cibi ad illā introferri liceat, ſumma vigilantia præcauetur. At illa angelorum opera, & miniſterio, alebatur: illamq. Chriſtus facile ſpiritu ſuo fulciebat. Poſt duodecimum tandē diem e carcere educitur. Cū aūt illam Maxentius cerneret, vehementer admiratus eſt. multo enim pulchrior apparuit; & cuncti, qui aderant, faciem illius inſolita claritate ſplendentē animaduertebant. Nihilo tamē ſecius imperator in ſcelere perſeuerat, atq. rurſus illam blanditiis emollire, & lenociniis labeſactare, conatur. Ita, inquit, inſignis ſpecies, imperio certe ſummo, & non ſupplicio, digna eſt. Quare te, per formam iſtam, & venuſtatem, per iſtius Diuini decoris elegantiā, rogo, & obteſtor, ne velis tātum Deorum munus abiicere. regna igitur nobiſcum, & meum ſimul orbis terrarum imperium adminiſtra. Si enim diis ſacrificaueris, faciam, vt omnes nationes tibi ſupplices ſint, & tua moderatione, & imperio, conſtringantur. aliter enim, enecta ſuppliciis acerbiſsimis, interibis. Quid igitur? adeo tui ipſius immemor eris, vt, ſummo imperio repudiato, tormētis dilacerari velis, & formam iſtam admirabilē ſuppliciis deformari, & inquinari, & exſtingui, ſuſtineas? Forma, inquit illa, quā laudas, facile morbis cōtabeſcit, & ætate defloreſcit, & vetuſtate conſumitur. nihil, quod e puluere concretum eſt, poteſt mentem de cæleſti illa, atque ſempiterna, cogitantem, a ſtudio ſempiterni decoris, & dignitatis, abſtrahere. quare non eſt, cur meam formam laudes, de qua minime laboro; nec imperij opes mihi deferas, quas omnino deſpicio; neque ſuppliciis exterreas, quæ ſubire pro Chriſti gloria non recuſo. ad illas enim opes ſempiternas, quæ nec auerti, nec imminui, poſſunt, adſpiro. illā ſpeciem, quę nullis ſæculis inquinari, aut puerti, poteſt, expeto, cuius ornamenta nemo poterit vmquam mihi detrahere. Verba igitur plena vanitatis omitte, & ſupplicia, quæcūq. volueris, in me compara, vt opera tua poſsim ex hac hoīm colluuione diſcedere, & ſummo illi Domino, qui me ſibi cōiunxit, fœdere ſempiterno copulari. Hæc vbi Maxētius audiuit, acrius exarſit. impulſu deinde impuriſsimi cuiuſdam miniſtri, nouum, & inauditum, ſupplicij genus excogitat. Machinamentū erat, in quo quattuor erant rotæ. Singulæ vero rotæ erant clauis accutiſsimis, & ferris vndiq. perfixis, armatæ. his autem ſumma celeritate circumductis, erat neceſſe, vt corpus illis applicatum diſcerperent: hoc autem, rotis, iuſtar vehiculi, ducebatur, vt maiore quodam impetu deferri poſſet. Dum autem hoc opus fit, Virgo in carcerem rurſus includitur. Poſt triduum educitur, & machina ſimul trahitur, vt illam, ſi fieri poſſet, exterreat. Hic Maxentius, fore ſuſpicans, vt, eo metu perterrita, iuſsis illius

ob-

obtemperaret,eam rurſus alloquitur : Si, inquit,mihi fueris obſecuta, multis bonis, atq. muneribus,afflues, aliter enim in hoc ſupplicium daberis.& corpus iſtud erit, harum rotarum conuerſione,diſſectum,atq. comminutũ. Has minas cum illa cõtemneret, iubet etiam Maxentius rotis alligari,eaſq. celerrime circumduci.Sed,Angeli opera,fnit Virgo vinculis expedita : rotæ vero , magna quadam vi, concitatæ,in aduerſam multitudinem,impetu maximo,deferuntur, & multos ex his, qui erant ſceleris miniſtri, conficiunt. Clamor vndiq. tollitur;& multi, maximum eſſe Chriſti numen,voce maxima confitentur. Sed homo nefarius, cum iam humanitatẽ exſuiſſet, & eſſet conſuetudine diuturna crudelitatis efferatus,qno maiora ſigna numinis præſentiſsimi cernebat,eo furentius in Virginem ferebatur,& acriora in illam ſupplicia comparabat.Cum vero animo agitaret,quibus tormentis Aecatherinam excruciaret,coniux illius,crudelitatem illam minime ferẽs, Quid, inquit,ſummi Dei famulam diutius torquere niteris?nonne vides, illam minime a tormentis lædi;immo,quo magis illius ſupplicio crudelitatem tuam explere contendis, eo maioribus viribus,animo multo acriore, tibi,tuorumq. ſceleri,repugnare? Non iam,vt perſpicuum omnibus eſſe poteſt, cum Virgine, ſed cum Deo,pugnas. Quare cenſeo, vt hoc tam impium certamen omittas, vt ipſius Domini iram effugias. Hæc res,cũ improuiſa cecidiſſet,tanto illum dolore perculit,vt animi compos eſſe nõ poſſet. Qni enim aliorum religionem minime tolerandam ſtatuebat,in domeſticorum ſuorum noua fide ſummũ dedecus, atque ſupplicium,ſibi conſtitui putabar. maxime vxorem ſibi cariſsimam ſtudiis ſuis aduerſari, mortis inſtar exiſtimabat, ſeq. a ſuis proditũ, atque per ſummũ ſcelus, atque perfidiam,deſtitntum vociferabatur. malum illud in dies ſerpere, adeo,vt Auguſta etiam,illius uxor, quam amore ſummo complexus ad eũ diem fuerat, illius veneficæ incantamẽtis mẽtem,& omnes ſenſns,amiſiſſet,& contra illius dignitatis,& imperinm,bellum comparaſſet? Qui enim,ait,Deos meos oppngnat, imperiũ meum,quod Deorum numine continetur,oppugnat. Itaque, quando, me contempto, & abiecto, oratione unius maleficæ Virginis illecta,neſariæ ſuperſtitionis cum illa ſocietarem coiuiſti, perficiam, ut ſuppliciorum etiam ſocietatem cum illa confeſtim ineas. Furore igitur mnlto uehementius, quam uerbis explicari poſsit, inflammatus, iubet arcam abduci, & liquefacti plũbi grauitate firmari, ne vllo vxoris ſauciatæ motu poſſet in alterutram partem moueri. Iubet deinde in arcam Auguſtam ſupinam conſtitui: in operculo autem arcæ erat præfixus aculeus,ea ratione, vt, cum operculum fuiſſet impoſitum, aculeus mammillas Auguſtæ vulneraret. Sic igitur Auguſta grauiſsimum cruciatum pertulit. Quod vt acrius illam affligeret, iubet Tyrãnus,operculum ſurſum,deorſumque ferri,vſque eo,dum aculeus mammillas, vxoris abſcinderer. Nec,cum illam extractam,adeo grauiter affectam, atque deformatam ,,conſpiceret, vlla miſericotdia motus fuit, vt ſatis appareret, illum non hominem eſſe, ſed feram immanem, atque truculentam, in hominis figura, & habitu, latitantem. Itaque mulieri, ſumma virtute, & ſumma pietate, cuius mattimonium ita multos annos habuerat,vt numquam vllam ab ea offeuſionem acciperet,eo ſolum nomine,quod ſummum cæli,atque terræ,conditorem, & dominum,pura,& incorrupta, mente colẽdum ſuſcepiſſet, caput amputari iuſsit.Quam ſententiam illa cum audiiſſet, læto, & bilari, vultu, in Virginem reſpiciens,illam orauit, vt precibus ſuis pacem illi a Chriſto ſuppliciter expoſceret. At illa, Vade, inquit, o mulier feliciſsima. Imperio namque ſempiterno, in cæleſti regione, perfrueris. Vix ſupplicium de Auguſta ſumptum fuerat, cum Porphyrio in medium prodit, &, ſe Chriſtianum eſſe, libera voce confitetur. Nec enim ſolum,inquit, ego, ſed omnes bi,quos adſtare vides,quorum ductor ego ſum, eiuſdem cæleſtis militiæ ſocios habeo ; nec a te iam, ſed a cæleſti Impetatore, virtutis ſtipendia, & congiaria, poſtulabimus. Hic homo furere, & inſanire, clamores edere, & huc & illuc ſe verſare, magnamque dementiæ ſignificationem dare, deorum, & hominũ, fidem implorare, non eſſe vllam in terris fidem,nullam beneficiorum memoriã. Potphyrionem,inquit, cnius virtuti plutimũ cõfidebã,quẽ multis mnneribus afficiebã,quẽ maximis mihi beneficijs deuinctum atbitrabar,fidem,& officium,prodidiſse? quo me vertam?cuius poſtbac virtuti, atque fidei, præſidium vitæ committam ? hi namque, in quorũ virtute magnum meæ ſalutis,atq. dignitatis, præſidium collocabã, meæ vitæ, atq. dignitati,peſtem,& perniciem,moliũtur. Has voces cum ſurenter emitteret, ad milites cõuerſus, Etiam ne, inquit, vos veſtri ducis inſaniã ſequi vultis?Illi vero,cum,pudore prohibiti, tacerent, (nolebant enim ſui ducis officiũ vſurpare)Porpbyrio reſpondet, Militũ caput interroga, & milites omitte.ij enim sũt, qui me libentiſsime ſequentur,quocumque me contulero.numquam enim terteſtris militiæ deſertores ſe præbuerunt;neque modo Chriſti, Imperatoris noſtri,vexillum deſerent.Cum hæc Maxentius accepiſset, omnes ſecuri percuti iubet. Et ſic tandem rei euẽtns Aecatherinæ prędictionem comprobauit: qua ipſi Tyrãno futurũ oſtenderat,vt multi ex illius domeſticis,per illam,Chriſtum eſſe Dei filium,morte etiam propoſita, faterẽtur. Ad hunc modum & Auguſta, & Porphyrio, cum militibus, ex corpotis ergaſtulis erepti, in cælum ſublati

ſunt,vt ſempiternis illis opibus,atque voluptatibus, quæ ſunt omnibus piis hominibus a Deo propoſitæ,fruerentur. At Maxentius,interim, odio ſtimnlatus,amentia vexatus,maleficiorum conſcientia perterritus, ita ferebatur, vt nullo in loco conſiſteret. videbat enim,omnes ſuos conatus ad nihilum recidiſſe; Virginem,quam expugnare cupiebat,ſemper ex acie victricem diſceſsiſſe.nec enim illa oratorum maximorum viribus inflecti,neque propoſitis terroribus abijci,neque ſuppliciis vllis frangi,potuerat: immo, quo tyrānus illā acrius torquere parabat, & illa maiores vires in dies colligebat, & plures ad Chriſti fidem,& religionem,perducebat. Hæc animaduertens Maxētius,ne plura victoriæ illius monumenta conſtitui poſſent,ſi Virgo diutius viueret,vel multo plures, virtntis illius admiratione prouocati,eandem viam inirent,caput illius præcidi,ſine mora,iubet. quod ſtatim factum eſt. nec enim paſſus eſt clementiſsimus ille Dominns, qui numquam ſuorum preces, & voces,repudiat, Virginem dintius corona illa cæleſti, atq. ſempiterna, frandari, quam egregiis virtutū meritis ſibi Diuino præſidio cinctam comparauit. Cum autem illam milites eduxiſſent in locum,in quo necanda erat, multi eam viri,atque mulieres,cum multis lacrymis, ſectati ſunt. At illa in aliorum gemitu triumphabat; &, cum diſtrictum ferrū circnmſtantium oculos horrore præſtringeret, illa ſola, cui nex afferebatur, intrepide ferrū ſpectabat,lætantiq. animo morti obuiam procedebat. nec enim ferro poterat amor, qno flagrabat, exſtingui; neque morte illa veram illi eripi vitam; immo tunc multo iucundius amoris voluptate potiri, vitaq. Diuina frui, neceſſe erat, cum e corpore mens illius excederet. Antequam vero iugulum dediſſet,in cęlum manus intendens, ſic orationem ad Chriſtum habuiſſe dicitur: Domine Ieſu Chriſte, ſummas tibi, & immortales, gratias, ago, qnod me robore firmaſti,ne cōciderem,& lumen mihi prætuliſti, ne a via deflecterem. Nunc igitur manus illas, quæ pro ſalute mea fuernnt in Cruce transfixæ,mihi porrige;mētemq. meam,quam tibi dedicaui, atq. conſecraui,clementer accipe;& hanc mei corporis hoſtiam,quam pro gloria tui nominis offero, benigne complectere. Recordare, quanta ſit hnmanæ naturæ fragilitas,& quam ſimns omnes ad flagitia procliues. Ne igitur permittas,vt in id,qnod per imprndentiam a me cōmiſſum fuit, vindictæ ſeueritate, ante tribunal tuum nimis inquiratur;ſed perfice,vt omnes animi mei labes,atque maculæ,vi ſanguinis,quem in Cruce profudiſti,deleantur. Corpns vero meum, pro te doloribus excruciatum,atque dilaceratum,ab hominum conſpectu remoue,ne quiſquam ſit, qui me vel exſtinctam oculis impuris adſpiciat. Ea vero prouidentia,qua mentes noſtras ad imaginem tuæ claritatis effinxiſti, e ſolio ſancto tuo reſpice in hunc populum, eorumq. animos luce tua perfunde,vt poſsint lumen tnum intueri, ardentiq. ſtudio,& pietate,venerari. Da præterea,vt ij,qni,mei memores, tuum nomen, atque fidem,implorauerint, ea, quæ fuerint eis vtilia,conſeqnantur,vt tuæ virtutis amplitudo,potentiæq. Diuinæ magnitndo, ab omnibus cognoſci, percipi, prædicari, atque celebrari,poſsit. Hæc vbi perorauit, miles vnus gladium diſtrinxit, caputq. illud beatiſsimū amputauit. Funus vero illius angeli curauerunt. Ne enim, vt precata fuerat, adſpici ab vllo poſſet, aut cniuis e populo liceret Virginis ſanctiſsimæ corpus exſangue ſecus attrectare,quam tam admirabilis ſanctitas poſtulabat, fuit continuo ab Angelis ſublatum, atque in Synai Arabiæ monte ſepultum. congruum enim fuit, vt, quæ vitæ puritate, quæ rernm cæleſtium cupiditate, quæ amoris Diuini magnitudine, proxime ad angelorum imitationem aceeſſerat, eosq. ſibi ſimilitudine vitæ deuinxerat, eoſdem funeris curatores haberet;&,cnm forſitan homines, tyranni metu,corpus illud ſanctiſsimnm terræ mādare minime auderent, factum Diuina elementia eſt, vt cælites illi iuſta perſoluerent. præterea, vt eo ſigno perſpici poſſet, ne corpora quidem eornm, qui ſancte vitam inſtituunt, a Deo negligi, viſnm illi fuit, vt illius corpus,quæ pro nomine illius tam graues dolores exceperat, Angelorum opera in ſepulcro,virtute illa digno,conderetur. In eo autem potiſsimum loco, in qno Deus legem ſanxit,congruum fuit, eam ſepeliri,quæ, ne legē Diuinam aliqua ex parte violaret, exquiſitiſſimis ſuppliciis torqueri,& diutiſsime cruciari, minime recuſauit. Quemadmodum igitur Moſis corpns fuerat olim, Michaelis opera, contra Satanæ machinas, qni illi repugnabat,in ſepulcrum illatus, ita,poſt multa ſæcula, Aecatherina per Angelos funere elata fuit. Hoc tamen inter exſequias vtrinſque interfuit, quod Moſis corpus, ne illi Iudæi hoſtias immolarent, fuit ab eorum adſpectu ſublatum; Aecatherinæ autem corpus,vt virtutis monumento multos mortales ſtudio pietatis inflammaret, fuit in loco, admodum, propter legis antiquæ memoriam, celebri, conſtitutum. In vtroq. tamen corpore voluit ſummns Dominus ſuæ benignitatis,& prouidentiæ,documentum ſtatuere;per quod intelligi poſſet, quantæ illi curæ ſit eorum dignitas,qui ſummo ſtudio, & alacritate, iuſsis illius obtemperant. Nam, ſi tanto honore voluit ſanctorum ſepultas reliquias celebrari, quantis tandem opibus, & ornamentis, eorum mentes afficiat, qui, ſoluti corpore, in regno cæleſti ſempiternum pietatis egregiæ præmium conſecuti ſunt? In eo autem loco Virginis clariſsimæ corpus eſt conditum, & miraculis illuſtratum, in quo ma-

xime

xime conueniebat, aliquo ſingulari monumento pietatis,& fidei, reliquias conſeruari. Si enim in illa Arabiæ parte, ſi etiam in Aegypti regione, quæ ad illam partem ſpectat, non eſt iam omnino ſtudium Chriſtianæ pietatis, & religionis, exſtinctum, id eſt illi theſauro caſtiſsimi, atque ſanctiſsimi, corporis adſcribendum. ideo enim Deus in ea regione voluit Aecatherinam ſepeliri, vt, in religionis exitio, & vaſtitate, relinqueretur tamen vitæ puriſsimæ,caritatis ardentiſſimæ, & virtutis ſemper inuictæ, memoria, per quam ij, in quibus aliquod pietatis ſtudium reſideret, poſſent pietatis ſtudio vehementius incitari. quod uunc fit. multi namque,non ex Arabia,& Aegypto, & Syria tantum,verum & e regionibus longiſsimo interuallo diſiunctiſsimis,ad eum montem,inflammato ſtudio, properant, vt ſepulcrum illud inuiſant,apud quod & animos ſuos virtute firmari,ſeq. precibus Beatiſsimæ Virginis adiuuari,perſentinnt.De gloria vero,qua fruitur, quid erit hoc loco dicẽdum? Si enim cuiuſuis hominis ſancti, non tamen inter omnes Sanctos ſanctitatis gloria præcellentis,tanta gloria eſt in cælo, vt ea cogitatione concipi non poſsit, quid de corona Virginis illius exiſtimandum eſt, cui parum fuit, corporis naturam coercere,libidines omnes refrenare, mẽtem a conſuetudine corporis abducere,in cæleſtiq. regione perpetua mente verſari; niſi etiam de Tyranni maximi ſuperbia,de tortorum immanitate, de cruciatibus aſsiduis, & intolerandis,de Satanę copiis,& machinamẽtis,de morte deniq. ipſa,quam pro nihilo duxit,clariſsimum triumphum agere? An non par eſt, vt, quo nomen illius illuſtrius eſt, & maiore cum omnium admiratione per omnes orbis terrarum regiones Diuino conſilio peruagatur,eo credamus,gloriam,qua circũfluit,in cælo clariorẽ,& ampliorem, eſſe, multoq. maioribus ornamentis amplificatam? O Virgo ſanctiſsima, quis poterit laudes tuas, enumerando,percenſere? Tu namq. theſaurũ in agro abſconditum oculis puriſsimis adſpexiſti, qui ſic te ad ſui cupiditatem allexit, vt continuo cunctas humanas opes omnino cõtemneres, atq. repudiares. tu Chriſti amore ſanctiſsimo vehementer,& acriter, inflãmata,ſic ad ſtudium illius exarſiſti, vt ſemper veſtigiis illius inſiſteres. Cunctas enim impuritatis labes, ne illum a te ab alienares, conſtãtiſsime repuliſti: nullæ te formidines,neq. terrores,neq. ſupplicia,nec intenti gladij,neque dolores intolerãdi, ab illius coniunctione diſtrahere potuerunt. Itaq. operibus admirandis oſtendiſti, nullis malorum humanorũ fluctibus,vt eſt apud Salomonẽ, obrui,& exſtingui,poſſe Diuini amoris,& caritatis,incẽdiũ. Mentem tuam tam claris virtutum opibus,& ornamentis,inſtruxit ſponſus ille tuus, cuius gratia omnes voluptates, atq. naturæ blandimenta,vitæq. delicias, aſpernata fuiſti,& laborum,& dolorum, cunctas tempeſtates animo ſemper inuicto ſubiiſti,vt nulla ætas in poſterum futura ſit, quæ de tuis laudibus conticeſcat. Nũc igitur illo Diuino adſpectu,cuius cupiditate incenſa ferebaris, cum immenſa voluptate,perfrueris: nunc in angelorum cœtu,Diuina luce colluſtrata,formam Diuinam retines: nunc gaudiis ſempiternis, quæ nullis vmquam ſæculis imminui poſſunt, exſultas. Quare te omnes, qui in hunc locum, tui nominis celebrandi gratia, conuenimus, ſuppliciter obſecramus, vt a ſponſo tuo Chriſto, apud quem tantum gratia vales, nobis erratorum veniam impetres, & opem, atq. præſidium,nobis,precibus tuis,afferas; quo de hoſtibus,qui nos vndiq. oppugnant,victoriã cõſequi,& in cæleſtes illas ſedes adſcẽdere, poſſimus. Hæc quidem de admirabili Aecatherinæ virtute dicta ſufficiant. Reſtat nunc, vt vos omnes, cariſsimi fratres, admoneam, vt Virginis ſanctiſsimæ memoriam debito ſtudio recolatis; ita tamen, vt non oratione tantum, ſed multo etiam magis operibus, hoc erga Aecatherinam ſtudium declaretis. Qui enim corporis integritatem libidine flagitioſa cõmaculat,illius nomen rite non celebrat, quæ ardentiſsimo ſtudio,& contentione,libidinẽ profligauit. Qui,minimis malis fractus, a virtutis,& fidei, conſtantia deſciſcit, illam certe non honore proſequitur,quam nulli dolores,aut exquiſita ſupplicia, frangere,& debilitare,potuerunt. Qui, huius vitæ cõmodis illectus, ad illas ſempiternas opes non adſpirat,non illius memoriam colit, quæ mortem, & acerbiſsimum cruciatum, appetiuit,vt opibus Diuinis,atque ſempiternis,afflueret. Hominum ſanctorum honores, magis in ſtudiorum imitatione, quam in laudatione, conſiſtunt. Minime Sanctos colit, qui ſanctitatem odio immani perſequitur. hoſtis enim eſt omnium bonorum,qui virtutibus,quibus illi floruere,nefarium bellum indicit. At omnes,qui ſeſe libidini conſtringendos dediderunt, bellum duriſsimum virtutibus intulerunt, & a bonorum omnium complexu diuulſi ſunt. Vitia igitur deteſtamini; omnes impuritates repellite; cupiditates refrenate; vitæ continentiam,& puritatem,modeſtiæ concinnitatem, virtutis inuictum robur, aſſumite; iuſtitiam, & pietatem, colite: vt ſic tandem opibus, & gloria ſempiterna,perfruamini. Nemo ſe, imbecillitatis excuſatione,defendat. Aecatherinam Virginem reſpiciat,ætate puellam, natura teneram, & imbecillam, vitæ cultu delicatam, opibus humanis opulentam,in magnis fortunis enutritam. quæ omnia tantam vim habent ad animum molliendum, vt eum facile a mentis ſtatu deijciant: quæ tamen cõtra Aecatherinam nullas vires habere potuerunt. tanto namq. robore circumſæpta fuit, vt opes,atque vitæ delicias, pro nihilo puta-

ret; labores vltro,atque libenter, exciperet; dolores,& cruciatus,expereret; & victoriam denique ſibi de ryranni ſumma crudelitate, de Satanæ machinis,arque viribus,compararet. Hæc enim non Lumanis viribus, ſed Dinina virtute, gerunrur. Nihil eſt autem tantis opibus munitum, quod non Chriſti virtus expugnet; nihil tanris copiis ſæprum, quod non cæleſte præſidium in fugam vertat; nihil tanta potentia firmatum,quod non præſens auxilium Diuini ſpiritus exſtinguat. Hoc aurem auxilium a nobis abeſſe non poterit,ſi Chriſti numen vere colimus, niſi nos illud flagitio noſtro dimiſerimus. Theſaurũ abſconditũ inueſtigemus;abditas opes eruamus; cupidirate diuitiarum, quas fures nec effodiunt, neque furantur,incendamur;repellarur ignauia;reſpuatur amentia;comprimatur inſolentia; conſtringarur libido; excitetur fides; implorerur numen Diuinum; & ſic demum non modo ſanctos homines digne laudare, ſed etiam illorum virrutes imirari, & victoriã de ſempiternis hoſtibus conſequi, gloria immortali potiri, facillime poterimus; ope,& auxilio,illius freti,qui nos ſanguine ſuo expiauit, vt in ciuitatem illam cæleſtem perduceret, benigneque ſui conſortes efficeret.

*Imprimatur.*

P. Ant. Vicesger.

F. Bartholomæus de Miranda. S. P. M.



Digitized by Google

# IN
# HIERONYMI OSORII
# LVSITANI
## ORATIONES
## IN IOANNIS EVANGELIVM
# HIERONYMI OSORII
## NEPOTIS
## AD LECTOREM
## PRAEFATIO.

*CVM annis ætas ingraueſcit, animus a labore deflectit ad otium, in quo curis vacuus a contentione illa relaxetur, qua ad ea adſpirabat, quæ ſine ſummo labore conſequi non poterat. eſt enim maxima corporis cum animo coniunctio, vt, ſi quando fatigatione, & exercitatione, corpora defeſſa languent, vires quoque animi debilitatæ frangantur. Etſi vero hoc ſit a natura conſtitutum, hi tamen, qui ſe a ſenſuum conſuetudine ſeuocarunt, quamuis ætatis deflexu eorum corpora viribus deſtituantur, ſe exercitando leuantur, animiſq. opes immortales congerunt, vt, quod naturæ fluxu in corpore periit, ſapientiæ ſtudio reſarciant, qui ſoli ſunt Senes appellãdi. eſt enim in homine ſapientia, ætatis quædam maturitas: quæ ſi in eo, qui eſt ætate prouecta, non elucet, corporis ille quidem valetudine ſenex, moribus, & vita, erit inter iuuenes numerandus. Cùm igitur id ætatis eſſet Oſorius, vt corporis vires ſenio imminutæ eſſent, animum a ſcribendi ſtudio ad otium minime reuocauit. illud enim erat ei non mediocre curarum, & ſenectutis, alle-*

*tis alleuamentum. Nobis autem hortatoribus, Ioannis Euangelium ea ratione explicandum ſuſcepit, vt longiore oratione eos, qui in hac ſcripta inciderent, ad virtutis ſtudium induceret, & religionis Chriſtianæ inſtitutis erudiret. Fuit præclarus iſte Oſorij conatus temporis iniuria prohibitus, ne eo, quo tendebat, ſingulari cum Reip. Chriſtianæ vtilitate perueniret. hac namque Oſorij ætas extrema incurrit in calamitoſa Reip. Luſitanæ tempora, in quibus, Sebaſtiani Regis accepta clade, erant omnia timoribus plena, lacrymis deformata, curis ſollicita, & ſtatus Reip. deſperatio omnium animos occupauerat. Quæ quidem noſtrarum rerum condicio, non ſolum a ſcribendi ſtudio Oſorium diſtraxit, ſed illi vitam quoque eripuit. Quare, cum has Orationes ſcriberet, quaſi in medio curſu conſtitit. Nos autem eo animo in hunc locum illas coniecimus, vt eas non fuiſſe ea perfectione abſolutas indicaremus, quam haberent, ſi Oſorius, vt in animo habebat, eas perpoliret, & totum Ioannis Euangelium explanaret. Eas autem in lucem edidimus, quia ſingulari ſunt eruditione referta, elegantiæ ſplendore mirabiliter exculta, &, vt vno verbo dicam, Oſorium ſatis luculenter exprimunt. Vale.*

HIE-

# HIERONYMI OSORII LVSITANI

## EPISCOPI SILVENSIS

# IN IOANNIS EVANGELIVM ORATIO I.

QVANTVM mihi ſtudiũ veſtræ ſalutis exſtiterit, fratres, ex quo primum tempore hanc Eccleſiam vigilantia mea conſeruandam, atque tuendam, ſuſcepi, vos omnes teſtes eſtis. Nihil enim, vel crebris concionibus admonendo, vel flagitia ſententiis coercendo, ſciens prætermiſi, quod ad ſalutare remedium animarum veſtrarũ pertinere exiſtimarem. verum is ſemper fui, qui multo magis vos ſanctis monitis impellendos, quam impoſitis pœnis exterrendos, arbitrarer. Nam officium voluntarium ſtabilitatem habet; minis autem expreſſum, eſt nimis imbecillum. Volũtas enim recto iudicio confirmata inhæret, atque permanet: metus autem, amotis teſtibus, obliuione conteritur. Cum vero omnis doctrina, qua vos erudio, e ſanctis litteris hauſta, atq. delibata ſit; (ex ea namque eſt medicina ſalutaris exquirenda, quam Diuinus ſpiritus animis noſtris ſanandis, & illuſtrandis, & robore mirifice confirmandis, afferre ſolet) ſtatui tandem, ne ſemper eſſet neceſſe e variis ſcriptoribus id ſeligere, quod vobis vtile iudicarem, vnum aſſumere, ex cuius oratione perpetua omnes admonerem, vt, ſpretis opibus humanis, oculos in Diuinis tandem defixos, haberetis. Quis autem ille ſit, ſcire deſideratis. Ioannes eſt, Diuinus ille ſcriptor, cuius Euangelium vobis explanandum ſuſcepi. De laudibus vero illius, quid dicam? Num auos, & proauos, enumerabo? Num genus vniuerſum honoribus publicis ornatum recenſebo? Num opes, triumphos, imagines, ad memoriam nominis prodendã oratione perſequar? Non prorſus. Hæc.n.omnia, quæ homines, rebus terrenis affixi, nimis admirãtur, Diuini homines, qui mentis altitudine, cæleſtia, atq. ſempiterna, cõtuentur, pro nihilo ducũt. Accedit, quod ipſe ſummus rerum omnium Dominus non magni facit eos, qui in alto Reip. gradu locati ſunt, & ea de cauſſa fallaciſsima ſpecie dignitatis inſoleſcunt; ſed illos, qui nihil ſibi in terris arrogant, & ita omnia virtutis ornamenta e cælo petenda iudicant. ſuperbos enim deprimit; & humiles frequenter extollit; vt homines, in eos intuentes, non fucatum humanæ dignitatis ſplendorem, ſed Diuinæ claritatis amplitudinem, aſsidue recognoſcant. Vt autem clarius appareat in ſanctorum hominum dignitate Diuinæ benignitatis immenſitas, eos plerumque ex infima fæce mortalium ſeligit, vt nihil ſibi poſsit ex tam Diuinis honoribus humana temeritas aſſumere. Ioannis igitur genus erat abiectiſsimum. Quamuis enim, vt traditur, a Iuda fuiſſet oriundus, & in ſtirpe ſua Reges enumerare potuiſſet, (erat enim, vt aiunt, Chriſto ſanguine coniunctus) non tamen iam poterat in nobilitate cenſeri. in tanta namque humilitate verſabatur ſtirps ipſius Dauidis, vt non exciſa modo, ſed etiam radicitus euulſa, ex hominum memoria videretur. Opes autem Ioannis erant adeo tenues, vt piſcatu ſibi victum quæreret. Erat igitur, ſi ad genus reſpicias, obſcurus; ſi ad exiſtimationẽ, ignobilis; ſi ad rem, egentiſsimus; ſi ad artium diſciplinas, litterarum ignarus; cum ſubito factus eſt, ex ignoto, nobiliſsimus; ex abiecto, clariſsimus; ex egente, ditiſsimus; ex rudi, ſapientiſsimus. O admirabilem Dei magnificentiam, & immenſam benignitatem, quæ depreſſam humilitatem excitat, & uetiſsimis ornamentis illuſtrat, vſque adeo, vt homines

nes

nes abiectos in Diuina propemodum ſede reponat. Hæ ſunt opes veriſsimæ, hæc ornamenta clariſsima: ex quibus nihil vindicare ſibi poteſt caro, & ſanguis, nihil hoſtium incurſus decerpere, nihil temporis ullius vetuſtas exſtinguere, cum ſint immortalia, atque plane Diuina. In huius tam excelſæ dignitatis ſocietatem neque ſe offerre poteſt humanæ virtutis induſtria; nec illi interitum comminari humanæ malitiæ, & improbitatis immanitas; cum neque ſummus ille totius veriſsimi decoris architectus in tam præclari operis fabrica ſocium admittat, & ea, quæ ſunt illius ope ſtabilita, nec vlla iniuria deleri, nec vllo impetu labefieri, queunt. Hac igitur nobilitate florentiſsimus, his ornamentis ampliſſimus, his Diuinis virtutibus honeſtiſsimus, exſtitit Ioannes, vt in illis nihil e terra concretum agnoſceret, ſed omnia ad immenſum totius decoris, & glorię, fontem grata ſemper, atque memori, mente reuocaret. In ampliſsimo autem collegio illorum principum, quorum virtute, ſapiētia, dignitate, tāquam firmiſsimo fundamento, Chriſti Eccleſia nititur, Ioannes, inter primos locatus, amore miro præcipue dilectus ab ipſo Domino fuit, vt Diuinis opibus, atque ſempiternis, afflueret. Vt enim, qui Regibus aſsiduam operam dant, illorumque humanitatem, & gratiam, egregie conſequuntur, longe opibus, & honoribus, antecellunt omnibus, qui non eundem locum apud Reges obtinent; ita fuit neceſſe, vt Ioannes, cum a ſummo cæli Rege numquā diſcederet, & illi gratiſsimus eſſet, multos Diuinos homines, qui ab exordio generis humani Diuina virtute floruerant, gratia, atque dignitate, ſuperaret. Chriſtum enim ardentiſſima fide coluit; inflāmato ſtudio ſecutus eſt; neque Crucis ipſius formidine ab eo diuelli ſuſtinuit. fuit igitur inſignis glorię particeps, qui ſocietatem Crucis non exhorruit. Cum autem multis beneficiis, atque muneribus, egregie cumulatus exſtiterit, nullum tamen amplius eſſe potuit eo, quo fuit in theſauros ſapientiæ Diuinæ mirabiliter intromiſſus; vt non ſolum ipſe ſummis opibus abundaret, ſed multa ex illis depromeret, quibus multos mortales valde munifice locupletaret. Quod ſi apud terrarum principes illi ampliſsima dignitate præditi exiſtimantur, qui in eorum principum, quibus inſeruiunt, conſilium admittuntur, videte, quanta ſit Ioannis dignitas, nempe, cum quo Rex ille ſempiternus arcana ſua libentiſsime communicauit. Quamuis enim alij diſcipuli eadem dignitate fruerentur, multa tamen Ioanni ab ipſo Domino valde familiariter enuntiata ſunt, de quibus alij celati fuerant. Quamuis igitur in terris verſaretur, in cælum celeriter euolabat, in penetrabilia Diuinæ mentis intromiſſus, multa perſcrutabatur, & inſpiciebat, quæ fuerant ab intelligentia multorum hominum ſanctorum remotiſsima. Sed, ne diutius, quam par eſt, in Diuini viri laudibus immoremur, & eo, quo tendimus, gradum faciamus, in ſumma monendi ſunt omnes, qui ſapientiæ cupiditate flagrant, vt Ioanni operam dent, mentem illius conſulant; aut, vt verius dicam, Chriſti numen in Ioannis pectus incluſum attentiſsima conſideratione percipiant. quod vt rectius fieri poſsit, opus eſt, vt ab illo, ſupplici, & aſsidua, prece, flagitemus, vt nobis lumē præferat, quo diuitias admirabiles, quæ in Ioannis ſcriptis conditæ ſunt, explicitas, & euolutas, intueri queamus, vt, earum cupiditate vehementer incenſi, ad opes Diuinas ſemper adſpiremus.

In principio erat verbum.] Hoc quidem principio nihil in ſumma breuitate grandius poteſt excogitari. quod vt clarius explanari poſsit, eſt paullo altius ſententia illius repetenda. Moſes ſic opus ſuum exorſus fuit: In principio fecit Deus cælum, & terram. originem mundi deſcribit; ordinem totius operis explicat; elegantiam, & ornatum, luculenter exponit; & oſtendit, tantam vniuerſæ naturæ concinnitatem ſine mente, cōſilio, ratione, deſignari, & conſtitui, nullo modo potuiſſe. Valeat ſempiternę materiæ nomen; vis naturæ rationis expertis conticeſcat; caſus, & temeritas, recta ratione cōprimatur. Nullus enim ordo, nulla pulchritudo, locum habere poteſt, vbi ſollertia ſapientis artificis, & deſignatio prudens, & apta, defuerit. Miſerandam hominum cæcitatem, qui ſibi ſapientiam nimis inſolenter arrogabant, cum ſponte ſua in tenebras ruerent, & tantam rerum venuſtatem, & elegantiam, cum mirifico fructu, & vtilitate, coniunctam, furēter, & impie, diſturbarent. Nam, cum naturæ voces, tamquam nimis tritas, atq. peruulgatas, aſpernarentur, effrenatum ingenium in temeritatis infinitatem furenter iniecerunt, ita, vt, cum perpetuo vagarentur, & in terminatam inanitatem ſtudio vaniſsimo peragrarent, nullum terminum reperirent, in quo poſſent inſiſtere. ſummo enim rerum opifici mundi conditi gloriā detrahere conabantur; ab illiusq. cogitatione diſtracti, ad materiam, & vim, naturæ, motus in corporibus ſine ratione cientis, omnia referebant. alij namq. rerum initia aquis, alij aeri, alij igni, tribuerunt; alij corpus aliud magnitudine immenſum, ex quo omnia ſine conſilio fingerentur, excogitarunt. Quid hic Anaxagoræ partes, multitudine innumerabiles, forma ſimillimas, cōcretione, & ſecretione, omnia conficientes, oratione referam? Quid atomos Democriti, in infinito inani temere vagantes, & fortuito concurſu mundi totius fabricam mutua copulatione, & adhæſione, temere fingentes, commemorem? Infinitum eſſet, ſi nūc vellem memoria repetere tam abſurdas opiniones,

qua-

Digitized by Google

quarum ſe anctores profitebantur olim, qui ſibi ſapientiam aſſumebant, ingeniumq. venditabant, qui in eo neruos contendebant, vt omnem ſanctitatem religionis exſtinguerẽt. Quam exſecrandus autem eorum furor exſtiterit, explicari non poteſt. Nam, qui cæli pulchritudinem, qni mundi ornatum, qui naturæ vniuerſæ conuenientiam, qui numerum, & rationem, qui fœderis vinculum, quo omnia inter ſe nexa, & copulata, ſunt, penitus ignorabant, qui ſingularum rerum formas, & actiones, ad communem vtilitatem hominum conſpirantes, non intelligebant, & mentis expertes, & furiis exagitatos, fuiſſe, plane cõſtat. An pulchrum aliquid, & concinnnm, eſſe poteſt, quod non ſit ſingulari artificio, atque ratione, dimenſum? aut bonum, atque ſalutare, quod non ex affluentia ſummæ bonitatis emanet? An aliquid ſtatum ſuum tueri poterit, quod non in præſidio ſummæ potentiæ delitescat? Quis igitnr non videt, omnia, ſapientia, bonitate, numine, ſummi conditoris, deſignata, & conſtituta fuiſſe? Hanc diſciplinam cæleſtis natura tradit, terræ teſtificãtur, vniuerſæ mundi partes annuntiant; rerum vniuerſitas hanc vnam vocem mittit, qua prædicat, omnia, quæ cernimus, vi, numine, ſollertia, probitate ſummi Domini condita fuiſſe, einſdemq. nutu, & moderatione, gubernari, Huius autẽ operis architectũ oſtẽdit Moſes, dicens, In principio creauit Deus cælũ, & terrã. Deinde, quibus machinis tãti operis fabricam abſolueret, luculenter exponit, dum ait, Et dixit Deus, Fiat lux: & dixit Deus, Fiat firmamentnm: & dixit Deus, Germinet terra herbam virentem. Ita deinde ſingula perſequitur, vt intelligamus, omnia verbo Dei creata, & illuſtrata, ornamentis exculta, & inter ſe ſingulari fœdere deuincta fuiſſe. temeritatem excludit; caſum repellit; vim rationis expertem exterminat; ſolumq. verbum Domini debitis laudibns ornat, dum illi ſoli gloriam ram elegantis, & omnibus numeris abſolnti, muneris attribuit. Eſt autẽ hoc verbum, mens, & ſapientia, patris, conſiliorum illius adminiſtra, euius numine, & probitate, omnia cõtinentur. Huius autẽ verbi, quo Moſes omnia formata fuiſſe dicit, Ioannes numẽ immenſum, & potentiam infinitam, quo ad licet, explicandam ſuſcipit. Ait igitur: In principio erat verbum. Pro verbo Græco, nempe Λόγος, interpres reddit hoc nomẽ Verbi. Nec enim aliud aptius reperire potnit. Eſt enim Verbum ſæpennmero idem, quod magiſtra vitæ ſententia, oratione breuiſsima ſalutaria præſcribens. Eſt igitur hoc nomine intelligendum idẽ omnino, quod Λόγος vox Gręca deſignat, nẽpe, intima mentis cogitatio, & omnium rerũ ſempiterna molitio, & artificium deniqne, quo ſummus opiſex ſæcula cõdidit, omninmq. rerũ formas opere ſingulari perpoliuit. Cum autem dicit, In principio erat Verbum; hoc plane dicit, Ab omni temporis æternitate Verbum exſtitit. Non enim Principij nomen hic, vt mundi creationi, præponitur; ſed ſimpliciter, & abſolute, dicitur. Principij autem ſimplicis, & abſoluti, nullum principiũ cogitari poteſt. Aliter enim Principinm nullo modo eſſet appellandum, cum Principij nomen multo magis in id conueniret, vnde hoc Principium initium cepit. Porro autem duplex eſt æui, atque durationis, ratio. Alia enim tẽpore terminatur, alia æternitate continetur. Tempus mundi conuerſione conficitur. Tunc enim incepit, cum mundus incepit, & naturæ cauſſam non attulit, ſed eſt naturæ ipſius motu, & conſtantiſsima varietate, definitum. Moſes igitur, cum de naturæ initio, quam Verbum condidit, diſſereret, id Principii nomen, quod temporis initium deſignat, ſatis conucnienter appoſuit. At Ioanncs, cum non de naturæ conditæ ratione, ſed de ipſius conditoris amplitudine, ſermonem inſtitueret, par erat, vt aliud principium oratione deſcriberet. Quodnam principium narras? Non temporis certe. Aeternitatis igitur. Cũ vero æternitatis nullum principium ſit, ſequitur neceſſario, vt hoc principium ſemper exſtiterit. Præterea Verbi nomen eſt cum æternitate neceſſaria ratione coniunctum. Eſt enim mens, & ſapientia, patris. Si igitur Deus a tempore ſempiterno mẽte, & ratione, ſumma præditus fuit, efficitur, ut Verbum, abſque vllo alio principio a ſplendore patris exortũ, in eodem ſemper ſtatu, atque maieſtate, permanſerit. Poſtremo hoc verbum, Erat, nõ eſt ullo ſpatio definitnm. Nec enim vllum tempus vmquam fuit, quo vis illius vllo modo negari poſset. Eſſe namque, proprium Diuinitatis eſt. Deus enim ſolus, natura ſemper eſt; reliqua vero, quæ ſunt, tamdiu ſunt, quamdiu Diuina õpe, & benignitate, fulciuntur. Quid ais, hæretice? quæ te furiæ vexant? quæ peſtes exagitant? Tempus, inquit, fuit, quando Verbum non fuit. Antea igitur per te Deus verbo, hoc eſt, mente, & ratione, carebat. Quo quid dici poteſt immanius? Sed, a quo tempore verbum incepit, ediſſere. Quid ante illud exſtiterit, enarra. Num mundus? Non prorſus. Non enim id e mundo profluxit; immo mundus per ipſum factus eſt. Num cæleſtium natura? At cælites ipſum, & parentem pie cõfitentur, & Dominum ſuppliciter, atque demiſſe, venerantur. Quod ſi nihil potes adducere, quod hoc Verbum præceſſerit, quæ, malũ, fuit iſta tam præceps amentia, quæ te compulit iſta tam dira portenta comminiſci? Græcorum quidem deliramenta, qui naturam rationis expertem omnium formarum effectricem eſſe ſtatuebant, quos Plato ſapiẽtiſsime redarguir in Legibus, Moſis teſtimonio facillime conuelluntur. Cum enim dicit, Dei verbo omnia creata fuiſſe, docet, non artificium ex natura ortum habuiſſe; ſed naturam arti-

ficio

ficio Diuino perfectam fuiſſe. Vehementius tamen Ioannes Arianos exterret,& de omni ſtatu deturbat,cum ait, In principio erat verbum,hoc eſt, ex omni æternitate mens,& ratio,ſummi conditoris, per quem omnia facta ſunt,exſtitit, ita,vt nulla mente ſana cogitari poſsit ſpatium,quo Verbum non fuerit. Et tamen erunt homines, qui ſe Chriſtianos dici,& exiſtimari,volunt,qui ſepultas Arij reliquia sexcitare nitantur? Quis iſte furor eſt, qui vos miſeros veſtri nominis obliuiſci cogit? quæ ſunt iſtæ faces, quibus vos infeſtiſsimus dæmon exagitat? quæ tam dira cæcitas, qua ſcelerum, & maleficiorum, pœnas exſoluitis?vos ne rerum omuium conditori,cuius numine,& beneficio,cælum, terra, & omnia, quæ cæli complexu,& terrę gremio,continentur,& aquarũ gurgitibus occuluntur, finxit, & informauit, qui vitam cunctis animãtibus inſpirauit, principium aſsignabitis? infinitisq. ſæculis patrem ſummum, gloria immenſa, ſplendore ſempiterno, mente denique, & ratione priuabiris? & vnicum Dei filium, expreſſam infinitæ virtutis imaginem, in turbã coniicietis? Si vultis in Chriſti Rep. cenſeri, Chriſtum loquentem audite. Chriſtus enim loquitur, cũ Ioãnes loquitur. Chriſtus enim, in Ioannis pectus incluſus, veriſsimæ ſapientiæ diſciplinã tradit,quæ his pauciſsimis verbis cõtinetur.Sed,inquies,obſcura ſane ſentẽtia.nõ aſſequor explorate myſteriũ:non intelligo, quo pacto verbis iſtis, Verbi Diuinitas explicetur. Quid igitur? cupis ne ſic explicatam Ioannis ſententiã cernere, vt nemo,quãtumuis hebes, & rudis, ille ſit, modo fidem oraculis Diuinis habeat, de Verbi ſempiterni Dininitate poſsit ambigere? Attende, quid ſequatur.

*Et verbum erat apud Deum*. Oratio Græca rationem,& reſpectum ſempiternũ,ad Deum ſignificat.Scriptum eſt enim, καὶ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν. hoc eſt, Et verbum ad ipſum Deum rationem habebat. Ea antem, inter quæ certa, & conſtans, ratio eſt, eiuſmodi ſunt, vt vnnm ſine altero intelligi nequaquam poſsit. Si enim pater eſt, & filius ſit neceſſe eſt. Similiter Domini nomen neceſſario ſeruum domini aliquem eſſe deſignat. Ad hunc igitur modum,cum Verbum dicimus,eũ, cuius hoc verbum ſit, ratione perueſtigandum iudicamus. At verbum,inquit Ioannes,ad ipſum Deum conſtantis naturæ rationem habet;ita,vt neque Deus ſine Verbo,neque Verbum ſine Dei ipſius perſona, recte poſsit intelligi. Si quæris igitur, ex quo primum tempore Verbum fuerit apnd Deum, reſpõdebo, ex eo videlicet, quo Deus in gloria vixit. Si igitur gloria Dei principio caruit, & Verbũ etiã principio caruerit,opus eſt. Ait deinde,

*Et Deus erat Verbum*. Duo ſunt animaduertenda: primum eſt, perſonarum diſtinctio, qua Verbum ab ipſo Deo diſcriminatur:alterum eſt,ſumma coninnctio,qua verbnm Deo, propter naturæ identitatem, amore infinito coniungitur. Verbum, inquit, quod erat in principio, quod ſemper ad ipſum Deum, hoc eſt, ad Patris perſonam, tamquam ad principium, & originem, rationem habuit, verus Deus ſemper exſtitit, immenſa gloria, & maieſtate præditus, ipſiq. patri ſummo virtute, ſapientia,& probitate,ſimillimus.

*Hoc erat in principio apud Deum*. Nullum dubium vult Diuinus vir, vt in animis vllo pacto reſideat;& ideo eandem ſententiam repetit, in eoq. totis viribus inſiſtit, vt inſculpat in animis, Verbum eſſe Deum. Quod vt clarius explanet,adiungit:

*Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil,quod factum eſt*. Quid in tam claris rebus alucinaris, hæretice? cur in meridiana luce prolaberis? Non fateris, Deum eſſe totius naturæ parentem?poteris ne alium tam præclaræ machinæ opificem cogitare? Non prorſus. Eum igitur, qui vninerſam naturam fabricatus eſt, Deum fatearis neceſſe eſt. At vides,omnia per Verbum facta fuiſſe: & tamen hæres,& dubitas,neque numen illius extimeſcis: dubitas, inquam, immo lucem oblatam repudias, & tenebras amplexaris,ipſiq. veritati impudẽtiſsime repugnas.Si, qui in tanta veritatis luce dubitant,nõ in ſe mediocre ſcelus admittunt;quo nomine poterimus eorum impieratem notare, qui bellũ, omni odio imbntum,cum oraculo Diuino gerunt,ipſiusque Dei mentem irritis conatibus de ſtatu deiicere nituntnr? An eſt obſcurum teſtimonium? An eſt integnmentis inuolutum? An eſt multis figuris implicitum?Non certe.Omnia per ipſum facta fuiſſe, Diuinus ſpiritus admodum clare teſtificatur. Siue igitur terram arboribus, herbis,& frugibus, veſtitam cernas; ſiue maris immenſitatem ratione conſideres;ſiue animantium terreſtrium, & aquatilium, naturam mente perſcruteris; ſiue cælum aſtris diſtinctum,& illius pulchritudinem,amplitudinem,& efficientiam,tecum aſsidue recogites; ſiue mundi totius ornatum, & mirificum concentum,& e diuerſis naturis,pro rata portione, diſcretis,harmoniam percipias;Verbi certe moderationem Diuinam contemplaberis. Nihil enim intuebere,quod non ſit ſingulari lege,numero, pondere,& ratione, conſtitutum. In omnibus igitur rebus, quas vides, cernis Verbi numen, ſollertiam, & probitatem;& tamen fidem reprimis; & tamen perfidia,& mentis obtuſæ nimia tarditate,impediris, quo minus illi ſupremi conditoris gloriã tribuas? Quod ſi hæc,quæ oculis cernimus,& reliquis ſenſibns vſurpamus, tam clare,& euidenter, Verbi ſollertiam declarant: quid de formis illis, quæ noſtram intelligentiam ſuperant,exiſtimãdum eſt?Quid,inquam,de mentibus illis puriſsimis, atque beatiſsimis, ab omni concretione mortali ſecretis,& Diuino

ſplen-

ſplendore fulgentibus, quæ Deo ſemper, cum pio metu, ſeruiunt, & cum mirabili alacritate miniſtrant, & cuius laudes inexplicabili voluptate concinunt, ſtatuemus? Audebis negarẽ, angelorum exercitum innumerabilem, omnesq. cæli ciues in operibus Diuinis eſſe numerandos? Non potes. non tantum tibi inſanire licet. oracula enim Diuina id minime patiũtur. Si omnia igitur per Verbũ facta ſunt, Igitur & angeli per illud facti ſunt. Eſt igitur ſummus, & altiſsimus, Deus, rerum omnium conditor, & conſeruator, angelorum, & hominum, ſempiterna laudatione celebrandus.

*Sine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*. Hoc eſt, Nihil temere factũ cernes: nihil in vniuerſa natura caſu concretum, nihil ſine ſummo conſilio, & ratione, conſtitutum. In quolibet enim genere cernere licet, nihil in eo genere potuiſſe melius, atq. perfectius, excogitari, vſque adeo, vt ne in formicis quidem, & apibus, & reliquis minutis animantibus, aliquid in quolibet genere fingi ratione poſsit magis perfectum, omnibusq. numeris abſolutum. Sileat igitur fortunę temeritas; caſus improuiſi uis inuicta ab omni Chriſtianorum mentione repellatur; fati nomen, atque neceſſitas inſuperabilis, conticeſcat. Intelligant omnes, quibus cæleſte lumen illuxit, omnem naturam non caſu, arte, non fortuna, conſilio, non fato, conditam fuiſſe, verbiq. moderatione, non temeritate, ea, quæ ſunt facta, & in ſtatu naturæ permanent, gubernari. Neque opera ſolum naturæ, verbo Domini ſempiterno facta ſunt; verum & artes, quibus hominum ſalus, & vita, continetur, eidem verbo in acceptis eſſe referenda. Quis enim homines ad ferrum, & æs, & reliqua metalla, e terræ viſceribus eruenda, & lapides cædendos, inſtruxit? Quis humanum genus ad colendos agros, exarãdas fruges, hurtos, & vineas conferendas, inſtituit? Quis domus ędificare, ad æſtus ardentiſsimi depulſionem, & ad tempeſtates perfrigidas arcendas, erudiuit? Quis mortales ab agreſti feritate ad humanitatẽ excoluit, & iuris æquabili ſocietate deuinxit? Quis leges, atque iudicia, dedit, ad religionis, atque iuſtitię, cultũ, & ſceleris, & improbitatis, interitum? Quis vrbes mœnibus cingere monuit, ad hoſtium impetus acri animo repellendos? Quis metum maris ademit, & nauigandi facultatem tribuit, vt liceret ex longinquis nationibus in Reſpublicas vtilitates innumerabiles importari? &, ne reliqua omnia perſequamur, omnes artes, ſiue liberales illæ ſint, ſiue in fabrili artificio verſentur, a Verbo profluxerũt. Quo modo? Quia verbum Domini homines ingenio, ratione, ſollertia, inuentione, multiplicis artis inſtruxit, vt pro ſe quiſque aliquid in vſum vitę conferret, vt ita, mutuis operibus vltro, citroque collatis, communis ſalus conſeruari facillime poſſet. Vniuerſe igitur dicendum eſt, omnia per ipſum facta fuiſſe. Quid igitur, inquiet fortaſſe aliquis, etiam ne furta, adulteria, homicidia, populares tumultus, & infamias, turbulenta diſsidia, & reliqua flagitia, & ſcelera, ad verbi operam reuocabimus? Nullo modo. Ea namque opera non ſunt, ſed operum euerſiones. ſcelera enim nihil faciunt, ſed facta demoliuntur, & diſsipant. Eſt enim ſcelus, labes, ruina, deformitas, boni totius interitus, ſalutis communis exitium, ita, vt nullo modo ſit in operibus, ſed in operum peſtibus, annumerandum. nos autem hoc loco de operibus, nõ de operum peruerſione, diſſerimus; & confitemur, nullum opus, quod veriſsime poſſet Opus appellari, nempe quod eſſet ad ſalutem generis humani conferendum, abſq. numine Verbi Diuini factum fuiſſe. Sequitur de inde

*In ipſo vita erat*. In hoc etiam certiſsimum Diuinitatis argumentum conſiſtit. Eſt enim Deus, fons vitæ perennis, unde ad omnes, qui viuunt, pro cuiuſque naturæ ratione, vita dimanat. Quo enim quæque natura Deo magis coniuncta eſt, eo affluentius uitam haurit, & iucundius uiuit, & lætius exſultat. Inde fit, vt angeli, in quibus Diuina mens inſidet, quos opibus ſapientiæ locupletat, & radiis Diuini amoris inflammat, beatiſsime uiuant. Ad illos deinde proxime accedunt, qui angelorum ſtudia factis clariſsimis, quãtum poſſunt, imitãtur, & animi puritatem ſummo ſtudio tuentur. &, quo magis hoc ſtudio tenentur, eo uerius & uiuere, & uigere, dicũtur. Qui uero ab hac uita diuelluntur, & malunt inſitam libidinem ſequi, quam ueriſsima uita frui, eã quidem uitam habere poterunt, quæ eſt etiam brutis animantibus, non abſque ipſius uerbi numine, ad certum tempus attributa; illa uero, ad quam homines uocantur, quamdiu fuerint oppreſsi libidinis impuriſsimæ dominatu, omnino carebunt. Veriſsimæ autem uitæ ratio continuo deſcribitur. Sequitur enim:

*Et vita erat lux hominum*. Si hominum uita eſt lux, & lux eſt Dei cognitio, efficitur, non Solis ſplendorem, non ſiderum fulgorem, non Lunæ claritatem, hominum lucem appellari poſſe. Hæc enim luces ſunt hominibus, cum reliquis animantibus communes, ita, ut non magis luces hominum, quam cuiuslibet pecudis, appellari poſsint. Homo enim multo magis animo, quam corpore, cenſetur. At lux, quam animantia cuncta percipiunt, non animum, ſed corpus, illuminat; & communis illa lux, qua reliqua animantia fruuntur, non hominum uitam continet: hæc eſt, inquit ipſe Dominus, uita æterna, ut cognoſcant te Deum uerum. Io.17. Hanc autem Dei notitiam non Solis, aut Lunæ, ſplendor tradit, ſed Verbi Diuini claritas mentibus puris elargitur. Qui igitur mortẽ extimeſcit, & ſempiternæ uitæ cupiditate flagrat, flagitia deteſtetur; vt animi puritatem conſeruet, ſummo ſtudio elaboret; vt ſic tandem lucem illam accipiant, in

qua veriſsima vita conſiſtit. Vt enim corpus terſum, radiis Solis oppoſitũ, ita collucet, ut ipſius Solis imaginẽ vibrãte lumine referat, ſic animus purus, & integer, in diuinæ mentis ſplendorem, intentus, ita colluſtratur, vt Diuinam ſpeciem repræſentet. O miſeras hominum mẽtes, o pectora cæca, inquit Lucretius. Cõqueritur deinde de tenebris, in quibus hominum vita ſponte ſua verſatur. Quanto rectius nos, qui per fidem luce Diuina fruimur, de hominum cæcitate conqueri poſſumus. Ille enim, cum Deum ignoraret, erat ætris tenebris, & horrẽda caligine, demerſus. Nimis igitur ſtulte aliorum cæcitatem lamenrabatur, cum ipſe nimis exſecranda cæcitate laboraret. Nos igitur, nos, qui verſamur in luce, qui cæleſtia contuemur, quamuis non perfecte noſtro officio fungamur, de multorum furore, & amentia, conqueri iure poſſumus. O miſeri mortales, quis mortem non exhorret? Quis non ardentiſsimo vitæ deſiderio tenetur? Quis non illata interitus mentione contremiſcat? Quis non, vt ſtatum ſuum conſeruet, labores immenſos ſuſcipit? Si mortem igitur extimeſcitis, & vitæ cupiditate flagratis, cur vitam fugitis; cur in peſtem ruitis? cur lucem odio habetis? cur vos in tenebras furibũde proiicitis? tantum ne vos odium vitæ tenet, vt eam per ſummum dedecus profundere velitis? non enim eſt ea hominum vita, quę corporis, & animi, iunctione, ſed quæ mentis Diuinæ præſenti numine, continetur. Corpus enim, cum ſit mortale, & caducum, interitum vitare nequit, & in ſe quotidie vim, & acerbitatem, mortis experitur. Nam & langueſcit in dies, & morbis frequenter opprimitur, & nũquam a metu, & ſollicitudine, conquieſcit. Mortis enim ipſius complexu circumplicatum, paulatim decerpitur; vſque eo, dum extremo exitio, & interitu, conſumatur. Animus igitur eſt, animus eſt, qui viuit, & viget, & ſentit, veriſsimaq. felicitate perfruitur, quamdiu eſt Verbo Domini amoris fœdere coniunctus. Quod ſi hæc vita eſt, quæ Verbi Diuini fœdere continetur, illa certe mors eſt horribilis, atque pertimeſcenda, quæ Diuinæ lucis abſceſſu conficitur. At, quot malis tunc miſer animus oppreſſus occumbit? Cum enim Verbum, veriſsima ſapientia ſit, qui ab eo diſiungitur, mentem amittat opus eſt, & furoris extremi ſtimulis agitetur; cum vita ſempiterna ſit, qui ab eo diſsidet, morte miſerãda conficitur; cũ lux Diuina ſit, cum primũ animus ab eo diſsidet, tæterrimis tenebris obruitur. Quid igitur miſerius eſſe poteſt, quam furoris immanitate cruciari, mortis acerbitate conſumi; & tenebris denique ſepeliri? &, cum ſimus ad ſapientiam nati, & ad vitam ſempiternã auocati, & luce delectemur, & tenebras horreamus, furiis tamẽ volumus vexari, mortis impetu lacerari, vera luce deſtitui. inde adeo fit, vt homines, cũ cæci ruant in tenebris, quo magis, vt beati ſint, omnibus modis enituntur, eo furentius ſe ſe in miſeriã ſempiternam iniiciant. Quid furis, miſer homo? Quin inſanis? Veritatis inueſtigandæ ſtudio flagras, & erroribus turbulentis opprimeris: vitam ſumma cura, & ſollicitudine, tuendam cenſes, & in mortem ſempiternam properas: lux te mirifice delectat, & in eo contendis, vt tenebris ſempiternis obruaris. Quid eſſe cauſſę dicam, cur te ipſum tam acerbo, & immani, odio perſequaris? cur tibi ipſi peſtẽ ſempiternam compares? dicam, te fidem oraculis Diuinis abrogare? dicam, te non credere verbũ, quod erat, & eſt, & erit, apud Deum non eſſe patris ſapientiã, non eſſe perennẽ, & inexhauſtum, vitæ fontem, non eſſe lucẽ ſempiternam. Non audeo id quidem. Chriſtianus enim es, & eam diſciplinam profeſſus es, eoq. te ſacramẽto obſtrinxiſti, vt nihil tibi firmius credendum ſit, quam id, quod eſt tibi diuinis oraculis enuntiatum. Si igitur credis, cur moribus, & inſtitutis, cum hac fide perpetuo pugnas? cur eam iacere pateris? cur, veterno peſtifero conſopitus, in interitum ſempiternum te detrudi ſinis? Salus tua in fide nõ languida, aut otioſa, ſed vigente, aut laborioſa, cõſiſtit. Eã igitur ſi langueſcere, & ſocordia torpere, permiſeris, nihil te iuuabit Chriſtianum nomẽ; immo, quo nomẽ illuſtrius, & clarius, eſt, eo vehemẽtius cruciaberis. Ad alia enim crimina nõ mediocris ſcelerum, & flagitiorum, cumulus, ex nomine, quod vſurpas indigne, quod uiolas nefarie, quod dedecore afficis, impudenter accedet. Hoc ſummus ille Dominus prohibeat, qui nos finxit, & informauit, qui nos cæleſtibus diſciplinis erudiuit, qui nos admirabili notitia ſui numinis inſtruxit, qui nos morte ſua a ſempiterna peſte redemit. Illum igitur oremus, & obteſtemur, per illam immenſam benignitatem, qua nos diuinæ lucis participes effecit, ut hanc fidem noſtram inuicto robore confirmet, ut, hoſtium impetu repreſſo, & bellis omnibus feliciſsime profligatis, omnem uitam noſtram ad gloriam illius dirigamus, & ſalutem conſequamur.

# ORATIO II.

*Et lux in tenebris lucet.* Narrat Moſes, naturam vniuerſam in principio fuiſſe tenebris vndique circumfuſam. Et tenebræ, inquit, erant ſuper faciem abyſsi. Cum igitur denſa caligo illam rerũ congeriem, & naturæ confuſionem, obduceret; cũ ventus vehemẽtiſsimus immanes fluctus attolleret; cum calida cum frigidis, leuia cũ grauibus, mollia cum duris, humida cum ſiccis, aſperrimum certamen inirent, lux repente, iuſſu Diuinæ mẽtis exorta, caliginẽ diſcuſsit, & pacem cõpoſuit, & vim vitalem, atque ſalutarem, rebus conditis impertiuit. Inde namque locorum diſpoſitio, dierum, atq. noctiũ, diſtinctio, aquarũ partitio, initiũ habere cœpit. Quædam enim pars humidæ naturæ in ſuperas ſedes elata fuit; pars in terrarum voragines impetu defluxit, vt tellus, modice tepefacta, e fluctibus emineret, &, ipſius Diuini verbi iuſſu, arboribus, atq. plantis, ornata, cũctis animantibus fruges, atq. pabula, large profunderet. Lux igitur illa naturã vaſtam, & tenebricoſam, & mæſtitia ingenti cõtractam, horribili ſpecie deformẽ, atq. prorſus inutilem, illuſtrauit, & exhilarauit, & ornauit, illiq. fecũditatem dedit, qua formas innumerabiles ex ſe, præſcriptione Diuina, procrearet. Lucis igitur ipſius primæ, quæ tunc in horrendis illis tenebris eluxit, opera, & miniſterio, ordinis, cultus, & ornatus, & elegantiæ, fundamenta iacta ſunt. Illa namque tætram caliginem diſsipauit, frigus exterminauit, calorem vitalem impertiuit, confuſa diſcreuit, atq. res ſingulas, ab illa confuſione ſegregatas, in ſedibus propriis, vt vniuſcuiuſq. forma poſtulabat, aptiſsime collocauit. Primus igitur ille lucis ſplẽdor, qui ex Verbi Diuini numine, & e magnitudine immenſæ probitatis, emicuit, omnibus rebus ab initio cõditis, vitæ, ſalutis, pacis, & incolumitatis, cauſſam attulit, omneſq. formas ornamẽtis innumerabilibus expoliuit. Si igitur lux illa, quę lumẽ terris porrigit, & ad corpora, quæ ſunt interitura, diffunditur, tãtas vtilitates rebus humanis intulit, vt in ea videatur omnis cõmunis vitæ ratio conſiſtere; quid de illa exiſtimandum eſt, quæ mentes ad Dei imaginem factas illuminat, ornat, incendit, opibus auget, præſidio cingit, atq. poſtremo Diuini ſtatus ſplẽdore lętificat? Lux enim Solis, minutiſsimis etiã animantibus datur. Hæc autem, animis ad effigiem Diuinæ pulchritudinis informatis, admirabili benignitate conceditur. Illa, quamuis excellens ſit, in multis operibus Verbi Diuini numeratur; hæc autem eſt ipſius Verbi Diuinus ſplẽdor, omnia vi, atque poteſtate, infinita conficiẽs. Illa qui fruuntur, mortẽ vitare nequeũt; hac qui illuſtrantur, mortis impetum facillime propulſant. Illius iuſſu, actionum humanarum moderatio cõtinetur; hac autem, ſempiterni decoris elegantia, & immortalis gloria, cõparatur. Merito igitur Iſaias Eccleſiæ, Iſa.60. de tanto munere, & beneficio, maxima voce gratulatur, inquiẽs, Nõ erit tibi Sol amplius ad lucendum per diem; & ſplendor Lunę nõ illuminabit te, ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Hæc igitur lux, qua prædicit Iſaias, Eccleſiã Chriſti mirabiliter illuſtrandam, eſt vera lux hominum, quæ ſola veram vitam moderatur. Illa namque, falſa viſa deſpicimus; veritatem ardenter amplectimur; opes inanes negligimus; veras ſingulari ſtudio conſectamur; voluptates futiles, atq. noxias, repellimus; ſtabiles, atq. ſempiternas, exquirimus; in omni deniq. vitæ ratione mendaciũ fugimus, vt veriſsimę ſapientię luce perfruamur. Sed, quo modo lux in tenebris luceat, videamus. Nũquid aliquod eſſe poteſt tenebris cũ luce commerciũ? Nullo modo. Dicitur tamen lux in tenebris lucere, quia expellit caliginem, atque facit, vt tenebricoſa loca clariſsima luce compleantur: quemadmodum noſter Paulus ait: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Eph.5. Et alibi inquit, Omne, quod illuminatur, lumen eſt. Nõ potuit magis eorum claritatem, qui in tenebris verſabãtur, & Diuinæ lucis acceſſu collucent, quam ipſo nomine Lucis, amplificare. Quod autem eſt, quod continuo ſequitur? Ait enim:

*Et tenebrę eam non comprehenderunt.* Cũ tenebræ nimis dẽſæ ſunt, ſic luci repugnãt, vt neq. Solis radios admittãt. Vt igitur lux poſsit in corpus tenebris oppletũ penetrare, opus eſt, vt corpus ſit rarũ, atq. natura pellucidum. Aliter.n. lucẽ nõ capiet. Aer, exorto Sole, facillime collucet; ſupficies aquarũ radiis albeſcit, & vibrat; earũ profunditas tardi' illuſtratur. Quod autẽ eſt in terrarũ penetralia demerſum, tenebris ſempiternis obruitur. Ad eundẽ igitur modũ, mẽtes humanæ, quæ nõ ſunt maximis vitiorum molibus obſtructæ, facile lucẽ recipiunt; quæ vero maioribus ſunt oppreſſæ flagitiis, ſunt tamẽ aliquo pacto ad veritatis diſciplinã dociles, non perpetuo cum luce certamen ineunt. Illæ vero, quæ totæ ſunt in cupiditatis impuriſsimæ dominatu, tardiſsime ſplendorem diſciplinæ percipiunt; quæ vero diuturna peccandi conſuetudine pudorẽ amiſerunt, & in ſcelere prorſus obfirmatæ ſunt, & dicunt Deo, Abſcede a nobis, lumen enim viarum tuarum volumus, cum ipſam lucem odio immani perſequantur, quo tandem modo poterunt, lucem, quam fugiunt, contempla-

ri? Deus enim huius ſæculi, vt Paulus ait, excæcauit mentes infidelium, ne fulgeat eis Euangelium pacis. Deus huius ſæculi, eſt auaritiæ immanis ſtudium; eſt libidinis infinitæ dementia; eſt ſuperbię minime ferendæ faſtidiū; eſt poſtremo princeps tenebrarum, qui imperiū tenet, in eos, qui a fidei ſanctitate fœdiſsimis factis abhorrēt. Hæ ſunt tenebræ, quę nullo modo lucem comprehendunt. Omnes quidem mortales in tenebris verſantur, quādiu hæc lux in eorum animis non ſplendet. Sed alios auertit a luce acerbiſsimum ipſius lucis odium, alios vero diffidentia. Odium quidem ſanitatem contemnit, omnem medicinam aſpernatur, & cum ſalute bellum inexplicabile gerit. diffidentia vero, diuerſa ratione lucem repudiat. Qui enim ſenſibus omnia metiūtur, nihil omnino credere volunt, niſi quod ſenſibus obiectum eſſe vidēt. Vera autē bona non ea ſunt, quæ corpore, ſed quę mēte, capiuntur, ea porro, immortalia, atq. Diuina, ſunt. humani vero ſenſus bona Diuina nō capiunt. Opus eſt igitur fide, ſine qua nemo poteſt Deo placere, vt bonis Diuinis, ipſius Dei benignitate, cumulemur. Hæc autem fides, quæ neceſſaria eſt ad ſalutē, bonorumq. omnium affluentiam, non ortum habet a ſenſibus, ſed a cæleſti diſciplina. Clemētiſsimus igitur Dominus, qui omnes homines ſaluos eſſe vult, vt omnes participes ſempiternę felicitatis efficiat, quā ſine fide conſequi nemo poteſt, omnes iam ad fidem immenſæ benignitatis excitauit, & operibus primum naturæ, deinde hominum Diuinorum opera, eam in multorum animis inſeuit, ne videlicet diffidentia a ſe bona ſempiterna repellerent. Hortando igitur, & monendo, diſciplinis erudiendo, ſignis mirabilibus excitando, fidem ſanxit, & illos, qui diſciplina minime repugnarunt, eo perduxit, vt intelligerent, omnem vitæ rationem eſſe in Diuina clementia collocandam. Cum vero maiora promiſſa maiorem fidem requirerent, nullumq. Dei promiſſum magis eſſe poſſet eo, quo Deus ipſe fidem dedit, filium, ſuę claritatis imaginem, in terras eſſe venturum, vt ſub vera hominis forma humani generis ſcelus expiaret, & homines muneribus, & ornamentis, Diuinis afficeret, factum eſt, vt huius fidei ſalutaris ſumma in eo cōſiſteret, vt nemo tandem, qui ſaluus eſſe vellet, de tanto beneficio dubitaret. At, cum animi natura ſint minuti, & anguſti, & ea de cauſſa nimis increduli, opus fuit, vt hæc fides multis prædictionibus, multis ſignis, atq. prodigiis, multis myſteriis, atque ſacramentis, firmaretur, ne Diuina beneficia, propter hominum in fide nutantium imbecillitatem, illis interirent, qui ad tantas opes fruendas inuitādi erant. Fuit igitur a principio fœdus a Deo cum patribus ſanctis, ſingulari religionis ſāctitate, percuſſum: fuit deinde fœdus ipſum legis ſanctionibus, atque ſacramentis, mirifice confirmatum: fuit deinde, opera Diuinorum hominum, longe clarius explicatum, ita, vt nihil fuerit prætermiſſum, quod ad fidem confirmandam aliqua ex parte pertineret. Et, quia inter natos mulierum nullus exſtitit maior Ioanne Baptiſta, (ipſe namque omnes Diuinorum hominum virtutes, non ſolum complexus eſt, verum etiam, vt Dominus ipſe teſtificatur, ſuperauit) par fuit, vt eo tempore, quo maior fides erat exigenda, (ſummum enim bonum, a lege, & prophetis, olim prænuntiatum, appropinquabat) maximus omnium propheta fidem vehementius confirmaret.

***Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Ioannes. hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine.*** Si homo eſt imago Dei, ſi Dei imago cernitur in iuſtitia, & ſanctitate veritatis, ſi nemo fuit inter homines ſanctos Ioāne ſanctior, muneribusq. Diuinis ornatior, efficitur plane, nomen hominis in illum maxime conuenire. Sed, vt magis illius dignitas eluceſcat, adiungitur, Miſſus a Deo. Reges, & Principes, cum aliquem domeſticum, & familiarem, deligunt, cui munus aliquod amplum committant, plurimum illi, cui aliquod ſingulare munus delegarunt, dignitatis adiungunt. Nemo enim credit, fieri poſſe, vt aliquis a magno Principe deligatur, cuius fides, atque prudentia, parum explorata, & cognita, ſit. Principes tamen in hominum delectu turpiſsime decipi, atque falli, conſpicimus. aut enim imprudentia labuntur; aut importunis allegationibus in errōres inducuntur. Hoc de ſumma ſapièntia cogitari non poteſt. Quid igitur ad dignitatem amplius eſt, quam a Deo mitti? Cum tamen multi ſancti homines a Deo miſsi fuerint, videndum eſt, num munus, Ioanni commiſſum, eorum munera ſuperarit. Cuius igitur cauſſa a Deo miſſus fuit? Num, vt legem denuo promulgaret, quæ homines non ſanauit, ſed exterruit? Num, vt maleficis, & iniuſtis, extremum ſupplicium, abſque vlla ſpe clementiæ, denuntiaret? Non profecto: ſed, vt teſtimonium perhiberet de Verbo Diuino, de vita ſempiterna, de luce immenſa, qua ſalus, dignitas, amplitudo, gloria immortalis, hominum contineretur, atque, vt vno verbo dicam, homo mortalis immortalitatis auctori Diuinitatis teſtimonium daret. Cernite, quanta fuerit auctoritas huius Diuini viri, a qua nempe ſummus, atque ſempiternus, rerum omnium Dominus, numinis ſui teſtimonium requiſiuit. Quantum ad hominis excelſi dignitatem attinet, cernere plane licet, ad Ioannis decus, & ornamentum, illi ex hac legatione, & teſtimonio, tributum, nihil accedere potuiſſe. apparet tamen, ipſius ſummi Domini dignitatē fuiſſe aliqua ex parte deminutam. Deus, vt ab homine ſuæ virtutis infinitæ teſtimoniū requirat? Dominus rerū omniū, vt ſerui oratione commēdari velit? vt deniq. enixe

operam

operam det, vt laudes ſuæ humano præconio celebrentur? Nihil fieri poſſe videtur indignius. Sed, qui rem æquis ponderibus examinauerit, intelliget profectò, nihil fieri potuiſſe, aut ad hominum ſalutẽ vtilius, aut ad probitatis Diuinæ gloriam celebrandam illuſtrius. Quo modo? Quia non poteſt ullo modo in principio ſaltem humanæ mentis imbecillitas Diuini luminis ſplendorem ſuſtinere. Vt enim, qui e tenebris Solem recipere nititur, & in illius claritate intuenda nimis immoratur, adſpectum amittit; ita, qui ſubito in radios Diuinæ lucis mẽtem ſupra modum intendit, magnitudine ipſius lucis obruitur, vſque adeo, vt in furorem, & inſaniam redigatur. Fuit igitur neceſſe, vt aliqua tandem ratione, quantum in hac vita licet, poſſent homines Diuina cernere, lucem aliquam prius ſubobſcuram intueri condiſcerent, antequam in Diuinę lucis adſpectum ducerentur. Nam, vt in eodem ſimili verſer, quemadmodum illi, qui diutiſsime vincti in tenebris iacuerunt, ſi repente fuerint e tenebris emiſsi, vt eam lucem, qua homines ſolnti, atque liberi, fruuntur, adſpiciant, nihil omnino vidẽt, & horrenda caligine cõturbantur; ſic, qui, ex errorũ communium tenebris emerſi, in ipſa veritatis luce oculos nimis defixos habere conãtur, ſæpenumero in errores maiores incidunt, & exſecranda cæcitate laborant. Eſt igitur neceſſe, vt homines in vmbris aſſueſcant lucem adſpicere, & in ſedes ſubluſtres oculos intẽdant; vt ita, ſenſim, atque leniter, exerciti, ad lucis tandem fructum, abſque cæcitatis diſcrimine, perueniant. Hac igitur ratione Deus Prophetas ante miſit, quam ipſe in terras adueniret. Illorum enim claritatem homines ſuſtinere poterant. Ipſius vero Diuinæ lucis claritatem ſuſtinere nõ poterant. Vt igitur, qui Solẽ videre cupiunt, illius ſpeciem vel interſis ſpeculis, vel in aquis pellucidis, contemplantur; ita, qui Dei pulchritudinem, & probitatẽ, intueri deſiderat, opus eſt, vt prius illius ſimilitudinẽ in Diuinorum hominum virtute cernat, quam in ipſius Diuinæ lucis ſplendore oculos ſine diſcrimine vitæ coniiciat. Hoc igitur conſilio ſummus Dominus Prophetarum teſtimonium requiſiuit; eadẽ prouidentia, ſignis, prodigiis, ſacramentis, imaginibus, fœderibus, prædictionibus, olim frequenter humanum genus erudiri voluit, vt, cum vera lux ab hominibus cerneretur, poſſent homines, abſque vllo periculo, colluſtrari. Vt igitur Dominus nobis cõſuleret, non vt dignitatem ſuam probaret omnibus olim prophetis, deinde omniũ prophetarum maximo teſtimonium denũtiauit, in quo maximum ſuæ probitatis documentum conſtituit, cum nullo modo, propter ſe, ſed propter noſtram ſalutem, hominis ſanctiſsimi præconio commendari voluit. Non igitur in Ioannis teſtimonio fuit aliqua ex parte dignitas ipſius Domini deminuta, immo multo vehementius amplificata. Sed ad ipſius Ioannis munus, & officium, reuertamur. Sequitur deinde:

*Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine.* Quid ais, Diuine vir? Ioannes non erat lux? Num mediocris ſplendor ex virtute illius emicuit? Num obſcurum lumen hominibus præferebat? Num parum magna claritate deſertam illam ſolitudinem illuſtrabat? Quo modo igitur lux ille nõ fuit, qui tam admirabili ſplendore fuis, qui in tenebris verſabantur, illuxit? Non nego, inquit, lucem fuiſſe. Sed illam ſummam, atque veriſsimam, lucem, qua omnes animæ beatiſsimæ collucent, quæ erat in principio apud patrem, quę condidit, atque conſtituit, vniuerſa; quæ cælum lumine ſalutari complet; & ex qua, tamquam ex perenni, & immenſo, fonte, vita hominum continenter emanat. Hæc lux Ioannes non erat. Nõ enim erat imago patris ſempiterna; non erat ſplendor infinitæ claritatis, abſque vllo temporis initio ab immenſitate ſempiterni ſplendoris exoriens.

*Erat (inquit) lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Omnes, inquit, qui in hanc vi●m ingreſsi ſunt, & illuminati fuerunt, hac luce vera illuminati fuerũt. Enuntiatio enim vniuerſa prolata, ad illud tantum genus hominum accommodanda eſt, in quod conuenire poteſt. Cõſtat, inquit, multos in hac vita fuiſſe veriſsimæ virtutis ornamentis excultos, & iuſtitiæ ſplendore mirabiliter illuſtratos, quos tamen omnes aſſerimus, & teſtificamur hac luce perfuſos fuiſſe. Aliter enim in perpetuis tenebris iacuiſſent. Sed quærẽdum eſt, cur Dei filium lucẽ veram appellat, quaſi reliquæ luces, veræ luces non fuerint. Quia ſola hæc, naturalis, ſolida, atque ſempiterna, fit: non eſt qualitas inhærens; nõ cedit vllis tenebris; nullis malis exſtinguitur; non aliunde profluxit, ſed ab illa omnis ſplendor, qua mentes hominum collucent, exoritur. Vera igitur appellatur, quia non aliunde promitur, quia ſe ipſa nititur, quia ſtabilis, & immenſa, eſt, quia illius claritate omnes, qui luce fruuntur, huius lucis veræ participes facti ſunt; & iccirco ex erroribus innumerabilibus emerſerũt. Omnes quidem potuiſſent eadem luce potiri, ſed eam multi odio immani perſecuti ſunt; parentis optimi beneficia reſpuerunt; conditoris ſummi lumen a ſe nimis ingrate, & impie, repulerunt. Quod ſcelus vt exaggeret Ioannes, ait:

*In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eũ non cognouit.* Elegãs certe denominatio, & admodũ cõcinna nominis crebriꝰ iterati repetitio, qua generis humani ſcelus exponitur. Per Mundũ. n. hominũ genus intelligit, ita rebus terrenis affixũ, vt cæleſtia, atq. Diuina, nõ cogitet. Atrocitatẽ porro facinoris explicat, dũ ſępius idẽ nomẽ vſurpat. Ait igitur,

Mundus mundi parẽtem,& Dominum, cuins beneficio conditns,ornatus, & conſeruatus, & donis innumerabilibus cumulatus exſtiterat, neglexit, cõtempſit,imperium illins pro nihilo duxit. Crimẽ ingens,ſcelus nefarium, facinns maxime omnium exſecrandum, niſi aliud crimen longe ſceleſtius in terris exſtitiſſet, ad quod hoc comparatum multo leuius exiſtimari poteſt. Quale tandem illud fuit? Sequitur continuo:

*In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Qnid eſt autem, quod dicit, In propria? Num Dominus, qui cælum, & terram, poteſtate infinita complectitur, aliquid ſecretũ, & ab aliorum poſſeſsione ſeiunctum, habuit in bonis, quod præcipne hereditatem, atque patrimonium, ſingulari iure nominaret? Si de dominatu quæris, imperium illius nullis eſt terrarũ terminis definitum. Si de beneficiis interrogas, exploratum eſt, illum ex omnibus gentibus vnam ſelegiſſe, quam muneribus ſummis afficeret, & opibus egregie locupletaret. Hebręũ namque genus, ſanctiſsimi patris ſatu genetatũ, a reliquorum hominũ communione ſegregauit, quod religione puriſsima conſecraret, quod ſibi ſacroſancto fędere deuinciret; quod ſapiẽtiæ muneribus excoleret, quod præſidio cæleſti circũſæpiret, quod gentibus vniuerſis anteferret, quod ad Chriſti cognitionẽ promiſsis, effatis, myſteriis, prædictionibus, excitaret. Singulari igitnr ratione Dominus illũ populum, quaſi agrũ admirabili diligẽtia cultũ, & tamquã hortum, in quo ſe frequẽter oblectaret, omnibus plantis ordine ſummo cõſitum, nomine propriæ hereditatis, & fundatiſſimi patrimonij, nobilitandum inſtituit, apud quẽ diuina myſteria collocaret. Sed, quo maior, atq. profuſior, fuit in illũ Dei benignitas, eo perfidiæ ſcelus immanior exſtitit. O portẽtum, atq. prodigiũ, nullis piaculis rite procurandũ. Non ſolum.n. Dominũ, a quo fuerat in tã alto gradu locatns, ingrate, & impie, deſpexit, ſed etiam in illum crudeliter inuectus eſt. Qnibus igitur verbis tãtum, & tam immane, ſcelns explicari poſsit, nõ reperio. Tu parentẽ vitæ tuæ; tu libertatis tuæ vindicem; tu dignitatis tuæ patronũ; tu præſidium illud inuictũ, quod a te omnia ſumma pericula propulſabat, expelles, & eiicies? tn ſummi, atq. ſempiterni, Domini, cuius ſolo nutu natura vniuerſa cõtremiſcit, imperiũ recuſabis? tu leges illius ſanctiſsimas, quibus te ſãctiſsimo fœdere adſtrinxiſti, impudentiſsime proculcabis? tu beneficiorum innumerabilium memoriam ſceleſtiſsima obliuione conteres? tu poſtremo dirum, & exitiabile, bellũ, contra ſummũ cæli rectorẽ, cõparabis? Quid de te fiet, cũ illum parẽtem optimũ, & defenſorem acerrimum, cuius ſolius ope nixus, omnia bella contẽnebas, hoſtem infeſtiſsimũ tibi ex aduerſo cõſtitues? Furore igitur tuo ſalutẽ tuã prodidiſti; te ex ſummo dignitatis gradn in infimas baratri ſedes detruſiſti; teq. præcipitẽ in ſempiternæ miſeriæ regionem deieciſti, ignibus ſempiternis excruciandũ. nec enim vllis ſæculis poterit ſatis pro merito in tanti ſceleris atrocitatem vindicari. Sed, dũ Indæorum caſum recogito, acerba ſane recordatio perculit animũ meum, neq. me mediocri vulnere ſauciauit. Cur enim in Indæos innehimur? Cur eorũ ſcelus inſectamur? In propria, inquit Ioannes, venit, & ſui eum nõ receperunt. Propria hereditas Dominũ excluſit: ſerui admodnm liberaliter habiti perfidioſe eundẽ Dominnm repulerunt, & beneficia contumeliis ingratiſsime cõpenſarunt. Quod ſi tantum ſcelus eſt in ingrati animi crimine ponẽdum, vt, qui illo fuerint adſtricti, merito ſint cruciatibus ſempiternis puniendi, &, quo plura, atq. maiora, beneficia ſunt, eo ſcelus eſt magis exſecrandum, atqne pertimeſcẽdum; quid de nobis fiet, ſi in multa, atque tam præclara, beneficia ingrati fuerimus? Irritam, inquit Paulus, faciens legẽ Moſis, abſq. vlla miſeratione, duobus, aut tribus, teſtibus, moritur: quãto putatis maiora mereri ſupplicia, qui filiũ Dei conculcauerit, & ſanguinẽ teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui ſancto contumeliam fecerit? His verbis nos Paulus exterret, & admonet, vt non tam aliis miſeriam, in qua, propter perfidiã, verſantur, inſultemns, quam ſimile exẽplum impietatis horreamus. Nec.n. beneficia olim Hebræis attributa, ſunt cum illis, quæ accepimus, vlla ex parte conferẽda. Illi, Moſis ductu, e Pharaonis tyrannide liberati fuerunt; nos, Chriſti præſentis numine, ſumus e Dæmonis infeſtiſsimi dominatn in libertatẽ vindicati. Hoſtes inſequentes fuerunt tũc gurgite maris abſorpti; noſtra vero ſcelera, quæ ſempiternã nobis mortem afferebãt, in profundo demerſa. Illos ros in aere cõcretus inſolita ſalutaris cibi forma ſatiauit; nobis epulum cęleſte e cęlo demiſsum, ad ſempiternæ vitæ firmitatẽ, & iucnndiſsimæ voluptatis ſtabilitatẽ, appoſitum. Illorum ſitim aquæ e petra profluentes ad breue tempus exſtinxerunt; ad noſtram ſitim perpetuo reſtinguẽdam Spiritus ſancti gratiæ infuſæ perennitas continenter emanat. Illi brutorũ animantium ſanguine labes, vt ſibi quidem videbantur, expiabant; nos, Chriſti ſanguine, pro nobis in Cruce profuſo, patris numen, cum admirabili fructu, placandũ ſuſcipimns. Illi adumbrata Paſchæ ſollẽnia, cum ſollicitudine celebrabant; nos Paſchæ feſtos dies agitamus, & veriſsima ſacra cum ſumma iucunditate conficimus. Quid hic varias oblationes, & libamina, tam inutili ſtudio procurata, cõmemorem? Quid multiplices luſtratioues, & piacula, cũ cęrimonia, nimis anxia oratione perſequar? Dies me certe deficeret, ſi omnes adumbratæ illius ſãctitatis, quæ illis ſalutẽ minime conferebãt, rationes recẽſere vellẽ. Vmbras enim, & imagines, pro tempore illo, rerũ cæleſtium

ſtiũ cõtinebant;mẽtes vero,flagitiorũ pondere depreſſas,minime ſubleuabant.Hoc igitur tantum dicam. Cum in illis antiquis beneficiis,olim Iudæorum genti præſtitis, imaginẽ veritatis adũbratam videamus; in illis vero, quæ accepimus,ipſius veritatis ſpeciem clariſsimam clare cernamus; quantum vmbra corpori, imago veritati,lucernæ ſubobſcurũ lumen clariſsimo Solis ſplendori cedit,tantũ illa beneficia illis inferiora eſſe, quæ nobis immenſa Dei benignitate tribuuntur. Si igitur illi, qui multo minora beneficia contempſerunt, acerbiſsimo ſupplicio mactati ſunt; quid nobis patiendum erit, ſi Dei filium loquẽtem deſpexerimus;legem ſalutarem, atq. ſempiternam,ſancientem,irriſerimus; fœderis ſanguinem,quo ſumus abluti, noſtris ſordibus, quantum fuerit in nobis,polluerimus; & in Spiritum ſanctum contumelias intorſerimus?Dei enim filium deſpicimus,cum imperium illius recuſamns; ludibrio illum habemus,cum illius iura Indibundi perfringimus; illius ſanguinem polluimus, cum ſanctitatẽ, illius beneficio partam,nefarie violamus; in Spiritum ſanctum contumelias iacimus,cnm noſtras libidines illius vocibus anteponimus. Sed dicet aliquis, Iudæis non tanta ſupplicia, propter antiquæ legis contemptum, fuiſſe conſtituta, ſed quia oblatam lucem minime receperunt. Recte mones. Quid nos interim facimus?Non eorum veſtigiis inſiſtimus,cum Euangelij lucem, & claritatem,fugimus?cum flagitiorum tenebras conſectamur? numquid non conſtituit in nobis Dominns hereditatẽ ſuam?non in nobis templum ſnum exſtruxit, & conſecrauit? At nos & hereditatem illius diſsipamus, & templum violamus, & bellum tætrum, & impinm,cũ illius lege ſuſcipimus. Quoties enim inſolentius efferimur, cum illius Domini,qui formam ſerui geſsit, humilitate decertamus. Quoties in fratres noſtros (Fratres enim noſtri ſunt, qui eodem ſpiritu geniti, & conſecrati ſunt) furenter incurrimus,contra Chriſti clementiam, & benignitatem, arma ſcelerata corripimus; quoties ſordibus inquinamur, & in ſeruitutem libidinis abducimur, toties nefarium bellum contra puritatem, Chriſti ſanguine partam, impudentiſsime comparamus. Tũc igitur Chriſtum non recipimus, lucem oblatam repellimus,Iudæorũ ſcelus imitamur, & in idem ſceleris exemplum, quod exſecramur, incurrimus.Quod ne fiat,fratres mei,omni cura,ſtudio,vigilantia,ſollicitudine,præcauete.Chriſtũ ardenti fide recipite;in luce illius verſamini; impuritatis contagionẽ fugite;abſcedite, abſcedite;pollutum nolite tangere, qui fertis vaſa Domini. Sæpenumero veniat vobis in mentem illius infinitæ clementiæ,qua e tenebris in lucem, ex peſte diriſsima in ſalutem, ex ignominia ſempiterna in ſempiternam gloriam,conuocati fuiſtis. Cum igitur ſitis ad immortales opes euocati, ne eas omnes per ſummum ſcelus effundere properetis, & ita in exitium ſempiternum vos præcipites eijciatis.Hoc vos orare,& obſecrare, & obteſtari,perpetuo non deſiſtam, per Chriſti ſanguinem, quo vos redemit, & expiauit, & patris numen placare non intermittit. Quod certe propitium habebitis, ſi vos ipſi vobis miſericordiam tribuere volueritis.

# ORATIO III.

*Votquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Vidimus,fratres,quantus fuerit furor, & immanitas, eorum, qui lucem non receperunt. Tenebris enim diriſsimis ſepeliri maluerunt,quam radiis Diuini ſplendoris illuminari. Nunc conſequens eſt,vt videamus, quam florentes,& quam beati,ſint illi,qui lucem ipſam,ſummæ felicitatis effectricem, gratiſsimis animis amplexati ſunt. Scio, quam arduum, & difficile, ſit, de eorum dignitate loqui.Non enim orationis humanæ facultas ornamenta Diuina conſequitur. Conabimur tamen,ope Diuina freti,tanti decoris amplitudinem aliqua ex parte in oculis, & adſpectu,proponere,vt & veriſsima dignitas debitis laudibus,quantum licuerit, ornetur, & ipſius gloriæ cupiditas in animis veſtris acrius incendatur.Nam,quid amplius,quid magnificentius,quid ad mirabilius,fieri poteſt,quā, homines Deos fieri? Qui enim Dei filij facti ſunt, quodammodo Diuinitatem conſecuti ſunt.Quod quidem miraculū,vt melius,quantum ſit,cerni poſsit,conſentaneum eſt,vt,qui fuerint homines, antequam ad tantum honoris gradum euecti ſunt, memoria replicemus.Homine certe nihil miſerius fingi,mente,& cogitatione,poteſt. Nam in ſumma vitæ breuitate,& virium imbecillitate, infinita cupiditate flagrat.Icirco multa conatur;aſſiduo labore conteritur;ſæpiſsime fruſtra contendit. ea enim,quæ cupit, raro conſequitur; & ex his,q̄ aliquañdo poſt multos labores conſequitur, nullum ſolidum fructum capit. Nā neque leuatur curis, neque liberatur morbis, neque ab aſsiduo metu, & ſollicitudine, conquieſcit: numquam expletur illius animus; neque diuitiarum ſitis extinguitur: itaque ſemper eget, & in doloris acerbitate verſatur.Sollicitudines illum vexant; morbi conficiunt; dolores excruciant; mortis terrores exanimant. Si pauper, & humilis eſt, eorum inuidia,quos opulentos,& honoratos eſſe videt,intabeſcit. Si opibus affluit, & populari gloria floret, ruinæ formidine conturbatur. quotidianis enim vitæ communis exemplis, animaduertit,homines, opibus,& gloria,florentes,de ſtatu concidere, tantiſq. ruinis opprimi, vt ne veſtigium quidem priſtinæ felicitatis appareat. Non igitur immerito prudentes homines humanæ vitæ condicionem bullæ ſimilem fecerunt. Vt enim ſalientis aquæ bullas frequentes adſpicimus, quæ momento temporis, & intumeſcunt, & euaneſcunt, ita videre licet homines frequenter inflari,& ſubito perfringi; atque, vt marini fluctus attolluntur, horrendoque ſonitu in littora deferuntur, vbi fracti continuo diſsipantur;ita opes,honores,imperia,quæ terrorem multis afferunt, momento temporis obruuntur;&,vt nihil aliud improuiſæ calamitatis interueniat,ipſa certe mors, quæ numquam procul abeſt,hominum dementiam coarguit, eorumq. temeritatem, & inſaniam, clariſsimis argumentis euincit. Quo enim tempore ſtatum ſuum magis ſtabilitum eſſe putant, mors irruit,& inanes cogitationes præcidit, omniaq. vanitatis monumenta diſturbat. In imagine,inquit Rex ille ſapientiſsimus, tranſit homo,ſed & fruſtra conturbatur. Similiter Iſaias ait, Omnis caro fenum, & omnis gloria eius,tamquam flos agri. Exſiccatum eſt fenum,& cecidit flos, quia Spiritus Domini ſufflauit in eo. Idem vir Diuinus facit hominum multitudinem exiguo pulueri, atque adeo inanitati,ſimillimam. Aetas me deficeret,ſi vellem oratione perſequi huius naturæ fragilitatem,angorem,metum, ſollicitudinē, morborum vim,& cruciamenta,quibus homines exeduntur, & conficiuntur,& inopinatis ſæpenumero calamitatibus opprimuntur. Sed modum orationi ſtatuamus, vt eo tandem perueniamus, cuius cauſſa miſeriæ humanæ condicionem oratione perſtrinximus. Quo enim pluribus ærumnis eſt humanum genus expoſitū,eo clarius intelligitur, quantum ſit hoc Dei munus, atque beneficiū, quo humanæ naturæ condicio commutatur, & homines, ex innumerabilibus malis, & calamitatibus, emerſi, in Diuino ſtatu reponuntur. O immenſam Dei clementiam, & infinitam benignitatis amplitudinem,qua humana natura ſtatum fixum, & ſtabilem, conſequitur; imbecillitas ſumma Diuino præſidio confirmatur;mortalis cōdicio,immortalitatis munere fruitur;atque,vt nihil aliud dicā, homo Dei filius efficitur,& in ſocietatem ſempiternæ gloriæ conuocatur. Quid hoc beneficio maius?quid hac cōuerſione mirabilius? quid hoc tam inſigni Diuinæ mentis opere magnificentius?hominem e terra cōcretum,ſordibus inquinatum, flagitiis infamem, ſanctitatis inimicum, repente vocibus Diuinis excitari, omni crimine liberari, ſtudio pietatis inflammari, atque poſtremo Deum fieri? Si enim,qui Chriſtum ardente fide recipit, Dei filius efficitur, Dei nomen quodam modo ſingulari iure conſequitur. Sumus igitur nati, vt Petrus ait,non ex ſemine corruptibili ,ſed ex incorruptibili, ex verbo Dei viui permanentis in æternum:itaque mutatur genus;noua formæ decus inducitur; memoria priſtinæ condicionis abijcitur; honeſtatis Diuinæ gloria retinetur;omnis humana dignitas in ſpeciem

ciem

ciem cæleſtis ſplendoris incurrens obruitur. Hanc vero nobilitatem Ioannes luculenter explicat. Sic enim in hoc ortu corporis humani naturam repellit, vt nihil, niſi Diuinū, & immortale, relinquat, Sic enim ait:

*Qui non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Per Sanguines, ſeminis propagationem ex vxoris, atque viri, congreſſu, atque materiam ipſius generationis, intelligit: Per Voluntatem carnis, libidinem voluptatis, quæ eſt hominibus cum reliquis animantibus communis, ſignificat: Per Voluntatem viri, ſtudium ſobolis propagandę iudicio ſuſceptum, aperte deſignat. Caro enim appetit abſque vllá ratione voluptatem; viri autem conſilium vltra progreditur, & in eo contendit, vt filium generet, ne omnino a morte deleatur, ſed nominis ſui memoriam, cum e vita diſceſſerit, in ſui imagine conſeruet. At in hac Diuina ſobole nihil eſt, quod humana natura ad ſe transferre conetur. Neque enim ſanguis vllam ſibi partem gloriæ vindicabit; neque libido voluptatis huic generationi ſe prorſus admiſcebit: nec humanum conſilium ad ſe cauſſam ortus huius clariſsimi iure reuocare poterit, cum omnia Deus ipſe, gratia tantum ſua, atque Spiritus ſancti numine, & voluntate, perficiat. Is ſolus eſt parens, is altor, & educator, & veriſsimæ voluptatis, atque immortalitatis, effector. Hoc igitur homo, quantumuis alto, & excelſo, animo præditus eſſet, optare auderet, vt Dei filius repente fieret, vt Chriſti frater nominari poſſet, vt denique ad Diuinum ſtatum perueniret, & Diuinitate ſempiterna frueretur? Stupet animus, & mens admiratione defigitur, cum genus hominū, quibus nihil fieri poteſt imbecillius, in Diuino gradu locatum, conſiderat. Sed aliud multo maius miraculum huius magnitudinem minus admirabilem facit. Quod tādem illud eſt? id, quod ſtatim ſequitur,

*Et verbum caro factum eſt.* Quid ais, Diuine vir? Verbum illud, quod erat apud patrem, ab eodem patre, abſque vllo principio, generatum, per quod omnia facta ſunt, quod eſt perenne vitæ fons, & ſempiternæ lucis origo, cuius Diuinum numen angeli colunt, & venerantur, ad cuius nutum vniuerſa natura contremiſcit, ita ſe abieciſſe, vt homo fieri vellet? & immortalitas formam mortalem indueret? illudq. Diuinum robur, ita ſecum humanam imbecillitatem fœdere inexplicabili cōiungeret, vt mortis ſocietatem libentiſsime cum hominibus iniret, atque vt hominibus vitam redderet, neque mortis atrocitatem, aut vllum ſupplicium, recuſaret? Ita, inquit, eſt. Quod vt magis ante oculos ponerē, non dixi, Et Verbum homo factus eſt, ſed, Caro factum eſt. Carnis enim nomen multo clarius naturæ imbecillitatem deſignat. Nec enim ſolum naturam mortalem, ſed mortbos omnes, quibus expoſita eſt ipſa natura, libenter aſſumpſit. Itaque, laboribus vexari, laſsitudine defatigari, doloribus lacerari, metu, & formidine, conturbari voluit, vt hāc imbecillitatem naturæ, quam ſponte ſubiuit, omnibus modis indicaret. Quid faciam, fratres cariſsimi? Quid mihi cōſilij datis? Nam, ne longa oratione vobis faſtidio ſim, valde vereor: & tamen ab huius tanti beneficij conſideratione diuelli vix poſsum. Sed, ne plura poſsim dicere, tanti muneris amplitudo eſt impedimento. Nam neque mens eam cogitatione complectitur: tantum abeſt, vt vlla ratio reperiatur, qua aliqua ex parte tātum beneficium poſsit explicari: reliquum igitur eſt, vt de opere, quod pro dignitate exponere non poſſumus, ſileamus. Summa orationis hæc eſt, vt Deus homo factus ſit, vt nos Deos efficeret; morbis perturbari voluerit, vt nobis morborum immunitatem daret; mortēq. tandem appetierit, vt a nobis mortis impetum Diuina virtute reprimeret. Sequitur deinde:

*Et habitauit in nobis.* Hoc eſt, vixit cum hominibus: in humana natura ſibi tabernaculum collocauit; quod non a loco in locum moueretur, ſed in quo domicilium immutabile ſemper haberet. Tabernaculum enim ſempiternum, in quo Dei filius ſibi ſedem conſtituit, eſt ſanctiſsimum illius corpus, e viſceribus ſanctiſsimæ Virginis aſſumptum, a quo numquam demigrauit. Quærendum tamen eſt, num ita latuiſſet in hoc tabernaculo, vt nullum ſignum inſiti numinis, atque Diuinitatis, oſtenderet. Non inquit Ioannes:

*Vidimus enim gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti a patre, plenum gratia, & veritatis.* Vtitur hoc in loco Ioannes ea loquendi figura, quā multi Traiectionem appellant. Nomen enim Plenum cum nomine verbi coniungitur; & in medio multa inſeruntur. Sic enim ſententia poſtulare videbatur. Sed Ioannis ſententiam explicemus. Non erat ita Diuinum numen incluſum, vt non ſe multis operibus admirandis indicaret. Vidimus enim nos, illius diſcipuli, eam in illo gloriam, quam neque Moſes, nec Helias, nec Iſaias, nec vllus vir Diuinus, qui magnum apud Deum locum haberet, conſecutus vmquam fuit. Illi namque, vt ſerui fideles, in domo Domini, multis, & magnis, muneribus ornati fuerunt; at gloria Verbi, quam vidimus, inſpeximus, vehementer admirati ſumus, ea fuit, quæ in ſolum Dei vnicum filium conueniebat. Illud enim verbum. Quaſi, non ſimilitudinem, ſed conuenientiā, deſignat. Ea, inquit, gloria præditum vidimus, quæ maxime vnigenitum Dei filium decebat; eo decore ornatum adſpeximus, quod in perſonam ſummi conditoris, & Domini, valde conueniebat; ijs virtutibus, & ornamentis, excultum contemplati ſumus, quæ facillime numen illius explanabant. Reſtat nunc,

vt

vt intelligamus,quibus ſignis Diuinitas illins Ioanni,& reliquis diſcipulis,innotuit. Multa quidē fuere opera nimis admiranda, a Chriſto edita, quæ nullo modo fieri poterant, niſi Diuino numine,atque poteſtate. Nam ægrotos repente ſanabat; & cæcus viſum reſtituebat;& dæmones expellebat; &, vt alia multa prætercam, mortuos in vitam imperio reuocabat. Non tamen arbitror hæc illa ſigna eſſe, quorum admonitu diſcipuli gloriam illius,quaſi gloriam vnigeniti a Patre, perſpexerunt. Hæc enim omnium oculis patebant, qui tamen gloriam illius minime cernebant; nos vero ea ſigna requirimus, quibus mentes puræ,& in diſciplina illius educatæ, Diuinum decus intuebantur. Deinde multa ex iſtis ſignis fuere cum ſeruis communicata. multos enim Diuinos homines ſcimus ſigna mirabilia Diuinitus edidiſſe; nos autem ea ſigna flagitamus,quæ numquam ſeruus vllus,quantauis ſanctitate præditus eſſet,ediderit.poſtremo,opera illa,quæ cunctis admirationem cōmouebant,ad corpora, vel ſananda,vel in vitam reſtituenda, pertinebant,quæ erant breui peritura; nos vero a ſempiterna virtute opera ſempiterna poſcimus,quæ nobis maieſtatem vnigeniti teſtificentur. Nullum igitur opus Chriſti in corporibus ſanandis expreſſum clare numen illius in oculis ſanctorum hominum propunebat, ſed tantum id, quod in animis curandis intus efficiebat, exterius illis ſignis aptiſsime deſignabat. Quid igitur diecmus? Ioannem cum Petro, & Iacobo, in monte illo præcelſo, gloriam Chriſti, quaſi vnigeniti a Patre,ſpectauiſſe? Non prorſus. Illa namque in corporis clariſsime ſplendentis luce,atque pulchritudine, cernebatur; & non ita late patebat,vt ea plene gloriam vnici filij Dei, qui cunctis gentibus ſalutem afferebat,oſtenderet. In quo igitur vnigeniti gloria a Diuinis hominibus penitus explorata, & cognita,fuit? In eo, quod Ioannes inquit, nempe, Plenum gratiæ, & veritatis. Gratia igitur,vt veritas eſt,quæ gloriam vnigeniti a Patre conſpiciendam,Diuiniſq. laudibus celebrandam,propoſuit. Vos igitur hortor, & moneo,vt,dum,quid in his duobus verbis lateat, ediſſero, me multo attentius audiatis. his enim verbis maximum Chriſti teſtimonium declaratur, & ampliſsima, nimiſq. admiranda cæleſtis diſciplinæ myſteria continentur. Primum de gratia loquemur. Deinde ad Veritatis nomen veniemus. Plenus gratia Dei filius dicitur. Verbum, inquit, quod erat apud Patrem,ex gratiæ plenitudine,atque redundantia, Diuinam inſiti numinis maieſtatem ſuis aperuiſſe ſignificat. Sed,cum Gratiæ nomen multiplex ſit, animaduertendum eſt, quid hoc in loco deſignet. Eſt autem hæc Gratia Dei, immenſa benignitas, admirabilis, & infinita clementia,qua nobis ignouit, ſcelera demerſit,crimina remiſit, Satanæ imperium deleuit, regnum iuſtitiæ fundauit, hominesque,a quibus fuerat grauiter offenſus,iuſtitiæ Diuinis ornamentis excoluit. Lex erat horribilis, atque pertimeſcenda. Non enim ſanabat animos, ſed ſupplicia ſontibus imponebat:non tribuebat vires, quibus poſſet obſiſti libidini, ſed impuras libidines acerrime vindicabat:non leuabat mentes ægritudine, ſed illum metum proponebat, & iniiciebat, quo homines in angore,& ſollicitudine, verſarentur. Erat igitur multis odioſa, & inuiſa,& vehementer aſpera,perpeſſuq. difficilis. Multa enim præclariſsime ſanciebat; libidinem tamen, quæ cum ipſa lege pugnabat, minime comprimebat. Itaque eueniebat, vt,cum aliquis, vt legem ſeruaret, ope ſumma contenderet, in illum repente libidinis immanitas incurſaret,quę hominem,viribus ſuis nixum, de conatu depellebat. Naturæ igitur imbecillitas faciebat, vt,quamuis multi ſuum officiū facere conarentur, non poſſent tamen diu in ſtudio virtutis,& honeſtatis, inſiſtere. Nam, quemadmodum ægroti, dum ſanos imitari, & aliquod opus moliri,cupiunt,in medio conatu franguntur, & concidunt; ita, qui legi operam nauabant, in operis honeſti functione,dum lapſi corruebant, auxilio gratia non vtebantur,& quodammodo recuſantes,& inuiti peccato ſeruiebant. Sic igitur miſeri in præuiſam peſtem ruebant, cum ſupplicium ab ipſa lege conſtitutum vitare nullo modo poſſent. Nec enim erat in lege remedium, quod vi ſua animorum morbis ſanaret: nec vllum ſacrificium, quod commiſſum ſcelus expiaret. Erat igitur omnibus, qui vel naturæ præſtantia, vel legis ſanctitate, nitebantur,omnino pereundum. Hoc enim humanis tantum remediis vitari non poterat;Diuinis ſolum poterat. Vnicus igitur Dei filius,homo factus, remedium valde ſalutare morbis humanis adhibuit. Nam & veniam tribuit eis, qui criminibus alligati erant; & animos eorum,qui veram lucem fide receperunt,ſanctiſsimis ſacris expiauit;illiſq. vires largitus eſt,quibus repugnarent libidini, frenum iniicerent cupiditati, aſpernarentur noxias voluptates,opes humanas contemnerent,ad honores Diuinos omnibus modis adſpirarent. Is igitur ſolum eam opem attulit hominibus, quam neque philoſophia Græcis, neque lex Hebræis,afferre vllo modo potuerat. Diuinitus igitur Paulus ait: Nihil ergo dānationis eſt iis,qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulāt, ſed ſecundum ſpiritū. Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me a lege peccati,& mortis. Nam, quod erat impoſsibile legi,in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis,qui nō ſecundum carnem ambulamus,ſed ſecundum ſpiritum. Lex quidem,

inquit,

inquit,erat ſancta,atque ſalutaris, vitæ namque præcepta continebat,finem tamen ſumm per ſe cōſeqni nullo modo poterat erat enim debilis,& infirma,propter caruis, hoc eſt, inſitæ libidinis,immanitatem, quæ tantas vires habebat, vt omnes egregios conatus frangeret,hominesq. miſeros ſibi ſeruire compelleret. Omnibus igitur,qui ſola lege nitebantur ſine gratia, erat ſalus omnino deſperanda.

Nullum enim humanū remedium erat, quod homines in libertatem vindicaret, & a peſte ſempiterna ſeduceret.Sed,vbi bumanum præſidium omnino deeſſe cognoſcitur, ibi Diuinum minime differtur. Filius igitur Dei,a Patre miſſus, vt peccatum deleret, ſimilitudinē carnis peccati libenter arripuit. Quomodo? Quia ſic humanam naturam aſſumpſit,vt nullos morbos, & cruciamenta, quæ eandem naturam conſequūtur, effugeret. eſuriuit enim, & ſitiuit; Frigora perculit;æſtus grauiſsimos perpeſſus eſt;laboribns atteri voluit;immenſos dolores hauſit;& vitam denique in cruciatibus ſummis abiecit. At hæc omnia mala, propter peccatum, in genus humanum inuecta,& importata ſunt. Filius igitur Dei, cum peccati totius expers eſſet,quaſi peccatis omnibus oppreſſus eſſet, ea mala;quæ peccatis fuerant conſtituta,ſumma volūtate ſuſtinuit. & hæc eſt ſimilitudo carnis peccati,qua peccatum damnauit.Nam, quaſi iudicio cōſtituto,peccatum,hoc eſt,inſitam libidinem, & cupiditatem, vnde omnia peccata, & ſcelera, profluebant,compreſsit,& eliſit,illiusq. dominatum ſuſtulit, vt nullum imperium poſsideret in illos, qui ſe totos ardenti fide ſtudium ſanctiſsimæ religionis applicarent. Omnes igitur,qui ſunt Chriſti Ieſu,qui illius benignitate in libertatē vindicati ſunt,qua robur inuictum conſecuti ſunt, vires habent, quibus peccati viribus fortiſsime repugnant, & in ſtudio Diuinæ legis cum laude ſumma verſentur. Quod ſi magnum Diuinitatis argumentum fuit,cæcis adſpectum,ſurdis auditū,ægrotis ſanitatē, reddere;ſi fuit opus nimis admirandum,e corporibus dæmones eijcere, & homines vita functos in vitam reuocare: quanto eſt admirabilius,animos tenebris incluſos radiis Diuinæ lucis illuſtrari; mentes indociles ad cæleſtem diſciplinam aures erigere, vt ſapientiam Diuinam percipiant,homines peſtiferis animorum morbis oppreſſos repente ſanari,& vires colligere,quibus, hoſtibus importunis facillime repugneut,Satanæ tyrannidem deleri,&,qui tęterrimis tenebris ſepulti iacebant,in vitam reſtitui? Non ſunt enim, non ſunt beneficia, quæ ad corporum ſanitatem conferuntur,cum iis,quibus animi curātur,& cæleſti luce perfruuntur, vllo modo cōparanda.Quantum enim animus præſtat corpori, & quantum ſempiterna beneficia his, quæ breui temporis ſpatio terminantur, antecellunt, & quantū denique veritas ipſa imagines, quibus aliqua ratione ſplendor ipſius veritatis exprimitur, vincit, & ſuperat; tantum hæc munera,quibus ſalus, & libertas, & dignitas, & vita animorum ſempiterna,continetur, clarius gloriam vnigeniti declarat, & illius immenſam gratiam, & benignitatē, in oculis proponit.De gratia diximus: nunc conſequens eſt,vt de veritate diſſeramus: de qua tamen breuior erit oratio; quia ratio veritatis eſt omnibus, qui Euangelij diſciplina mediocriter inſtructi ſunt, ſatis explorata.

Qnis enim neſcit,legē in eo, quod ad religionis inſtituta,& cærimonias, pertinebat,imaginem,& vmbram,fuiſſe rerum cęleſtium?cui eſt ignotum, nō circumciſione carnis, ſed inciſione cupiditatis,veriſsimi Iudæi religionē contineri? Quis eſt adeo ignarus rerum Diuinarum,vt non intelligat, non in externo cultu corporis, ſed in fidei promptæ,& alacris, obedientia veram religionem cōſiſtere? Quis eſt adeo hebes, qui non videat,non aqua illa, quæ quondam e ſilice prorupit, ſed Diuini ſpiritus gratia, cupiditatis humanæ ſitim facillime reſtingui?Quis non percipit,non rore illo,quondam e ſupera regione demiſſo, quem māna appellabant, ſed veriſsimo paue a cælo delapſo,vitæ immortalitatem contineri? Eſtne quiſquam adeo mentis expers, qui maculas ſcelerum animis inuſtas ſanguine pecudū elui quondam potuiſſe,ſuſpicetur? Non certe. Sed,per illum,vim,& ſanitatem, ſanguinis illius, qui in cæli ſupremum aditum penetrauit,adumbratam fuiſſe,non ambigit. Omitto varia ſacrificia,luſtrationes, oblationes,cærimonias, ex quibus nihil proferri poterat, quod religionem aliquam poſsideret, ad animos expiandos,iuſtitiæq. muneribus afficiendos. Nihil igitur erat in illis ſolidi; nihil veri, nihil expreſsi,nihil, quod veram iuſtitiam efficeret, ſed eam tantum lineamentis quibuſdam,& vmbris, obſcure deſignaret. Hæc igitur lex adumbrauit,ſolus Dei filius opere pręſtitit. Ille mentes humanas circumcidit, vt, reſecata cupiditate,Deo ſoli crederēt,& obedirent, & omnem ſpem in illius beniguitate collocarent; ille ſuos aqna iucundiſsima ſic affluenter expleuit, vt aliam ſibi minime requirēdam eſſe cernerent: ille panis eſt verus, atqne ſempiternus,quo qui cum fide, & pietate,veſcuntur, mori non poſſunt. Ille denique ſolus eſt iuſtitiæ parens,veriſsimæ ſanctitatis effector, ſempiternæ dignitatis architectus, omnes, qui in illum puris animis intuentur, muneribus Diuinis afficiens, veriſsimæq. gloriæ ſempiternis ornamentis illuſtrans. Non Moſes igitur, neque vllus vmquam Propheta fuit,nec eſſe potuit,ſummæ gratiæ, atque ſolidæ ueritatis,auctor. Soli namque unigenito Dei filio fnit boc tantum,& tam amplum,munus,ordine patris ſummi delegatum, ut, pro legis terrore, gratiam tribueret, & pro rerū cæleſtium umbris ueritatem explanaret, ue-

riſsi-

riſsimiſq. nos iuſtitiæ opibus inſtrueret, expreſsæq. ſanctitatis muneribus exornaret. Hoc igitur tantum munere a diſcipulis illius perſpecto, factum eſt, vt gloriā viderent, quaſi gloriam vnigeniti a Patre. Nec enim quiſquā poterat tantis gratiæ, & veritatis, ornamentis, atque præſidiis, redūdare, vt omnibus, qui ad ſe fidenter accederent, ſempiternam libertatem concederet, & opibus veriſsimis cumularet, niſi tantum Dei filius, generis humani liberator, bonorumq. omnium cum ſumma liberalitate, & magnificentia, diſtributor. Quid eſt igitur, quod noſtram fidē retardet, & induſtriā impediat, quo minus nos contento curſu, & ſtudio, conferamus ad hunc ſummum, & clementiſsimum, Dominum, vt ex illius gratia veniam, ex liberalitatis affluentia veriſsimas opes, conſequamur? Omnes quidem ſumus ita veritatis appetentes, vt nihil fictum, & inane, nos poſsit voluptate diuturna perfundere. Sed ſomniis deludimur, & in errores pernicioſos incidimus. Fingite animis aliquod nocturnum in ſomnis viſum, quo exiſtimetis, vos hortis amœniſsimis oblectari, fontium perennitates adſpicere, fructus varios, atque pulcherrimos, intueri, in villis, ſatis magnifice, & eleganter, exſtructis, ſpatiari, ampliſsima ſamilia circumſæpiri, quæ vobis ad nutum præſto ſit, & in rebus omnibus ſedulo miniſtret. Fingite deinde ingētes aceruos auri, variam, & magnificam, ſupellectilē, gemmas innumerabiles, quas opinemini veſtras eſſe, ita, vt credatis, neminem poſſe reperiri, qui vos diuitiarum affluentia ſuperet. his bonorum inaniſsimis cogitationibus accedat hominum ſalutantium multitudo, gloriæ popularis inanitas, fallaces voluptatum ſpes, & reliqua omnia, quæ vel ad vitæ iucunditatem, vel decoris magnificentiam, pertinere uideantur. Cogitate deinde cum animis ueſtris, accedere aliquem amicum ueſtrum, qui uos admoneat in ſpecie illa felicitatis, quæ uos oblectat, nihil eſſe ueri, ſed ſomnium, & inane ſenſus oppreſsi ludibrium, & uos amico monenti fidem adiungere; quamnam tunc in ſomnis etiam uoluptatem uaniſsima illa ſpecie caperetis? Nullam prorſus. Quid, cum de ſomno ſuſcitari cerneretis, omnia illa uiſa, quæ uos decipiebant, euanuiſſe, numquid parum clare cerneretis, ſomnia nihil opis rebus hominum afflictis afferre potuiſse? Sic igitur admonendi frequenter eſtis, ne uos honores inanes efferant, ne fallaces opes decipiant, ne futiles uoluptates in dolores maximos, atque ſempiternos, inducāt. Omnia ſomnia ſunt: omnia viſa inania ſunt: fictæ ſpecies bonorum animis imperitis illudunt. hanc amentiam deteſtamini; mendacium exſecramini; Chriſtum ueritatis auctorem ſequimini, qui non ſolum vos omni crimine liberabit, ſed veris opibus locupletabit, veris ornamentis illuſtrabit, & veris uoluptatibus, atque ſempiternis, explebit, ita, ut nihil ſit amplius deſiderandum.

ORATIO

# ORATIO IV.

*IOannes teſtimonium perhibet de ipſo, & clamat, dicens, Hic erat, quem dixi, Qui poſt me vẽturus eſt, ante me factus eſt: quia prior me erat.* Homines ſancti ſubmiſſe loqui neſciũt. Spiritus enim Diuinus illis ſtimulos acres admonet, & ſic animos eorum incitat, & inflãmat, vt in clamores maximos erũpãt. Ioãnes vero duplici de cauſſa clamores edit: Vna cauſſa erat, Chriſti ſtudium, quo mirifice flagrabat; & iccirco fieri non poterat, vt, cum Chriſti teſtimoninm dabat, clamores nõ ederet. Oratio enim, quæ ex acerrima aĩorum cõtentione, & alacritate, profluit, neceſſe eſt, vt eandẽ contẽtionẽ, exterius contẽta voce, demonſtret. Animi namque motus nimis incitati oratione ſimiliter incitata declarantur. Altera cauſſa fuit indignatio, qua ex hoĩm indigna ſuſpicione mouebatur, & offenſio, quã ex multitudinis errore ſumebat, quo Chriſti nomen multi ad ſe deſerebant. Hoĩes enim, cum viderent tẽpus aduenille, quod erat prophetarum ꝑdictionibus definitum, cum alienorum principũ dñationẽ indigniſsime paterentur, cum libertatem vehementer appeterent, aĩs ex tꝑis coniectura ſuſpenſis; Chriſtum aduenille ſuſpicabãtnr. Cum aũt nondũ cernerẽt, quẽ Ioanni religione, atq. ſanctitate, ꝑferendum iudicarent, eo deducti ſunt, vt Ioannem Chriſtum exiſtimarent. Hoc vir ſanctus non patitur; nomen Chriſti ſibi dari, facinus indigniſsimum iudicat; gloriã ſibi nimis inſipienter attributã acri cõtẽtione repudiat; &, quãtum poteſt, in eo pugnat, vt hoĩm errorem ex eorũ intimis ſẽſibus euellat. Ea aũt de cauſſa acriter, atq. vehementer, inclamat, inquiẽs: Non in me defixos oculos habeatis, o viri; ſed in eo, cui viã munio, cuins laudes ꝑdico, ĩ quo oĩm vitam, atq. ſalutẽ, conſtitutã eſſe doceo. Vos mihi teſtes eſtis, quoties vobis ꝑdixi, & teſtificatus ſum, non in me, ſed in eo, qui vẽturus erat poſt me, oẽm ſpem ſalntis eſse reponendã. Hoc iterum dico, & cõfirmo, non me, ſed hunc, quẽ modo ꝑſentẽ cernitis, eſſe generis humani liberatorẽ. Hic, qui poſt me venit, ante me factus eſt; hoc eſt, me longe admodũ ſanctimonia, atq. dignitate, ſuperat, multisq. modis eſt mihi antelatus. Illius namq. munus eſt, ſummum imperium adminiſtrare, & gentibus vniuerſis iura deſcribere; meũ vero eſt, imperinm illins diligenter exſequi, ſeruiq. fidelis officio ꝑfungi. Quia prior me erat. Hoc eſt autẽ, quia, antequam eſsem ego, ille Deus erat. Cũ enim cõſtet, ſex menſibus ante Chriſtum, Ioannẽ natum fuiſse, quo modo fieri poterat, vt prior eſſet tꝑe, quã Ioãnes, niſi Deus eſset? Nec enim dici poteſt, aĩam Chriſti fuiſſe creatã, antequã Ioannis aĩa crearetur, deinde poſt aliquod tẽpus in corpus immerſam. fuiſset enim hoc, hæreticis, in hac q̃ſtione turpiſsime delirantibus, aſſentiri. Non enim anima prius creatur, quam corpus ſit omnibus ſuis partibus abſolutum, & inſtrumentis accommodatum, ad formam, & vitam, ex animæ conſortio, beneficio cæleſtis numinis, hauriẽdam. Non igitur vllo modo, cum Chriſtus poſt Ioannem natus eſſet, ante Ioannem eſſe potuiſſet, niſi Deus eſſet. Cum igitur Ioannes dicit, Quia prior me erat, hoc certe, paullo tamen obſcurius, dixit, quia Deus erat. Quod deinde magis explanat, dicens:

*Et de plenitudine eius omnes nos accepimus, & gratiam pro gratia.* Plenitudinis nomen ſatis congruẽter appoſitum fuit, eo quod ante ſcriptum cernimus, Verbum plenum gratiæ, & veritatis, exſtitiſſe. Cum vero dicit, Omnes nos de plenitudine illius accepimus, ſe cũctis prophetis, & oĩbus ſanctis, annumerat. Omnes, inquit, qui, ab exordio generis humani, Spiritus ſancti muneribus expleti, & cumulati, ſumus, ex eo hauſimus, atq. delibauimus, & omnes gratiarum opes accepimus, ita, vt ad illius benignitatem, & infinitam clementiam, omnia bona referamus. ex illius namq. bonitate, & virtutis præuiſæ meritis, omnia in nos Diuina beneficia magnificẽtiſsime redundarunt: ita tamẽ, vt nullo in loco benignitas illius, tamquam in vltimo termino, conſiſteret. Nam recẽtiſsimum quodq. beneficium magnitudine antiquũ ſuperabat, & noua gratia antiquæ gratiæ obſcuritatẽ ſæpius afferebat. In dies igitur magis Dei verbũ humano generi conſulere cernebatur. poſt multa nãq. beneficia, id tandem contulit, quo nullum eo tꝑe maius cogitari poterat. Legẽ enim tulit, quã, Moſis opera, & miniſterio, Hebræorum, nationi promulgauit. Lex enim clariorẽ Dei notitiã tradid t, ſanctiſsimamq. diſciplinam ſanxit, qua facta nefaria, & iniuſta, prohiberet; recta, & honeſta, ꝑſcriberet; generis humani ſocietatẽ confirmaret; & hoĩes, qui legem ſeruarent, ipſi ſummo legis latori ſempiterno fœdere deuinciret. Fuit igitur gratia illuſtris, beneficium ſalutare, munus egregium, perpetua laudatione celebrandũ. Hæc tamen gratia, in gratiam longe præſtantiorẽ incurrens, euanuit. Qua tandem ratione?

*Quia lex,* inquit, *per Moſem data eſt gratia, & veritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt* Nõ dicit, legẽ per Moſem factam, ſed datam, hoc eſt, promulgatam fuiſſe. lator enim legis, ipſe Dei filius fuit, de quo Moſes ait, Et cum eo ſanctorum millia, & in dextera eius ignea lux. Similiter & Paulus ait, ad Galatas ſcribens, legem angelis miniſtrãtibus olim datã fuiſſe

manu Mediatoris. Sic enim Dei filium nominat,eo quod ſemper illius benignitas in placatione patris eluxerit, quem ſæpe hominibus conciliauit. In epiſtola enim ad Epheſios, inquit,Deum,per dilectum,hoc eſt per filium, omnia fuiſse nobis gratificatum . Itaque Dei filius legem ſanxit, quam Moſes illius iuſsu promulgauit, vt mores hominum in officio contineret,ne ſe cupiditas immoderate profunderet, ſed metu coerceretur audacia , vſque eo,dum tempus illud adueniret, quo non iam ſuppliciorum metu , ſed pietatis amore, lex ipſa pie,atqne ſancte,ſeruaretur . Hæc eſt autem illa gratia , quam Chriſtus non tantũ dedit,ſed numine ſuo perfecit. Nihil tamẽ ad perfectum adduxit lex,vt iam vidimus. Quãdiu enim in nobis cupiditas dominatur , fruſtra legis inſtituta deſcribuntur. Tãtiſper autem dominatur, dum minime tyrannis illius Chriſti ſpiritu conuellitur. Antequam igitur animi gratia Chriſti ſanarentur,& cupiditatis iugum a ceruice depellerent , duo tantum munera a lege præſtari poterant. vnum erat, metum pœnæ miſeris hominibus proponere; alterum,iuſtitiæ puritatem,& religionis ſanctitatem,imaginibus,atque figuris, exprimere. Horum vtrumque nullum fructum afferebat. Metus enim ſupplicij,ſine interitu cupiditatis,diu animos,ne ſe flagitiis omnibus inquinarent,abſterrere non poterat ; & ſimulacra iuſtitiæ iuſtitiam minime conſerebant . reliquum igitur erat , vt animi, gratiæ præſidio deſtituti,in perpetua formidine, & ſollicitudine,verſarentur , & in comparanda iuſtitia fruſtra laborarent. His duobus legis incõmodis duo ſumma beneficia gratiæ longe præſtãtioris opponũtur. Quorum primũ,eſt gratia, quæ metum ſuſtulit;alterum, eſt veritas, quæ ſtudium adũbratæ iuſtitię prorſus abrogauit. Gratia,terrorem ademit; veritas, quod erat ſignis adumbratũ , re ipſa munifice contulit; hoĩesque,fidei viribus incitatos,iuſtitiæ Diuinis ornamentis,& opibus,illuſtrauit . Huius aũt gratiæ,& huius veritatis,Chriſtns nõ adminiſter tãtum,ſed princeps,& effector,extitit;ex quo Diuinitas illius egregie declaratur . Quis enim vel veniã ſontibus impertire, vel Diuinæ iuſtitię munera conferre,poterat, niſi ſummus ille Dominus, sũmi Patris filius, cum quo pater ex omni æternitate infinitam numinis ſui vim,& probitatẽ, ita cõicanit, vt nihil ſibi ab illo ſeiunctum vlla ratione reſeruaret. Exponitur deinde,in quo gratiæ huius ſumma conſiſtat. Sequitur enim:

*Deum nemo vidit vnquam : vnigenitus Filius , qui eſt in ſinu Patris,ipſe enarrauit.* Sine Dei cognitione nemo poteſt in fidẽ, & gratiã, illius recipi. At ea,quæ minime videmus, ignoramus. Cũ igitur Deũ nemo vnquã viderit,cõſequẽs eſt,vt nemo ſalutem aſſequi poſsit. Verũ : ſed vnigenitus filius,qui in ſinu Patris eſt,quantũ nobis ſatis eſset ad ſalutẽ,nomen Patris explicuit; mẽtes noſtras clara cognitione Diuinitatis inſtruxit;atqne tãdem perfecit,vt numen illius timeremus, & probitatem amaremus , illiusq. voluntatem noſtris cupiditatibus anteponendã eſse videremus, ſi vellemus felicitate ſempiterna potiri . Sed mirum eſt, quod ait,Deum nemo vidit vnquam: cum in multis locis ſanctorum voluminum legamus, multos homines ſanctos dixiſse, Vidi Dominum. Deus tamen ipſe dicit, Non videbit me homo,& viuet . Non enim mens hominis, in craſsũ,& caliginoſum, corpus incluſa,poteſt vllo modo Diuinæ lucis claritatem ſuſtinere. Eſt igitur opus, vt animus, qui Deum videre cupit,ſe ipſum a corporis contagio,quantum fieri poterit,abducat, omnibusq. modis puritatem retineat , vt queat radiis Diuinæ lucis illuſtrari. & ſic tandem mentis adſpectũ in ipſum iuſtitiæ Solem , abſq. periculo cæcitatis, intendere. Sed,quid refert? Nam, qnãuis animus,corporis ergaſtulo ſolutus , Deũ intueri velit, id nullo modo conſequetur . dicit enim Panlus,Deum nemo vidit vnqnam,ſed neque videre poteſt. Nemo,inqnit ille,mente Deum cõplectitur. Vis enim illius,eſt infinita; & hominum,& angelorum, mentes, ſi ad Deũ conferantur , ſunt exiguis admodum finibus circũſcriptæ,ita, vt, quod de Deo videre nequeunt,illorũ intelligentiis infinitis partibus antecellant. Dicitur tñ Deus a mentibus beatiſsimis clare cerni, qnia tñ vident,quantũ, earũ natura Diuinitus illuſtrata,cõtẽplari poſsũt; & ita ſuut fructu Diuinæ viſionis expletæ , vt nihil amplius requirãt. Qnin etiã iuſti in hac vita Deum videre dicuntur,qnia Diuina cõſiderant,& opera illius admirãtur,& ex pręclariſsimis illius actionibus,illius numen , & ſapientiam,& pnlchritudinẽ,& probitatẽ,agnoſcunt,& id de illius maieſtate cõprehendunt, quod eſt ab aliorũ hoĩm cognitione remotiſſimnm. Hæc aũt cognitio miros amores excitat,vſque adeo,vt multi ſui ipſorũ amorẽ abiiciant,vt Deũ inflãmato nimis ſtudio cõplectãtur. Hic igitur amor aĩos altos, & cõfidentes, efficit,vireſq. Diuinas aſſequitur , quibus victoriã bellorũ oĩum de hoſtibus ſempiternis adipiſcatur. Ita igitur euenit,vt, cõpreſsa cupiditate,profligatis hoſtibus, mens euolet in cælum,vt,Deo,quẽ ſolum veretur, & amat, & affectatur,artiſsime deuincta,gratiã illius obtineat,& veriſsimis bonis expleatur . Ex ea igitur cognitione gratiæ infinitæ benignitas,& veritatis ſẽpiternæ fructus,proueniũt. Hanc aũt cognitionem vnigenitus Dei filius nobis admodum clementer impertiuit .

*Et hoc eſt teſtimoniũ Ioannis,quando miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes, & Leuitas ad eum, vt interrogarent eum, Tu quis es?* Erant Iudæi ſuſpenſis animis , propter admirabilem Ioannis ſanctitatem, eo præſertim tempore,quo maxime Chriſtus exſpectabatur,vt Prophetę prædixerant. Multa deinde in Ioannis perſona

ſona

ſona concurrebant,quibus illũ eo nomine dignum iudicarent. Erat enim genere clarus, & magnitudine nouæ, & inſolitæ, ſanctitatis admirandus, & egregie Spiritus ſancti diſciplinis eruditus, tantaq. vi orationis inſtructus,vt homines ad ſe vndiq. alliceret, & a flagitiis abſtractos in ardens ſtudium pietatis incitaret. Tanta vero libertatis cupiditas erat, vt quæuis ſuſpicio potuiſſet animos ad ſpem illius erectos ad credendum impellere, maxime cum Prophetarum prædictio eos ſatis admoneret,expletum eſſe tempus,quo ſalus erat exſpectanda. Maiores igitur in ſenatum conueniunt,vt, quid optimum factu eſſet,decerneretur. Viſum eſt omnibus, legatos ad Ioannem mittere.Quorſum? Vt ille de ſe teſtimonium ferat?Suſpectum eſt. Num fieri poſſe creditis, vt quiſquam oblatam ab omnibus tantam dignitatem repudiet?vt ampliſſimum honorem publice dclatum reijciat? florentiſsimiq. Regni opes aſpernetur Veriſimile nõ eſt: immo,inquiunt,certi eſſe poſſumus, illum nullo modo in opes ſibi minime debitas inuaſurum. Tanta enim eſt viri ſanctitas, vt nullo modo poſsit adduci, vt ſibi arroget, quod ſui iuris non eſt. Ergo,ſi dixerit,ſe Chriſtum eſse, ſine vlla cunctatione fidem verbis illius habebitis. Aliter enim legationem ad illum fruſtra decernitis. Quid,ſi non ſibi,ſed alteri,eum honorem teſtimonio ſuo detulerit? Eſtis ne illi credituri?Sane quidem,dixiſsent. Nec enim aliter reſpondere poterant. fuiſſet enim tunc teſtimonium minus ſuſpectum. An vero ſic animati fuerint, exitus rerum declarauit. Legati porro fuerunt homines auctoritate graues. Erant enim Sacerdotes,& Leuitæ,penes quos tunc auctoritas ſumma religionis nomine,conſiſtebat. Hæc autem fuit orationis ſumma:

*Tu quis es? Confeſſus eſt, & non negauit: & confeſſus eſt, Quia non ſum ego Chriſtus*. Confiteri, in ſanctis litteris,eſt,laudẽ Deo tribuere; Diuinum beneficium, atque munus, agnoſcere; omnemq. dignitatis excellentiam ad Deum, tãquã ad totius decoris ortum, & principiũ, reuocare. Ioãnes vero,cum intelligeret, qua mente legati miſsi fuiſsent, ita reſpondit, vt nihil contra Diuinam gloriam dici, aut cogitari, pateretur. Quamuis igitur munus ſibi commiſsum minime celandum eſse duceret, prius tamen id aſseruit, quod ad fidem ſuam maxime pertinebat; nempe, vt Chriſti gloriam confeſsione ſua tueretur, & errorem hominibus imperitis detraheret. Confeſſus eſt igitur, cum dixit, Non ſum ego Chriſtus.

*Et interrogauerunt eum, Quid ergo? Elias es tu? Et dixit, Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit, Non.* Sic apud Malachiam loquitur Deus: Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, ante quã veniat dies Domini magnus, & horribilis. His igitur verbis multi ſibi perſuaſerant, fore, vt, antequam Chriſtus adueniret, Elias mittendus eſſet. Non enim ſatis tẽpora diſtinguebant, &, quod de ſecundo aduentu prædictum fuerat, ad primum imperite nimis trãſferebãt. Nec enim animaduertebant, illã orationem de die magno,& horribili, non eſſe referendam ad primum aduentum, quo ſalutaris manſuetudinis, & humilitatis, mirabilia documenta conſtituta ſunt; ſed ad ſecundum, quo ſeueriſsimum iudicium exercendum eſt, & pœnæ grauiſsimæ de ſceleribus humanis repetendæ. Ioannes quidem Eliæ ſimilitudinẽ geſsit. nam & filiorũ animos ad patrum fidẽ, & religionem,traduxit;& tyranno conſtantiſſime repugnauit; & duriſsime vitam egit; & Chriſti primũ aduentũ præceſsit, illiq. viam egregie curauit. Quamuis igitur in virtute, & ſpiritu, Eliȩ venerit, vt Dominus ait,& ideo per ſimilitudinẽ Elias nominaretur; re tamẽ vera Elias non erat. Sed,de Prophetæ nomine quid dicẽdum? Negat,ſe Prophetam eſſe,qui non ſolum Propheta fuit a Domino nominatus,ſed etiam plus,quam Propheta? Sed intelligendum, nomen Prophetæ hoc in loco non ſimpliciter enuntiari; ſed cum adiunctione, quæ ſingularem vim,& excellẽtiam,deſignat. eſt enim adiunctus apud Grȩcos articulus O, cuius loco fuerat addendũ apud Latinos pronomen Ille. Non enim de quouis Propheta quærũt legati; ſed de illo inſigni Propheta, de quo ſic eſt a Moſe in Deuteronomio ſcriptũ: Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus. ipſum audies. Propheta igitur ille, qui exſpectabatur, Chriſtus eſt, cuius imaginem Moſes vita, atque factis, expreſsit. fuit enim ad necẽ quæſitus, fuit in exſilium pulſus, fuit poſt fugã populo præfectus, cui legem dedit, quem erudiuit, & inſtruxit, cui numen inſenſum ſæpe numero placauit. De hoc igitur Propheta, illi, qui fuerant a Iudæis miſsi, Ioannem interrogauerunt. Illum igitur Prophetam ſe Ioannes veriſsime negauit. Sed inquies, interrogationẽ ineptã fuiſſe. Iam enim Ioãnes negauerat, ſe Chriſtũ eſſe. Si Propbeta ille Chriſtus erat, cur rurſus interrogãt, an Propheta, ille magnus eſſet. Fateor, illos in hac interrogatione ineptos fuiſſe. Sed, cum illi in explicanda ſententia fluctuarent, neque de Propbera illo ſenſum bene confirmatum haberent, non ſatis illis conſtabat, an Propheta ille Chriſtus eſset; an aliquis præcurſor, an comes, aut potius aliquis familiaris aſsectator, atque tanti operis adminiſter. Quemadmodum enim inter primum, & ſecundum, aduentum, nullum diſcrimen norant, ita nimis imperite Prophetam illum a Chriſto minime diſcriminabant. Proprium enim temeritatis eſt, &, quæ ſunt diſcreta, confundere, &, quæ ſunt coniuncta, ſecernere. Inepta igitur fuit Iudæorum interrogatio; Ioannis vero breuis, & apta, reſponſio.

*Dixerunt ergo ei, Quis es, vt reſponſum demus ijs, qui miſerunt nos? quid dices de te ipſo? Ait, Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viã Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta.* Non ſe abijcit vir Diuinus: non contemnendum munus ſibi commiſſum aſſerit, ſed id, quo nullum tunc amplius eſſe poterat. Ego, inquit, ſum vox illa clara, & illuſtris, quæ erat in ſolitudine audienda: quemadmodum prædixit Iſaias, cuius admirando ſonitu via Domini curaretur. Habent hoc homines ſancti, vt non proprio nomine, ſed commiſſo munere, glorientur. & iccirco Ioannes ſe Vocem nominat, vt omnẽ dignitatem ſuam non in ſe, ſed in officio, poſitam eſſe demonſtret. Sic autem eſt apud Iſaiam: Vox clamantis in deſerto parate viam Domino, & rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri: Deinde, quo modo via paranda eſſet, oſtendit. futurum namque dicit, vt valles aſſurgant, colles deprimantur, obliquæ viæ ad rectam normam dirigantur, aſperæ complanentur; vt ſic demum, æquata viarum planitie, ſummus Imperator, & Dominus, recta via, ſine offenſione, gradiatur, qua quidem oratione vir Diuinus Ioannis eloquentiam præmonſtrauit; quæ tanta fuit, quanta numquam in terris fuerat audita. Nam & humiles ad ſpem ſummæ felicitatis erigebat; & ſuperbos ab inani faſtu, & inſolentia, detrudebat; fraudes, & calliditates, amputabat; aſperos, & immanes, mores, adhibita moderatione, mitigabat; eoq. homines feros, & agreſtes, redigebat, vt facile in ſe Chriſti diſciplinam reciperent. Sic igitur excoluit animorum ſolitudinem, & vaſtitatem, & virtutum ſeminaria conſeuit, vt in eam poſſet Chriſti numen, abſque graui offenſione, penetrare. Ioannes igitur, quis eſſet, luculenter expoſuit, cum ſui muneris amplitudinem declarauit.

*Et qui miſsi fuerant, erant ex Phariſæis.* Eorũ, qui legationem obibant, dignitatem nomen etiam religionis exornabat. Erat enim apud Iudæos olim inter alias religio quædam, qua qui adſtricti erant, Phariſæi nominabantur; eo quod eſſent a cõi reliquorum hoĩm vita ſeparati. Hoc enim apud Hebræos nomen hoc deſignat. Hi, præter certæ illius religionis inſtituta, hoc etiam habebant, quod operã ſuã in aſsiduũ legis ſtudium nauabãt. Hæc igitur hominum dignitas non abſque ratione appoſita fuit, ne videlicet quæſtio ab illis vltimo loco propoſita prorſus imperita videretur. Ea namque erat, de qua poſſet ab hominibus eruditis dubitari.

*Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei. Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta?* Mirum fortaſſe videbitur, qua ratione ducti, de reliquis Prophetis ſileant, & Chriſtum, & Eliam, & inſignem illum Prophetam, tantum nominẽt. Sed intelligendum eſt, baptiſmi ſacramentum ab illis pcellentiſsimum iudicari, eo quod ſtatuerent, p illud animorũ maculas deleri, numenq. Diuinum propitiũ fieri. Quod aũt Chriſtus auctor baptiſmi futurus eſſet, non ambigebãt. Legerãt enim apud Iſaiam, fore, vt is filiarum Siõ ſordes elueret. Apud Zachariam ſimiliter viderant, Chriſti tempore fontem aperiẽdum, quo maculæ penitus inuſtæ abluerentur, vt in purgatis animis Diuinus ſpiritus inſideret. Per Eliam ex Malachia miram fore animorum conuerſionẽ didicerant: quare minime dubitabãt, quin is luſtrationem ſimiliter adhiberet, qua poſſent omnes impuritates abſtergi. De Propheta vero illo, quem exſpectabant, Moſis veſtigiis ingreſſurum, non abſonum fore exiſtimabant, vt ij, quẽadmodum Moſes varias aquarum luſtrationes inſtituerat, ita & ille baptiſmo maculas eluendas ſuſciperet. His igitur coniecturis adducti, reliquos Prophetas prætereunt; & his tribus, vt opinabãtur, hunc honorem deferendum fuiſſe dicunt. Quantũ igitur poſſunt, inſtant, & vrgẽt, & Ioannem quodammodo audaciæ, & temeritatis, inſimulãt. Nos, inquiunt, certum habere non poſſumus, niſi id tantum, quod ex litteris ſanctis accepimus. Illæ nos admonent, omnes ſcelerum maculas per Chriſtum eluendas eſſe. Similiter intelligimus, Eliam fore admirandæ conuerſionis, atque puritatis, auctorẽ: quod ſine aliqua luſtratione fieri vix poſse ſuſpicamur: de Propheta illo nõ ambigimus, quin ſit Moſem imitaturus; & iccirco fore credimus, vt, quemadmodum Moſes fecit, ita & ille lauacrum aliquod ſalutare conſtituat. At tu te Chriſtum negas eſſe; Eliæ ſimiliter nomen nõ agnoſcis; Prophetam illum Moſis imitatorẽ te non eſſe, confiteris. Quo modo igitur officium, quod illis tantum deſerendum eſse credimus, ſuſcipere auſus es? quo iure, qua auctoritate, qua ratione, in alienum munus tam inſolenter inuaſiſti?

*Reſpõdit ei Ioannes, dicens, Ego baptizo in aqua: medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* O miſeri homines, inquit, qui vel Moſem, vel Eliam, vel Prophetam aliquem, arbitramini fieri poſſe puritatis auctorẽ. Ego baptizo in aqua: quod & Moſes olim in ſignũ veriſsimæ puritatis effecit. Non deleuit ille crimina; nõ mentes ſceleribus inquinatas expiauit; non veriſsimæ iuſtitiæ ornamenta contulit. Idem igitur tantum fecit, quod ego nunc facio. In aqua enim baptizo; Spiritus ſancti lauacrum non confero; ſpeciem ſanctitatis adũbro; imaginem puritatis effingo; vt aſsueſcant homines paullatim ipſam puritatẽ clarius intueri. Medius veſtrũ ſtetit, quem vos neſcitis. Miſeriam igitur veſtrã agnoſcite. Quid enim miſerius eſt, quam, ĩ ſummis malis pſens remediũ non adſpicere? in maxima ſiti fontẽ non cernere? in ſumma inopia oblatas opes non videre? in peſtiferis morbis ſalutarem medicinã reſpuere? in medio veſtrũ verſatur is, qui ſolũ

poteſt

Digitized by Google

poteſt vos a malis eripere; bonis veriſsimis explere; ſempiternis opibus cumulare, atque viribus cõfirmare, ne in morbos mortiferos, & peſtem ſempiternam, ſurenter incidatis. Non ego, nec quiſquam alius eſt veriſsimi baptiſmi auctor; ſed ille tãtum, qui Spiritus ſancti lauacro mentes abluit, & expurgat, & ardore Diuinæ caritatis incendit. In illum igitur reſpicite; in illo ſpem veſtram collocate; ad illum ſupplices preces adhibete, ſi viget in vobis aliqua ſalutis veriſsimæ parandæ cupiditas.

*Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt: cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.* Illum quidem tempore antecesſi; ille vero tantum dignitate ſuperat, quantum verbis explicare non poſſum. Eſt igitur non ſolum iniqua, verum & nimis ſtulta, contentio, qua me cum illo cõparandum exiſtimatis. Nec enim dignus ſum, qui calceos illi detrabam, & inter minimos illius ſeruos annumerer. Hoc reſponſo, Ioannes legatos dimiſit.

*Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi Ioannes erat baptizans.* Viſum eſt Ioãni, locum, vbi tam clarum teſtimonium a Ioanne Baptiſta datum eſt, minime ſilentio præterire.

*Altera die vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Verus, inquit, dies feſtus appropinquat; verum Paſcha celebratur; angeli ſæuientis mucro retunditur; plaga a poſtibus agni ſanguine tinctis arcetur. Agnus enim veriſsimus immolatur. Non enim ſanguis ille antiqui agni poterat vllo modo animos ſanare, & Satanæ iugum a vobis depellere. Nunc Agnum manſuetiſsimum cernitis: nunc pretium veſtræ libertatis adſpicitis: nunc tandem fructũ ſalutaris victimæ capietis; ſi fueritis tantum beneficium gratiſsima voluntate proſecuti. Intendite animum, viri; excitate mentem, populares; adſpicite, inquam, adſpicite, non ſolum dominum ſeruis admodum ſalutari remedio conſulentem; non ſolum ſummum Doctorem iuſtitiæ, cæleſtis ſapientiæ diſciplinis ſuos inſtruentem; non ſolum vindicem ſalutis, atque libertatis, hoſtium tyrannidem funditus euertentem; verum & hoſtiam piacularem, ſacrificium acceptiſsimũ, oblationem gratiſsimam, atque, vt vno verbo dicam, agnum Dei immaculatum, ſanguinem ſuum populo ſuo libentiſsime largientẽ, vt Patrem omnibus admiranda religione cõciliet.

*Hic eſt de quo dixi, Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia prior me erat.* Quod ſæpe vobis ante denuntiaui, iam cernitis exitu comprobatum. Cernitis enim pręſentem illum, quem dixi eſſe mihi multis modis antelatum. Ille namque ſummus Dominus eſt; ego ſeruus illius ſum. Illi natura vniuerſa, & omnes illius partes obtemperant: ego, gratia illius fultus, quæ ſunt ab illo mihi imperata, perficio. Ille angelorum imperator eſt; ego miniſter illius ſum, cõmiſſo mihi munere prorſus indignus. Ne vobis id mirum videatur, intelligite, illũ Dei filium eſſe. Ego quidem prius in vtero matris meæ formatus ſum; ſed, antequam conceptus eſſem, ille iam erat in ſumma maieſtate, & imperio, conſtitutus.

*Et ego neſciebam eum, ſed vt manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans.* Non vſu, & familiaritate, inductus, hoc teſtimoniũ dico; nõ vllius hominis oratione perſuaſus, hoc aperte teſtificor. Illũ non viderã; hominis ſpeciem prorſus ignorabam; nihil ab hominibus didici, ſed ab illo tantũ, qui me præmiſit, vt ꝑ me fuiſſet Iſrael ad cognitionẽ huius ſummi principis eruditus. Vt aũt fierent hoĩes magis dociles ad tanti beneficij diſciplinam, factus ſum, Dei iuſſu, miniſter huius baptiſmi, non quod per illum crimina deleantur, ſed vt vera ratio puritatis intelligatur. Signis enim excitatur animus, & paulatim notitia veritatis inſtruitur. Hoc igitur officiũ, & munus, adminiſtro, vt, dum a vobis ſcelerũ deteſtationem, & confeſsionem, exigo, & fidem in eum, qui poſt me vẽturus eſt, tam ſæpe requiro, vos diligenter admoneam, per pęnitentiã, & fidẽ, eſſe illi veſtris animis aditum aperiendũ, vt, cum primũ aduenerit, cæleſti luce cõpleri poſſitis, & aquis ſalutaribus, quæ Spiritus ſancti gratia continentur, expiari.

*Et teſtificatus eſt Ioannes, dicens, Quia vidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum.* O mirabilem clementiæ magnitudinem, & ſummæ benignitatis incrementum. Nam, quibus ſignis olim Spiritus Domini præſentiam ſuam declarauit? micabãt fulgura; erumpebant fulmina; horrendus cæli fragor terrores iaciebat; terra, tãtis motibus concuſſa, trepidabat, vt ſedibus conuelli videretur; mons, obductus fumo, flammas emittebat; tubæ clangor horrificus homines exanimabat. At nunc idẽ Dominus ſe nobis ſine fulmine, ſine fulgure, ſine tonitru, ſine terræ fremitu, oſtẽdit; ſe Agnũ appellari ſuſtinet; Spiritus ſanctus in illo, ſub ſpecie Colũbæ, inſidet, vt nobis, pro legis antiquæ metu, materiam amoris præbeat; &, pro aĩorũ ſeruitute, libertatẽ cõſtituat. Quid enim eſt in auibus Colũba ſimplicius? Quid minus ad prædas agẽdas appoſitũ? Satis igitur cõmode ꝑ ſpeciẽ Colũbę noſtri liberatoris mores, & ſtudia, deſcribũtur; lenitas, & manſuetudo, cum magnitudine humilitatis oſtẽditur. Nõ enim vnquã clamores intẽpeſtiuos edidit; neminem minaciter iracundis verbis exterruit; non contumelias vltus eſt; ſed beneficiis iniurias compenſauit. Omnibus enim quos maleficiorum pænitebat, valde clementer ignouit, & ad ſuas opes fruendas nimis liberaliter inuitauit. Diſcite a me, inquit ille, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem anima-

bus veſtris. O ſuauiſsimam ſummæ manſuetudinis orationem. O iucundiſsimum humilitatis admirandæ documentum, omnibus, qui cupiunt Chriſti moribus, atque diſciplina, confirmari, vt tranquilliſsima pace, & requiete, perfruantur. Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Sed huius alleuamenti rationem videamus. Tollite, inquit, iugum meum ſuper vos, & inuenietis requiem animabus veſtris. iugum enim meum ſuaue eſt, & onus leue. Quid hoc eſt? inquiet fortaſſe aliquis. Spem alleuationis illis, qui ad te accederent, afferebas; & nunc iugum eorum ceruicibus imponis? Meum, inquit ille, iugum non deprimit, ſed extollit; non vires infringit, ſed robur amplificat; non moleſtiam exhibet, ſed animos voluptate mirifica perfundit; nemo eſt in terris, qui iugum non ſubeat; ſed aliud eſt iugum a tyranno inclementer impoſitum, aliud a clementiſsimo rege conſtitutum. Illo ſeruitus miſeranda continetur; hoc autem iucundiſſima libertas animi comparatur. Iubet hoſtis humani generis ſuperbia inflari, iniuriam perſequi, opes per vim, aut fraudem, augere, odium inſitum crudelitate ſatiare. In tam peſtiferis actionibus quot labores excipiendi ſunt? quot adeunda pericula? quot ſollicitudines perferendæ? O immanem hoſtis truculentiſsimi dominatum. Quis enim non videt, quot ſint cruciatus in hac diriſsima ſeruitute tolerandi? & tamen ita ſunt amentes homines, vt Satanæ iugum, angoris, & ſollicitudinis plenum, ſuauiſsimo Chriſti iugo præferant; & curas acerbiſsimas, & terrores, mortes, & exanimationes peſtiferas, iucundiſsimis legis Diuinæ placitis anteponant. Quid enim tranquillius caritate? Quid odio turbulentius? Quid iucundius humilitate? Quid ſuperbia magis anxium, atque ſollicitum? Quid ſecurius innocentia? Quid periculoſius iniuſtitia? Quid poſtremo firma ſpe ſempiternæ vitæ beatius? Quid, contra, certiſsimo metu ſempiternæ peſtis acerbius? Itaque Chriſti iugum leuat curis animum, & exſpectatione gloriæ futuræ lætificat; contra vero, Satanæ iugum inuehit acerbiſsimas curas, & mentes formidine ſempiterni doloris excruciat. Sed, in quem finem hæc, ex alio loco in hunc a me locum transferuntur? Vt melius videlicet intelligamus rationem, quare Spiritus ſanctus, cum in Chriſtum ſub corporeá ſimilitudine deſcendit, non Aquilæ, ſed Columbæ, ſpeciem aſſumpſit; vt oſtenderet, nihil eſſe magis proprium illius, qui Chriſtum ſequi voluerit, quam humilitas, & manſuetudo, quam iniuriarum obliuio, quam ſummum clementiæ, & lenitatis, ſtudium. Sed inquit ille vir acer, & animoſus, fieri nequit, vt, ſi velim dignitatem tueri, illatam mihi iniuriam non vlciſcar. Non eſt enim hominis fortis officium, conuicium pati, & iniuriam inultam ſuſtinere. Venit ne tibi in mentem, quot iniuriis cæleſte numen offenderis? quam multas contumelias in maieſtatem illius intorſeris? Si vis igitur, vt infinita maieſtas tibi veniam tribuat, eſt tibi hæc iniuria, quam vlciſci ſtudes, omnino remittenda. Maximum lucrum facies, ſi minimum debitum remiſeris, vt debito maximo, atque propemodum infinito, libereris. Da igitur veniam fratri; miſericordiam tribue delinquenti. furor fuit; imbecillitas fuit. Non faciam, inquit. Cur ita tandem? Quia nihil vmquam mihi fuit antiquius honeſtate. Honeſtas autem amittitur, quoties illata iniuria minime vindicatur. Quod honeſtatem tanti facias, laudo; quod autem in honeſtatis iudicio falleris, minime probo. Ex te enim libenter audierim, in quo putes honeſtatem conſiſtere. Num in furore? num in belluarum immanitate? Non prorſus. Quæro nunc, qualis erat animus illius, qui in te furēter inuectus eſt. Furore inquis, & amentia, flagrabat. Non igitur hominis officium fecit; ſed feritatem belluæ immanis vſurpauit. Quid igitur illo turpius? quid fœdius? quid deteſtabilius? Placet igitur tibi, homini videlicet honeſtatis appetēti, inimici tui turpitudinem, & dedecus, imitari? &, cum tuæ dignitatis inter itu, odiū in illum, quem inſanum fuiſſe confiteris, expromere. quid enim iracundia truculentius? nam, antequam foras erumpat, intus in animo ſæuit, eumq. carpit, atque dilacerat. quod ſi verum decus tunc eminet, cum mens regnum in animo poſsidet, tunc certe ſummum dedecus apparebit, cum mens ſe furori, & iracundiæ, conſtringendā tradiderit. Vt ita ſit, inquit, hoīm ſermonem ſuſtinere nō poſſum. Nō poſſum, inquis? Imbecillitatis igitur tuæ, non virtutis egregiæ, ſignū cōmemoras. Sed, qui ſunt homines iſti, quorum infamiam pertimeſcis? Boni minime tibi formidandi ſunt. Hi namque probe norunt, decus, & honeſtatem, in animi moderatione conſiſtere. Non, inquit, hos vereor, ſed multitudinem. O flagitium minime ferendum. Hominem, honeſtatis ſtudio flagrantem, eo redigi, vt fiat multitudinis amentis, & effrenatæ, mancipium? Quid enim populo furioſius? quid multitudinis opinione dementius? quid plebis inſanæ iudicio turbulentius? Ex te vero libenter audierim, quos tibi homines in qualibet arte cōſulendos arbitraris: paucos ne, artis illius, cuius opem requiris, peritiſsimos? an multitudinem, artis ipſius ignaram? paucos certe, quos artifices egregios eſſe non ambigis. Cur igitur idem in honeſtatis iudicio non facis? cur non paucorum hominum, qui dignitatis opibus antecellunt, integrum iudicium opinioni furentis, & flagitioſæ, multitudinis anteponis? Quæro deinde, quanta ſit illa multitudo, cuius iudicium anxie reformidas? Nec enim opinor, te omnibus ciuibus tuis eſſe notum: tantum abeſt, vt vniuerſa Hiſpania, Gal-

lia,

lia, Germania, & omnes denique nationes, quæ vel ad Solis occaſum, ved ad ortum, vel ad Septemtriones, vel ad Auſtrum, pertinẽt, te natum eſſe ſciant. Vt autem omnes tuum aliquando nomen audierint, quam diu vigebit iudicium illud, cuius metu, atque formidine, conturbaris? Non vides, non ſentis, non conſideras, omnes inanes rumuſculos intra ſpatium breuiſsimi temporis euaneſcere? auram gloriæ popularis exſtingui? falſam infamiam obliuione ſempiterna deleri? eamq. ſolam dignitatem, quæ radice veræ virtutis innititur, fixam, & ſolidam eſſe, nullisq. ſęculis interituram? Excita igitur mentem; vires inuictæ virtutis aſſume; animo excelſo cælum ſuſpice; angelorum theatrũ tibi propone. Si enim multitudine commoueris, ſunt innumerabiles; ſi bonorum iudicio duceris, Diuina ſapientia cumulati ſunt. Si iudicij conſtantiã requiris, non hærent, & fluctuant, nec a confirmato iudicio deducuntur. Non tamen hic inſiſtere licet homini mentis altitudine prædito. Altius igitur tibi euolandũ eſt, vt dignitatis, & gloriæ, diſciplinam percipias. Dei igitur præcellentiſsimum numen, quantum potes, intuere; maieſtatem illius infinitam conſidera, ſapientiam admirare; & intelliges, tantum illius vim, & mentem, angelis omnibus antecedere, quantum ne cæleſti quidẽ oratione explicari vlla ratione poſſit. Vniuerſa namque cælitum agmina, ad illum ſolum collata, ne minimi quidem momẽti inſtar obtinent. Præterea, ille ſolus eſt honeſtatis totius auctor, ſolidæ gloriæ parens, & veriſsimæ gloriæ fons, & origo. Illi igitur, qui ad decus, & dignitatem, adſpirat, Dei ſolius iudicio ſtandum eſt; illius conſilio nitendum; omniaq. ſtudia decoris, & honeſtatis, ad illius legem, & voluntatem, moderanda ſunt. Nunc igitur tibi ſtatuendum eſt, vtrum malis in dignitatis iudicio, in ſentẽtiam bonorum, qui ſunt honeſtatis opibus ornati, diſcedere; an temeritate multitudinis infamis, atque flagitioſæ, gubernari? omnem rationem dignitatis in æternitate collocari; an infamiam, quæ momento temporis euaneſcit, extimeſcere? ſit ne clarius, omnium angelorũ ſententiæ confidere; an, hominum rumoribus inaniſsimis, a rectæ mentis ſtatu dimoueri? atque, vt nihil aliud dicam, Diuino iudicio cum gloria ſempiterna confirmari; an humano potius cum ignominia ſempiterna de veriſsima dignitatis ſententia deturbari? Non eripit Deus honeſtatis ſtudium, ſed falſam opinionem hominum, qui, ficta ſpecie honeſtatis illuſi, turpitudinem ſempiternam ſubeunt, euellit. Non obſiſtit hominum præſtantiæ, nempe, quos in cælitum numero ſcribere ſtudet; ſed rectam gloriæ viam aperte demonſtrat. Eam porro, non in feritate, ſed in humanitate; non in iracundia, ſed in manſuetudine; non in odio, ſed in caritate; non in vindicta, ſed in uenia; non denique in animi perturbatione, ſed in tranquillitate, poſitam eſſe docet. His virtutibus, Diuinæ mentis vſus, & gratia, comparatur. His ad ſummum ſapientię gradũ peruenitur, adſcenſus his in cælum magnificentiſsime præbetur; his tandem fiunt homines immortalitatis, & ſtatus Diuini, participes. Quo circa omnes, qui præclara ad honeſtatem indole præditi ſunt, hortor, & moneo, vt populares inſanias deſpiciant, neque patiantur ſibi a flagitioſiſsima plebe iugum turpiſsimæ ſeruitutis imponi; neque, ex multitudinis inconſideratæ peruerſo iudicio, de honeſtate, & turpitudine iudiciũ faciendum arbitrentur; ſed Diuinum perpetuo ſequantur. Nec enim multitudo eos e ſempiternis ignominiæ tenebris eripiet; ſed Deus eſt, qui illos decoris ſempiterni muneribus illuſtrabit, ſi fuerint Chriſti, noſtri imperatoris, & domini, manſuetudinem, & humilitatem, totis viribus imitati.

ORA-

# ORATIO V.

*ET ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego vidi: & teſtimoniũ perhibui, quia hic eſt filius Dei.* Perſtat Ioannes in ſententia, & in eo contendit, vt liberet teſtimonium ſuũ omni ſuſpicione humanæ neceſsitudinis; & oſtendat, diſciplinam, quam publice tradit, non ab hominibus, ſed a Deo, profluxiſſe. Nõ me, inquit, vlla ratio propinquitatis, aut familiaritatis, in eam mentem impulit, vt hanc vnam prouinciam tanto ſtudio, labore, & contentione, ſuſciperem, vt maximis vocibus teſtificaret, hunc, quem videtis, eſſe filium Dei. Ego enim eum numquam oculis adſpexerã; conſuetudine illius numquam vſus fueram; nec verba quidem illius audieram. Mirifice igitur cupiebam cernere, quisnam eſſet veriſſimi lauacri, per quod omnes animi ſordes eluuntur, auctor. Qui vero me miſit, vt hoc baptiſmo, quod veriſsimum illum baptiſmum adumbrat, viam munirem illi, qui venturus erat, vt mundi peccata ſacris ſanctiſsimis oblitteraret, hoc me ſigno ad cognitionẽ illius inſtruxit. Super quem, inquit, videris ſpiritũ deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto. Spiritus ſancti deſcenſus impetum ipſius ſpiritus, quo ſe in auctorem ſalutis demiſit, explanat; manſio autem illius, ſtabilitatem perpetui domicilij, quod ſibi in anima illius conſtituit, aperte declarat. Euenit enim ſæpenumero, vt a multis ſanctis Spiritus ſanctus interdum, aut nonnulla labe violatus, aut remiſsione ardoris offenſus, emigret: id autem in Chtiſto cerni non poterat. Et ideo inquit, Et manentẽ ſuper eum. Quemadmodum Iſaias inquit: Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini. Non breuem aliquam Spiritus ſancti motam, ſed requietem, nominat, illam coniunctionem, qua ſibi Diuinus ſpiritus in anima liberatoris noſtri ſempiternam ſedem collocauit. Sed, cut dixit Ioannes, Chriſtum ſibi minime notum fuiſſe, cum in matris aluo ad illius aduentum mirabiliter exſultauerit? Quia humana tantum ratione ſibi prorſus ignotum fuiſſe dicit illum, quem mente, non corpore, ſpiritu, non ratione, Diuino lumine, non ſenſus euidentia, perſpexerat. Hæc enim particula orationis eo pertinet, vt oſtẽdat, illam cognitionem Chriſti, quam habebat, non humanis ſenſibus, ſed Diuinis muneribus, eſſe tribuendam. Cur autem ſignum adducit illud, cuius monitu percepturus erat, illum baptiſmi ſalutaris architectũ eſſe, cum, etiam antequam ſpeciem columbæ ſuper eum manentis adſpiceret, illum digito monſtrauit, Agnumq. Dei nominauit, eo tempore, quo illum ad baptiſmum venire conſpexit: quod etiam ex alijs Euangeliſtis planiſsime conſtat? Quia ſæpe fit, vt homines Diuini multa præcipiant animis, ante, quam promiſſa ſigna perſpiciant. Claritas enim Diuini luminis anteuertit, & ſigna exſpectari non ſinit a mẽtibus puris, & iam clariſsima luce collucentibus. Sic Abraham, multo ante, quam ſigna, quæ fuerant ſibi a Deo prædicta, videret, id, quod erat ſignis aperiendum, animo complexus eſt. Sic Moſes, ante, quam ſigna conſpiceret, multa, quæ erant ſignis præmonſtranda, cognouit. Similiter Gedeon, alijq. viri Diuinis virtutibus ornatiſsimi, multa comprehenderunt, quæ erant illis deinde ſignis multo clarius explicanda. Ad eundem igitur modum Ioannes, ſimul atque Chriſtum ad ſe venientem animaduertit, ſignum non exſpectauit. ſignum quidem non fuit oſtẽſum, niſi poſtquam Chriſtus ab illo baptizatus eſt. Ioannes tamen, ſimul atque Chriſtum vidit, monitu eiuſdem Spiritus incitatus, exclamauit, dicens, Ecce Agnus Dei: Et ego vidi, inquit, & teſtimoniũ perhibui, quia hic eſt filius Dei. Non humana coniectura ducor; non hominum fama commoueor; non ſuſpicionem, a ſenſibus ortam, ſequor. Ipſe namque mentis oculis claritatem illius inſpexi; numen adoraui; gloriæ magnitudinem contemplatus ſum; & ideo ſatis conſtanter aſſerui, hunc eſſe filium Dei. Rectiſsime ſe vidiſſe, teſtificatur. Non enim vident, qui corporis oculis aliquid adſpiciunt; ſed, qui mentis aciem Diuinitus in res Diuinas intendunt. oculis enim inſidiæ innumerabiles intenduntur: adſpectus autem mentis, Diuino lumine collucentis; nullis fraudibus obſcurari, atque peruerti, poteſt. Iccirco Prophetæ olim Vidẽtes appellati ſunt. Soli enim, qui Diuina luce perfuſi ſunt, vera cernunt. Itaque Ioannes clariſsime vidit, cum multis alijs rationibus, tum vel maxime, quod illius ſolum numine omnium peccatorum maculæ deleri conſpiceret. Nemo enim peccata delere poteſt, niſi ſolus Deus. Hanc igitur doctrinam omnibus inculcabat; & omnes hortabatur, & admonebat, vt in hoc ſummo Domino omnes ſpes ſalutis ardentiſsima fide collocarent. His vocibus illa ſolitudo circumſonabat; illarum fama, & prædicatione, multitudo vndique confluebat. *Altera die iterum ſtabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo. Et reſpiciens Ieſum ambulantem dicit, Ecce Agnus Dei.* Animus, ſtudio Diuini amoris vehementer inflãmatus, numquam ſibi ſatisfacit; & ideo eadẽ verba, quæ ad ſanctiſsimæ religionis cultum, & ho-

Iud. 6.

& hominnm ſalutem,pertinent,ſępius ſibi repetenda decernit.

*Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum.* Non audiunt illi,qui dicentis orationem ad aures qnidem admittunt,ſed illius ſententiam minime ſequuntur,& monita ſapientis magiſtri deſpiciunt. Hoc non fecerunt duo illi diſcipuli Ioannis. Non parum enim in diſciplina magiſtri progreſsi ſunt, qui,monitis illius incitati,perſpexerunt,omnes neceſsitudines eſſe illis,cum opus ita fuiſſet, omnino deſerendas, vt ſolum Chriſtum ſequerentur.

*Conuerſus autem Ieſus, & videns eos ſequentes ſe, dicit eis, Quem quæritis? Qui dixerunt ei, Rabbi (quod interpretatur Magiſter) vbi habitas? Dicit eis, Venite, & videte.* Duo ſunt hoc in loco ſumme conſideranda. Vnum eſt bonorum ſtudium, cupiditate diſciplinæ cæleſtis incenſum,vt eos ſequamut; alterum eſt, magiſtri benignitas, qua eos erudiendos ſuſcipit, vt, amore tantæ benignitatis excitati,animum ad diſciplinam illius acrius applicemus. Neminem excludit, qui velit vere, & ex animo, ſe ad nomen illius adiungere. Commodum ſuum exſpectari,non vnlt. Temporis dilationem non flagitat; ſemper paratus, & expeditus eſt, ad ſalutarem diſciplinā omnibus tradendam, & explicandam. Sapienter igitur Iſaias nos admonet,vt Deo gratias immortales agamus,qui nobis ſummum iuſtitiæ doctorem dedit; cuius exemplis,monitis,& inſtitutis, poſſemus in cæleſtes ſedes recta peruenire. Diſcipuli Ioannis illum magiſtrum nominant,quo nomine demonſtrant, ſe eſſe Diuinæ doctrinæ cupidiſsimos; vbi habitent,ſane diligenter inquirunt, quo ſignificant, ſed illum,quem tunc ſequebantur, frequenter eſſe venturos. Magiſter ſummus eorum ſtudiū non aſpernatur; vbi habitet, oſtendit, eosq. hoſpitaliter inuitat.

*Venite, inquit, & videte. Venerunt, & viderunt vbi maneret, & apud eum manſerunt die illo: hora autem erat quaſi decima.* Hora non ſine cauſſa deſcribitur,vt intelligi poſſet,illos non negligentet eum, quem doctorem habere cupiebant,aſſectatos fuiſſe. Duæ namque ferme horæ reſtabant, vt Solis digreſſu nox terras opacaret. Cum autem longinquum iter fuiſſet, opns erat, vt apud Chriſtum manerent. O felix, & ſalutare, conuiuium; o dapes illas iucūdiſsimas,quibus homines illi accepti ſunt; o cena plane Diuina, quæ beatos hoſpites, & voluptate mirifica perfudit, & nouo robore confirmauit. Ita igitur tunc a Chriſto diſceſſerunt, vt continuo quidam ex illis Apoſtoli munere fungeretur.

*Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierant a Ioanne, & ſecuti fuerant eum.* Andreas, cum ex inuentione theſauri mirabiliter exſultaret, non tantas opes inuidioſe celandas exiſtimauit, ſed, quod erat nō germanitatis tantum, ſed etiam humanitatis,eas continuo cum fratre communicauit. Sequitur enim:

*Inuenit hic primum fratrem ſuum Simonem. & dicit ei, Inuenimus Meſsiam, quod eſt interpretatum Chriſtus.* Alij quidem diſcipuli munus idem obierūt, &,cum primum Chriſti notitiam acceperunt, operam ſtrenue dederunt, vt fratres,& neceſſarios,ad Chriſtum adducerent: primus tamen omnium Andreas hoc officio functus eſt. Gaude, inquit, tanto bono, frater mi. libertatis enim noſtræ vindicem, ſempiternæ ſalutis auctorem, bonorū omnium largitorem, Regem denique illum ſummum, ab omnibus olim ſanctis hominibus, ardentibus votis,& aſsiduis precibus, expetitum, in quo ſunt poſitæ omnes ſpes Iſraelis, inuenimus; habitum oris oculis vidimus; ſermonem auditu percepimus; vberrimosq. fructus ex illius benignitate conſecuti ſumus. Quid frater ad hæc reſpondere potuiſſet? Hoc videlicet. Quo argumento ducetis, vt adeo conſtāter te Chriſtum vidiſſe teſtificeris? In principio quidem, inquit, ſatis magnum pondus erat in Ioannis teſtimonio ponendum. Viri enim admirabilis ſanctitas, vitæ ſumma grauitas,& conſtantia,ſapientia poſtremo Diuinitus inſpirata, mendacij contaginm nullo modo prorſus admittit. Qnid enim eſt, quod hominem Diuinum mentiri compellat? Diuitiarum cupiditas,quas ille cōtempſit? Principum gratias, quas modis omnibus aſpernatur? Aura popularis, quam ita deſpexit, vt ſummum ſibi honorem a populo ſumma conſenſione delatū,ſumma contentione reijciat? Fieri non poteſt: maxime vero,cum nihil omnino a ſe ipſo promat; ſed omnia, quæ loquitur,de mentis Diuinæ ſententia loquatur. Is igitur me ſic inſtituit, & erudiuit, & monuit, vt, ſe relicto,illum ſequerer,& in illo tantum, qni ſolus poteſt omnia peccata delere,& ſalutem,& opes immortales, cnnctis hominibus, qui ſtudia ſua ad nomen illius adiungerent, elargiri,omnes ſpes meas collocarem. Ioannis igitur oratione,perſuaſus, eum, qnem vir ille ſanctiſsimus digito monſtrauit, ſectari conſtitui. Sed iam de Ioannis teſtimonio minime laboro. Ipſe nāque vidi oculis meis, & intimis animi ſenſibus ipſius Chriſti numē vſurpaui. Quo tandem, inqnit, modo? Primum quidem,inquit,ſpecies admiranda, neſcio quid Diuinum intus incluſum latere ſignificat. Ineſt in oculis ſplendor admirabilis, & acies maxime vigens, &, quoties opus eſt,in omnes partes intenta. Regia maieſtas apparet in vultu, cum eximia manſuetudinis lenitate cōiuncta,vt intuentibus ſimul & metum inijciat, & mirabilem amorem excitet. Tanta namque lucet illius in grauitate ſumma iucunditas, & in humilitate ſeueritas, vt illum ſimul & revereri,& amare,compellaris. Quid de illius oratione dicā? Quoties enim

myſteria

myſteria diſciplinæ cæleſtis enuntiat, dulcedo ex illius ore inexplicabilis emanat, & acres ſimul ſtimuli animis admouentur, & mentes nouo, & inſolito, ſplendore collucẽt, & ſenſus, a rebus humanis abſtracti, rerum diuinarum deſiderio concaleſcunt, vſque eo, dum ingentem flammam corripiant. Verba namque illius in omnes partes animi penetrant, vt obſcuris lucem, afflictis ſolatium, ęgris ſanitatẽ, oppreſsis alleuamentum, vinctis libertatem, afferant; & totum denique hominem, qui illi aures præbere voluerit, breuiſsimo temporis ſpatio commutet. Quid dicam? Cernis, quam inſigni virtute, ſanctimonia, ſapientia, præditus ſit magiſter meus Ioannes? quanta vi, & vbertate, orationis excellat? quanto impetu elationem deprimat, humilitatem erigat, ſtudiumq. pietatis incitet? At tantum huius eloquentia Ioannis in dicendo vim ſuperat, quantum explicare non poſſum. Eius namque oratio primum ſenſim illabitur; deinde in animo penitus inſidet; tum, ignem in præcordijs implicat, & mentem, deſiderio, & cupiditate, vitæ immortalis, inflammat. Quare minime iam teſtimonium Ioannis requiro; cum ipſe plane viderim, quod Ioannes ſępe teſtificatus fuerat. Quis enim tantos motus in animo, cum admirabili vitæ conuerſione, niſi Dei filius, excitare potuiſſet? Sed, quid opus eſt verbis? Veni, vide, & explora: quod ego verbis explanare nequeo, re ipſa percipies. His, aut ſimilibus, verbis Andreas fratrem, vt ad Chriſtum veniret, perſuaſit. Sequitur enim:

*Et adduxit eum ad Ieſum. Intuitus autem eum Ieſus, dixit, Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Simonis nomen non eripit; ſed, pręter antiquum nomen, vult Dominus, vt idem Simon, Cephas etiam nominetur. Nomen Simon verbo Hebræo שמע, quod eſt Audire, ductum eſt. Itaque Simon idem eſt, quod Dicto audiens, & credens. Nomen autem Cephas, apud Chaldæos, & Syros, Petram deſignat. Idem enim eſt, quod apud Græcos Πέτρος. Ex fidei namque obedientia robur exoritur, quod tanto maius, & admirabilius, in Petro fuit, quanto illius dignitas illuſtrior exſtitit. Ideo namque electus a Domino fuit, vt eſſet Eccleſiæ princeps, fidei firmiſsimæ documentum. Erat quidem Simon, filius Iona, hoc eſt columbæ: homo fragilis, & imbecillus, erat, & innumerabilibus morbis expoſitus. Itaque, fluctibus agitari, & in uarias partes iactari, & tempeſtatis magnitudine concuti, & in profundo demergi, facillime potuiſſet. At, fidei firmitate, & conſtantia, id robur aſſumpſit, quod nullæ tempeſtates de ſtatu conuellere, poſtquam fuit in muneris ſibi commiſsi functione cõſtitutus, vlla ratione potuerint. Fuit igitur durior marmore, robuſtior ſilice, conſtantior adamante, tantaq. virium ſtabilitate firmatus, vt neque totius Erebi copiæ, & inferiorum manium exercitus inuicti, illum de ſtatu dimouere quiuerint.

*In craſtinum voluit exire in Galilæam: & inuenit Philippum. Et dicit ei Ieſus. Sequere me. Erat autem Philippus a Bethſaida, ciuitate Andreæ, & Petri.* O vim orationis admirandam, quæ ſic homines incitabat, vt, ſine vlla cunctatione, illum Dominum ſequerentur, qui verbo vita functos in vitam ſuſcitat, & eos, qui non obſtinatis animis beneficia diuina repudiant, opibus diuinis, atque ſempiternis, exornat. Itaque Philippus, cum non fuiſſet in flagitijs obfirmatus, Diuinaq. beneficia non aſpernaretur, lumine colluſtratus, inſpexit, omnem ſalutis rationem eſſe in Chriſti benignitate collocandam. Libentiſsime igitur Chriſtum ſecutus eſt; & ciues ſuos, vt idem facerent, diligenter admonuit.

*Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei, Quem ſcripſit Moſes in lege, & Prophetæ: inuenimus Ieſum filium Ioſeph, a Nazareth.* Communicatur paullatim ſũmi boni fructus; felicitatis fama diffunditur; diſcipulorum numerus augetur. Nathanael tamen in principio dubitauit, vt deinde fortior, & conſtantior, in debita fide permaneret. Inquit enim:

*A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Non erat imperitus Nathanael. probe nouerat ille, nõ Nazareth, ignobilem Galilææ ciuitatem, ſed Bethlehem, ciuitatẽ Iudæ, fuiſſe ortu Chriſti nobilitandam. Voluit Philippus ad obiecta reſpondere; reſponſumq. ipſi Domino reſeruauit. Inquit igitur:

*Veni, & vide.* Non repugnauit Nathanael. Non enim cogebatur credere, natale Chriſti ſolum eſſe Nazareth, quamuis Chriſtus ibi domicilium habuiſſet. Præterea, minimo labore poterat vir ſapiens certus de tanti boni veritate fieri. Vltro igitur ſe Philippo comitem adiunxit.

*Vidit Ieſus Nathanael venientem ad ſe, & dicit de eo, Ecce vere Iſraelita, in quo dolus non eſt.* Vt enim non ſunt vere Iudæi, qui præputij pelliculam circumcidunt, ſed, qui, circumciſa cupiditate, Deo, cum incenſa fide, miniſtrant; ita neqũe Iſraelitæ nominandi ſunt, qui ab Iſraele, quem parentem appellant, impie degenerant, ſed qui patris illius ſanctiſsimi fidem, atque mores, imitantur. Omnes homines, cum ad decus, & honeſtatem, nati ſint, inſita natura laudis appetentes ſunt: humanæ tamẽ laudes non ſunt nimis appetendæ, eo quod iudices plerumque ſunt veræ dignitatis ignari, &, quid intus in animo cuiuſque lateat, intueri non poſſunt, & varijs modis, ne veram ſententiam ferant, impediuntur. Nam, amore, odio, cupiditate, ambitione, & multis alijs valde peſtiferis morbis, oppreſsi, facillime a vero iudicio deducuntur. Quin etiam ipſi de nobis facere iudicium non poſſumus, eo quod nos ipſos plus nimio diligamus. Non (inquit

Paulus)

Digitized by Google

Paulus) qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt; ſed, quem Deus commendat. ampla igitur, & illuſtris, laus exſtitit Nathanaelis, quem Dei filius tam præclaris laudibus illuſtrauit. Veri namque Iſraelitæ nomine, fides, probitas, excelſus animus, vires inuictæ, & reliquæ hominis Diuini laudes, egregie continentur. Has autem virtutes omnes a Nathanaele veriſsime cultas fuiſſe, ex ipſius Chriſti teſtimonio perfecte nouimus, dum ait, In quo dolus non eſt. Non enim ſimulabat pietatẽ, & religionem, ſed animo ſimplici, atque puro, Deum venerabatur.

*Dicit ei Nathanael, Vnde me noſti? Reſpondit Ieſus, & dixit ei, Prius quam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te.* Quid hoc eſt? Numquid etiam, antequã eſſet ſub ficu, a Domino, qui omnia perſcrutatur, & inſpicit, & ea etiam, quæ in profunda terrarum caligine latent, clariſsime cernit, viſus non fuerat? Fuerat certe. Cur igitur ait, Cum eſſes ſub ficu, vidit te? Quia iuſti a Deo ſingulari ratione videri dicuntur, cum actiones pietatis, & iuſtitiæ, exſequuntur, & præclaris actionibus ad ſtudium gloriæ Diuinæ vehementius excitantur. Vnde plane conſtat, Nathanaelem ſub ficu ad cupiditatem cõmunis ſalutis exarſiſſe; Deumq. intimis ſenſibus pro Chriſti aduentu, vt reliqui ſancti homines faciebant, exoraſſe. O clementiſsime Domine, (vt ſuſpicari poſſumus) dicebat, quando erit ille dies, cum liberatorem generis humani videbimus? cum fructum fœderis illius, quod cum patribus noſtris ſanctiſsima religione percuſſiſti, capiemus? cum deletam tyrannidem, cũ libertatem conſtitutam, cum lucem Diuinam in terris, mentis oculis vſurpabimus? O beatos illos, qui tantam bonorum Diuinorum affluentiam viſuri ſunt, O ſumme Domine, cur tantum humanæ miſeriæ remedium differri, atque procraſtinari, pateris? cur nos diutius tantis angoribus, & acerbitatibus, opprimi, & afflictari, permittis? non retardet tuæ probitatis immenſitatem humani ſceleris offenſio: non impediat infinitam clementiam vitæ noſtræ peruerſitas: immo ea de cauſſa tuum aduentum cupimus, vt ſcelera noſtra diluas, & peruerſitatẽ impietatis exſtinguas, vt poſsimus ampliſsimo tuæ benignitatis fructu potiri. Vtinam dirumperes cælos, & venires, & a facie tua Satanæ imperium deflueret, & omnes Diuini nominis hoſtes ſempiterni conciderent. Vtinam terra iam nobis vindicem ſalutis germinaret, qui nos e tãtis malis, quibus miſerrime circumuenti ſumus, eriperet. In huiuſmodi, vt credere par eſt, erat animus Nathanaelis occupatus ſub ficu, antequam Philippus illum vocaret: & ideo dicit Dominus, Cum eſſes ſub ficu, vidi te. Tunc enim præcipue videntur a Deo iuſti; cum, bonis cogitationibus expleti; Deum ſuppliciter orant, & pro communi ſalute vota ſuſcipiunt.

Nullum igitur vir ſapiens aliud teſtimonium requiſiuit. Nam Diuinitatis argumentum animo complexus eſt. Intellexit enim, Dominum illum eſſe, qui nõ ſolum longe ſemota cernit, verum & omnia, quæ verſantur in animis, explorate cognoſcit. Quis enim intimos animorũ receſſus intueri poteſt, niſi ſolus Deus? Hoc igitur argumento, ſapienter, eruditus vir, excellens Chriſti numen, voce clariſsima confeſſus eſt. Sequitur enim:

*Reſpondit ei Nathanael, & ait, Rabbi. tu es filius Dei. tu es Rex Iſrael.* O confeſsionem præclariſsimam, ex ardenti fide depromptam, quæ tantam gloriæ dignitatem ab ipſo Dei filio conſecuta fuit. Quid enim prætermiſit, quod ad Chriſti gloriam pertineret? Cum enim Magiſtrum nominat, id enim Rabbi nomen Hebræum deſignat, ita ſe diſcipulum illius profitetur, vt reliquas artes humanas pro nihilo ducat. Non enim Philoſophia ſapientes efficit; non Iuris humani prudentia morbos animi curat; non artes Mathematicæ quidquam ad ſalutem conferunt; non denique ſunt vllæ diſciplinæ hominum ingenijs excogitatæ, quæ viam in cælum muniant. Sola Chriſti diſciplina veram ſapientiam tradit. Animos enim ſanat; & ſalutem præſidio firmo conſtituit; in cælumq. tandem feliciſsime perducit. Cum vero Dei filium nominat, illius numen ardentiſsime veneratur; illumq. ſummum bonorum omnium prædicat; in illiusq. immenſa, & infinita, clementia omnes ſibi rationes ſalutis, & dignitatis, atque gloriæ ſempiternæ, reponendas eſſe conſtituit. Cum poſtremo Regem appellat, illius ſe legibus adſtrictum ſemper fore confirmat, fideq. dat, nullam apud ſe rem fore tanti, vt eum cogat ius Diuinum aliqua ex parte violare. Nihil autem fingit; nihil ſimular; vere, & ex animo, loquitur; cum & magiſtrum ſempiternæ iuſtitiæ, & Dei vnicum filium, immenſa poteſtate præditum, & ſummum Regem immortalis gloriæ, confitetur. Verus enim Iſraelita eſt, in quo dolus non eſt. Fuit igitur hæc illuſtris, & clara, confeſsio, laude ſempiterna digniſsima: quo circa Dominus eam inſigni laude proſequitur. Ait enim:

*Quia dixi tibi, Vidi te ſub ficu, credis: maius his videbis.* Hominis pij fidem exornat, clarioremq. illi fidei lucem, & ampliora ſapientiæ præmia, pollicetur. Non enim Diuina benignitas in vno gradu reſiſtit, ſed maiore ĩ dies lumine eos, quos in fidem recipit, illuſtrat, &, pro fidei auctæ, & amplificatæ, ratione, clariora ornamenta in ſuos congerit. Ait deinde:

*Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertũ, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſuper Filium hominis.* Mirificam antiquitatis memoriam replicat, & myſterium hiſtoriæ valde illuſtris explanat. Iacob, cum, fratris ſui metu, patris domum relinqueret, & in Meſopotamiam iter faceret, in quodam loco, eo quod

Sol in occaſum vergeret, capere quietem conſtituit. Lapidem igitur pro ceruicali capiti ſuppoſuit; &, ſomno dulciſsimo conſopitus, per viſum nocturnum arcana nimis admirãda contemplatus eſt. Vidit enim ſcalam terrę affixam, quæ cælum pertingebat. Angelos autem Dei, adſcendentes, & deſcendentes, per eam, ſibi cernere videbatur, & Dominum ipſi ſcalæ innixum ſibi dicere, Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac. terram, in qua dormis, tibi dabo, & ſemini tuo; eritq. ſemen tuum ſicut pulnis terræ. Dilataberis ad Orientem, & Occidẽtem, & Septemtrionem, & Meridiem, & benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ, & ero cuſtos tuus, quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc, neque dimittam, niſi compleuero vniuerſa, quæ dixi. Hoc autem oracnlum non eſt abſque fructu prætermittendũ. Primum enim eſt intelligendum, numquam iuſtos ope Diuina deſtitui: cum dormiunt, Dominus excubias agit, ne improuiſo poſsint ab inimicis opprimi: cum peregrinantur, ſe illis ſocium adiungit, vt, quoties opus fuerit, in periculis occurrat. Itaque virum ſanctum minime deſerebat, ſed antecedebat, & viam, quam iniret, demonſtrabat. Deinde, ex illis honoris ſni titulum, tamquam inſigne decoris ſui ornamentum, aſſumit. Eorum enim dicitur ſingulari ratione Deus. Iccirco eodem in loco ſe Deum Abraham, & Deum Iſaac, nominat. Poſtremo, cum illis arcana ſua ſumma fide communicat, & magnitudine promiſsionum animos eorum excitat, & inuictæ virtutis robore communit. Sed, quid hoc admirabile viſum portenderit, clarius videamus. Scala hnmanam Chriſti naturam deſignabat. Ea ſic in terris ad generis humani ſalutem firmata fuit, vt altitudine ſua cælum penetraret, aditumq. in cælum, omnibus, qui Chriſtum ſequerentur, in cæleſtes ſedes aperiret. Angeli per eam adſcendunt, atque deſcendũt, quia omnes ſunt noſtræ ſalutis adminiſtri, in miniſterium miſsi; propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis. Hi, & poſtulata noſtra ad Deũ deferunt, & nobis ab eo beneficia freqnenter impetrant. Hoc autem commercium, quo cælum terræ coniungitur, humannmq. genus angelorum præſidio conſtipatur, hominesq. magni mente in cælum adſcendnnt, vt Dei gloriam contemplentur, & rurſus deſcendunt, vt ad angelorum exemplum hominibus caritate ſubueniant, per hanc ſcalam conſecuti ſumus. Dominus autem, ſcalæ nixus, verbum ſempiternum eſt, atque ſnmmi patris imago. filius enim Dei, quem tunc Iacob, quantum fas erat, intuebatur, ſic humanam naturam ſibi fœdere ſempiterno colligauit, vt numquã ab illa diſcederet. ibi tunc prænuntiauit idẽ Dominus homini ſancto generis humani ſalutem, & libertatem, & gloriam ſempiternã, quæ erat ſine vllo diſcrimine cunctis hominibus, qui fidem ſancte colerẽt, afferenda. Iacob igitur, expergefactus magnitudine tanti myſterij, vehementer ſtupens, ait: Quam terribilis eſt locus iſte? nõ eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli. Quam Domum Dei nominat? Dominus enim in domibus manu factis non habitat. In Chriſto igitur ſibi ſedem, & domicilium ſempiternum, a quo numquam, in omni ſæculorum æternitate, demigraret, inexplicabili ratione conſtruxit. Quam Portam cæli vocat vir ſanctus? Non alia cæli porta cogitari certe poteſt, præter eam, per quã acceſſum habemus ad patrem. Per Chriſtum enim in cælum ingredimur, vt, intromiſsi, fructu hereditatis ſempiternæ potiamur. Hac igitur conſideratione commotus Iacob, lapidem, in quo, de via deſeſſus, acquieuerat, erexit, in tanti miraculi monumentum; & oleum in lapidem infudit, vt Chriſtum deſignaret. Lapis enim Chriſtus eſt, lætitiæ oleo perfuſus præ conſortibus ſuis. Vt autem clarius myſterium exprimeret, appellauit locum illum Bethel; hoc eſt, Domum Dei. Hoc enim nomen hoc apud Hebræos ſignificat. Hoc eſt autem hiſtoriæ ſacramentum. Num ad Domini mentem, & ſententiam, reuertamur. Quid eſt igitur, quod dicit, cum ait, Num videbitis cælum apertum, & Angelos Dei adſcẽdentes, & deſcendẽtes ſuper filium hominis? Hoc nempe. Quod olim Iacob per ſomnium vidit, vos clare cernetis. Ille ſcalam ſibi videre viſus eſt; vos filium hominis, per quem adſcenſus in cælum datur, & cuius ope, & gratia, hnmano generi mnnera Diuina, angelorum opera, deferuntur, adſpicietis. Ille angelum, qui Domini ſpeciem referebat, ſcalæ nixum, contemplatus eſt; vos ipſum Dei filium, in Chriſti mente mirabiliter inſidentem, ex operibus Diuinis explorate cognoſcetis. Ille petram oleo conſperſit; vos in ſanctiſsimo ſacerdote, atque in ſummo rege, Spiritus ſancti oleo perunctio, defixos oculos habebitis. Ille locum, qui domũ Dei ad breue tempus adumbrauit, religioſe coluit; vos ipſam Dei domũ ſempiternam, cultu veriſsimæ religionis ardentiſsimo, celebrabitis. Quod igitur ille in figura, & imagine, vidit, vos cum ampliſsimo fidei fructu percipietis. Videbitis, non ſolum Nathanaelem, ſed innumerabilem hominum multitudinem, ex omnibus terrarum regionibus ab angelis adſcitam, vt mea gratia in cæleſtes ſedes euehantur. Hæc illius ſententia eſt; quem ſuppliciter obſecremus, vt nos eiſdem beatiſsimis viris annumeret.

ORA-

# ORATIO VI.

*TErtia die nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat mater Ieſu ibi.* Veniet fortaſſe multis in mentem, admirari, quæ cauſſa impulerit ſummum illud honeſtatis, & ſanctimoniæ, documentum, & ſanctiſsime dedicatum verbi Diuini ſacrarium, atque, vt nihil aliud dicam, Ieſu, Domini noſtri, matrem, quæ ſemper ab omni tenuiſsima ſuſpicione leuitatis abhorruit, nuptijs intereſſe, a quibus omnes ferme, qui ſeſe excellentius in ſtudio ſeueritatis, & continentiæ, gerunt, maxime fugiunt. Quid hoc eſt, (inquiunt) quod audimus? Virginem ſauctiſsimam, quæ a primis annis corpus, & animum, ipſi Deo conſecrauit, nuptiarum ineptias, & intemperantiæ ſigna, ſpectare voluiſſe? in illis enim plerumque cernimus pudorem exterminari; impudentiam dominari; nihil ſeuere, & religioſe, fieri; nullum denique ſignum grauitatis apparere; ſed omnia laſciue, atque nimis petulanter, adminiſtrari. Sed, quam multi errores in vita verſentur, in humanis iudicijs admodum frequẽter exploramus. Multa namque homines, quæ recta, quæ ſancta, quæ laudabilia, ſunt, temere condemnant, dum non in rei cuiuſlibet naturã, ſed in ipſius rei peruerſum vſum, oculos, ſine ratione, conijciunt. Natura enim rei, quæ male geritur, non poteſt iure reprehendi. Tolle ſuſcepti muneris vitia; ſuſpicionem leuitatis, & intemperantiæ, remoue; (quod grauiter, & moderate, fieri debet, ne patiaris coniunctione turpitudinis inquinari) & tum demum cernes, multa, quæ fortaſſe vituperas, eſſe laude digniſsima. Aliter enim, quid erit tam ſanctum, quod non poſsit prauis vſibus inquinari? Honorabile, inquit Paulus, connubium, & thorus immaculatus. Multa tamen connubia turpitudine contaminata cernimus, innumerabiles thoros flagitio pollutos eſſe nouimus, quos Paulus minime laudandos eſſe iudicat. Vitium non eſt in re, ſed in flagitio, quo res ſacroſancta violatur.

Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. At matrimonium non ſolum a Deo factum eſt, ſed in omnium rerum, quæ tunc a Deo facta ſunt, principatu conſtitutum.

Nam, ſi cælum, & terra, & omnia, quæ cæli complexu, & terræ gremio, continentur, ad vſum hominum creata ſunt, fruſtra certe tanti operis molitio ſuſcepta fuiſſet, ſi omnia vnius hominis cauſſa condita, & conſtituta, fuiſſent. Non amat ſumma bonitas in beneficijs conferendis anguſtias; non ſolitariæ hominum naturæ, ſed innumerabili multitudini, conſultum eſſe vult. Nemini enim ſuas opes inuidit, ſed eas liberaliſsime cum vniuerſitate communicat; eamq. vniuerſitatem ſtatuit, vt eſſet inter ſe agnationis iure deuincta; & iccirco ſanxit, vt vniuerſum genus humanũ ab vno tantum principio flueret, vnũq. tantum parentem haberet; vt ita nemo ſe iure poſſet alijs anteponere, nec animum a fratribus ſuis alienum gerere. Vniuerſi namque fratres habendi ſumus, nempe, quod ortum ab vno ſolo principe generis habeamus. Sic igitur naſci nos voluit ipſe Dominus, & in iuſtitiæ operibus exerceri, vt ex ingenti hominum multitudine ſeligeret, quos tandem in cælum eueheret, vt opibus ſempiternis fruerẽtur. Eſt igitur Matrimoniũ, amoris ſacroſancti fœdus, humanæ ſocietatis admonitio, iuſtitię ſalutaris inſtitutio, humani generis inſtauratio, immortalitatis quoddã genus, mortis iniuriam, ſobolis renouatione, compenſans. Quod. n. mors continenter abſumit, matrimonium plerumque cum lucro reſarcit. Eſt præterea Matrimonium, Reip. cæleſtis amplificatio, &, quod caput eſt, Matrimonij illius ſacramentum, quo Chriſtus Eccleſiæ ſuæ coniungitur. Quid igitur? Matrimonium quiſquam vituperare audeat, quod tanto cõſilio a ſumma bonitate, & ſapientia, inſtitutum fuit? ex quo tãta complexio bonorum in vniuerſum orbẽ terrarum redundauit? quod denique ſanctiſsimus ipſe Dñs conſecrauit? & mirabilibus ornamẽtis inſtruxit? Nemini igitur mirũ videatur, ſanctiſsimam Chriſti matrem nuptijs interfuiſſe nẽpe, quas optime ſciebat ĩ maximis operibus Diuinis eſſe numerandas. Itaque sũmo cõſilio ſtatutum fuit, vt illa nuptias honeſtaret præſentia ſua, quas hæretici erant maledicentia ſua pro viribus impugnaturi. Illa igitur perditorum hoĩum furorẽ, & amentiã, qui nuptias ad auctorem Diabolum poſtea referebant, pręſentia ſua refutauit. Hoc tñ intelligendum eſt, in nuptijs, in quibus Dñi mater accubuit, neque feſceninos verſus, neque molles, & laſciuas, cantiones auditas eſſe; neque quidquam fuiſſe ſecus, q̃ matrimonij ſanctitas poſtulat, adminiſtratum. Id autem multo magis confirmat id, quod continuo ſequitur:

*Et vocatus eſt Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias.*

O nuptiæ feliciſsimæ, quas rerum oĩum Dñs pręſentia ſua celebrauit. Illud certe connubiũ ſanctum, & immaculatum, fuit, nempe, quod neque lenones oratione fraudulenta cõiunxerunt, neque paraſiti impudentia ſua fœdauerunt, neque petulantes ſaltationes ad aliquã ſpeciem leuitatis inflexerunt; ſed oẽs grauitatis, & ſanctimoniæ, partes ab oĩbus retentæ ſunt, vt eas rerum omnium Dñs multiplici fructu, & opibus ſẽpiternis, egregie cumularet. Sed, quam opipare conuiuium inſtructum fuiſſet, operæ pretium erit attẽdere. Sequitur. n.

*Et deficiente vino dicit mater Ieſu ad eum, Vinum non habent.* Hæ ſunt nuptiæ,quibus Rex, cæli, mundiq. totius,dominator, interfuit, in quibus viui pænuria, qnam tenues eſſent opes eorum,qui matrimonio iungebãtur, aperte demonſtrauit. Quod ſi vinum deficiebat, neque dapes quidem erant abundãtes, neque nimis exquiſitę.omnibus enim modis omnium rerũ Dominus ab exordio vitæ pauperiem conſectatus eſt. humanas opes contempſit; auaritiæ ſecurim inflixit; delicias aſpernatus eſt; omnia denique,quibus ſuperbia animis ingeneratur,& corpus mollitia diffluit,contubernio ſuo indigniſsima iudicauit. Animus enim, opibus inſolenter elatus, & in molliſsimo cultu ab incunabulis enutritus, verba diſciplinæ cæleſtis plerumquerepudiat. facillime namque lauti homines ludibria vitæ opibus ſempiternis anteponunt; & iccirco illis, quos eſſe vident ſtudijs diuerſis addictos,intemperanter illudunt.Duplici igitur ratione Dominus, cum diuites contemneret, ad ſe pauperes allexit.Prima fuit,vt oſtenderet, non eſſe veras diuitias in opibus huius vitæ collocandas; altera,quia cernebat,quam intolerãdo faſtidio diuites opes ſempiternas deſpicerent.

*Dixit autem Mater Ieſu ad eum, Vinum non habent. Dixit autem ei Ieſus, Quid mihi & tibi mulier? nondum venit hora mea.* O ſummum benignitatis exemplum, ad ſubleuandas humanæ vitæ miſerias mirabiliter incitatũ; quod tanta cura,& ſollicitudine,matrimonij illius inopiæ conſulendum exiſtimauit.Erat pænuria illa miſeranda: impendebat non mediocris ignominia ſponſis: tempus,quod erat animorum laxamento,& hilaritati,dicatum,rubor, atque dedecus, occupabat. Cõuiuarum enim ſitis in inuitantium inſigne dedecus redundabat.Male certe accepti dapibus eſſe potuiſsẽt illi,quibus etiam vinũ in nuptiarum celebritate deficiebat.Sed inquies,Parum ſapiẽs pudor eſt ille, qui non ex flagitio, ſed ex pauperie,naſcitur. Verum.Sed tamen eſt in rebus etiam,quæ ſunt ab omni flagitiorum ſuſpicione remotæ,non ſolũ aliquid ingenuæ verecundiæ condonandum,ſed ẽt miſericordia tribuẽda.Iure rubẽt miſeri,cũ ſpem, ꝙ oſtenderant, cernunt,pænuria,ꝙ præ ſe minime tulerãt,incidi. Hoſpitum aũt, inuitatio eſt quodãmodo copiarum,& facultatis oſtentatio,quæ,cũ exſpectationem fallit,leuitatis infamiam cũ riſu conſequitur: ex quo neceſſe eſt, inuitantẽ verecundari. Põt.n. quilibet dicere, Non tibi probro dandum puto,quod pauper ſis;ſed qđ in iſta paupertate hoĩs lauti, & copioſi, munus obire volueris.Si diues es, conuiuiũ ſplendide cura.Si pauper es,neminem ad epulas inuites,ne ludibrio,cum inſigni labe dedecoris, habeare. Non tibi egeſtatem, ſed leuitatem, obijcio, quod in ſumma inopia hoĩs opulenti officium ſuſceperis: qđ quidem eſt ridiculę temeritatis argumentum. Vt laute amicos acciperes,eos inuitaſti, euſdemq.ſiti nõ mediocriter afflixiſti. Erat igitur ingenuis hoĩbus, & non perfecte ſapientibus,hæc nota dedecoris valde metuenda.Mater igitur Dñi,quæ perennem clementię fontem aluo geſtauerat,cũ eſſet clemẽtiſsima, huic iuſtæ bonorum verecundiæ celeri ſubſidio( nec.n.res dilationem patiebatur) ſuccurrendum exiſtimauit. Ad filiũ igitur cõfeſtim adijt, vt opem imploraret. In quo nos docuit,& ſe patronam nobis ſemp paratam fore, quoties auxilium ab ea cũ fide peteremus, & auxilium in rebus afflictis non aliunde,ꝙ ab illo ſummo Dño,flagitandũ.ſed, cum eam ſponſi pænuria,in illo verecũdiæ diſcrimine, vehemẽter afflictaret,q̃rendum eſt, cur tam breui oratione fuerit vſa. Vinum,inquit,non habent.Inopiam tm̃ expoſuit; remedium ad inopiam leuãdam verbis minime poſtulauit.Cur igitur,inquam, nihil aliud, ꝙ neceſsitatis illius explicationẽ,protulit? Quia, ad benignitatis auctorem flectendum,nõ multis verbis,ſed ſumma fiducia,opus eſt.Facillime namque miſericors Dñs ad miſerias leuãdas impellitur: maxime vero, cũ ea dignitas deprecãtis accedit,cui obſiſtere,ſaluo officio, ſi ita loqui fas eſt,nulla ratione licet.Mater sãctiſsima a filio rerũ oĩum Dño quidquam poſtulabit,quod non impetret? Quid erit impedimento,quo minus oĩa cõſequatur? Animus a filio alienus? At nihil cogitari põt ardẽtiore amore cõiunctum.Iniquitas poſtulati? Sed a pectore,oĩbus iuſtitiæ,atque ſanctitatis,muneribus expleto,verbum prodire nõ poterat, aliquo contagio iniquitatis infectum.Cũ igitur inopia eſſet pro temporis ratione miſerãda; & auctoritas matris,quæ remedium miſeris flagitabat,eximia; & is,a quo petebatur, ita miſericors eſſet, vt infinita illius potentia clemẽtiam illius minime ſuperaret; quorſum neceſſe erat,vti multis verbis,cum explicatio illius ſollicitudinis,in qua ſpõſus verſabatur, abunde ſufficeret? Sed reſponſum præſefert cuiuſdam indignitatis ſpeciem, ab illo fonte ſummæ clementiæ, & benignitatis, alienum. Quid mihi, & tibi, mulier? Nimis inclementer,& iracunde,dictum videretur, ſi quamuis aliam mulierem ex illis, qui eum aſſectabantur,huiuſmodi a ſe verbis repuliſſet. Quid,cũ matrem alloqueretur? At,quam matrẽ? Eam, quæ numquam in vita deliquerat; & quæ ſumma fide,inflammato ſtudio,miro caritatis incendio, illum ſemper fuerat proſecuta, quæ nihil,neque ſe,neque filio,indignum, poſtulabat: & tamen ita verbis datum fuiſſe reſponſum a clementiſsimo Domino, in iuſtiſsimo poſtulato,matri ſanctiſsimæ, vt indigniſsima repulſa,in multorum conuentu, videretur? Nec interim offenſionem hominum veritum fuiſſe, qui vel indigne paterentur, matrem, Diuinis virtutibus ornatam, aſperis verbis exagitari; aut ſaltem exemplum inde ſumerent, quo deinceps pietatem in parentes



Digitized by Google

tes non ſatis ſtudioſe colendam cenſerent? Atque, vt id multo indignius eſſe videatur, legẽ ſanxerat ipſe Dominus, qua necem ſtatuebat illis, qui parentibus maledicerent. An nõ erat, maledicere, Matris uomine ſuppreſſo, Mulieris nomen, vt illam coerceret, aſſumere? An uon erat, conuicium negare, ſibi cum illa nullum ius ſanctę neceſsitudinis intercedere? Nam, quid aliud ſignificat, Quid mihi, & tibi eſt, molier; niſi, Nihil mihi iuris tecum eſt; te prorſus ignoro; digna nõ es, quæ mecum verba conferas; tantum abeſt, vt a me quidquam impetrare debeas. Sed, quam parum multi, quod myſterium in verbis Diuinis lateat, aſſequantur, hinc cerni facile poteſt. Hæc enim verba, quæ prima ſpecie iracundiæ plena vidẽtur, ſummæ ſapientiæ diſciplinam continent. Quod vt poſsit intelligi, vos omnes adhortor, vt mentem erigatis, & attẽtionem excitetis, vt tanti myſterij ſenſum percipere, & perceptum animo firme cõtinere, poſſitis. Duæ fuerunt rationes, quibus adducta mater ſanctiſsima, ad filium, cum poſtulato, acceſsit. Vna ratio, fuit, a miſericordia profecta, qua ſubſidiũ ſpouſis in illa miſeranda pænuria poſtulauit. Altera porro longe grauior exſtitit, quæ ad explicationem gloriæ Dininæ pertinebat. Inſitum eſt omuibus ſanctis hominibus flagrãtiſſimum Diuinæ gloriæ ſtudium, ita, vt omnes illorum actiones, & cogitationes, ad eum finẽ dirigantur, vt Domiui nomen celebretur, vt numen illius cunctis mortalibus innoteſcat, vt Dei uotitia ab omuibus capiatur, qua poſſint omnes ſalutem adipiſci. Itaque omnia illorum vota eo conferuntur, vt Deus numen ſuum operibus admirandis oſtendat. Opus autem a Deo cõditum nullum mirabilius fuit eo, quo filium in terras miſit, vt ſub vera hominis forma verum uumen, quod in corpore latebat, factis admirandis expromeret. Inde illa poſtulata, tam ardentibus votis emiſſa: Vtiuam dirumperes cælos, & venires; &, Oſtẽde faciem tuam nobis, & ſalui erimus; &, Domine noli tardare; & infiuita, quæ paſsim in ſanctis Litteris reperiũtur. Quod ſi nullus vmquam fuit vir Diuino ſpirito afflatus, qui non hoc ſtudio ardentiſsimo teneretur, quid de illa mente exiſtimandum eſt, quæ tantum omnes Prophetas, & Diuinos bomines, animi puritate, religionis ſanctitate, amoris magnitudine, ſuperauit, quantum neqoe verbis explicari, nec animo cõprehendi, poteſt? Ardebat deſiderio Virgo ſanctiſsima, flagrabat cupiditate, cruciabatur dilatione ſalutis humanæ, in qua ſumma Dei gloria conſiſtebat. Etenim, ſi filius ægre patiebator moram cruciatus illius, quo erat ſalutem hominibus allaturus; ſi dicebat, ſe vehementer angi, & ſumma mæſtitia conflictari, vſque eo, dum ſanguine ſuo animorum noſtrorum ſordes ablueret; matrem, quæ proxime ad filij caritatem accedebat, eodem ſtudio incenſam ſic fuiſſe credendum eſt, vt, quamuis ſponſi pænuriam moleſte ferret, maior tamen illius animum cura ſollicitaret. Hoc enim, cum ſponſis vinum poſtularet, dicere videtur. Ne diutius hominum ſalutẽ remoreris; ne numen tuum diutius recondi patiaris; porrige lumen tuum hominibus; diſpelle tenebras mẽtibus offuſas; cuncti mortales ex operibus tuis te liberatorem humani generis agnoſcant; ede ſigna virtutis Diuinæ, vt fundamenta gloriæ Diuinæ, atque ſalutis humanæ, iam poſita videamus. Votum igitur erat præclarum, & poſtulatũ, caritatis egregiæ, & pietatis eximiæ, pleniſsimum. Hunc eſſe matris ſenſum, filij reſponſio facile declarat. Ait enim, Nondũ venit hora mea. Quæ fuerit hæc hora, quã Chriſtus ſuam appellat, ex alijs huius auctoris Dinini locis clare cernitur. Horã ſuam appellat Crucis horam. Quo modo? inquies. Nihil .n. videtur tã parum gloriæ cõſonum, quam Crucis ſupplicium. continet enim ſummum ignominiæ dedecus, cum ſumma doloris acerbitate coniunctum. Hanc igitur ſuã horã appellat ſapientiſsimus rerum æſtimator, qua erat crudeliſsime flagellandus, ſpinarum ſertis coronandas, clauis ad Crucem cõfigeudus, conuicijs proſcindendus, & oĩ contumelia lacerãdus. Hora quidem illa magis hoſtiũ, qui eius ſupplicio oculos ſatiabant, quã illius, qui indigniſsima ſupplicia, cum intolerabili cruciatu, perferebat, cenſenda videbatur. Quemadmodum & ipſe dicit, Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Sed, qui diligenter meutem in myſteria noſtræ ſalutis intenderit, plane percipiet, quam ſingulari ratione Dominus illam horam ſuam appellauerit. Primum quidem, quia per Crucẽ, obedientiæ munere, qua ſumma iuſtitiæ continetur, pręclariſsime functus fuit. Deinde, quia, quanta caritas illius erga humanum genus exſtiterit, indicauit. Deinde, quia, quãtum calamitatis, & miſeriæ, pondus in peccato ſit, tam acerbo piaculo demonſtrauit. Tum, quia, rectam viã in cælum non corporis voluptate, ſed pręclariſsimæ virtutis functione, contiueri, docuit. Præclariſsima autem virtus illa eſt, quæ, proprię voluptatis oblita, ſanguinem ſuũ multorum ſaluti libentiſsime largitur. Poſtremo, illa bora numen ſuũ maximis, & maxime admirandis, operibus perſpicuum fecit. Fecit enim, vt ex dolore ſumma iucunditas oriretur; ex ignominia, clariſsimum, atque ſempiternum, decus exſiſteret; ex morte, vitæ ſempiternæ lumeu, Diuinitus exortum, dæmonis infeſtiſsimi tyrannidem profligaret. Merito igitur Dominus illam ſuam horam nominauit, qua imperium teuebrarum extinxit, nominiſq. ſui gloriam illuſtrauit; bumanamq. ſalutem robore ſempiterno ſtabiliuit. His ita conſtitutis, reſponſionem, quam matri dedit, intelligemus. Hoc enim dicit: Video, q̃ te cura ſollicitam habeat; quo ſtudio teneatis; qua cupiditate vehementer incẽſa ſis.

Cupis, diuinam gloriam hominibus notam eſſe, nomenq. Domini a cunctis nationibus caſte, & pie, celebrari: cupis, humani generis ſalutem conſtitui: ſtudium laudo; præproperam voti feſtinationem non probo. Nondum enim tempus illud, Diuino cōſilio præfinitum, venit, quo hæc, quæ ardentiſsime cupis, perfecta, & abſoluta, conſpicies. Et hactenus ſatis explicatum arbitror, & matris ſanctiſsimæ poſtulatum, & filij ipſius reſponſum. Sed illud poteſt adhuc nimis durum videri, in quo, Matris nomine ſuppreſſo, Mulierem nominauit; & iræ nonnullam ſignificationem dedit, cum ita illam ſic oratione repellere viſus eſt, quaſi parum naturæ religionem agnoſceret. Sed intelligendum eſt, magnum hic regiæ diſciplinæ documentum fuiſſe a mundi totius rectore præbitum, ad omnium exēplum, quibus eſt munus moderandæ Reip. commiſſum. Nō patitur enim lex Diuina, in negotijs publicis aliquam rationem ſanguinis, aut præcipuæ cuiuſdam neceſsitudinis, haberi. Patrem venerare, ſed domi. matrem inſigni pietate proſequere, ſed in re priuata. fratres debita naturæ caritate complectere, ſed abſque vllo publicæ dignitatis intertrimento. Vbi vero fuerit facta publici iuris, & priuatæ rationis, contentio; concedat humanitas, iuri; amor propinquitatis, iudiciorum ſeueritati; affectio domeſtica, ſaluti publicæ. Cogitet omnis, cui munus aliquod publicum delegatum eſt, ſe Dei miniſtrum eſſe; neque licere ſibi, quidquam communibus commodis anteferre. Priuatam igitur perſonam a iudicio remoueat, vt publicam tantum ſuſcipiat. Aliter enim fidem datā violabit, & officium nefarie prodet. Præclare Moſes, eo tēpore, quo e vita diſcedebat, īquit, Qui dicit patri ſuo, & matri ſuæ, Neſcio vos, & fratribus ſuis, Ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodierūt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt. Eos tantum dicit in fide permāſuros, & Dei legem ſeruaturos, qui in Diuini iuris functione parentes negligunt, fratrum rōnem non habent, filiorum caritatē repudiant. Oēs igitur Diuini viri, quoties munus publicum adminiſtrant, priuatas affectiones deſerunt, vt libere poſsint in voluntatē diuinam reſpicere. Hoc igitur vt exemplo doceret ſummus iuſtitiæ Magiſter, matrem, cui domi ſubditus erat, in publico oratione repellit, vt oſtendat, in cōi generis humani ſalute, ſe, non matris ſanctiſsimæ monitis, ſed patris ſūmi voluntate, gubernari: neque, vbi imperiū Diuinum viget, ſe naturæ cōione permoueri. Quamquā hoc in loco, licet oratione videretur matris petitionem contemnere, aut ſaltē petendi ſtudium immoderatum moderari; q̄ mater pie poſtulabat, liberaliſsime conceſsit. Nam & ſponſis vinum in nuptiarū celebritate abunde largitus eſt, & gloriā ſuam illuſtrauit. Quod mater ſapiētia Diuina, qua mens illius clariſsime collucebat, intellexit. Nō enim aſperitate orationis offenſa fuit; neque de filio conqueſta eſt; ſed voti ſe compotem factā intellexit; & ideo miniſtros admonuit, vt facerent, quæ filius præciperet. Orationem igitur, quo tenderet, intelligens, altiſsima mente cōprobauit, & beneficium, quod re impetrauit, aīo gratiſsimo proſecuta fuit. Sequitur enim:

*Quodcumque dixerit vobis, facite* Miniſtri monitis parēt, &, quod imperatum fuit, protinus exſequuntur. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ, ſecundum purificationem Iudæorum, capientes ſingulæ metretas binas, vel ternas.* Numerus ſenarius perfectus habetur a Mathematicis. Eſt triangularis, ab vno ad tria vſque deductus. Nam, ſi vni duo addideris, tria conficies; ſi ad tria, tria ſimiliter adiūxeris, ſenarius numerus orietur, ita ſuis partibus conſtans, vt nihil ſit in illo neque redundans, nec imminutum. Præterea, ſi tres ex illis hydrijs binas, alteræ vero tres hydriæ ternas metretas capiebant; ſequitur, vt omnes illæ, quindecim metretas efficerent; qui numerus etiam tribus lateribus conſtat, quorum quodlibet numero quinario continetur. Si enim ordinatim ab vno ad quinque perueneris, quindecim fient. Nā, ſi ad vnum duo fuerint adiūcta, tria fient; ſi ad tria, altera tria, vt iam dictum eſt, ſenarius numerus orietur. Si ad ſenarium, quaternarius acceſſerit, decem naſcentur; ſi ad decem, quinque adiuncta fuerint, quindecim effici neceſſe erit. Habemus igitur hic duos numeros triangulares, ex quibus primus ternario, ſecundus quinario, conficitur. Ternarius, eſt numini Diuino conſecratus; quinarius vero, ſenſibus humanis ſignificandis appoſitus. Hæ ſex hydriæ purificationi Iudæorum ſeruiebant. Erant enim Iudęi ea ſuperſtitione cōſtricti, vt, quoties domum reuertebantur, antequam comederent, eſſent illis, & manus, & brachia, vſque ad cubitum, abluenda, ne quidquam ſordium, ex hominum impurorum contagio contractum, vllo modo, vt exiſtimabāt, remaneret. Cum enim veram puritatem, quæ in animorum caſtimonia conſiſtebat, ignorarent, omne ſtudium puritatis ad corpora referebāt. Numerus tamen, aptus erat ad veram mentis puritatem, nō prorſus incommoda ratione, deſignandam. Puritas enim mentis fit, cum ſenſus humani fide conſecrantur, & oēs actiones ad Diuinā gloriam referuntur. Ineptiarum ſuſpicionem vitare fortaſſe non potero, cum has numerorum minutias, & ſubtilitates, quæ a multis grauiſsimis hominibus irridentur, nimis exacte perſequendas exiſtimo. Sed exempla non ſolum philoſophorum, quorum auctoritas non vſquequaque contemnenda videri debet; ſed ſanctorum hominum, qui nō mediocrem operam in numeris explicandis interdum poſuēt, me vſque eo defendunt, vt non prorſus inſanire videar. Sed, vt iam abeamus a numeris, videamus, quod Dominus miniſtris facere iuſſerit.

*Dicit*

*Dicit eis Ieſus, implete hydrias aqua.* Idē iuſſerat olim idē Dominus, cū legem ſanxit; cū mores, & inſtituta præſcribenda curauit; cū piacula, & luſtrationes, inſtituit; cū Moſi, & Aaroni, miniſtris ſuis, imperauit, vt populū ijs legibus obligarent, quæ iuſtitiam adumbrabant, & iuſtitiam minime conferebant; quæ corpora luſtrabant, animorum vero ſordes non eluebāt; quæ denique veram puritatem deſignabant, id vero, quod deſignabant, non efficiebant. Quid? Lex non ſanabat animos? non deterrebat a ſcelere? non vitiorum maculas abſtergebat? Abſtergebat quidē. Sed id fiebat, cum ipſe Chriſtus legislator aderat, qui legis per ſe inutilem vim ex aqua in vinum conuertebat, & fidem in animis conſerebat, qua ſancti homines legi obtemperarent, & ardore ſpiritus Diuini concaleſcerēt. Id igitur, quod olim factitauerat, nunc admodum opportune geſſit, vt ſalutarem fidem conſtitueret. Ait igitur miniſtris:

*Haurite nunc, & ferte architriclino.* Architriclinus, nomen Græcum eſt, ſignificat eum, qui conuiuijs inſtruendis præficitur.

*Vt autem guſtauit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat vnde eſſet, miniſtri autem ſciebant qui hauſerant aquam: vocat ſponſum architriclinus, & dicit ei, Omnis homo primum bonum vinū ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Tu autem ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc.* Admiratus eſt architriclinus vini ſuauitatem; ortum illius ignorabat; ſponſum euocat, vt illum accuſaret, quod ordinem totius conuiuij prorſus inuertiſſet. In epularū enim principio, cum ſitis viget, & ſenſus oppreſſi minime ſunt, poterit de vino integrum iudicium fieri. At, cum potus vltra procedit, & ſitis ſedata magis eſt, paullatim ſenſus hebeſcit, & quoduis vinum, licet multo deterius ſit, ab inuitatis approbatur. Ob eam igitur rationem ille bonus conuiuorum apparator cēſet, in principio melius vinum eſſe apponendum, deterius autem ad finem reſeruandum. Scilicet, nō intelligebat, quantum eſſet inter conuiuiorum genera diſcrimen. Aliud eſt enim humanum, aliud Diuinum. In humano, melius in principio conuiuium epulis exquiſitis inſtruitur, & vinum ſuauius porrigitur. In fine vero, plerumque omnis hilaritas faſtidio, & acerbitate, terminatur. Contra vero, in Chriſti conuiuio, quo magis homines inuitati progrediuntur, eo magis ſenſus vegetantur, & maiorem ſuauitatem in Diuinis cibis, & potibus, experiuntur. O conuiuium iucundiſſimum, in quo aqua in vinum conuertitur; legis vmbræ in Euangelij ſempiternas opes transferuntur; ſuppliciorum formidines, in ſpes ſempiternæ voluptatis immutantur; atque, vt nihil aliud dicam, animus, metu, & angore, ad amorem Diuinum, & puriſſimæ mentis oblectamentum, Chriſti benignitate, traducitur. Quis eſt tam ſine mente, qui non cupiat his epulis intereſſe? Quis tam auerſus a recta ratione, qui non intelligat, ſummam felicitatem in hac nuptiarum celebritate conſiſtere? Quis tam profuſus eſt, vt opes, a ſummo rerum omnium Domino, tam munifice, & clementer, oblatas, aut furibunde reſpuat, aut intemperāter effundat? Omnes mortales inuitat Dominus ad nuptias; neminem excludit, dummodo laceras veſtes exſuat, nuptialibus excultus ſit; ſordes flagitiorum deponat, ornamenta veriſſimæ virtutis aſſumat; animum iacentem excitet, & cæleſtia, atque Diuina, ſuſpiciat; vt ſic tandem Chriſti nuptijs intereſſe perpetuo queat, & gloria, cum beatis ciuibus, in cæleſti regione, perfruatur.

*Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galileæ.* Ignobilis ciuitas hoc admirabili ſigno egregie nobilitata fuit; & initium ſalutis, quod in explicatione numinis ſempiterni conſiſtit, ortum apparuit; & fides, qua promiſſa Diuina conſequimur, quanta vis illius eſſet, oſtendit; & ſalus, quam Chriſtus terris afferebat, lucem ſuam diffundere cœpit. Sequitur enim continuo:

*Et manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.* Gloria Chriſti, eſt excellens pietatis meritum, quo patrem humano generi conciliauit; eſt benignitas ſempiterna, qua ſuos æternis opibus locupletauit; eſt caritas admiranda, qua humanum genus vniuerſum ad ſe beneficijs allexit: quæ omnia hoc ſigno, ab illo tunc edito, præmonſtrata fuerunt. Ille nos faciat gloriæ ſuæ participes, & ſempiternas epulas nobis apponat.

# ORATIO VII.

P*OST hoc deſcendit Capharnaū ipſe, & mater eius, & fratres eius, & diſcipuli eius: & ibi māſerunt non multis diebus*. Magnum quidē ſignum fuit in illa conuerſione datum, qua ex aqua vinū ſactum eſt ad nuptias; vel quia primum fuit, &, quæ ſunt prima, magis admiranda videntur; vel quia eo Dominus ſe naturæ couditorem eſſe demōſtrauit: nemo enim poterit vmquam naturam immutare, niſi is, qui naturam architectatus eſt; vel poſtremo, quia, eo miraculo, ſignis omnibus, quæ veriſſimas noſtræ ſalutis opes deſignabant, ſe finē allaturum oſtendit, vt ipſi veris, atque plane Diuinis, opibus frueremur. Sed ea, quę ſequuntur, ſunt multo magis admiranda, & iccirco acriorem multo attentionem deſiderant. More Scripturæ ſanctæ, Chriſti fratres appellat eos, qui erant Chriſto ſanguine coniuncti. Quemadmodum Abraham, Loth Fratrem appellabat; & Labam ſimiliter, Iacob filium ſororis ſuæ Fratrem nominauit; & ipſe Labam, cum Iacob fugientem perſequeretur, Fratrū, hoc eſt cognatorum, (nā fratres aut nullos, aut admodū paucos, habebat) copia ſtipatus, & in illam ſe viā dedit; & ipſe Iacob, eum cauſſam ſuam ageret, & ſocerū iniquitatis argueret, Quid inueniſti, inquit, de cuncta ſubſtantia domus tuæ? pone Siccorā fratribus meis, & fratribus tuis, & iudicent inter me, & te. Et, ne plura teſtimonia proferam, hoc tantum dicam. Sæpe in ſanctis Litteris cernere licet, hoc Fratris nomen ad ſignificandam etiam generis propinquitatem pertinere. Sed hæc, quæ ſatis nota ſunt, omittamus; & ea, quæ ſūmam admirationem commouere poſſunt, explicemus. Sequitur enim: *Prope erat Paſcha Iudaorum*. Erat ſcilicet alius dies feſtus, qui rectius Paſcha poterat appellari, qui apud Iudęos, in vmbris rerum occupatos, eo tempore cēſeri nō poterat. de quo alibi diſſeremus.

*Et aſcendit Ieſus Hieroſolymam: & inuenit in tēplo vendentes boues, & oues, & columbas, & nummularios ſedentes. Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo*. Quid hic prius admirabimur? Inſignem manſuetudinem, in ſummam iracundiam ſubito conuerſam? An potius metū illum, ab homine ſolo, & inermi, multitudini hominum innumerabili, tam vehementer iniectum? Videor enim mibi videre, homines turbari, atque trepidare; alios in terram nimio pauore cōcidere; alios fugam feſtinanter capeſſere; & omnia denique ſurſum deorſum commiſceri: Diſcite, inquit ille, a me, quia mitis ſum, & humilis corde: & tamen, cum hic ſit, & hanc unam maxime diſciplinam operibus, & exemplis, diſcipulis ſuis inculcauerit; qua tandē ratione ſic illum immutatum conſpicimus, vt videatur omnem prorſus memoriam manſuetudinis, & humilitatis, abieciſſe? Non mediocrē fuiſſe huius tā acris indignationis cauſſam, ſtatuēdum eſt, q̄ tantos motus, in clementiſsimi, & cōſtantiſsimi, Domini mente conciuerit. Sed cauſſam videamus. Erat ille dies memoriæ, libertatis, q̄ maximo Dei beneficio Iſrael adeptus fuerat, religione ſumma conſecratus. Ab ipſo Deo fuerat lege conſtitutū, vt oēs viri ter ſingulis annis eo, cū donis, & muneribus conuenirent, vt nomen Domini celebrarent, vbi Dominus nomen ſuū coli præcipue ſtatuiſſet. Quāuis aūt reliqui ſollemnes dies magnā tunc religionē poſsiderent, præcipue tamen Paſcha reliquis diebus feſtis anteibat. Erāt igitur, aut boues, aut oues, aut hirci, ſacris illis ſollemnibus immolandi; & columbę etiam ab illis, quæ tenuiores erant, ad ſacrificium offerendæ; & munera alia ſimiliter religioſe dedicāda, quibus ſe gratos, & memores beneficiorum, oſtenderent, & numen Diuinum ſibi propitium efficerent. Plerique autem e longinquis locis adueniebant, ita, vt foret illis difficillimum, pecudum greges, aut boues, adducere. Iam, quod ad uummos attinet, cnm eſſent etiam offerendi; quis non videt, neceſſe fuiſſe collibiſtarum miniſterio ad pecuniæ permutationem? Nec enim poterant homines egentes magnam pecuniæ ſummam conferre. Itaque neceſſe erat, vt poſſent ſibi aliquid ex argenteo nummo in victum reſeruare, maiorem numerum in minores diuidere: quod ſine menſariorum opera facere non licebat. Cōmodum igitur videbatur, vt omnia parata eſſent omnibus in atrio tēpli, ne difficultas munerum, & hoſtiarum, poſſet ſtudium eorum, qui rite ſacris operari cupiebant, aliquo peccato remorari. Dicet igitur aliquis, Scelus non video; crimen non agnoſco; omni culpa eos, qui boues, qui pecudes, qui colūbas, ad victimas vendebant, libero; nempe, ſine quorum opera ſacra fieri non facile poterant. Quo autem magis hi culpa vacare videbātur, eo magis videtur admiranda Domini ſeueritas, & in coercendis hominibus acrimonia. Verum, qui altius mentē erexerit, vt rōnem hnius indignationis ſcrutetur, admirari deſinet; & ſapientiam Domini, qui ſeueritatis, vbi cauſſa ſempiterni Patris agitur, perſonam ſuſcipit, laude perpetua celebrabit. Quod vt rectius conſiderari poſſit, de religionis ſanctitate diſſeramus; vt melius, quanta ſit in Domini templo religio, conſideremns. Eſt autem Religio, Dei metus, & ſapiens aduerſus ſanctiſsimum illius numen reuerentia, omnes maximarum virtutum laudes ambitu ſuo complectens. Quis enim ſapiens

piens

pieus eſt,niſi,qui Dei notionem cõſecutus eſt? Quis autem Deum nouit,niſi, qui illius mentem caſte,& pure,& integre,veneratur?Quis iuſtus eſt,niſi,qui vnicuique ius ſuum tribuit? Quis autem hoc præclaro munere recte perfungitur,niſi,qui primum Deo honores debitos ſummo ſtudio,& vigilantia,defert,illiusq. ſanctionibus eruditus, intelligit, quo modo ſint homines in officio, ſumma iuris æquabilitate,continendi?Quis,in tantis humanæ vitæ tempeſtatibus, atque procellis ,fortis eſſe poteſt,niſi,qui ſecum firme ſtatuit, numquam in ſummis periculis cæleſte præſidium ſibi defuturum? Quis autem hoc ſibi a Deo polliceri audebit, niſi, qui fuerit cum Deo, ſanctiſsimæ religionis fœdere,copulatus? Quis moderationis ornatum, & veriſsimæ dignitatis elegantiam,obtinebit,niſi, qui perpetuo mentis oculos in Diuinæ mentis pulchritudine defixos habuerit?Quis autem eſt ille,qui operum Diuinorũ ſpectator eſt,& numquam oculos a cæli conſpectu deiicit, niſi is, qui ſe ſanctiſsima,atque ſapientiſsima , religione deuinxit? Denique,ne plura perſequar,ſatis cõſtat,Religionem eſſe fontem,& principium,omnium virtutum; illiusque opibus fieri, vt homines proxime ad ſimilitudinem Diuinæ virtutis, atque poteſtatis,accedant. Summa namque probitas libentiſsime cum omnibus, qui ſancte,& rite,& ſtudio non mediocriter inflammato,veram religionem colunt, cum liberalitate ſumma,communicat. Cum igitur ille, quod eſt bonitatis ſummæ proprium , bona ſua cunctis hominibus elargiri deſideret; & omnis ratio,qua bona Diuina comparantur, in religione conſiſtat;non ſine ſingulari ratione fuit illi ſemper religionis antiquiſsima cura. Iccirco, iam ab exordio generis humani, quibus inſtitutis numen illius coleretur, quibus precibus venia in delictis, auxilium in periculis,peteretur , quibus ſacrificiis ira illius auerteretur,inſtituit. Quamuis enim antiqua ſacra per ſe Dei numen placare non poſſent, illa tamen religio animos ad conſiderationem rerum Diuinarum excitabat,& paullatim ad ſpem futuræ ſãctitatis, quæ per Chriſtum afferẽda erat,erudiebat,vt ſtudium pietatis in animis eorum , qui religioni operam dabant,numquam interiret. Cum vero Religionis duo munera ſint; præterita Dei beneficia recordari;& futuris , quæ ab illo promiſſa ſunt,firme confidere;& hominum mentes, curis humanis depreſſæ, & animorum morbis impeditæ,ſæpenumero langueſcant; & ſtudiũ hoc,tam debitum,atque neceſſarium, aut nefarie,reſtingui, aut ſaltem flagitioſe remitti, patiantur; ſtatuit ille parens optimus olim, ne, religione neglecta, genus humanum funditus interiret, vt ſeptimo quoque die omnes, qui lege illa tenebantur , ab omni opere ceſſarent, & rebus tantum Diuinis incumberent. Quod vt commodius fieret, omnes in vnum locum cõueniebant, vt Diuinas laudes concinerent, atque memoria fideli replicarent,quam ſingulari probitate , & ſapientia, Deus genus humanum condiderat, quam admirandis ſignis genus Iſraelis e miſerrima ſeruitute redemerat, quanta religione ſanctitatis diſciplinam ſanxerat. ſic enim,cum,negotiis omnibus intermiſsis,vniuerſi,in vnam ſedem congregati, huic vni operi vacarent, & alij alios,exemplis, & cohortationibus,excitarent;illa mirabili conſpiratione tam ſancti muneris,eueniebat,vt omnes multo attẽtius cogitationem in Diuina bonitate ponerent. Sed,quia multa beneficia, propter amplitudinem,erant ſacratiore religione ad memoriam conſecranda,templum auguſtiſsimũ fuit,Dei iuſſu,Hieroſolymis, in Sion mõte, ad eam rem,ſollemni voto, dedicatum; quo, ex omnibus Iudææ regionibus,omnes mares ingenui,ter ſingulis annis conuenirent , vt maioribus hoſtiis Dei numen placarent, &,ardẽtiori ſtudio, religioni ſeruirent. Sacra vero ſanctiſsima,& ſuffimenta fragrantiſsima,quibus Deus in templo præcipue honorandus erat, non in cæde pecorum , & armentorum, ſed in orationibus, e pectore puro , & ſtudio ſanctiſsimi numinis incenſo, conſiſtebant. Reliqua vero ſacra, quæ non veram ſanctitatem continebant, ſed eam obſcure deſignabant,ita permiſſa fuerant,vt ſignificarent,& non violarent, id, cuius cauſſa templum fuerat ædificatum. Cum igitur nihil ſit Deo acceptius, atque gratius, religione ſancte culta; & cum ad eam pure colẽdam in templi illius ſanctitate magnum pondus, maxime autem in ſollemnibus ſacris, poſitum eſſet;eaq. ſanctitas fuiſſet Dei voluntate, & imperio,conſtituta;quid ſceleſtius eſſe poterat eorum impudentia,qui religionis obtẽtu religionem polluebant?Locum,ſanctis precibus conſecratũ, indigno quæſtu violari, mercatum in ſedibus ſacris inſtitui, preces bonorum auaritiæ diſſonis vocibus impediri,profanos tumultus ſacrificiis admiſceri, atque, vt nihil aliud dicã, religionem templi vendentium mẽdaciis inquinari? Vix enim fieri poteſt, vt, vbi mercatus eſt,non omni iura mendaciis violentur. Sapienter igitur, vt memoriæ proditum eſt, ab antiquis Perſis erat prohibitum, ne mercatus vllus intra vrbis mœnia locum poſset habere, vt mendaciorum exempla ab oculis ingenuæ iuuentutis amouerẽtur. Nihil enim tam contrarium honeſtæ ciuium educationi eſſe putabant,quam mentiendi, atque fallendi,ſtudium, quod eſt ſemper cum mercatura coniunctum. Vt autem omnem liberalem iuuentutis inſtitutionem veritate cõtineri ſtatuebant,ita morum corruptelam in mendacio collocabant. Ab eo enim exoritur impudentia; ab impudentia vero exiſtit totius honeſtatis exitium. Vbi vero ſtudium honeſtatis exſtinguitur, ciuitatis totius exi-

tialis

tialis exitus appropinquat. Iure igitur illa Perſarum antiqua ſeueritas, quæ multis laudibus a Xenophonte celebratur, ab vrbe mercatum reijciebat, & extra mœnia tantum locum habere permittebat: omnino namq. tolli, propter ciuium commoditatem, minime licebat. Quod ſi Perſæ indignum ciuili dignitate, & prudentium auctoritate, ſtatuebãt, mercatum intra muros vrbis ſtatui; quo modo tolerandum videri bonis poterat, intra Dei ſanctiſsimum templum omnia vocibus vendentium, & ementium, perſonare, & cum profanis rebus ſacra confundi, & religionis ſacroſanctæ ſtudium fraudibus, & mẽdaciis, nimis impudenter inquinari? Quis enim vmquam vir ſanctus in terris exſtitit, qui non religionis ſtudium omnibus vitæ curis anteponeret? Qui non arderet iracundia, quoties eam violari perſpiceret? Dei enim maieſtas, contemptu illius apud homines obteritur; & humanæ ſalutis ſpes prorſus inciditur. Quod ſi hoc ſtudio incenſi omnes homines, qui ſe Deo conſecrauerunt, religionis negligentiam pati non poſſunt; quo ardore animi credendum eſt illum ſummum ſanctitatis auctorẽ, & principem, inflammatum fuiſſe, cum videret totã religionem in auaritiam conuerti, & templũ Domini profanum fieri, omneſq. ſanctitates petulantiſsime violari? Non eſt igitur mirandum, quod tam acriter acceperit eos, qui ſacra omnia præ ſuo quæſtu contemnebant. Illud potius eſt admiratione digniſsimum, quo modo lucis vſuram illis præbuerit, qui patris numen fœdiſsimis factis irritabant. Sed inſignis illius ſeueritas ita ſcelera coercebat, vt ipſa in ſeueritate non mediocres clementiæ partes ſuſciperet. Sic igitur illud ſacrilegium vltus eſt, vt magis a ſcelere deterreret, quam iuſtam pœnam pro criminis ratione flagitioſis imponeret. Delinquentes igitur erudiuit; &, vt pietatem colerent, incitauit; &, ne Diuina cum humanis curis admiſcerentur, admonuit; & ſimul templum a cæde quadrupedum, ad interitum nequitiæ; a carnium nidore, ad Diuini amoris incendiũ; a mercatura, ad orationis ſanctitatem; ſalutari doctrina, & imperio, traduxit. Non tamen omnes eadem acrimonia inſecutus eſt. Eos enim, qui boues, & oues, vendebant, & eorum ſordibus templum inquinabant; cum bobus, & ouibus, eiecit; in nummularios deinde inuectus, nummos effudit, menſas euertit; & modis omnibus demonſtrauit, domum Domini quæſtibus illis impuriſsimis indigniſsime pollui. Cum illis vero, qui columbas vendebãt, e quibus minor erat offenſio, mitius egit. Inquit enim:

*Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Iam numen ſuum non operibus tantum, ſed clariſsimis etiam verbis, indicat; ſummumq. Patrem appellat; &, quanto ſtudio gloriæ illius flagret, oſtendit. In quo quidem docet, iniurias, quæ nobis priuatim inferuntur, eſſe tolerandas; at eas, quæ in Deum aliquo modo iaciuntur, indigniſsime ferendas, & omni ratione vindicandas. Tunc enim, cum Dei honor agitur, manſuetudo, flagitium; & indulgentia, ſcelus eſt; & vltionis ſtudium, inſigne pietatis officium. Quorſum autem hęc omnia Domini facta, & dicta, pertinerent, tunc diſcipuli non ſatis ſapienter animaduertebant. Poſtquam vero Spiritus Diuini ſenſibus illuſtrari, & incitati ſunt; intellexerunt, id a Dauide fuiſſe prædictum, cum illum ita loquentem inducit, vt, quibus viribus ab impiis impugnetur, &, quibus curis excrucietur, aperte declaret. Sequitur enim:

*Recordati ſunt vero diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me.* Hæc igitur ſolũ cura illum ſollicitum habebat, hæc illum acerbe cruciabat, omnes dolores leues, & tolerabiles, exiſtimabat, dummodo cerneret, domũ Dei omni flagitio liberam, & omnium virtutum laudibus ornatam, ſtudioq. gloriæ Diuinæ flagrantiſsimam. Stupent interim Iudæi; admirantur audaciam; inſolitam vim reputantes, animo perhorreſcunt. Poſtquam tamen ſe a timore refecerunt, ad illum adeunt, & ſignum numinis, quod opera, & verba, ſignificabant, exquirũt. Opus ſatis magnum erat, tantam hominum multitudinem vnius hominis, & ſolius & inermis in præcipitẽ fugam eiectam fuiſſe. Sententia vero, qua Domum Dei, Domum Patris ſui nominabat, animis etiam horrorem inijciebat. Dicunt igitur:

*Quod ſignum oſtendis nobis quia hæc facis?* Quaſi dicerent, Multum tibi arrogas, & aſſumis, cũ multitudinem ita contemnis, vt illam ſolus in fugam conijcias; ſed multo inſolentius inſurgis, cum Deum Patrem nomines, & te iniuriarum, quæ in nomen illius inferuntur, vltorem profiteris. Hæc quidem ſummam temeritatem, & impietatem, coarguunt, niſi ſignum edideris, quo de tuo numine certi eſſe poſsimus.

*Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi, Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis ſui.* Secundi templi fundamenta anno primo Cyri iacta ſunt. Cyrus regnauit annis triginta. Duo anni deinde interiecti ſunt, quibus Magi tyrannidem fraudulenter occuparũt; &, illis interemptis, Regnum Darij, qui fuit vnus e ſeptẽ principibus, qui Magos occiderunt, conſtitutum fuit. Darij autem anno ſexto, fuit templũ abſolutum. Hi, quinque & quadraginta annos efficiunt. Iudæi annum vnum ad hanc ſummã adiiciunt, ſiue quod exactius fortaſſe numerarent, ſiue quod aliquam vnius anni partẽ, vt magis indignitatem augerẽt, pro integro ſumerent. Sed diſſenſio numerorum, cũ tam parua ſit, minimi facienda eſt; ſed animo conſideran-

ſideranda templi illius auguſtiſsimi ſanctitas,& magnificentia, in quo Deus non adumbrate, ſed vere, non ad aliquod ſpatium breui rermino definitum,ſed nullis ſæculis terminandum, ſedem ſibi collocauit. Hoc eſt aurẽ corpus illius ſanctiſsimum. In hoc enim,candelabrum aureum perpetuo lucer, quo omnium mentes,qui fidem rire colunt,colluſtratæ, niteſcunt: hic menſa propoſita eſt, qua iuſtorum animi, panibus ſuauiſsimis expleti,vires inuictas aſſumunt. Hic ſacrificia offeruntur,quibus patris numen facillime placatur: Hic odores ſuauiſsimi redolent, quorum fragrantia cælires mirifica voluprate perfundit. Hoc templum ab improbis euerſum fuit, cum, Iudæorum ſcelere, & immanitate, dæmonis infeſtiſsimi ſatellites Chriſtum in Crucem ſuſtulerunt. fuir triduo iuſtaurarum, cũ ſe ipſum Chriſtus, inſita virrute,ab inferis in vitam reuocauit. Machinatores necis,Iudæi, Dei permiſſu,fuerunt: & ideo inquit, Soluite templum hoc. Inſtaurator vitæ, idem Chriſtus,qui ſe ad necem,noſtræ ſalutis cauſſa, tradiderat, exſtitit: & iccirco ait, Et in tribus diebus excitabo illud. Quærendum tamen eſt, cur, omnibus aliis ſignis omiſsis, huius tantum meminerit? Quia hoc fuit omnium maxime admirandum. Cum enim finis operum Diuinorum,ſit vitæ ſempiternæ communicatio; cum extremus inimicus virtute Diuina profligandus, ipſa mors ſit; cum mortis vis,& potentia, tanra ſit, vt omnium rerum maximarum formas,atque vires, extinguat; cum in cæleſtem etiam naturam impetum factura,& ſplendorem illius euerſura ſit;quis illam exſcindere, atque delere, poteſt, niſi vitæ conditor,cuius voce, & imperio,mortui ſuſcitantur,& tenebris ſepulri lucem amiſſam, cum amplificata clarirare, recuperant? Adde, quod peccatum mortem in rerras inuexit. Nemo igitur poteſt mortem exſtinguere,niſi qui peccarum delere potuerir. Peccatum vero delere,Dei ſolius eſt,qui ſolus delet, vt nebulam, ſcelera noſtra. Qui igitur mortem ſuperat,ſe peccati profligatorem, & exſtinctorem,plane demonſtrat.Poſtremo,cum nullum Diuinum opus ſit cum iuſtitiæ ſplendore conferendum; &, qui peccatum euertit, iuſtiriam plane conſtiruit;qui vero iuſtitiam efficit,ſuum numen maximum, atque ſempiternum,in oculis, & adſpectu, proponit; qui autem mortem interimit,ſe iuſtitiæ auctorẽ, & effectorem,eſſe confirmat. Nec enim precibus,vt Helias, & Heliſeus; ſed voce,& imperio,mortem profligabat; & mortuos in vitã reuocabat;& quod eſt longe,multoque,mirabilius,ſe ipſum vita perfunctum, arque ſepulcro ſignato conditum,& militum præſidio ſatis diligenter aſſeruatum, excitauit; ſepulcrumq. ſubito reſerauit, & milites inopinata luce conterruit. fieri enim non poterat,vt virtus illa, quæ inferorum copias ſtrauerat, quæ Tartari clauſtra reuellerat, quæ vinculis, & tenebris,incluſos e poteſtate principis tenebrarum eduxerat, inuictumq. ad illum diem exercitum Satanæ contriuerat, vllis hominũ viribus teneretur,quo minus numẽ ſuum hominibus indicaret. Hoc igitur ſigno,omnium maximo,ſe verum Deum eſſe teſtificatus eſt, & fidem nobis egregie confirmauit, fore, vt non ſolum nos e tyrannide peccari liberarer, & in iuſtitiæ libertatem reſtitueret,ſed etiam in vitam beatam, omnibusq. bonis affluentem,& nullis ſæculis interituram, tandẽ perduceret. Rectiſsime igitur,hoc in loco, ſignis aliis prætermiſsis, hoc vnum commemorauit. Gens,inquit alibi,adultera ſignum petit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ. Quemadmodum enim Ionas fuit in ventre ceti, tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit & Filius hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus. His explicatis, ad hiſtoriam reuertamur. Sequitur autem:

*Cum ergo reſurrexiſſet a mortuis, recordati ſunt Diſcipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt ſcripturæ & Sermoni quem dixit Ieſus.* Multa ſunt in cæleſti diſciplina, quę non poſſunt ſtatim mẽte comprehendi; quæ tamen memoria conſeruanda ſunt; & intelligendum, in verbis Diuinis myſteria Diuina recondita eſſe; quæ,cum eſt opportunum,his, qui ſunt magis in diſciplina progreſsi, Spiritus ſanctus enuntiat. Quam multa, diſcipuli, opera fieri a Chriſto videbant, quam multa plerumque audiebãt, quæ nullo modo intelligebant; ea tamen memoria reſeruabant, vt inde fructum ſalutarẽ exciperent. Amor enim,atque fides,faciebat, vt crederent, nihil a ſummo Domino temere fieri,nullum verbum ex ore illius exire, quod non ad vitam ſuorum ſempiternam valeret. Ex illis tamen factis, atque ſententiis, nihil ex animis excidere patiebantur, ſed omnia in theſaurum memoriæ conferebant,vt,ex illis tandem, iam lumine Diuini Spiritus illuſtrati,opes Diuinas expromerent. In quo nos fratres cariſsimi docuerunt,ne minimi faceremus ea,quæ non intelligimus. Multa frequẽter auditis,multa etiam ſacramenta adminiſtrari præcipitis,multa myſteria ſollemni ritu celebrari videtis, quæ minime in ſenſus veſtros illabuntur. ea tamen omnia fide recolite;& intelligite, nihil eſſe in ſancta Eccleſia, quod myſterio vacet. Si enim, quæ non ſtatim percipiuntur, omnino reiicienda fuiſſent, legis antiquæ ſanctiones, & ſacramenta, Prophetarumque monumenta, & omnia denique ſacra, quæ noſtræ ſalutis myſteria deſignabant, iam multis abhinc ſæculis obliuione ſepulta fuiſſent. Sic autem Eccleſia ſancta multis ſanctarum litterarum monumentis caruiſſet,quibus fides noſtra mirifice confirmatur. Quemadmodum Petrus ait: Et habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefa-

neſacitis attendentes, quaſi lucernæ in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & Luciſer oriatur iu cordibus veſtris. Ex hac Petri ſententia conſtat, quanta ſit, ad fidem firmandã, Prophetarum, & Euangelij, conſenſio. Sane firmus erat Propheticus ſermo anre Chriſti, liberatoris noſtri, in rerras aduentum. Multo tamen firmior ſactus eſt, poſtquam Chriſtus in terris ortus eſt, &, quæ fuerant a Prophetis prædicta, euentu veriſsimo comprobata ſunt. Diſcrimen tamen maximnm erat. Quãtum enim lucernæ lumen Solis ſplendori concedit, tanrum Prophetæ ſeſe Chriſti clariſsimæ maieſtatl ſubiiciunt. Hoc autem in loco Prophetarnm firmitas ad fidem credentium referenda eſt boni enim ea, quæ Prophetarum litteris mandata erant, veriſſima eſſe ſtatuebant; qnamuis mnlta non intelligerent. Et in illa nocte, & miſeranda caligine, reliqnorum hominum mentibus offuſa, ad Prophetarum monnmenta, tamquam ad lucernarum lumen, vitam gubernabant. Sed, cum dies, ſempiterni Solis exortu, diluxiſſer, & ea, quæ ante non clare cernebanr, in Diuinorum hominum monumentis perſpexiſſent; factum eſt, vr tum demum illis Propheticus ſermo firmiſsimus haberetur. Ad hunc etiam modum, cũ Chriſti diſcipuli non tanta in principio luce perfnſi fuiſſenr, multa dici a Chriſto, atque fieri, videbãt, quorum cauſſas ignorabant: quæ tamen in eorũ animis infixa permanebant; quæ tandem, lõge clariore lumine colluſtrati, (quotidie enim magis ſancti Spiritus mnneribus, atque diſciplinis, augebãtur) optime perceperũt. Hoc exemplo diſcite, fratres cariſsimi, ea etiam, quæ nun intelligitis, venerari, & ſacroſancta myſteria, quæ in obſcuritate quadam latent, admirari; & vobis cum ſtatuite, nihil ab Eccleſia ſancta, quã Spiritus ſanctus moderatur, inſtitui poſſe, quod non ſit ſummo conſilio, & ratioue, conſtitutũ.

*Cum autem eſſet Hieroſolymis in Paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna eius quæ faciebat. Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eo quod ipſe noſſet omnes, et quia opus non erat vt quis teſtimonium exhiberet de homine: ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.* Non inuidet ſumma bonitas dona, & munera, ſua, non cõtracta eſt illius manus; opes ſunt infinitæ; probitas immenſa. Non igitur fieri poteſt, vt aut opes exhauriãtur, aut Diuina liberalitas ſpõte ſua cõprimatur. Quid igitur impedit, quo minus bona ſua cum omnibus large communicet? Quia nouit humanæ mentis imbellicitatem, & inconſtantiam. Obliuionem beneficiorũ deteſtatur; ingrati animi ſcelus ſempiterno ſupplicio dignum iudicar; perfidiam odio ſummo perſequitur. Vt enim olim Hebræi ſe promptos, & alacres, exhibebant, atque dicebant, Omnia, quæcumque præcepit Dominus, faciemus, & erimus obediẽtes; deinde, quaſi nũquam vlla beneficia a Deo percepiſſent, aut non ſe fide conſtrixiſſent, & religionem impie, atque nefarie, polluebant, ita nnılti, Chriſti ipſius tempore, ita ſe ad illius ſtudium applicabant, vt, breui interiecto ſpatio, a data fide deficerent, & ipſum Dominum fœdiſsimis factis offenderenr. Quod quidem ſcelus tanto grauius erat, quãto ſanctius erat illud ſacramentum, quo ſe adſtrinxerant. An non etiam hodie id paſsim fieri videmus? an non datam Deo fidem qnoridie violari conſpicimus? an nõ pietatis ſtudium reſtingui, & ab ijs, qui præſeferebant mirum religionis ardorem, caritatẽ paullatim negligi, atque tandem in flagitiorum colluuionem detrudi, cernimus? Non eſt igitur ſemper habenda fides lacrymis: non credendum verbis, nõ pietatis ſignis, ad breue aliquod tẽpus expreſsis. Non enim, qni ſemel ſe promiſſo, atque iureiurando, conſtringit, ſed qui in promiſſo ad extremum permanet, & fidem factis, non ſolum verbis, conſtantiſsime colit, cæleſtem bereditatẽ obtinebit. Sic enim Dominus ait, Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Sed ad illud templi, mercibus violati, crimen redeamus, vt melius poſsimus ſceleris illius magnitudinem cernere. Templum ſanctiſsimum, religioni ſanctiſsimæ conſecratũ, mercimoniis violari, mendaciis inquinari, importunis vocibus tumultuoſe perturbari, atque, vr nihil aliud dicam, locum, precibus ſanctis deſtinatum, furibunde peruerti, & a religioſæ orationis, ad auaritiæ fraudes traduci; tantnm facinus fuit, vt cogeret ſummum illud clementiæ, mãſuetudinis, & bumilitatis, exemplum, propriæ lenitatis, & humanitatis, vt ita dicam, obliuiſci, & perſonam iracundiæ vehemẽrius aſſumere. Vnde colligitur, quantum offenſionis Dei maieſtati inferatur, quoties templũ illius pollnitur. Maieſtas illins conremnirnr; pietatis ſtudium refrigeſcit, ſanctitates euertuntur; & omnia tandem ad pernitiẽ religionis erumpunt. Hoc tamen animadnertendũ, tanto ſceleſtius crimẽ in violati templi ſacrilegio ſuſcipi, quanto templi ſanctitas maior, & auguſtior eſt, & purius in eo religio celebratur. Vnde colligitur, nullum umquam ſacrilegiũ atrocins, & immanius, exſtitiſſe, eo, quo vnicum illud remplum, in quo Deus ſemper inhabitat, ſacrilegis impiorum manibus euerſnm fuit. Homines enim profligatiſsimi, ipſi ſanctitatis auctori crimen ſceleris intulerunt; conuicia indigniſsima in Dei vnicũ filium intorſerunt; innocentiam ſummã cruciatibus acerbiſsimis affecerũt; atque poſtremo vitæ largitori, & conſeruatori, vitam ademerunt. Itaque, qui hoc tantum facinus auſi ſunt, neque veniã tam impudenri crimini flagitarunt, multis in hac vita cruciatibus pœnas luerunt, & in altera vita ſuppliciis ſempiternis mactati ſunt. Poſt hunc ſummum ſacrilegium, alterũ eſt, grauiſsimo ſimiliter, atque ſempiterno, cruciatu puniendum. An non cõ-

ſtat,

ſtat, Eccleſiam Chriſti eſſe Dei tēplum, ipſius Chriſti ſanguine dedicatum? Non appellatur a Paulo domus Dei, & Columna, atque Firmamentum, veritatis? Non denique Chriſti corpus ab eodem auctore nominatur? Cum hoc ita ſit, certe huius ſancti templi religionē polluit, qui res ſacroſanctas venales proponit; qui rerum Diuinarum publice mercatum inſtituit; qui, vt opibus ſacris auctus, & ornatus, diſcedat, capitales fraudes in Rep. Chriſtiana ſuſcipit; qui ambitione ſacrilega ad honores adſpirat; qui non ambitioni, ſed veræ pietati, debentur; qui poſtremo ſermonē dat impuris hominibus, quo in ſtatum Eccleſiæ, quam Chriſti odio perſequuntur, multo vehementius incitentur. An non metuendum eſt, ſi hæc tanta peſtis in Eccleſiam inuaſerit, ne Chriſtus ipſe vendentes, & emētes, multisq. flagitiis, & impuritatibus, domum ſuam violantes, acerrime cōcidat? ne eos, qui lucrum, & emolumentum, religioni impudentiſsime præferunt, funditus eijciat? ne multi mortales, furore, & amentia, flagrantes, erroribus peſtiferis, atque turbulentius, Eccleſiam acriter oppugnent? ne hoſtibus Chriſtiani nominis victorias ſæpenumero concedat? ne poſtremo ferro, fame, peſtilentia, publiciq. iuris, & libertatis, interitu, Chriſtianam Remp. excruciet, vſque eo, dum ad officium redire cogat? Non dico, hæc ita nunc publice fieri: quāquā aliquando facta fuiſſe conſtat; vnde calamitates innumerabiles in nos inuectæ ſunt: quibus, ſi non clementia Domini pietatis ſemen in multis viris ſanctiſsimis integrum reſeruaſſet, omnia fuiſſent horribili vaſtitate conſumpta. Sed hæc mala in dies Pontificum ſeueritate coercentur; & viam, qua ſalutaria remedia comparentur, multorum bonorum curatione egregie munitam conſpicimus. Credimus igitur, Eccleſiæ ſanctiſsimæ ſtatum inuicto Chriſti præſidio firmiſsimū ſemper fore, dignitatemq. ſuam perpetuo retenturum. Ad aliud igitur templum, cuius ſanctitas in noſtra manu eſt poſita, animos conferamus. nam Chriſti auxilium, ſi nobis ipſi deeſſe noluerimus, a nobis nullo vmquam tempore demigrabit. An neſcitis, inquit Paulus, quod tēplum Dei eſtis vos, & ſpiritus Chriſti habitat in vobis? Si quilibet ex his, qui ſe ad Chriſti numen adiunxerunt, Templum Dei poteſt appellari, (in illius namque mente Deus ſibi ſedem conſtituit) ſceleſtum certe facinus facimus, & impietatem ſuſcipimus, quoties mentes noſtras flagitiis nefarie polluimus, & animos noſtros, Diuino numini conſecratos, vel libidine, vel auaritia, vel odio, & immanitate, violamus. Quid? aīa vnius cuiusque noſtrū, non eſt imago Dei? non eſt manibus illius facta, & informata? non eſt ad ſimilitudinem illius bonitatis, & excelſæ dignitatis, expreſſa? Poſſumus igitur aliquo modo hanc Dei imaginem cōtaminare ſordibus, & inquinare ſceleribus, deformare dedecore, & a ſtatu Regio, in quo Deus eam locauit, detrudere, quin religionem violemus? Cogitate cum animis veſtris, fratres cariſsimi, fieri poſſe, quod aliquando factum fuiſſe legimus: hoſtes Chriſtiani nominis, quod omen Chriſtus auertat, in aliquam ciuitatem Chriſtiani nominis irruere, in templa furenter inuadere, imagines ſanctorum demoliri, cruces perfringere, altaria diſturbare, omnes res ſacroſanctas euertere, monumenta religionis, atque pietatis, exurere. Quanta doloris acerbitate, & quantis lacrymis, atque mærore, ea plaga nobis omnibus deflenda eſſet. Ita ne vero? tēplum Domini fœdiſsime pollui? religionis ſtudium exſtingui? rerum Diuinarum imagines funditus euerti? feſtos dies Domini in acerbiſſimum plangorem, & fletum, eſſe conuerſos? tantam dedecoris maculam Chriſti nomini ſanctiſsimo a perfidis hominibus inuſtā fuiſſe? Omnibus certe id maxime dolendū, & perpetuis lacrymis perpetuo lamentandum, iure, atque merito, videretur. Quid, cū a vobis ipſis id facinus ludibundis ſuſcipitur? Numquid non, quoties ſcelus in vos admittitis, tēplum ſanctiſsime dedicatum polluitis? numquid non Dei imaginem de ſolio Regiæ dignitatis deturbatis? numquid non in vobis ipſis omnia ſanctitatis penetralia violatis? nūquid non ſanguinem Chriſti, quo, vt Pauli verbis vtar, ſanctificati fuiſtis, vt rem pollutam, atque ſordidatam, contemnitis? numquid non Spiritui ſancto, qui in animis veſtris pulchritudinem Diuinæ mentis impreſsit, contumeliam imponitis? Si enim, cum Sarraceni templum e lapidibus exſtructum polluūt, id ægerrime ferendum cenſetis, cur cum Dei templū viuum, & imaginem illius, natura ſempiternam, ad ſocietatem cæleſtis hereditatis euocatam, opera veſtra peruerſam, & inquinatam, omnibusq. bonis euerſam, cernitis, non ſimiliter lugendum, & lamentandum, conſideratis? Impietas eſt, ſcelus eſt, ſacrilegium eſt, a Deo grauiſsima pęna vindicandū. Qui enim Dei templum violauerit, perdet illum Deus. Flagellum igitur Chriſti formidate; ſupplicium ſacrilegis conſtitutum perhorreſcite; & in vobis ipſis religionem ſancte, & pure, colite. Quod, facietis, ſi veſtras animas ab omni peccati contagione puras conſeruaueritis. quod perficietis, Chriſti gratia confirmati.

ORA-

# ORATIO IIX.

E*Rat autem homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum.* Illis, qui maximarum artium diſciplinis inſtrui cupiunt, ingenium, & diſciplina, & ſtudium non vulgare requirendum eſt. Deinde, opus eſt, vt illi magiſtro continenter affixi ſint, qui bonarum artium ſcientia præcellat, & auctoritate ſumma præditus ſit, vt fides illi a diſcipulis habeatur. Aliter enim, ſi vel in doctorem imperitum, & ſtulte arrogantem, inciderint, vel doctrinam illius aliqua ratione contempſerint, nullo modo in diſciplina proficient, & in humanis quidem diſciplinis, in quibus non ſane multum refert ad beatæ vitæ rationem, quam multos in illis progreſſus habeamus, non ita dolendum eſt, illarum fructu, vel propter ingenij tarditatē, vel propter doctoris imperitiam, vel propter diſcipulorum negligentiam, noſtros illarum fructu deſtitui. In his vero, quibus ſalus, vita, dignitas, & gloria ſempiterna, continetur, maxime lugendum eſt, cernere, quam plurimos, qui nobis egregie cari ſunt, alijs artibus, ex quibus nullum omnino fructum capient, omnem vitam conterere, eamq. diſciplinam aſpernari, quæ in cælum viam munit, cæleſtemq. gloriam æuo ſempiterno conſtituit. Huius diſciplinæ magiſter Deus eſt. Nolite, inquit, vocare vobis magiſtros ſuper terram. Vnus enim magiſter veſter eſt. Item Iſaias ſummis laudibus celebrat Deum, qui dedit, inquit, nobis magiſtrum iuſtitiæ. Qui igitur aliis ſtudiis operam nauant, &, hoc vno neglecto, aliis diſciplinis exercentur, eo in maiorem amentiam, atque furorem, incidūt, quo maiore conatu in artes humanas incumbunt. Summam enim ſapientiam arrogant, cum nihil, quod valeat ad ſalutē, prorſus intelligant; neque, in quibus rebus ſapientia vera poſita ſit, mente comprehendere poſſint, quamdiu in ea rerum ſalutarium ignoratione turpiſsime verſantur. Soli igitur, qui ſe totos Chriſto in diſciplinā dant, quamuis ſint omnium diſciplinarum penitus ignari, verā ſapientiam facillime conſequuntur. Beatus, inquit Dauid, quem tu erudieris, Domine. Non dicit, Beatus, qui ſe dialecticæ armis inſtruxit, qui naturam vniuerſam perueſtigauit, qui cæli, atque terrarum, ſpatia definiuit, qui in omnibus denique philoſophiæ partibus cum inſigni apud homines laude verſatus eſt. Non eum ſapientem, hoc eſt beatum, appellat, ſed quem ipſe Dominus, in cuius mēte omnes Diuinæ ſapientię theſauri reconditi ſunt, erudiuit. Ita namque reconditi ſunt, vt omnibus, qui ad illum acceſſerint, prōpti, atque parati ſint, nec vllo modo ab eorū fructu, ſi permanſerint in fide, & officio, repellātur. Sed dices, Quid, ſi diſcipuli fuerint tardo, & hebeti, ingenio pditi? Nihil refert. Linguæ parum volubilis impedimentum opponebat Moſes, cum munus a Deo ſibi impoſitum recuſabat. Sed, quid ait illi Deus? Quis fecit os hominis? Et paullo inferius, Ego ero in ore tuo. Similiter de mente, & ingenio, ſtatuēdum eſt. Dominus, ſummus ingenij, & docilitatis, architectus, illam mentem ſuis elargitur, qua diſciplinas cæleſtes facile capiant. Ille cæcos illuminat; ille tardos incitat; ille iacentes erigit; ille poſtremo facit, vt, qui erant ad res Diuinas tardiſsimi, ſingulari ſtudio, mente, ratione, myſteria Diuina percipiant, &, in hac etiam regione, craſſa, & caliginoſa, conſtituti, in cæleſti regione, cum mirabili voluptate, verſentur. Huius autem docilitatis ſumma in eo conſiſtit, vt nos ipſos abiiciamus, & mores noſtros exſuamus, vt Domini diſciplinis, & ornamentis, ornari poſsimus. Vt huius vero doctrinæ rationem melius cernere poſsimus, videndum eſt, quo modo diſcipulus ad magiſtrum acceſſerit. Homo, inquit, erat ex Phariſæis. Erant autem Phariſæi religioni olim conſecrati, quæ multum inter Iudæos opinione ſanctitatis excellebat. Nomen illius erat Nicodemus. Habebant enim eo tempore Iudæi multa Græca nomina. Significat aūt hoc nomen, Populi victorem; vt doceat, eum virū egregium, eſſe iam a multitudinis temeritate, & inſania, ſeuocatum. Hic erat litteris, religione, & auctoritate, Iudæorum facile princeps. Hæc omnia, viri nomen, atque dignitatem, plane nobilitant; ſed nihil magis eum illuſtrat, quam ſtudium, quo Ieſum ſedulo requiſiuit. Cupiebat enim, & diſciplinis cæleſtibus erudiri, & veriſsimæ dignitatis ornamentis illuſtrari. Quemadmodum Dauid ait, Quærite Dominum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. Summe hęc omnia laudāda ſunt. Sed, quid hoc eſt, quod ſequitur?

*Venit ad Ieſum nocte.* Cur lucem vitauit, & tenebras ſecutus eſt? Pudebat eum dedecoris? Chriſti colloquium ſua præſtantia indignum iudicauit? Ne emanaret in vulgus, ſe cū Chriſto ſociari velle pertimuit? Ergo Chriſti diſciplinæ, & ſocietati, nonnullam dedecoris, & ignominiæ, maculam inuſtam eſſe conſtituit. Num reliquorum Phariſæorum offenſionem, qui Chriſto erant vehementer infenſi, veritus eſt? Ergo exiſtimationem hominum, qui religionem nefarie ſimulabant, veriſsimæ religionis ſanctitati præponendam duxit? Non caret flagitio is, quem pudet Euangelij; qui hominum rumuſculis impeditur, quo minus Chriſto in ſeruitutem ſe addicat; qui huma-

nam denique gloriam, fallacem, & inanem, gloriæ veriſsimæ, quæ Dei ſempiterno iudicio comparatur, anteponit. Hic non angelorum multitudinem innumerabilem, a qua vera laus, atque dignitas, incorrupte iudicatur, mente conſiderat. hic omnium cælitum ciuium theatrum numquam videlicet cogitauit: hic denique numquam ſummum illud ſapientiæ ſummæ iudicium in oculis, & adſpectu, propoſuit; quando ſic ſe totum addixit effrenatæ multitudini, vt omnem dignitatem ſuam in vulgi temeritate collocaret; atque, vt grauius dicam, præ temeritate plebis amētiſsimæ, Dei iudicium contemneret. Dicit Heſiodus, malum pudorem egeſtatem ſummam conficere. Malus autem pudor, apud illum, eſt illius, qui dignitatis eſſe nō putat, terram colere, & fruges exarare, & fructus labore quæſitos in cella penaria recōdere, ad famis, & inopiæ, depulſionem. At, quanto peior ille pudor eſt, qui homines ignominiæ metu tenet, ne Chriſtum aſsidue ſectētur; ne fructus vberrimos efferant; ne fruges denique in cælo congerant, vt eo metu omnes opes ſempiternas, per ſummum flagitium, & ſcelus, effundant. At, quam acriter Chriſtus ipſe comminatur omnibus, quos pudor hic miſerum in modum debilitat. fore namque dicit, vt in iudicio ſimiliter ſibi ignominioſum ſtatuat, eos ad ſuos aggregare, quos nominis Chriſtiani pudet. Itaque omnes expellendos eſſe prænuntiat. Sed, vt iam ad intermiſſum locū redeā, ne tam ſeuere cū Nicodemo agamus, cuius animum in principio non ita fuiſſe confirmatum cernimus, vt facile poſſet populi iudicium omnino contemnere. Quemadmodum igitur reliqui diſcipuli, antequam diſciplinæ rudimenta deponerent, magnam imbecillitatis ſæpenumero ſignificationem dare ſolebant: ſic etiam Nicodemus, mirandum non eſt, aliquid primis illis ignorantiæ tenebris offendiſſe, cum nondum ſatis illi Sol clariſsimus illuxiſſet, &, apud multitudinem, ne multum de ſua exiſtimatione deperderet, anxie formidaret. Sed, quo maior illius imbecillitas extitit, eo virtus, qua poſtea pro Chriſti nomine decertauit, clarius illuxit. Vt autem videamus, quam rudis adhuc erat in fide, confeſsionē illius expēdamus. Ait enim:

*Rabbi, ſcimus quia a Deo veniſti magiſter. nemo enim poteſt hac ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Eum Rabbi, ideſt, Doctorē appellat, non Dominū. Deo deuinctum eſſe confitetur, Dei filium nō appellat; Magiſtrum a Deo profectum aſſerit, regis tamen maieſtatem, & amplitudinem, ſilet. Itaque, illi ſummi Magiſtri honorem defert, non ita tamen, vt ei filij Dei, & Regis æterni, nomen, vt antea Nathanael fecerat, libere, & cōſtanter, imponat. Quā ſingulari vero ratione ductus ſit, vt eū aſſerat magiſtrū a Deo in terras miſſum, qui humanunm genus Diuinis diſciplinis erudiret, egregie demonſtrat. Id enim opera clariſsime teſtificabantur. poſſunt quidem malefici oculos eruere, non cæcis viſum reddere: poſſunt orbare ſenſibus, non ſenſuum euerſionem, & interitum, reparare: poſſunt viua corpora morbis inficere, non corpora morbis inſanabilibus oppreſſa in ſanitatem reſtituere: poſſunt denique vitam viuis eripere, nō mortuos in vitam ſuſcitare. Facillime igitur homines, qui non fuiſſent malitia, & improbitate, nimis furenter obcæcati, perſpicere potuiſſent, ex ſignis, quæ paſsim a Domino fieri cernebant, illum eſſe clariſsimam noctis humanæ lucem, vim corporum vitalem, atque ſalutarem morborum omnium medicinam, vitam denique omnium, qui ad vitam fide, & moribus, adſpirāt, ſempiternam. Hoc intelligebat Nicodemus; & ideo cernebat, fieri non poſſe, vt aliquis ea ſigna ederet, niſi fuiſſet cum Deo indiſſolubili fœdere colligatus. Deum tamen non dum audet appellare, ſed Magiſtum a Deo miſſum appellat, qui nō ſolum diſciplinam Diuinam tradat, verum & operibus Diuinis, ipſius Dei gratia, perfungatur. In illius igitur oratione fidei initium videmus; ſed nondum illius perfectionem adſpicimus; diſcipulum cernimus, ſed nondum diſcipulum omni laude cumulatū intuemur. Qualis autem Chriſti diſcipulus eſſe debeat, ipſe Chriſtus ediſſerit. Sic enim ſequitur:

*Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre Regnum Dei.* Vidēre Regnum Dei, nihil eſt aliud, quam, Chriſti diſciplinam ſequi. Hoc igitur Chriſtus ipſe dicit, Recte me Magiſtrum appellas. Verum enim vero nondum ſatis operibus conſtat, verum meus diſcipulus eſſe poſsis. Nam mea diſciplina eſt Regnum Dei. Hoc autem Dei Regnum qui mente perſpexerit, vere meus erit diſcipulus. Sed hoc fieri nequaquam poterit, niſi ab eo, qui vitam prius abiiciat, vt alterius vitæ initium faciat. Hoc vt melius intelligi poſsit, opus eſt, vt, quid Regnum Dei ſit, quoad fieri a nobis poterit, explicemus. Vbicumque omnia ad Dei voluntatem adminiſtrantur, vbi ſemper fides ſancta permanet, vbi omnium cogitationes, & ſtudia, ad illius gloriam conſeruuntur, vbi nemo recuſa: imperium, ſed omnes certatim operā dant, vt legi Diuinæ pareant, nihilque ſit omnino, quod animi, Diuino iure deuincti, Diuinis iuſsis anteponāt, ibi Regnū Dei viget, inſigni omnium præconio celebratum. Regnum igitur illius amplum, & excelſum, opibus ſempiternis affluens, omnibusque ſuis numeris abſolutum, Cælum eſt, in quo Pater ſanctiſsimus omnia bona ſua cum iis, qui ad illius ſe nomen inflammato ſtudio contulerunt, large communicat. ibi enim cuncta illi ſubiecta ſunt; nec

eſt quidqnam, quod illius volũtati repugnet. omnes ſiquidem mentes beatiſsimæ, quæ voluptatibus ſempiternis, Dei benignitate, perfruuntur, in illius quodammodo naturam conuerſæ ſunt, ita, vt nequeant vllo modo ab illius imperio, atque voluntate, diuelli. Secundo autem loco Regnum Dei appellatur in terris cœtus ille fidelinm, qui non libidine, non iracundia, non auaritia, nõ aliquo turbulento motu, rectæ rationi contrario, ſed lege Diuina, vitam omnem moderatur. Eccleſia igitur ſancta, Regnum Dei eſt, quod Rex ille ſempiternus, a Patre ſummo in Sionis monte conſtitutus, ſempiterna moderatione gubernat. Regnum præterea Dei, eſt cuiuslibet iuſti hominis mens, & ratio, quam ſpiritus Chriſti numine ſuo regit, præſcriptis arcet, iure denincit, moribus ornat, opibus anget, in eoque tandem ſibi ſtabilem ſedem conſtituit. Omnes enim tunc partes animi, rationi parent; & omnes rationis opes eo conferuntur, vt nihil omnino reperiatur in animo, quod a Dei voluntate diſſentiat. Quod quidem, ipſius Dei gratia, qui temperat, atque fulcit, animum, cum felicitate ſumma perficitur. Hic igitur ſtatus animi, Diuina lege fundatus, Regnum Dei non immerito nominatur. In eo enim, deleta tyrannide cupiditatis, Chriſti Regnũ ſtabilitur. Eſt poſtremo alius hnius Regni ſenſus, a quo reliqui omnes ducti videntur; nempe lex, ſpiritus vitæ, (ſic enim eam Paulus appellat) qua Dei Regnum feliciter inſtitutum, opibus ſummis amplificatur, & cæleſtibus ornamentis excolitur, & tranquilliſsima pace perfruitur. Itaque denominatio quædam inſignis eſt, qua Diuinam legem non in tabulis exaratam, ſed in mentibus Diuinitus expreſſam, Regnum Dei nominare licet. Ea enim eſt, quæ Regnum couſtituiti imperium enim ſancit; obedientiam confirmat; omnia, quæ ſunt Regno contraria, repellit; & facit denique, vt omnia ſint Deo libentiſsime ſubiecta. Cum igitur Chriſti diſciplina, lex ſempiterna ſit, ſequitur neceſſario, vt Regnum Dei ſit in Chriſti diſciplina conſtitutum. Spiritus igitur Chriſti, Regnũ Dei poteſt appellari; vel, quia ad Regnum ſempiternum perducit; vel, quia ad Eccleſiam ſanctam eos, qui datam fidem veriſsime profitentur, adiungit; vel poſtremo, quia Chriſti diſciplina Regnum in animis eorum, qui ſe totos ad illius ſtudium applicuerunt, egregie componit. His ita conſtitutis, reliquum eſt, vt videamus, quo modo omnino neceſſarium ſit, ſi volumus hoc Regnum intueri, hoc eſt Chriſti diſciplinis inſtitui, vt iterum exoriamur. Sunt multa in animis noſtris, quæ continenter bellum gerunt cum Chriſti ſapiẽtia, religione, & ſanctitate. Neque enim ſolum libido, amor, inuidia, odium, cupiditas, auaritia, & reliquæ vitæ peſtes, arma comparant; verum etiam, atque adeo multo interdum magis, ambitio, leuitati imperitæ multitudinis penitus addicta, contra ſanctitates omnes inſurgit, nec vllo modo Chriſto ſubdi vult, niſi ſibi per multitudinem liceat. Sancit Chriſtus, vt ignoſcas; multitudo vindictam præſcribit; Chriſti imperium contemnitur; quod multitudo furens iubet, fixum, & ſtatum, permanet; mutari non poteſt. Auaritia ſuadet, vt rem iniuriis adaugeas; Euangelium, vt nullas opes innocentia potiores exiſtimes; & de tuo potius largiaris, quã vt aliquid per iniuriam de alienis deminuas; Euangelium negligitur; quod imperat auaritia, confeſtim adminiſtratur. Ne autem plura perſequar, quoties in reliqua inſita in natura peruerſitas cum legis ſanctitate concnrrit, ſic ſunt omnes mortales, ob primi parentis lapſum, a natura antiquæ originis animati, vt leges Diuinæ imperium impudentiſsime detrectent, vt animorum ſuorum peruerſitatibus obſequantur. Laudant illi quidem legem; eam tamen, victi libidine, & cupiditate, minime ſequuntur; vel, quia nefariam cupiditatem, & amentiam, ſanctimoniæ legis anteponunt; vel, quia cupiditati diu repuguare nequeunt. Eſt enim intoleranda cupiditatis immanitas, & rationis robur, quamdiu non eſt Diuino præſidio firmatum, nimis imbecillum. Quamuis igitur in principio ſe ratio comparet ad reſiſtendum, cedit tandem, atque, turpiſsime victa, ſuccumbit. An Paulus id obſcure dicit? An parum dilucide has inimicitias, inter inſitam in natura cupiditatem, atque legem Diuinam, explicat? An non docet, inexpiabile bellum eſſe, neque poſſe hoc armorum ſtudio vllo fœdere, aut compoſitione, reſtingui? Tantum dicit inter corporis libidinem, & Dei legem, odium intereſſe, vt nulla ratione libido poſſit Dei legem accipere. Reſpuit, atque recalcitrat, & in rebellionem effrenate prorumpit, omnibusque modis, quanto odio teneatur Diuinæ legis, exponit. Quod igitur remedium poterit excogitari? Non aliud certe, quam noua natiuitas. Scribens igitur ad Epheſios Paulus, admonet, vt exſuamus veterem hominem; (ſic enim appellat corporis naturam, ad omne flagitium propenſam) & renouemur ſpiritu mentis noſtræ, in qua ineſt animi principatus. Et induite, inquit, nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Similiter, ad Coloſſenſes ſcribẽs, exhortatur, vt abiiciamus veterem hominem cũ actibus ſuis, & induamus nouum hominem, cuius ſpecies, & pulchritudo, ſecundum claram, & inſignem, Dei notitiam, ad ipſius Dei imaginem

reno-

renouatur.Hæc autem renouatio,eſt quędam cæleſtis agnatio,qna Spiritus ſancti ſatu generamur. Eos autem, qui ſecundum hanc rationem ſunt ad imaginem Diuinæ mentis expreſsi,nouam creaturam idem Paulus appellat, creati, vt opera deiude bona moliantur,& efficiant. Non enim hi, qui ſunt ſemine Diuino procreati, fruſtra laborabunt; immo ex laboribus ſuis ampliſsimos fructus excipient. Sed, quia noua forma veteris euerſionem requirit,neceſſe eſt, illi, qui nouæ formæ claritatem concupierit, vt multum operæ,& ſtudij,in vetere demolienda conſumat. Quocirca Paulus tam crebro Mortificationis nomen vſurpat. Sic enim mortis commentationem nominat, qua crucem flagitiis, atque adeo ſenſibus, defigat, vt, illis exſtinctis, noua repente lux, nouæ pulchritudinis comes, oriatur. Hoc autem, quod Paulus, more ſuo, dicit,ſummus Magiſter,& Dominus,aliis verbis enuntiat.Ait igitur,Niſi quis renatus fueritdenno, non poteſt videre Regnum Dei. Tu quidem, inquit, me magiſtrum nominas, & vere nominas. Non enim ſimulate loqueris: non eſt tuum,adulari, neque ſraudes admittere. Cupis igitur, te non expertem doctrinæ meæ fieri. Opus igitur eſt, vt intelligas,te non fore meæ doctrinæ participem,niſi formam nouam indueris. Itaque eſt tibi crux adhibenda, vt, interempta conſuetudinis priſcæ vetuſtate,quædam nouitas in te cæleſtis pulchritudinis eniteſcat, vt tum demũ puriſsimis oculis arcana Diuina perſpicias. Sed operæpretium erit animaduertere, quã parum in ſtudio ſapientiæ progrediantur omnes, qui ſe minime in diſciplinam ſpiritus Diuini tradiderunt; quamuis ſint in reliquis artibus excellentes. Nam, quis poterat illo tempore.Nicodemum litteris, & auctoritate, ſuperare?Nemo prorſus:& tamẽ, quam rudis,& infans,in Diuinis rebus eſſet,ex reſpõſo illius apparet:

*Dicit ad eum Nicodemus, Quo modo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex? numquid poteſt in ventrem matris ſua iterum introire, & renaſci?* Ita reſpondet, quaſi Chriſtus de noua corporis informatione loqueretur, & non omnis illius ſententia eſſet ad ſpiritum, atque vitæ cæleſtis rationẽ, conſerenda. Ait igitur:

*Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Docet,quo modo hæc noua generatio fiat; & ſimul oſtendit, fieri non poſſe, vt quiſquam in cælum ingrediatur, antequam hanc formam Diuinitus aſſumat. Dixerat paullo ante, neminem, antequam iterum naſceretur, Regnnm Dei eſſe viſurum. Nunc vero, quod longe grauins eſſe videtur, Regni aditu omnes excludit, qui non fuerint iterũ generati. Quomodo? Ex aqua, inquit,& ſpiritu. Quo modo ex aqua? Niſi, inquit, fueritis benignitate mei nominis abluti, & ab omni macula totius impuritatis abſterſi. Ego,inquit, ille ſum, vt eſt apud Iſaiam, ego ſum, qui deleo iniquitates tuas. Quo modo ex ſpiritu? Quia, ſi vos, inquit, ſpiritus non incenderit, vt,a terra longius euecti, de cælo noctes, & dies cogitetis, facillime poteritis iterum prolabi. Vtrumque igitur opus eſt, vt & priſtinæ ſordes eluantur, & amoris Dinini faces inflammentur. Sic autem erat ab Iſaia prædictum. Omnis,inquit, qui relictus fuerit in Sion, & reſiduus in Hieruſalem, ſanctus Domino vocabitur; omnis, qui ſcriptus eſt in vita Hieruſalem, quando abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Hieruſalem lauerit,in ſpiritu iudicij,& ſpiritu ardoris. Hic cernimus, a Propheta baptiſmum fuiſſe prænuntiatum, quo erat puritas generis humani, peccato primi parentis, amiſſa, ſecundi parentis ſanctitate recuperanda. Spiritus iudicij puritatem, Chriſti ſanguine partam, ſignificar; ſpiritus ardoris, caritatis flammam, quam Chriſtus in ſuorum viſceribus implicauit, aperte declarat. Huius baptiſmi cupiditate, ſe Chriſtus vehementiſsime cruciari teſtabatur. Tanto enim ſtudio ſalutis humanæ flagrabat, vt nihil longius illi videretur, quam in Crucem tolli, vt noſtra ſcelera, atque flagitia, ſanguine ſuo deleret. Hæc igitur noua generatio, facta eſt;hæc cæleſtis agnatio, viſa in terris eſt; hinc lumen iuter homines huius tantæ nobilitatis eluxit. Meritis enim ſanctiſsimi ſanguinis expiati,& in gratiam patris intromiſsi, ſic ſplendore ſempiterni numinis illuſtrati ſumus, vt liceret nobis ingredi in Regnum Dei,non modo idem Regnum luminibus mentis intueri. Vt autem hoc melius in animis infixum remaneret, fuit ipſius Domini lege conſtitutum, vt in ſanctiſsimæ religionis ſacramento corpora noſtra ablnerentur, vt Oleo ſancto vngeremur, vt ardentes lampades manibus teneremus, &, quod intus in animis gerebatur, etiam ſignis exterius oſtenſis ſignaretur, vt lauacro vitæ mundati, & Spiritus ſancti gratia delibuti, Diuini luminis ſplendore collucentes, poſſemus facillime candorem innocentiæ retinere. Et ideo candidæ veſtes aſſumuntur,vt puritas animorum ex cultu corporum poſſet animaduerti. O diem illum fauſtum, atque feliecm,memoria perpetua celebrãdum, quo e tenebris in lucem emerſimus; quo Patrem, & Filium,& Spiritum ſanctum,ſumma fide,& religione, confeſsi ſumus; quo memoriam priſtinæ impietatis, & impuritatis, abiecimus, vt libere poſſemus ſupera, atque cæleſtia, contueri; quo denique eam dignitatem cõſecuti ſumus, quam nulli Principes maximi, qui terras latiſsime continuatas imperio, & poteſtate, complexi ſunt, adipiſci

potuerunt. facti ſumus enim filij Dei, non ex ſemine corruptibili, ſed ex incorruptibili, vt Petrus ait, ex verbo Dei viui permanentis in æternnm. Quis humi ſtratus eſt? quis in terram depreſſus eſt? quis in huius exiguæ, atque miſeræ, vitæ curis intabeſcit? Excita mentem; terram deſpiee; cælum ſuſpice; mente, & cogitatione, angelis ſanctis aggregare; & dignitatem tuam animo, alto, & excelſo, recognoſce; frequenter ortus tui claritatem in memoriam redige, vt videas, in quibus ſit tibi ſtudiis, & actionibus, elaborandum. Nam, ſi humana nobilitas omnibus, qui puſillo, & anguſto, animo non ſunt, acres ſtimulos admouet, ne videantur maiorum diſsimiles, ea de cauſſa res magnas, atque vehemẽter arduas, aggrediuntur, quid tibi faciendum eſt, qui Patrem appellas Deum, & in Regni ſocietatem ab vnico illius Filio vocaris? Vt autẽ magis huius tam Diuinæ nobilitatis claritatem poſſis mente percipere, opus eſt, vt ad intermiſſam Domini orationẽ reuertamur. Sic enim ſequitur:

*Quod natum eſt ex carne, caro eſt: &, quod natum ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Filius ſequitur naturam Patris. Qui igitur ex homine natus eſt, homo eſt omnibus morbis, qui naturam humanam a ſtirpe conſequuntur, obnoxius. Ergo, & qui ex Deo natus eſt, Deus ſit etiam quodãmodo neceſſe eſt, muneribus Diuinis, pro ratione dignitatis ſuæ, egregie cumulatus. Hoc enim plane dicit Veritas ipſa ſempiterna: eum, qui a Spiritu, quem Spiritum Deum intelligit, ortus eſt, Spiritum eſſe; hoc eſt autẽ, Deum eſſe. Quo modo autem is, qui ad hũc modũ denuo generatus eſt, Patris ſimilitudinem referat, oſtendit.

*Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos naſci denuo. Spiritus vbi vult ſpirat: & vocẽ eius audis, ſed neſcis vnde veniat, & quo vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex Spiritu.* Continuata verborum trãſlatio, facit, vt rhetores docent, allegoriam. Verba propria, quibus res Diuinæ poſsint explicari, nulla ſunt. Propterea, neceſſario a rebus corporeis aſſumũtur, vt, illarum videlicet admonitu, homines, cum ſint natura rebus corporeis aſſueti, facilins ad Diuinarũ intelligentiã perueniant. Spiritus vero nomen, proprie ventum, & flatum, ſignificat. In ſanctis autem litteris, ad animam, & mentem, & Deum deſignandum, ſæpe transfertur. Hoc autem in loco Chriſtus, non de vento, ſed de Spiritu ſancto, loquitur; oratio tamen eius a venti natura deſumitur; vt ſententia longe clarius, & elegantius, explicetur: ita namque ſumitur, vt, ſecundum allegoriæ rationem, ſatis omnibus, qui concinne loquuntur, vſitatam, ad alia traducenda ſit. Spiritus, inquit, vbi vult, ſpirat: liber, inquit, eſt; potens eſt; coerceri non poteſt, quin impetu, quocumque ruere incepit, perferatur. vocẽ eius audis. perſonat enim ventus, &, quo magis increbreſcit, eo maiores fremitus edit; ita, vt terrã etiam interdnm tremefaciat; & tamen corpus illius nõ vides; neque, quando motum illum conciuit, neque, quãdo cõquieuit, potuiſti illius motionis, & quietis, rationẽ vllis aut corporis, aut animi, ſenſibus vſurpare. Hæc ad Spiritum Diuinum neceſſario transferenda ſunt. Primum quidẽ Dei ſpiritus liber eſt; non coercetur a curſu, nõ impeditur, quo minus omnia perflet, in quæ ſe incitare voluerit; nullo iure conſtringitur; nullis antecedentibus meritis obligatũr; ſecundum gratiam, & non ſecundum debitum, fidem remunerat; potentię illius nullis viribus obſiſti poteſt; vocem tamen eius audis. Quo modo? opera ſentis; actiones Diuinas cõſideras; mores immutatos animaduertis; eloquentiam eorum, quos Spiritus incitat, admiraris: quo tamen conſilio, aut motum animis attulerit, aut ſeſe ab illorũ coniunctione ſegregauerit, ignoras. Sic eſt, inquit, omnis, qui natus eſt ex Spiritu. Qua tandem ratione? Primũ, quia is, qui ſeruus erat, in libertatem continuo vindicatur. Vbi enim eſt Spiritus Domini, ibi libertas; deinde, quia tenuis, & imbecillus, homo, omnipotens repente fit. Id enim tantũ vult, quod Deus ſtatuit, atque decernit; numquã voluntas illius a Dei voluntate diſcrepat: omnes namque vitæ rationes ab illius moderatione ſuſpenſas habet; &, quãuis interdum aliquid optet, quod non ſit vſquequaque conſilio Diuino conſonum, omnia tandem illius nnmini, & imperio, ratione valde deliberata, cõmittit. Præterea, nullæ ſunt vires, quæ iuſti hominis mentem impedire poſsint, ne pietatem, & iuſtitiam, colat, ne claras actiones ſuſcipiat, ne in cælum tandem victor adſcendat. non labor vllus, cum labores omnes gloriæ Diuinæ gratia valde libenter excipiat; non cruciatus, quos vltro etiam appetendos arbitratur; nõ popularis offenſio, cum angelorum ſibi theatrum propoſitum ſemper habeat; non denique mors, cum videat, mortis claritate immortalitatem gloriæ comparari. Omnia igitur, quæ valde vult, omnino conſequitur; ab omnibus, quæ odit, quæ reſpuit, & aſpernatur, ſe procul amotum ſentiet. Omnipotens igitur, pro ratione dignitatis, in hac etiam vita, vt Dei filius, merito poteſt exiſtimari. Quid reſtat, vt illum modis omnibus Spiritus ſimilitudinem referre videamus? Hoc nempe, vt dignitas illius inuiſibilis ſit. Cum qnilibet noſtrum in lucem editus fuit, imbecillitas noſtræ formæ, e tenebricoſo carcere, cum eiulatu, & multis lacrymis, egreſſa, multorum oculis patuit. Multi me videre iacentem, & vitæ miſerias a ploratu miſerabiliter auſpicantem; multi morbis innumerabilibus, in illo vitæ primordio, me oppreſſum, & impeditum, conſpexere & tamen cognati, & affines, & familiares, vndique

dique

dique gratulatum conueniebant: quaſi exploratum eſſet illis,omnia mihi feliciter euentura, quamuis multo plura mala cernerent, quam bona, omnibus, qui in hanc vitam ingrediuntur,eſſe propoſita.Quam multi enim oriuntur,quibus ſunt infiniti labores excipiēdi,dolores innumerabiles perferendi, ſupplicia acerbiſsima ſubeunda, quibus tamen homines omnia læta,temere, & nimis inſipienter,ominātur. Quamuis autem nullum aliud malum nobis immineret, præter id, quod ex condicione vitæ communis exſiſtit, id tātum eſt,quod omnes miſerias, ſi non fuiſſet Chriſti miſericordia ſublatum,contineret. peccato enim infecti naſcimur;in iram Dei miſeris modis incurrimus;&,ſine vlla ſpe clementiæ, quantum ad ſtirpem noſtri generis attinet, pœna parentibus noſtris impoſita, conficimur.Hæc eſt igitur condicio illius diei natalis, quo a parētibus noſtris propagati lucem hanc communem adſpicimus,vt,in magna vitæ breuitate,multis ærumnis, & cladibus,corpore,& animo,conflictemur. Hoc eſt igitur, quod eſt omnium mortalium oculis obiectū. At origo diuina,qua a Deo, Chriſti meritis, & ſanctitate,generamur, eſt ab oculis hominum remota.Iccirco non intelligunt, quomodo homines rurſus oriātur; qua ratione mortales immortalitatis cultu veſtiantur; quo pacto in Dei filiis numerentur,&,pignore ſancti Spiritus corroborati,certum habeant,omnibus,qui cum fide incenſa,& incitata,ad extremum vſque vixerint, eſſe definitum in cælo locum, in quo Diuina gloria,abſque vllo fine,perfruantur: quam nobis noſtræ ſalutis, atque dignitatis,auctor concedat.

# ORATIO IX.

*Vo modo poſſunt hæc fieri?* Cæleſtis magiſter diſcipulum nactus eſt, ingenio acutum, moribus grauem, religione ſanctum, &, quod caput eſt, minime contentioſum, ſed paratum ad ea, quæ tradebãtur, memoria fideli continenda. A magiſtro autẽ accepit diſcipulus hic tantum diſtare humanæ ſapientiæ diſciplinã a vera ſapientia, quæ Spiritus Diuiui lumine continetur, quantum diſtat homo humana condicione generatus ab homine Spiritu Diuino progenitus. Andiuit enim tunc primũ, duplex eſſe generis humani principium; vnum, quo, ſecundum humani generis, & ſeminis, rationem, propagati ſumus; alterum, quo, ſecundum fidei ſanctitatem, a Diuina ſtirpe ortum habemus. Ex illa prima origine in ſimilitudinem primi parentis incnrrimus; ex hac autem, ad exemplnm, & imitationem, ſecundi pareutis impellimur. Ex illa ſtirpe, bereditatem mortis, & omnium morborum, quæ mortalem naturam conſequuntur, adiuimus; ex hac profecti ad ſocietarem cuiuſdam diuinitatis euocamur. Illa nos ad regnum Dei, hoc eſt autem ad Chriſti diſciplinam, indociles facit; hæc autem mentem ſic illuſtrat, vt omnia ſapientiæ Diuinæ myſteria percipiat. Non igitur humana ratio, quamuis multis diſciplinis egregie culta ſit, ſed Diuiui Spiritus inſtitutio, diſcipulos ad Chriſtum perducit. Quod in Nicodemo perſpicue cernitur doctor ignorat; inſignis auctoritas alucinatur; vir prudẽs in clariſsimis rebus offendit. Quid dicemus? Hoc certe: omnem ſapientiam, in quam homines, etiam moribus, & vita, recte conſtituti, omne ſtudium vitæ contulerunt, antequam maiorem operam Spiritui ſancto ſtrenue dent, & ab illo votis, & precibus, veram ſapientiam flagitent, eſſe traditionem puerilem. Non dico, illos operam perdidiſſe. artes enim humanæ, adminicula quædam ſunt, quibus facilius Diuina capiuntur. Verum, ſi in illis inſiſtas, nec ad Diuina progrediaris, illis eris annumerandus, qui ſemper diſcunt, & numquam, vt Paulus ait, ad ſcientiam veritatis perueniunt. Nam, vt homines iſti ſapientes naturæ rationem diligentiſsime perueſtigent, genera diuidant, acute definiant, argumenta vibrent, multisq. modis acumen oſtentent, ſi a Chriſti ſpiritu veram diſciplinam non acceperint, infantes ſunt exiſtimandi.

Nam, quid boc eſt, quod Nicodemus ait? Quo modo, inquit, poſſunt hæc fieri? quo modo, inquam, fieri cælum potuit? vnde aſtrorum claritas, & ſplendor, emicuit? vnde naturæ vniuerſæ concinnitas, ex tam diuerſis, & inter ſe repngnantibus naturis, effluxit? Quis terris cælum deuinxit? quis mundum vniuerſum tã admirabili fœdere colligauit? quis tam diuerſas formas, aut tam multiplices fructus, e terræ penetralibus eduxit? quis ventos, quis maria, quis hominum tnmultus, ordine, & lege, conſtrinxit, ne omnia, funditus euerſa, corruerent? At nihil eſt horum, quæ nuuc oratione perſtrinximus, de quo dici non poſsit, Quo modo potuit hoc fieri? At hæc omnia conſtat Dei manu facta, & compoſita fuiſſe. Cum vero Dei potentia nullis finibus circumſcripta ſit, dici non poteſt, quo modo poſſunt hæc fieri? Ex his enim, quæ facta cernis, quorum rationes nulla ratione percipis, potes intelligere, alia multa fieri a Deo poſſe, quorum cauſſas explorare nullo modo queas. Nam, ſi potentiam mente conſideres, eſt immenſa, & infinita; ſi probitatem, ea terminis nullis includitur. ſi animi tui anguſtias recognoſcis, videbis profecto, neque earum quidem rerum, quas cernis, quibus vteris, quas manu contrectas, rationem tenere. Quid, quod neque tibi quidẽ ipſi explorate cognitus es?

Quid igitur faciendum, vt animus in cogitando conquieſcat? Contemnenda prorſns ratio eſt, & fides modis omnibus amplexanda. Sufficit tibi, certum habere, aliquid a Deo fuiſſe dictnm, aut lege, & ordine, conſtitutum.

Hic animus omni cura liberatur; &, quæ non poteſt ratione perquirere, fide conſiderat. Inquis, o vir egregie, quo modo poſſnnt bæc fieri? Ego contra dico, quo modo fieri poteſt, vt hæc minime fiant? Dei enim perfecta ſunt opera. finis autem operum Diuinorum, in bomine fingendo, & informando, plane conſiſtit. Cælum enim ſideribus diſtinctum, & ornatum; terra, frugibus, & plantis, & herbarum viriditate, veſtita; maria, infinitis animantibus oppleta; terreſtria etiam animantia, & omnia denique, qnæ cernimns, hominum cauſſa condita fuiſſe, cõſtat. In quẽ finem, quæſo? Vt, poſtquam vitam in aſsiduo labore contereret, in cruciatum ſempiternũ abriperetur? Non certe: ſed, vt Deum, ad cuius imaginem factus eſt, clare tandem cerneret, opibusque ſempiternis affluerct. Hoc autem fieri commode non poterat, niſi homo in terris conaretur, qno ad fieri poſſet, res Diuinas intueri. Aliter enim, ſi nibil aliud cerneret, nihil ad ſe pertinere putaret, niſi quod corpus appeteret, nec vmquam Diuina ſuſpiceret; erat neceſſe, vt ſe totum cupiditati corporis addiceret: quæ cum ſit legi Diuinæ contraria, & inimica; conſequens eſt, vt, qnoties cerneret legi Dei inſitam cupiditatem aduerſari, toties ipſam legem exſtinctam, & deletam, cuperet. Qui

autem

autem Dei legem odit, Deum odit. Qui Dei inimicus eſt,ius non eſt,vt gloria Diuina perfruatur. Erat igitur homo ab aditu vitæ ſempiternæ excludendus, niſi natura illius fuiſſet immutata,& a nimio corporis obſequio ad legis Diuinæ ſtudium traducta. Hoc fieri non poterat,niſi homo iterum naſceretur, & animus illius nouam rurſus formam aſſumeret. Noua forma non aliam naturam, ſed nouos mores,nouum ſtudium, nouam cupiditatem, ſignificat, ita, vt, quæ erat ſerua cupiditatis, ſerua ſanctitatis redderetur; &, quæ in ſempiternam miſeriam intendebat, ad ſempiternam gloriam modis omnibus adſpiraret. Hoc fieri nullo modo poterat,niſi ſancti Spiritus opera. Vnde ſequitur,neceſſario id a Spiritu ſancto factum fuiſſe in omnium animis, quos ad ſe a primordio humani generis allexit. Quo modo? inquis, Ignoto, quod ita fuerit neceſſe:hoc plane ſcio; vel, quod erat Dei probitati conſentaneum; vel, quod erat illius ſapientiæ valde congruẽs; vel,quod poteſtas illius impediri non poterat; vel poſtremo,quod hoc opus Dei, omnium maximum, a Deo fieri quotidie videmus. Quoties enim hominem a flagitijs ad vitæ puritatem,& ſanctimoniam, traductũ adſpicimus,toties hanc nouam generationem mentis oculis vſurpamus. Non enim ſunt beneficia Diuina ad induſtriam humanam conſerenda. Qui autem non videt,veriſsimæ virtutis, atque pietatis, ſtudium ardentiſsimum,eſſe in bonis Diuinis numerandum,eſt totius veriſsimi ſenſus ignarus. Hoc certe non ignorabat Dauid, cum dicebat,Cor mundum crea in me Deus,& ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Intelligebat certe vir ſapientiſsimus, eſſe ſibi neceſſe iterum naſci, vt cæleſtem lucem adſpiceret,vt deinde, ex Diuinæ legis inſtammato ſtudio, totam vitam,abſque vlla impuritatis labe, gubernaret. Sed nimis vrgere videmur virum ſanctum.Non enim is erat,qui vel gloriam Diuinam ad humanas operas transferret,vel voluntati Diuinæ repugnaret; ſed ideo reprehendendus erat,quia,cum legis ſtudium eſſet profeſſus, nondum finem legis apprehenderat,ſed adhuc in rudimentis, & incunabulis,inſiſtebat; nec eo progrediebatur, quo lex illum vocabat. Lex enim non tam in ſcriptum,quam in ſenſum Diuinum, reſpicit. Qui igitur ſcriptum legis præcipue ſequebatur,nec in legis ſpiritum animum cõferebat, multa peccabat; &, quid eſſet denuo naſci, non ita clare ſentiebat. Merito igitur fuit a Chriſto reprehenſus.

*Tu es,inquit,magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* Magnum erat nomen Iſraelis. fuerat enim viro ſancto,a Deo,ad memoriam Diuinæ virtutis,impoſitum. Iacob enim, cum angelo, qui vicem Dei gerebat, tota nocte luctatus eſt; nec illi victoriam conceſsit; immo, ſi ita loqui licet, homo Deum ſuperauit. Omnia enim,quæ voluit, a Deo, orationis nimis incenſæ viribus, extorſit. Nequaquam, inquit angelus, Iacob erit nomen tuum, ſed Iſrael. Quoniam,ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis? Iſraelis enim nomen,principem, viribus Diuinis præditum,ſignificat. Nomen igitur hoc,vniuerſam poſteritatem, ad exemplum Diuinæ virtutis,quæ in principe generis eluxerat,inuitabat. Iſraelis igitur vniuerſi ius, atque dignitas, poſtulabat, vt magis ſpiritu Diuino, quam natura humana, cenſeretur; & multo attentius de rebus ſempiternis,quam de figuris earum, cogitaret, gloriamq. ſuam non in ſanguinis antiquitate, ſed in mentis puriſsimæ nouitate,reponeret. Quod ſi hoc ſtudiũ erat merito ab vniuerſa gente repetendum, quid tandem ab ipſius gentis magiſtro erat exſpectandum? Magiſtri,inquit,ſtudium profiteris; legis te doctorem eſſe iactas; lumen tuæ doctrinæ omnibus porrigis; de iure Diuino omnibus,qui te cõſulunt, te poſſe egregie reſpondere, putas; cum legis vim, finem, & rationem, prorſus ignores. Optimus Iſraelis magiſter eſt, non qui corporis circumciſionem retinet,ſed,qui mentis puritatem ſtudio ſummo retinendam cenſet; non, qui pecudũ victimis numen placandum ſuſcipit, ſed, qui vitæ cõuerſione,& interitu, nequitiæ veniam impetrat; non, qui luſtralibus aquis crimen expiat,ſed,cuius ſordes gratia ſancti Spiritus eluuntur. Nec nobili genere eſt,qui Abrahamo,generis principe,ſecundum carnem, gloriatur; ſed, qui illius veſtigijs ingreditur, &, ſecundum Spiritus ſancti diſciplinam,iterum natus eſt. Si hæc ignoras, quo tandem modo te magiſtrum Iſraelis appellari audes,cum totum hoc nomẽ in ſpiritu,nõ in littera; in ſenſibus Diuinis,non in figuris humanis; in fructu iuſtitiæ ſolido, atque ſempiterno, non in vmbra, & in fluxo quodam ſplendore, conſiſtat. Si rationem Diuinæ nobilitatis tibi exquirendam nimis curioſe putas, totam ignoras veriſsimæ ſapientiæ diſciplinam. Vera enim ſapientia, cum in Diuinæ probitatis cognitione poſita ſit,non rationis argumento, ſed fidei robore,atque firmamento,comparatur. Cum enim mens humana munera Diuina complecti ratione non poſsit, relinquitur, vt credat ea,quæ Deus ipſe teſtificatur. Quis enim videt? Quis Diuina comprehendit? Quis eſt,qui exactiſsime rationes operum Diuinorum conſiderat? Vnigenitus filius Dei, qui eſt in ſinu Patris, quemadmodum hoc in loco dicit.

*Amen,amen dico tibi,quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis. Si terrena dixi vobis,& non creditis: quo modo,ſi dixero vobis cæleſtia,credetis?* Certe, inquit,nos tantum, qui a Patre procedimus, ego nempe, & Spiritus ſanctus, quod in profundo,& inſcrutabili,Patris cõſilio latet, perſcruta-

ſcruta

ſcrutamur,& inſpicimus, & exploratum penitus habemus,&,quod nouimus,annunciamus vobis,vt ſalui ſitis. Verum, cum non poſſetis vllo modo muneris Diuini ſplendorem, propter imbecillitatem, ſuſtinere, neceſſe fuit, olim noſtrum ſermonem ſenſibus veſtris accommodari. Eratis enim tota mente corporibus affixi. a rebus igitur corporeis, quibus eratis aſſueti,ſimilitudines ſumpſimus,vt vobiſcum,quaſi cũ pueris infantibus,balbutiendo loqueremur;vt aliqua tãdem ratione poſſetis aliquid de ſempiterna felicitate cogitare. Itaque terrena dixi vobis,cum legem tuli,cum religionem ſanxi, cum ſacra conſtitui, cum imagines rerum Diuinarum ſtatui præcepi;cum vos ad ſtudium iuſtitiæ præmijs humanis inuitaui.Nihil enim erat in illis ſacris, & inſtitutis,cæleſte,atque Diuinum,ſed terreſtre,& abiectum,non efficiendæ iuſtitiæ,ſed ſignificandæ,gratia conſtitutum. Sic enim cõmodum fuit, vt,illorum ſignorum admonitu, ſenſim caperetis earum rerum,quas illa ſigna deſignabant,abſolutam notitiam. Et tamen neque ſic animum induxiſtis ad credendum. (hic non cum Nicodemo, ſed cũ genere vniuerſo,loquitur) & tamen obedientiam abieciſtis; & tamen iura omnia impudenter, & impie', perfregiſtis. Si ergo fœdus illud ſacris terrenis percuſſum,& pactionem,muneribus, & inſtitutis humanis confirmatam,violaſtis; ſi religionem illam, qua vos deuinxi, nefarie polluiſtis; ſi ea, quæ magis erant ſenſibus veſtris accommodata,credere noluiſtis; quomodo,ſi nunc dixero vobis cæleſtia,quæ ſunt a veſtra cognitione remotiſsima,credetis? Ad homines, vt Ariſtoteles loquitur, argumentum dirigit. Aliter enim nullas vires habere potuiſſet. Nihil enim eſt natura magis credibile,quam id,quod eſt fixum,immutabile,atque ſempiternum. Sed, cum id tantum homines, rebus terrenis impliciti,credant,quod eſt magis ſenſibus obiectum, ſequitur, vt illis magis credibilia videantur terrena, quam cæleſtia.

*Et nemo adſcẽdit in cælum,niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis qui eſt in cælo.* Demonſtrat, quantum ſit opus fide, omnibus, qui ſalui eſſe cupiunt. Filius hominis idem eſt,quod verus homo. Eſt enim loquendi figura, qua Hebræi,& Chaldæi, vtuntur ſæpiſsime, & interdum etiam Græci. In Chriſti vero perſona eſt frequenter vſitatum,vt dignitas, ad quam humana illius natura Diuinitus aſſumpta fuit, clarius explicetur. Tam admirabilis eſt enim illa Diuina,& humana, coniunctio, in Chriſti perſona, vt,quod vnius eſt proprium,cum altera communicetur. Ad hunc modum ſanctiſsimam Virginem Dei matrem veriſsime Dominamus,& Filium hominis Cæli conditorem appellare poſſumus. Vtroque enim modo ſemper nobis ſempiternum verbum occurrit,qui Caro factus eſt.Sed ſẽſum aperiamus. Salus, & dignitas ſempiterna, abſque notitia numinis ſempiterni,obtineri non poteſt. Dei vero notitia,aut eſt ſenſu,aut fide,comparanda. Senſu parari non poteſt. Si enim ſenſus, euidentia,Dei cognitio paranda eſſet ad ſalutem; fuiſſet neceſſe omnibus,qui ſalui futuri ſunt, adſcẽdere prius in cælum,& Deum præſentem oculis intueri, antequam iuſtitiæ fructu potirentur. Sed hoc non licet. Nemo enim adſcendit in cælum,niſi qui deſcendit de cælo,Filius hominis,qui eſt in cælo. Hic eantum, inquit, homo in cælum altiſsima mente penetrat,Deum clariſsime cernit,arcana cæleſtia contemplatur: de cælo enim deſcendit; & nunc, cum adhuc numen illius in corpore humano lateat,in cælo tamen eſt, & vniuerſæ naturæ imperium adminiſtrat. Hic igitur homo ſolus in cælum adſcendit, quia ſemper in cælo eſt, quia verbum Patris eſt, in rerum omnium cæleſtium,atque terreſtrium, principatu conſtitutus; vt omnes tandem, quos ad ſuum nomen adiunxerit,in cælum euehat.Ergo,cum homini, quamdiu in corpus hoc craſſum,& caliginoſum, incluſus eſt, adſcenſus in cælum minime concedatur; reliquum eſt, vt, quod videre nequit,videnti credat.Hac enim fide ſalutem feliciſsime conſequetur. Quomodo? inquies. Reſpondit mirifice:

*Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in ipſum,non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

Tædebat olim populum itineris; faſtidibat pabulũ cæleſte; Aegyptias dapes appetebat; in fide,& officio,claudicabat; in Moſen aſperis verbis inuehebatur; neque tam Moſi, quã Deo,cuius ope fuerat e duriſsima ſeruitute liberatus,conuicia faciebat. Deus, in perfidiæ vindictam, volucres ſerpentes immiſit, qui morſu ignito multos interimebat. Hebræi, malis edocti,ſcelus agnoſcunt; ad Moſem frequentes adeunt; vt veniam a Deo impetrent, ſupplici oratione deprecãtur. Deus Moſis preces exaudit, illumq. monet, vt ſerpentem ex ære conflari,& in ſublimi proponi,iubeat; deinde,omnes, qui ſerpentium morſibus icti fuerant, exhortetur, vt in ſublatum ſerpentem adſpiciant. Omnes igitur, qui in æreum illũ ſerpentem reſpiciebant,continuo ſanabãtur. Quid hoc eſt, fratres cariſsimi? quam multa hic nimis admiranda conſpicimus? Non poterat Omnipotens Dei verbum vulneribus illis,abſque imagine ex ære conflata, medicari? Quæ tanta vis erat in ære,vt,ad illius adſpectum,homines, mortiferis vulneribus ſauciati, ſubito ſanarentur? Non, inquis, æs ſolum rude,ſed forma ex ære facta,hoc opus admirabile faciebat. Hoc eſt multo magis obſtupendum. Poterat ne forma tætrior,& horribilior,illa fieri? An eſt aliquod animans magis ferox,& infeſtum? An non,ſerpentis opera,fuere generis noſtri principes in miſerum exitium expulſi? An non ſerpentes,multis in locis,venenum mortiferũ exhalant, quo mul-

tos

tos mortales inficiunt? An illa eadem peſtis, qua magna Hebræorum multitudo miſerabiliter interibat, non erat a ſerpentibus inuecta? Si imago erat adhibenda, fuiſſet imago Cherubini, aut aliqua ſpecies, ad adſpectum pulcherrima, quæ oculos intuentium delectaret. Hæc quidem in mentem cuilibet venire potuiſſent, qui fuiſſet a ſanctiſsimis Chriſti ſacris alienus. Qui vero in Chriſto meutis oculos defixos habuerit, & imaginem ſerpentis admirabitur, & uomen Domini laudibus ſummis afficiet. Non enim imago ſanitatem afferebat, ſed Dei filius, quem imago illa ſerpeutis adũbrabat. Vt enim illa ſerpens non erat, ſed ſerpentis ſpeciem referebat; ita & Chriſtus peccati affinis eſſe potuit, ſed peccatorũ omuium pœnam tolerauit. Vulneratus eſt enim propter iuiquitates noſtras, & attritus eſt propter ſcelera noſtra. Et, quemadmodum Petrus iuquit, peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum. Non immerito igitur Paulus ſauctiſsimum illud corpus, ne leuiſſima quidem labe impuritatis inquinatum, Similitudinẽ carnis peccati nominat, eo qđ omnes ærumnas, angores, labores, dolores, cruciatus, & ſupplicia peccatis debita, libentiſsime pertulit, vt nos a peſte ſempiterna redimeret. O ſalutare lignũ, quod aquis amariſsimis eam dulcedinem infundis, vt nihil fieri poſsit in animis caſtis, & integris, ad ſenſum iucundius? Quid horribilius Cruce? quid effectu ſuauius? ea namque cæcis lucẽ reddit; ea languidos miro robore firmat; ea iacentes ex ſuſcitat; ea vulnera mortifera ſanat; & poſtremo mortis vires elidit, & vitam ſempiternam largitur; atque patrimonium cæleſte conſtituit. Multa frequenter vulnera multis, a dæmoue infeſtiſsimo, varijs artibus, iufliguntur; ſed nullum tam peſtiferum vuluus eſt, quod non Crucis adſpectu ſanetur. Excita fidem; vires aſſume; oculos attolle; Chriſtũ in Cruce confixum intuere; veniam vehementer implora; & confeſtim ſanaberis. neque ſolum ſanitatem recipies; verum & amore tantæ bonitatis inflammaberis; vſque adeo, vt in doloribus illis voluptatem ſummam, & in Crucis ignominia dignitatem excelleutem, pura mente percipias. Hanc igitur Crucis vim, vt Moſes ſigno mirabili præmonſtraret, iuſſus a Deo fuit æneum illum ſerpentem formare, & in altum extollere, vt poſſet ab omnibus cõſpici, vt, mortiferis vulneribus ſauciati, in illum intuentes, ſanitatem recuperarent. Dei filius, qui erat iu Cruce remedium noſtris vulneribus allaturus, iam tunc ſub illo ſigno ſalutarem medicinam inſanabilibus morbis adhibebat? Sed, vt ad ſententiam Domini redeamus: Diuina, inquit, intueri nou potes. Nemo enim adſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis, qui eſt in cælo. Quid igitur reliquum eſt? Fides, inquit. Vt enim Moſes æneum ſerpentem ſuſtulit in ſolitudine ad ſalutarcm vulnerum medicinam; ſic eſt neceſſe, vt Filius hominis agatur in Crucem, vt omnis, qui credit in eum, nõ pereat, ſed habear vitam æternam. Neminem excipit. Eſt enim Iudæi, atque Græci, diſtiuctio ſublata. Omnis enim, qui crediderit, ſaluus erit. Sit fides incenſa, & incitata: ſic euim eam intelligi oportet: aliter enim, ſi vires remiſerit, ſi langore ſe cõfici paſſa fuerit, vitam retinere non poterit.

*Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed babeat vitam aternam.* Figura loquendi Hebræa eſt. Omnis non, idem eſt, quod Nullus omnino. Miram Dei in genns hominum benignitatem. non ſatis habuit, terram ad hominum ſedem, & domicilium ſtabilire, terris vniuerſis mare circumdare, elementa, cælum, ſidera, Solem, & Lunam, hominum cauſſa condere, & omnia, quæ cæli ambitu coercentur, ad hominum vitam ſuſtiuendam, & propagãdam, tanta largitate profundere, &, quod eſt longe mirabilius, homines ipſos angelorum præſidio circumuallare, niſi etiam vnicum Filium, ſui ſplendoris imaginẽ, ſempiternæ maieſtatis heredem, rerum omnium cõditorem, pro omuium ſalute nobis donaret. Non angelum aliquem, qui inter cæleſtes excelleret, ſed vuigenitum Filium, ex Illius intima mẽte, atque natura, ex omni æternitate, progenitum, nobis pacis ſequeſtrem, ſalutis viudicem, dignitatis auctorem, atque vitæ ſempiternæ ducẽ, & patronum, exhibuit, qui ſanguinem ſuũ pro omnium incolumitate largiretur. Deus omnipotcns nihil ſibi reliquum fecit, quod nobis vltra poſſet impendere. nihil compreſsit; omnia profudit; nihil in poſterũ reſeruauit. Quid enim habuit maius, quã Filium, ſecum maieſtatis, imperij, numiuis, potentiæ, probitatis, immenſitate coniunctum? Hoc totum, quod habuit, quo maxime gloriatur, a quo nihil neque natura, neque voluntate, potuit habere ſeiunctum, nobiſcum magnificentiſſime communicauit; atque conſtituit, vt illius inopia, ſummis opibus; illius ignominia, excelleuti decore; illius vulneribus, firma ſanitate; illius morte, vita ſempiterna, frueremur. O inexplicabile beneficium; ô immenſam Diuinæ bencficentiæ largitatem; o clementiam hominum, & angelorum, ſempiteruo præconio celebrandam, ſi oratione aliqua poſſet tantum, & tam excellens, munus explicari. Mentis enim acies lucis ſplendore perſtringitur; animus admiratione tantæ probitatis obruitur; lingua ſtupet, & impeditur, cum uec angelorum lingua tam excellens Diuinæ gratiæ opus effari pro dignitate poſsit? Deus pro hominibus, dominus

pro

pro ſeruis, iuſtus pro iniuſtis, ſe addici ſuſtinuit, vt nos omnes, nexu deuinctos, non ſolum liberaret, ſed etiam in cælum, vt ſecum regnaremus, eueheret. Sequitur autem:

*Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Iudicare, hoc in loco, & in multis alijs, idem eſt, quod Damnare. Non fuit, inquit, Deo propoſitum, cum filium in terras miſit, vt humanum genus euerteret, ſed, vt illud ab interitu ſempiterno vindicaret.

*Qui credit in eum, non iudicatur. qui autem non credit, iam iudicatus eſt: quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.* Omnis homo natura interitũ exhorret; vitam acerrime concupiſcit; dedecus extimeſcit; omnia mala, quæ vitæ florentem ſtatum poſſunt euertere, anxie reformidat. Ergo, cum Filius Dei in mundum venit, vt ſalutem daret, vt ſuos veriſsimę gloriæ ornamentis afficeret, vt mentis ſtatum præſidio inuicto confirmaret; conſequens eſt, vt, qui in illum credit, eamq. fidem inflammato ſtudio conſeruat, cum ſe totum Chriſti tutelæ, atque patrocinio, committat, interire non poſsit. Quamdiu enim ea mente eſt, vt citius vitam amittat, quam Chriſti imperium recuſet, damnari non poterit. Si enim legis Diuinæ conſtans ſtudium, & obedientia, ad vitam æternam recta perducit, & hoc ipſe Dei filius teſtificatur; neceſſe eſt, vt, qui illi firmiſsime credit, legem ſeruet. Si vero legem ſeruauerit, liber erit a pœna legis. Non poterit, inquies, ſeruare legem. Erit enim impedimento imbecillitas naturæ, quo minus Diuinis ſanctionibus obſequatur. immo fides omnia impedimenta facillime diſturbabit, atque deijciet. Non enim hic agitur de communi fide, quæ ſæpenumero libidini, & impuritati, ſuccumbit, ſed de illa, quæ conſtans, & erecta, eſt, & oculos a Chriſti ſanctitate non deijcit. Ea namque, Chriſti ipſius numine confirmata, vires aſſequitur, quibus omnia obſtantia repellat, & incenſo ſtudio legi ſemper obtemperet. Nihil igitur illi damnationis erit, vt Paulus ait. Quid, ſi nõ credat? Iam iudicatus. Ita enim de illius pœna ſempiterna certi eſſe poſſumus, atque ſi iam ſententia lata fuiſſet. Quare? Quia non credit, inquit, in nomine vnigeniti filij Dei. Conuicium enim facit Deo, qui filio illius non credit; qui veritati ſempiternæ fidem abrogat; qui ſalutare imperium recuſat, & Diuinæ clementiæ monita contemnit, deſertaq. ſalutis via, in vias tenebricoſas, quæ ferunt in miſeriam ſempiternam, furenter ingreditur. Credunt enim magis ſuæ cupiditati, quæ opes illis fallaciſsimas pollicetur, quam Deo, qui illos ad veriſsimas opes inuitat. Nam, ſi Dei filius numen ſuum non clariſsimis operibus indicaſſet, aliquam ſceleri ſuo defenſionem obtendere potuiſſent. Cum vero legis ſanctitatem opera Diuina confirment, quam rationem erroris peſtilentiſsimi, qui miſeros homines excæcauit, aſsignabimus? Odium lucis. Sic enim ſequitur:

*Hoc eſt autem iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Cum ſimus vniuerſi, natura, dignitatis appetentes, operam damus, cum flagitium, & impuritatem, ſuſcipimus, vt oculos hominum vitemus, ne dedecus, & turpitudo, noſtræ actionis emineat. Qui furantur, nocte furantur; qui libidini ſeruiunt, nocte ſeruiunt; qui aliquid denique indecore faciunt, lucem fugiunt, ne poſsit eorum dedecus animaduerti. Iudicant illi quidem, nihil eſſe virtute præclarius, neque vitiorum impuritate deformius. Ita tamen ſunt dominatu cupiditatis oppreſsi, vt neque velint, neque poſsint, propter voluntariam animi miſerrimi ſeruitutem, a flagitiorum ſordibus, & turpitudine, remoueri. Cum vero lux eorum dedecus in oculis hominum conſtituat, eam odio immani perſequitur. Tenebris igitur delectantur, exortu Solis anguntur, in caligine verſari percupiunt. Quod ſi hæc lux Solis, quæ cunctis animantibus eſt communis, eſt odioſa illis, qui libere cupiunt in omni genere turpitudinis, atque flagitij, volutari; quid de veriſsima luce, quæ maxime dedecoris impuritatem coarguit, exiſtimandum eſt? Sol enim iuſtitiæ, vitiorum fœditatem in luce clariſsima proponit; quam ſit infeſta, & exſecranda, demonſtrat; multorum odium in illam concitat; & facit denique, vt omnes flagitioſi maxime ſibi diſpliceant, & ſe ipſos exhorreant, ſuiq. ipſorum adſpectu conturbentur. Cum tamen eorum multi nolint a ſordibus, in quibus infixi ſunt, auelli, moleſtiſsime ferunt, turpitudinem ſuam multorum oculis, cum inſigni dedecoris infamia, notari. Quo autem clarior eſt lux, qua dedecora patent, atque deluceſcunt, eo odium, quod in lucem concitatur, eſt truculentius. Inde adeo factum eſt, vt nullum odium vnquam in quemquam acrius exarſerit eo, quo improbi, qui ſummo artificio, & calliditate, religionem ſimulabant, in ficta ſpecie pietatis, ſcelera ſuſcipiebant, Chriſtum inſequebantur. ferre enim non poterant inſitæ turpitudinis ignominiam in admirabili lucis illius ſplendore, multorum adſpectu, atque teſtimonio, conuinci. Hæc erat igitur cauſſa perfidiæ, & offenſionis, & odij, quo Chriſtum fugiebant, & peſtem, & perniciem, in illum, ſummis conatibus comparabant. Iuſtiſsimo igitur iudicio, qui tenebras luci prætulerunt, tenebris ſempiternis damnati ſunt; qui miſeri-

cordiam Domini contempſerunt, perpetuis ſupplicijs mactati ſunt; qui ſalutem a ſe ingrate, & impie, repnlerunt, ſummo dolore, & miſeria, cum dedecore ſempiterno, perditi, & afflicti ſunt. Horum exemplum, fratres, deteſtamini; tenebras fugite; lucem reſpicite; perfidiam arcete; fidem ſancte colite; Chriſti diſciplinam percipite; qui vobis lucem præferet, & animi veſtri vires confirmabit, quibus ea, quæ docet, quæ tradit, quæ ſancit, quæ præſcribit, memoria conſeruetis; fide comprehendatis; operibus exſequamini; vt ſic, tandem, in cælum euecti, in poſſeſsionem hereditatis ſempiternæ conſtituti ſitis ab eodem, qui ab ea perfidos, & ſceleratos, homines ad ſempiternam miſeriam excludit.

ORA-

# ORATIO X.

P*OST hæc venit Ieſus, & diſcipuli eius in Iudæam terram: & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.* Qui omnes curatum aduenerat, ad omnes opus erat, vt diuerteret; & iccirco quietem pati non poterat, ſed regionem vniuerſam continuo peragrabat. nec enim caritatis ſollicitudo patiebatur, vt is in loco vno diu nimis inſiſteret. Vbi vero morabatur, minime vacabat, ſed perpetuo ſaluti omnium operam nauabat, & ea de cauſſa flagitiorum ſordibus ſalutari lauacro eluendis diligenter incumbebat. Baptizabat igitur, vt veteri hominum vitæ finem imponeret, & nouæ principium inſtitueret. Eo vero tempore Ioannes eiuſdem muneris ſtudium non intermittebat.

*Erat autem & Ioannes baptizans in Aenon, iuxta Salim: quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur. Nondum enim miſſus fuerat Ioannes in carcerem.* Ne Ioannes quidem diu in vno loco morabatur. Non enim commodum ſuum, ſed eorum, qui erant ab illo baptizandi, ſpectandum exiſtimabat. Et interim ad eam regionem ſe paullatim conferebat, in qua erat a tyranno, iuſtitiæ, ſanctitatis, & conſtantiæ, pœnas daturus.

*Facta eſt autem quæſtio ex diſcipulis Ioannis cũ Iudæis de purificatione.* Hæc contentio materiam mihi præbet cogitandi, quot, & quanta, mala ab inuidia nata ſunt. Inuidia namque parentes noſtros e Paradiſi finibus exterminauit. Ea enim diabolum inſtigauit, vt eos in capitalem fraudem impelleret, qua fuerũt a vita diſtracti, & tyrannidi mortis addicti. Sic enim ſcriptum eſt in Sapientia Salomonis: Inuidia diaboli, mors intrauit in terrã: inuidia Caini fratrem ſanctum immaniſsime trucidauit: inuidia furentes Iacobi filij, fratrem Iſmaelitis vendiderunt, & ſanctiſsimum patrem mærore affixerunt: inuidia Saulem ſic exagitauit, vt Dauidem, cuius virtute, induſtria, fide, probitate, fuerat non ſemel a peſte maximi periculi liberatus, ſummis opibus oppugnaret; illiusq. ſanguinem, atque vitam, peteret, cuius beneficio vitam, cum amplificata dignitate, retinebat. Quid exempla plura referam? Hiſtotiæ plenæ ſunt; vita communis, inſidijs oppreſſa, periculis circumuenta, mutuis cædibus dilacerata, teſtificatur, nihil cogitari poſſe in terris inuidia peſtilentius. Num parum conſtat, omnes Rerump. ſeditiones, coniurationes, proditiones, euerſiones, ab inuidia natas eſſe? An non ea ſalutis auctorem, humaniq. generis liberatorẽ, in Crucem ſuſtulit? vita ſpoliauit? mortuiq. nomen immaniſsime perſecuta eſt? an oon perpetuo in veræ virtutis exitium incitatur? an nõ odio Diuinæ probitatis inflammatur? Nam, quod bonum eſt, quod a Diuina probitate nõ profluxerit? Ergo, qui bonis inuidet, Dei probitatem ferre, atque ſuſtinere, non poteſt. Eſt igitur Inuidus, Dei inimicus, Diuinæ bonitatis hoſtis acerrimus, &, cum humani generis euerſore, fœdere ſceleſtiſsimo copulatus. Quem enim diabolus perſequitur, inuidus perſequitur; isque tenebrarum Principi miniſtrat; iuſsis illius obtemperat; deſertaq. Dei militia, ſub dæmone ſtipẽdia facit; & iam in exercitu, quem Satanas conſcripſit, inſiti furoris pœnas expendit. Inuidia namque lacerat animum; menti tenebras offundit; carpit ſenſus; totumq. hominẽ humanitate ſpoliat, & facibus inflammat, furiarum ſtimulis cruentatum inſanire compellit. Sed, quo malum eſt dirius, eo dolentius ferendum eſt, tam late contagium illius ſerpere, vt etiam animos bene inſtitutos interdum inficiat. Hi enim non ſolum vicem ſuam dolent, ſed eorum cauſſa laborant, quos ſibi magiſtros adſciuerunt, ita, vt nolint eorum gloriam cum alijs aliqua ratione communicari. Sic Ieſus, filius Nun, qui Moſi miniſtrabat, cum fuiſſet allatũ de duobus viris, qui, Diuino inflatu, myſteria Diuina in caſtris enuntiabant, indigniſsime tulit, & a Moſe poſtulauit, vt eos coerceret. Tantum enim de magiſtri auctoritate detractum exiſtimabat, quantum aliquid Diuini ſimiliter in alijs emineret. At Moſes, Qnid, inquit, æmularis pro me? Vtinam omnis populus prophetet. Hoc morbo etiam diſcipuli Ioannis labotabant, cum Chriſti nomen ad eum, quaſi is in officio deliquiſſet, cũ non mediocri querimonia, detulerunt, quod officium Ioanni delegatum ſuſcepiſſet. Nec eſt mirum, Ioannis diſcipulos in hunc errorem incidiſſe, quando etiam Chriſti diſcipuli ſe infenſos cuidam præbuerunt, quod in nomine Chriſti dæmonia e corporibus eieciſſet, quod non fuiſſet in eorum numero cẽſus, qui Chriſtum ſequebantur, qui tamen fuerunt ab ipſo Chriſto redarguti. Nec eoim erat a Chriſti diſcipulis alienus is, qui diſcipulotum fidem imitabatur. Sed, quorſum hæc tam multa de inuidia diximus? Primum quidem, vt, cum cerneretis, quantum ſit in inuidia ſceleris, & immanitatis, tam diram peſtem a vobis deteſtaremini: deinde, cum videretis, eos, qui in cæleſtem diſciplinam incumbunt, illius labe interdum adſperſos fuiſſe, intelligeretis, locũ eſſe lubricum, & periculoſum, ſumma diligentia, prouiſione, ſedulitate, & induſtria, præcauendum. Sed ad intermiſſam quæſtionem de Purificatione reuertamur. Baptizabat Ioãnes: baptizabat & Chriſtus. Hinc orta contentio

tentio

tentio fuit. Nam,ſi Ioannes munere ſibi delegato rite fungebatur,quorſum artinebat, idẽ munus a Chriſto,quaſi a Ioãne non bene fuiſſer adminiſtratũ,vſurpari ? illud enim eſſe videbatur repetere honorẽ,quaſi non recto iudicio delatus exſtitiſſet. Illa deinde dubitatio incidebar,an, poſtquam Chriſtus ſe ad baprizandum contulit , aliquod pondus ad ſalutem in baptiſmate Ioannis ineſſet. Erant,qui, baptiſmate Ioannis contẽri,aliud minime requirebant ; erant ẽe, qui Ioannis operam in hoc lauacro poſitam conremnebant,&,vt rurſus a Chriſto lauacrũ aliud requirerẽt,approperabant.Interim vero illud vehementer Ioannis diſcipulos vrgebar,qđ Magiſtri nomen exiſtimabant in dies magis, pp Chriſti ſplendorem,obſcurari, & Chriſti nomen illuſtrius fieri.Poſtremo,dolebãt vehemẽter,male fuiſſe magiſtro ſuo a Chriſto grariam relatã. Magiſter.n. Chriſtũ laudibus ſummis extulerat ; Chriſtus vero,vt opinabantur, laudes Ioãnis obterebar,quoties baptizabat.Quaſi vero baptiſmus Ioãnis minime ſatisfeciſſet. Indignabũdi igitur ad Ioannẽ adeunt.Sic.n.ſequirur:

*Venerunt ad Ioannem,& dixerunt ei, Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem,cui tu teſtimoniũ perbibuiſti,ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Operæ pretium eſt, animaduertere querellæ vim,& acrimoniam. Hoc.n.videntur dicere : Non eſt vlla fides in hoĩbus ; oẽm ſocietatem dirimit honoris ambitio; nulla eſt accepti beneficij remuneratio. Nam,quis hoc ſuſpicari potuiſſet ? Ille . n. vir excellens , quem ex ore tuo ſumma fide præditũ opinabamnr, cui ru, cum eſſer tecum trans Iordanem , egregium virturis, & ſanctiratis , teſtimonium dediſti, immemor beneficij, quo illũ laudibus obſtrinxeras,violauit fidẽ,munusq tuum,tibi a Deo delegarum , qnod te in honore ſummo collocabar,ad ſe tranſtulit . Baptizat enim , & oẽs ad eum veniunr . Contemneris igitur breui, niſi gloriȩ tuæ cauſſam ſuſcipis;nominisq.tui decus inreribit. Vt ex hac oratione intelligi põt,cupiebant Ioannis diſcipuli,ſummũ rerũ omnium dñm aut armis , aut inrerdictis ſaltem, arceri , ne ſe vllo modo lauacris illis ſacris magiſtro commiſsis admiſceret . Magiſtri namque, ipſius auctoritatem imminutã , inſtar mortis,eſſe putabanr.Sed huius morbi curarionem,a Ioanne valde ſapienrer adhibitam,videamus : *Reſpondit Ioannes,& dixit, Non poteſt homo accipire quidquam, niſi fuerit ei datum de cælo* . Vnus eſt, inquit,fons honoris ; vnum decoris,& honeſtaris, principium ; vna ratio digniraris,& amplitudinis,quæ Dei probitate,& magnificentia, conrinetur . Qui igitur ad ſummos honores adſpirat , & gloriæ veræ ſtudio ducirur,in cælum ſuſpiciar,opus eſt,nomenq. Diuinum vereatur : & ſic omnes viuẽdirationes ab illo ſuſpenſas habeat , vt nihil velit, nihil amet, nihil appetat , nihil exquirat, nihil ſibi magnopere curandum arbitretur, niſi quod Dominus ipſe præſcripſerit . Is enim eſt,qui erigir abiectos,qui deprimit elatos, qui humiles ad honores ſummos euehit, qui in gradu ſummo locaros de ſolio detrudit ; qui ignoros , & obſcuros , nobilirat ; qui claros,& illuſtres, obſcurar. Eos , inquit ille, qui me honorauerint , honorabo ; qui aurem me conremnunt,ignominia deformabuntur. Cum igitur ille ſolus ſit honoris arbiter , & veriſsimi decoris architectus,ſequirur neceſſario,vr, qui in alias honoris vias ingrediuntur,non honorem, ſed conremptionem ; non honeſtatem,ſed turpitudinem ; non gloriam, ſed infamiam , ſtudio conſectentur. Quo igitur inanius efferunrur,eo miſerius concidũt, & ſempiternis ignominiæ tenebris obruuntur.Hoc aurem in ſumma ſtatuendum eſt,omnem rationem digniraris e cælo, hoc eſt e Diuina clementia, petendam. Quidquid enim e cælo non defluit, quamuis ſpecie amplum , & illuſtre,videarur,anguſtum, & obſcurnm, eſt, ſummisq. turpitudinis, & ignominiæ , notis inquinatum . Ioannes igitur valde ſapienter ait : Nemo poteſt vllum ſibi decus aſſumere , niſi id ſibi adeo conceſſum ſit. Vnde ſequitur, nemini licere, terminum, ſibi decoris, & honoris,a Deo præfinirum,rranſilire. Qui enim honoris modum,ſibi,lege Diuina, conſtirutũ, tranſgredirur, ius Diuinum violat , & in Dei offenſionem incidir ; & ita, pro decore , quod appetebat, in ſummam turpitudinẽ furibunde prolabirur . Hoc igitur meum officium fuir, vr me rerminis mihi circumdatis continerem ; nec vltra progrederer , quam fuerat mihi a Deo conceſſum . Quid autem mihi couceſſum fuerit , ſileutio minime ſuppreſsi ; neque mihi honorem,quod in me minime cõueniebat,arrogaui.Num Chriſti nomen vſurpaui ? num me liberarorem eſſe generis humani teſtificatus ſum ? num gloriam , vnico Dei filio debitam, ad me transferendam eſſe duxi ? Non certe .

*Ipſi vos mihi teſtimonium perbibetis, quod dixerim, Non ſum ego Chriſtus : ſed quia miſſus ſum ante illum.* Non ſum,inquit, Chriſtus,ſed Chriſti præcurſor; nõ ſum Dominus,ſed Domini ſeruus ; non ſum auctor ſalutis, ſed ſalutis ipſius prænuntius. Hoc eſt officium mihi cõmiſſum, quo ſum egregie perſunctus.Si vlrra progredi conatus fuero, & ipſius Summi Dñi munus vſurpauero; fidem violabo, & in grauẽ offenſionẽ numinis incurram.Ea igirur inſolentia me honore minime cumulaſſet , ſed ex oĩ me honoris gradn deieciſset . Cum igitur operã datis,vt Chriſto,mulritudinis opinione,præferar, in eo vehementer elaboratis , vr me oĩ dignirate ſpolietis. Itaque verã digniratem, quæ Dei beneficio continetur , agnoſcam ; quæ autem a Deo mihi delata minime fuit, non inſolenter arripiam . Hac igitur ſententia repellir vir Diuinus honorem , ſibi a ſuis inſipienter oblatum , eo quod non fuerat ſibi

a Deo, ſed ſoli Chriſto, tributum. Ipſe namque ſolus eſt, qui tollit peccata mundi, & qui animos abluit, & vitia radicitus extrahit, & omnes flagitiorum fibras euellit: quod erat baptiſmi ſacramẽto clariſsime deſignatum. Perſequitur deinde Chriſti ipſius, egregia ſimilitudine, præcellentiam:

*Qui habet ſponſam, ſponſus eſt.* Si videris ædes magnificas peripetaſmatis ornari; ſi epulis exquiſitiſsimis conuiuium inſtrui; ſi citharœdos, & tibicines, vndique adſciri; ſi cognatos, & amicos, euocari; & omnibus denique his lætitiæ ſignis celebrari matrimonium aliquod adſpexeris; non dubitabis, quin omnia hæc Sponſi gratia comparentur. Similiter, cum legis ſanctiſsimæ cultu, & ornatu, domum Dei inſtratam, & ornatam, fuiſſe conſpicimus; cum Diuinorum hominum concentum, atque ſymphoniam, auribus vſurpamus; cum omnium Prophetarum vocibus Diuinum matrimonium illuſtrari ſentimus; cum omnium ſanctorum hominum mirificã conſenſionem in ornanda tam ſancti fœderis pactione videmus; non dubitamus, quin hæc omnia ad ſolius Sponſi amplitudinem conferantur. Itaque, neque Moſes, neque Dauid, nec Iſaias, neque Zacharias, neque Ioannes quidem ipſe, Sponſi nominari potuerunt, ſed ipſius Sponſi amatores, ad celebraudas nuptias euocati. Quis enim illorum ſibi Eccleſiam fide deſpondere potuit? Quis illam e peſte ſempiterna redemit? Quis illi ſanguinem ſuum largitus eſt? Quis illius formam auro, gemmis, monilibus, excoluit? Quis ei opes Diuinas, atque ſempiternas, attribuit? Quis eam denique ſecum bonorum omnium communione coniunxit? Non alius certe, quam Dei filius, a patre Regni ſempiterni heres inſtitutus. Is igitur ſolum ſponſam habet; reliqui autem Diuini viri, ad nuptias celebrandas euocantur, quibus Ioannes in primis annumerandus fuit. Huius igitur matrimonij dignitas nullo modo erat ad Ioannem, ſed ad Chriſtum, deferenda.

*Amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi.* Non Amici nomine dignus eſt, qui iacet, aut langore, & deſidia, torpet, ſed, qui ſtat, vt Sponſo, quem vehementer amat, alacritate eximia, miniſtret, & voce illius iucundiſsima perfruatur. Huius namque cæleſtis Sponſi vox, vitã confert, vires auget, ſanitatẽ corroborat, voluptatem efficit, omniaq. bona ſuis amicis, cum iucunditate ſumma denuntiat. Nihil igitur, inquit, habet a me Sponſus, quo maior, & amplior, & opulentior, eſſe poſsit: ego contra, quidquid habeo, ab illo ſumpſit. Nec ego ſolus, ſed omnes, qui ab exordio generis humani ad nuptias celebrandas adſciti ſumus. Ab illo vitam, ſalutem, & dignitatẽ, accepimus; illinsq. ſpiritu incitati, ad opes ſempiternas adſpiramus. Nõ igitur immerito hoc nuptiarum tempus fuit ab omnibus ſanctis hominibus mirabiliter expetitum. Sponſi nãque vocem tantæ felicitatis effectricem audire cupiebant. *Hoc ergo gaudium meum impletum eſt.* Quod enim, inquit, homines olim ſanctiſsimi videre, & audire, cupiebant, ego video, & audio, & ex fructu illorum bonorum, quæ mente proſpiciebant, voluptatem ſummã percipio. Si igitur Sponſi dignitatem indigne patimini, meum gaudium, & voluptatẽ, atque adeo dignitatẽ, indigne patimini. Omne namque gaudium meum, omnis voluptas mea, omnis dignitas mea, ex illo, tamquam ex fonte totius felicitatis, emanat. *Illum oportet creſcere: me autem minui.* Neque Chriſti dignitas augeri potuit, cum eſſet immenſa; neque Ioannis decus, propter ſplendorem Chriſti, minui, cũ eſſet ex ipſius Chriſti claritate deriuatũ. Sed ad hominum opinionem ſententiam accommodat. Ioannem enim homines in Chriſti dignitate locare ſtatuebant; & Chriſti ſpeciẽ, vt humilem, & obſcuram, contemnebant. futurum autem erat, vt Chriſti numen gentes venerabundæ ſuſpicerent, & Ioãnem ad illius miniſtros aggregarent. Addit deinde, vt clarius Chriſti præſtantiam demonſtret:

*Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt.* Si hactenus, inquit, veneratione ſempiterna Prophetæ digni vobis viſi ſunt; ſi patrũ ſanctiſsimorum, a quibus ortum habemus, virtutẽ, & pietatem, vehementer admirati fuiſtis; ſi in me ita defixos oculos habuiſtis, vt mihi ſumma omnia deferenda putaretis; intelligite tandem aliquando, quantum nobis omnibus hic ſummus Princeps præferẽdus ſit. Nos enim, e terra, ſemine corruptibili, propagati ſumus; ille vero, e cælo deſcendit. Nos, parentes mortales habuimus; ille vero, ſummũ, atque ſempiternum, Deum, parentem agnoſcit. Quantum igitur inter vtrinſque generis principiũ diſtat, tantum neceſſe eſt, vt is nobis omnibus antecellat. Conſequens igitur eſt, vt, ſecundũ eandem rationem, doctrinæ illius ſplendor, & claritas, inter omnes emineat. *Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur: Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt.* Quilibet, inquit, inſitam naturã ſequitur; &, quo ſit genere ortus, vita, moribus, & natione, demonſtrat. Hinc aũt fit, vt oẽs homines, quantumuis magnitudine ſanctitatis excellãt. terram, vnde ſunt orti, quodammodo ſapiant, & imbecillitatem ſuæ originis indicent. Cum enim ſint terrenis corporibus immerſi, nihil clare vident, nihil pure percipiunt, nihil denique intelligunt, niſi qđ eſt corporeis ſenſibus obiectũ. Quoties igitur mentem a corpore ſeuocare conatur, vt verũ adſpiciant, toties corporeę ſpecies occurrũt, q̃ illam obtundũt, & in corpus rurſus includi cõpellũt. Quod ſi aliquid Diuinũ aliqua rõne cernere cupiunt, id aſſequi nõ poſſunt, niſi ſimilitudines a terrenis rebus aſſumãt. Rariſsimũ igitur genus eſt eorũ, qui aliqñ, tandem,

ſum-

ſummo ſtudio, & contentione, id conſecuti ſunr, vt mente, ſine corporis ſignis, & imaginibus, ea, quæ ſunt ſempiterna, ſuſpiciāt. Præterea, boc habent a concrerione terrena, vt ſæpe labantur. Corporis enim affectiones varie homines etiam ſanctos commouent, ita, vt, illis impulſi, interdū a rationis ſtatu, quāuis leuiter demigrent. Non enim ita poſſunt omnes ſenſus opprimere, quin aliqua veſtiſtia priſtinæ labis appareant. Ergo, quemadmodum in eorum vita affectio interdum terreſtris animaduertitur, ita & oratio nonnumqnam cum eiuſmodi affectionibus congruens ab eis aliquando profertur. Summa autem hæc eſt, vt nemo fuerir vmquam tam inſigni pietate præditus, qui ſic bumanæ naturæ motus omnes exſtinxerit, vt non ſæpe terrenæ labis indicium aliquod moribus, & vita, & oratione, præbuerit. Hoc eſt igitur, quod Ioannes ait:

*Qui de terra eſt, de terra loquitur*. Hoc eſt, qui ſecundum humanæ naturæ condicionem genitus eſt, documenta præbet imbecillitatis ſnſitæ, qua terreni parentis imaginem factis exprimit. Nam, qui de terra eſt, originis terrenæ naturam negare non poteſt. Cum igitur exſuere prorſus naturam nequeat, conſequens eſt, vt ſæpe etiam oratione terrenæ impuritatis indicium aliquod faciat.

*Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt*. Chriſti præſtantiam illuſtri comparatione luculenter exaggerat. Primi, inquit, parentes generis humani, turpiſsime conciderunt. Patriarchæ ſanctiſsimi, ſimiliter prolapſi ſunt: Prophetæ etiam, fuerunt interdum nonnulla impuritate labis inquinati. Quare? Qnia terrena ſtirpe propagati ſunt; & ita quodammodo neceſſe erat, vt interdum originis antiquæ principium, & factis, & dictis, oſtenderent, turbulentiſsimisq. interdū motibus, quamuis inuiti, terrenæ naturæ ſignificationem darenr. At, qui de cælo venit, ſuper omnes eſt. Is enim ſolus corporea mole non impeditur, quo minus in cælum, vnde venit, facillime penetret, vr arcana Diuinæ ſapientiæ puriſsima mente percipiat; is ſolus corporeis imaginibus numquam indignit, vt Diuina, atque ſempiterna, comprehenderet; is denique ſolns numquam labi, aut tenniſsima flagitij alicuius macula notari, potuit. Oēs igitur bomines ſanctimonia præcellentes in offenſionem cæleſtis numinis inciderunt, & opera pacificatoris indiguerūr, qui eos cum Deo rurſus in gratia poneret. Hic ſolus ad gratiam, qnam numquam videlicet amiſit, recuperandam, nullius operam requirit. Immo ſolus ipſe Dei numen placat, & omne genus humanum, in quo ſanctiſsimi homines etiam nnmerantur, ipſi Deo, ſuis meritis, & ſanctitate, conciliat. Ille namque, veriſsimi baptiſmi anctor eſt, quo cunctæ animorum ſordes eluuntur, & iuſtitiæ clariſsimus in nobis ſplendor exoritur, Diuinaq. forma in hominibus generatur. Quidquid igitur vel ego, vel reliqui omnes, qui Diuinis Diuini ſpiritus opibns locupletati fuerunt, habemus, ab illo hauſimus; illiusq. virtute ornati, & ſtabiliti ſumns. Hinc iam poteſtis intelligere, quantum is mihi dignitate, & opibus, antecedat; quod nihil eſt in me, quod non ab illo in animum meum, tamquam ab inexbauſto, atque perenni, fonte, totius benignitatis, & gratiæ, defluxerit. Sed nondum, quod infinito interuallo ſummum omnium maximorum hominum decus exſuperat, attigimus. Nam verus Deus eſt: id enim ſignificat id, qnod ſequitur:

*Et quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur*. Quis Deum vidit vmquam, niſi vnigenitus filius Dei, qui eſt in ſinu Patris? Quis illius diſciplinam ex omni æternitate complexus eſt, niſi is, qui lucem incolit immenſam, & ſummi Patris conſilia valde ſapienter, atque diligenter, exſequitur? Quis igitur teſtificari poteſt immenſam Dei in genus bumanum benignitatem, niſi mens, & ſapientia, Patris Diuini, ſplendoris imago, omninmq. Diuinorum operum conditor, & conſeruator? Quemadmodum igitur, cum dixit Chriſtus ipſe, Quæ audiuimus, loquimur, & quæ vidimns, teſtamur, ſuam, atque Spiritus ſancti, niuinitatem expreſsit, ita & hoc in loco Ioannes, cum dicit, Quod vidit, & audiuit, hoc reſtatur, hoc plane dicit: illum Dei Filium eſſe, cum quo Pater ab æterno tempore omnia conſilia ſua communicar. Errorem igitur diſcipulis ſuis detrahit, eosq. ad ſtudium Chriſti tota menre traducit. Et interim eorum ſcelus inſectatur, qui verbis illius fidem adiungere recuſant. Non, inquit, is eſt, qui rumores inanes ſequatur; qui opiniones hominum iudicio ſuo comprobet; qui ſenſus denique corporis in conſilium adhibendos exiſtimet; ſed ea tantum teſtificatur, quæ vidit, quæ audiuit, quæ in veritate ſumma, atque ſempiterna, perſpexit. Quo igitur maior eſt illius ſanctiras, quo maieſtas excelſior, quo numen illius magis eſt operibus Diuinis conformatū, eo ſceleſtius eſt illorum facinus, qui illius teſtimonio fidem non habent.

*Et teſtimoniū eius nemo accipit*. Nemo, inquit, eorum, qui lucem oderunt. Voluntate namque ſua tenebris immerſi ſunt, & iccirco veritati mendacium præferunt, bonaq. fallaciſſima veriſsimis bonis anteponunt.

*Qui autem accepit eius teſtimoniū, ſignauit quia Deus verax eſt*. Fides debitos Deo honores inſtituir; nomen illius amplificat; illiusq. numē in cælum laudibus efferr. Quomodo? Quia Deo veritatis immutabilis, atque fidei ſempiternæ, teſtimonium præbet. fixum enim, & firmiſsime conſtitutum, ſemper babet, neqne Dei verbum immutari, neque fidem labare vmquam poſſe. Vt cælum ruat, vt ter-

terra deſideat, vt vniuerſa natura incendio deflagret,homo,qui Deo credit, non poterit, in omnium rerum euerſione, & vaſtitate, a mentis ſtatu diuelli.habet enim in animo penitus impreſſum, inſculptum, & firmiſsime conſignatum, Deum eſſe ſummam veritatẽ; illiusq. promiſſa interuerti minime poſſe. Ergo,cum primum conſtiterit,aliquid a Deo denuntiatum eſſe, tanta repente fides a bonis adiungitur, vt omnes ſenſus, & omnia argumenta,atque poſtremo viſa omnia, præ Diuini verbi conſtantia,contemnantur. Quid autem certius eſſe poterat illis, qui non, odio cæci, veritati impudentiſsime repugnarent, quam, Chriſtũ fuiſſe a cælo in terras miſſum? non videbant excellentem vitæ puritatem,& ſanctimoniam? non ſapientiæ Diuinæ opes explicatas,& euolutas,adſpiciebant? non cæleſtis eloquentiæ lumina frequenter admirabantur? non animorum arcana in apertum prolata attoniti ſentiebant? non morbos illius verbo depulſos, non dæmones e corporibus imperio tantum eiectos intuebantur? non Prophetarum teſtimonia admirandis operibus comprobata cernebant? cæci videbant; ſurdi audiebant; claudi ſaliebant; muti loquebantur; mortui in vitam reuocabantur; & tamen homines profligati,atque perditi,illum audire recuſabant. Quid memorem vitæ conuerſionem, quæ multis admirationem ingentem commouere merito potuiſſet? Nam multos videbant ab illo factos, ex impuris, caſtiſsimos; ex fraudulentis, ſimpliciſsimos; ex immanibus, clementiſsimos; ex ſuperbis, modeſtiſsimos; &, quod eſt longe mirabilius, ex cupidis,& auaris, cupiditate tantum rerum Diuinarum flagrantiſsimos. Ergo, cum ea opera edi a Chriſto cernerent, quæ nullo modo, niſi Dei virtute, effici poterant, certe ex illis operibus conſtabat,illum a Deo fuiſſe miſſum, vt vniuerſum genus hominum ab exitio ſempiterno redimeret. Qui igitur illi credebat, Patri,a quo fuerat miſſus,credebat; & ea fide laudem ſempiternæ veritatis, quantum poterat,illuſtrabat.

*Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur.* Non poteſt Dei nuntius ab illius ſpiritu miſſus vlla ratione mentiri.mentiuntur illi quidem,qui ſe impudenter inferunt,& intrudũt; &, cum non ſint a Deo miſsi, ſe Dei legatos eſſe prædicant,vt,legationis obtentu,multos mortales in miſeriam ſempiternã inijciant; ſed,qui Dei conſilio miſsi, & ſpiritu illius incitati ſunt, veritatem conſtantiſsime profitentur, vſque adeo, vt, verbi Diuini gratia, neque mortem,neque cruciatum vllum,refugiant. Quodſi de Moſe, & de reliquis viris Diuinis,olim a Deo miſsis,hoc eſt valde conſtanter aſſeuerandum; quid de Filio dicendum eſt, quem Pater omnium bonorum heredem conſtituit?

*Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum.* Prophetis,inquit,Deus ſpiritum largitus eſt, ſed intra menſuram, certo termino, atque ratione, definitum. Filio autem nullus eſt terminus conſtitutus. Rationem continuo adiungit:

*Pater diligit filium: & omnia dedit in manu eius.* Diligit ſui ſplendoris effigiem, ſuæ claritatis imaginem, ſuorum conſiliorum conſcium,ſuæ voluntatis adminiſtrum,per quem fecit & ſæcula.omnia, inquit Dauid, ſubiecit ſub pedibus eius. Cum Omnia dicit, vt Paulus interpretatur, nihil omnino prætermittit,quod non fuerit illius poteſtati,atque moderationi,ſubiectum. Idem Paulus ad Coloſſenſes,de Chriſto ſcribens, ait: Qui eſt imago Dei inuiſibilis,primogenitus omnis creaturæ,quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates. Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt. Et ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtãt. Omnia igitur ſunt illi a patre tradita. vt, quemadmodum eſt rerum omnium opifex, ita ſit etiam princeps, & rector, & moderator.

*Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Qui credit in Filium, illius maieſtatem veretur, promiſsis illius erigitur, illius bonitatem amat, illius iuſsis obtemperat; & ita fit, vt illi ſtabili fœdere coniungatur, qui eſt vita ſempiterna. De ea namque fide Ioannes loquitur, quæ viuit,& viget,& animos incitat,& numquam a caritate diſiungitur. Qui vero non credit, Deo fidem derogat; Dei beneficia nimis ingrate repudiat; ſanctitatem illius aſpernatur; omniq. vitæ ratione Diuina iura proculcat,& ſe totum Dei ſempiternis hoſtibus addicit. Merito igitur ira Dei illum perpetuo cruciabit. Hoc enim ſignificat, dum ait, Manet ſuper eum. Ira namque bonos ſæpenumero plectit, cum aliqua ratione labuntur, vt erigantur. Ira tamen illa non diu permanet,ſed, facta medicina, remouetur; ſed ea,quæ improbos, qui credere nolunt, & in ea perfidia ad extremum perſeuerant, inſequitur; numquam aliqua ex parte remittitur,ſed eadem perpetua vi, acrimonia, ſeueritate, homines infideles,& in ſcelere contumaces, excruciat. Manet igitur ira ſuper illos, non demigrat; inſtat,& vrget,non abſcedit; nec vllum præbet in omni æternitate laxamentum. Vermis eorum non moritur; & ignis non exſtinguitur. Ex hac Ioannis oratione, fratres, intelligitis, omne ſtudium noſtrum eſſe ad fidei conſtãtiam, firmitatem, ardorem, & amplificationem, referendum. Ea namque ſanat animum, vires auget, mentem illuſtrat, vitam confirmat, Deum hominibus conciliat, & homines

mines cum Deo, bonorum omnium communione, conſociat. O fidei vim, nimis admirandam, quæ tantum Diuina gratia, & benignitate, poteſt, vt naturam ſuperet, motus animorum temperet, tempeſtates comprimat, mentem a terrenis ſordibus expurgatam in cælũ euehat, vt Diuina, atque ſempiterna, bona contempletur, ſummisq. bonis, cum admirabili iucunditate, perfruatur, vſque eo, dum Regnum immortale, atque Diuinum, fidelibus, nullis ſæculis interiturum, conſtituat. Si enim perfidia ſummum eſt malum, (a Deo namque diſiungit, grauiſsimãq. illius iram ſubire compellit) quid poterit eſſe perfecta, & viua, fide beatius, quæ mentem a tenebris ſempiternis eripit, & eam cum Deo indiſſolubili fœdere coniungit. Oremus igitur aſsidue, fratres, Deum, vt nobis fidem augeat, vt, ea muniti, in ſtudio pietatis progrediamur, atque tandem, in cælum euecti, Chriſto copulemur.

# ORATIO XI.

CAP. IV. *VT ergo cognouit Ieſus quia audierunt Phariſæi quod Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quã Ioannes, (quamquam Ieſus non baptizaret ſed diſcipuli eius,) reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galilæam.* Nullum dictum, aut factum, extitit Chriſti, quod nos nõ mirabiliter inſtruat, &, quid, pro cuiuſque temporis varietate, & ratione, gerendum ſit, diligenter admoneat. Hoc igitur in loco, cum Chriſtus a Iudæa diſceſsit, & iter in Galilæam iniuit, docuit, eſſe inuidiam interdum abſentia, atque ſilentio, declinandam, & inanium etiam rumorum tẽpeſtati cedendum maturumq. tempus exſpectandum, quo veritas liberius, atque ſalutarius, poſsit explicari. Interim enim populares motus ſedantur, & inuidia paullatim conſeneſcit; ratioq. remota contentione, multa cernit, quæ antea minime, propter inſitæ opinionis temerariam, atque turbulentam. diſſenſionem, intelligebat; atque poſtremo furori materia ſæpe ſubtrahitur. Multis igitur modis laudandus eſt, cum ratio publicę pacis id poſtulare videtur, abſceſſus. Id autem ſumma ratione a Domino factum fuiſſe, conſpicimus. Contẽtio enim partium valde pernicioſa concitata fuerat, dum quidam, qui fuerãt a Chriſto baptizati, inſolentius efferebantur, & Ioannis baptiſmum contemnebant; quidam vero ſic baptiſmo Ioannis adhærebant, vt moleſtiſsime ferrent alium baptiſmum inſtitui: quo verebantur, ne Ioannis nomen in obliuionem veniret. Hũc igitur errorem vt Chriſtus imperitis eriperet, non baptizabat ipſe per ſe, ſed officiũ id diſcipulis ſuis deferebat. Duabus autem de cauſsis minime per ſe id munus adminiſtrabat Vna erat, quia lõge maius negotium exſequebatur. Euangelium enim prædicabat; Euangelij vero diſciplina continet baptiſmi fundamentum: exſtirpat enim errores, atque ſancit fidem, hominesq. reddit idoneos ad lauacri ſalutaris fructum percipiendum. fruſtra namque baptiſmus ſuſcipitur ab adultis, in quorum animis non prius diſciplinæ cæleſtis fides inſeritur. Chriſtus igitur ſibi difficilius negotium ſumpſit, facilius autem diſcipulis reſeruauit. Altera autẽ cauſſa fuit, ne homines in baptiſmo diſcrimen, quod non erat, apponerent, & alij in alios furenter inſurgerent: quod fieret, ſi quidam dicerent, Ego ſum Petri; alij, Ego ſum Andreæ; alij, Ego ſum Ioannis, aut Iacobi; alij poſtremo, Ego ſum Chriſti, quaſi Chriſtus diuiſus eſſet; & diſcipuli in nomine proprio, & non in nomine Chriſti, baptizarent. Similẽ diſcordiam ſuſtulit tempore ſuo Paulus, dum Corinthios reprehẽdit, quod eſſent quodam modo in ſectas diuiſi. Alius enim dicebat, Ego ſum Pauli; alius autem Apollo; alius, Ego Cephæ; alius poſtremo, Ego aũt Chriſti. Num, inquit, diuiſus eſt Chriſtus? Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Gratias ago Deo meo, quod neminem veſtrum baptizaui, niſi Criſpum, & Caiũ, ne quis dicat, quod in nomine Pauli baptizati eſtis. Baptizaui aũt & Stephanæ domum. Ceterum, neſcio, ſi quem alium baptizauerim. Hæc igitur lis, q̃ Paulus dirimit, erat, vt credi põt, multo acrior Chriſti tpe, eo quod fides nondum tantas vires habebat, vt facile oẽs motus animi ſedaret, & ſeditiones comprimeret. Accedebat, ad grauius contentionis huius periculum, Phariſæorum improbitas, qui Chriſto erant vehemẽter infeſti; & Ioãnem, pp teſtimonium Chriſto publice tributum, non amabant. Cum igitur audirẽt huius diſſenſionis famã, & fortaſſe opinarentur, contentionis huius cãm, inter Iudæos, & Ioãnis diſcipulos, concitatam, ex aliquo Ioãnis, & Chriſti, diſsidio ortam eſſe, opus erat, vt de ea ſibi ipſis mutuo gratularentur, quod auctoritatem Chriſti ea diſcordia imminutam eſſe ſtatuerent. Vt igitur Chriſtus calũniæ anſam præcideret, in Galilæam migrare conſtituit.

*Oportebat autem eum tranſire per Samariam.* Poſt mortem Salomonis, cum Regni diſsidiũ factum eſſet, & decẽ tribus Ieroboam ſequerentur, & duæ tantum tribus, quæ reliquæ erant, in Roboami fide permanerent, qui Salomonis filius erat, pro vno Rege duo Reges exſtiterunt, duobus nominibus diſtincti. Duæ namque tribus, nẽpe Iuda, atque Beniamim, ad Regnum Iuda, ſic .n. appellabant, pertinebant; decem vero tribus alterum Regnũ faciebant, qđ Iſraelis noĩe deſignatũ fuit. Varij deinde Reges varijs caſibus Iſraelis Regnũ tenuerunt, donec ad Amri peruentum fuit, q., alio Rege interempto, per vim, atque ſcelus, Regnum occupauit. Is ab homine primario, qui Somer appellabatur, mõtem emit, in quo ciuitatem ędificauit, ſitu, & ſtructura munitiſſimam. Hanc autem, a venditoribus, nomine Samariam appellauit. Ea deinde Regia ciuitas fuit, in qua Iſraelis Reges ſtabilem ſibi ſedem collocarunt. Cum vero Regum furor populũ a cultu veræ religionis abduceret, & ad falſos deos, & ſimulacra, impuriſsima ſuperſtitione dedicata, transferret, idq. malum in dies augeretur, nec vllis Prophetarum monitis, aut iræ Diuinę ſupplicijs, reſecari, &, propoſitis minis, impediri potuiſſet, quo minus ad ſummum tandem ſcelerum oĩum perueniret, factum eſt, vt, regnante Oſee, (hoc .n. illi Regi Iſraelis nomen erat) Salmanaſar, Aſſyriæ Rex, bellum contra illum moueret, & illi

victo

Digitized by Google

victo tributum imponeret, & ab imperio deficientem rurſus profligaret, & vinctum catenis in Aſsyriam abduceret, Samariamq. diú obſeſſam victricibus tandem armis exſcinderet. Vniuerſum deinde Iſraelem in Aſſyriam tranſtulit. Ne regio autem illa vaſtaretur, colonos in Babylone, & e multis alijs ciuitatibus, quas imperio oppreſſas eo tempore tenebat, in Regnum Samariæ miſit, qui vniuerſam illam regionem colerent. Sed, cum illi Deum dirißima ſuperſtitione, fœdißimiſq. factis, irritarent, immiſit Deus leones, qui eos diſcerperent, atque paullatim gentem vniuerſam conficerent. Id cum allatum Regi fuiſſet, perſuaſum eſt multis, id, propter iram illius Dei, in cuius patrocinio tellus erat, qui non aliter coli volebat, quam erat lege illius decretum, accidiſſe; eamq. rationem fuiſſe dicebant, qua Iſraelis nomen exſtinctum in ea regione fuiſſet, quod externis ritibus colendum cæleſte numen ſuſcepiſſet. Proinde, ſi vellet colonias illas e imperio ſuo deductas incolumes ab ea vaſtitate permanerent, Hebręos ſacerdotes ad eas ſacris illis imbuendas, quæ Deus Hebræorum præſcripſerat, cófeſtim mitteret. Id igitur ſine mora Rex faciendum curauit. Miſit igitur ſacerdotem, qui gentem illam legis Diuinæ præceptis, & inſtitutis, inſtrueret, &, quo ritu ſacrificia eſſent immolanda, doceret. Sed, cum difficillime, quæ ſunt animis infixa, & diuturnitate temporis corroborata, ex intimis ſenſibus euellantur, factum eſt, vt homines illi, a ſacerdote inſtructi, Deum colerent, ita tamen, vt ritus patrios, & antiquam religionem, nullo modo prorſus amitterent. Erat igitur religio ex Diuina lege, & ex nefaria ſuperſtitione, conflata, ita, vt Deum colerent, & ſimul falſis numinibus immolarent. Hi ſunt autem, quos olim Samaritanos appellabant. Cum vero Iudæi omnes nationes odio haberent, &, vt impuras, & deteſtabiles, exſecrarentur, tũ vero Samaritanos peßime omnium oderant, eo quod, diuinæ legis obtentu, cuius ſe cultores eſſe iactabant, impurißima religione conflictarentur. nihil enim tam aduerſarium eſſe veræ religioni merito ſtatuebant, quam religionis ſimulatio. Accedebat ad maiorem offenſionis acerbitatem, quod Samaritani ita cum Iudæis de religione contendebant, quaſi ipſi ſoli religionis verißimæ diſciplinam tenerent, Iudæi vero in religionis cultu turpiſſime delirarent. Quamuis autem Dominus, qui non Iudæorum tantum Deus eſt, qui nullum nationis alicuius diſcrimen nouit, ad omnes homines a ſempiterna peſte liberandos veniſſet, in principio tamen, ne Iudæos offenderet, diſcipulis ſuis imperauit, ne gentes, a legis ſacris abhorrentes, ne ue Samaritanos Euangelij diſciplina inſtituendos ſuſciperẽt. Vt enim clarius fides, parentibus data, eorũ poſteritati fidelißime præſtita cerneretur, conſentaneum erat in primis, vt omnem operam in ouibus Iſraelis varie diſpulſis ad ſæpta Domini reducendis ponerent. Hæc pluribus expoſui; quia neceſſe erat, & Samaritanorum nomen explicari, & odij cauſſam, quæ erat inter Iudæos, & Samaritanos, exponere. Nunc ad hiſtoriam reuertamur. Oportebat, inquit, eum tranſire per Samariam: Iudæa ad Auſtrum pertinebat, Galilæa ad Septemtrionem: Samaria inter vtramque regionem ſita erat. Ei igitur, qui a Iudæa in Galilæam iter recta facere voluiſset, erat neceſsario per Samariam tranſeundum. Hoc igitur poſitũ eſt, ne videretur Dominus minime ſuæ legi paruiſse, cum ad Samaritanos diuertiſſet, a quorum familiaritate, & congreſſu, diſcipulos ſuos prohibuerat. Quamquam is ſolus, qui legem tulerat, erat ea lege ſolutus, quia legis ratio in eo minime locum habebat. Arcebat lex a lepræ contagio. quos homines? Eos certe, qui poterant lepra contaminari, non eum, qui lepræ morbos verbo facillime depellebat; flagitioſorum, & intemperantium, conuictum exſecrandum eſſe, decernebat. Quibus? Illis profecto, qui poterant ex ea conſuetudine flagitijs inquinari, non illis, qui flagitia cuncta ex animis eorum, quos ſecum coniungebat, radicitus exſtirpabat. A gentium coniunctione lex homines abſterrebat. Quos? Eos nempe, qui ex gentium commercio, & affinitate, facile in ſimulacrorum cultum induci poterant, non illum, qui, vt totius illius erroris radicem prorſus euelleret, in terras aduenerat. Vt tamen exemplum ſuis præberet, &, ne in principio Iudæos, quos curatum aduenerat, ita alienaret, vt omnem medicinam reſpuerent, ſeſe a gentium finibus amouit. In Samariam vero ita ſe contulit, vt non videretur Samariam petere, ſed, itineris ſuſcepti gratia, ne a via deflecteret, cogi Samariæ fines attingere. Sciebat ille tamen, quantum fructũ erat ex illo itinere percepturus. *Venit ergo in ciuitatẽ Samariæ, quæ dicitur Sichar: iuxta prædium, quod dedit Iacob, Ioſeph filio ſuo.* Hinc apparet, Samariæ nomen non tunc vnius tantũ ciuitatis nomen fuiſſe. Erat enim iam ad regionem illam vniuerſam, in quam olim coloni e Babylonia fuerant deducti, eo tempore deriuatum. Sichar autem, eſt idem, quod Sichem. Multa namque Hebræa nomina erant, propter variarum gentium dominationem, qua Iudæi varijs temporibus oppreſsi fuerãt, immutata. facile namque externarum gentium dominatus, & mores, & orationes, a priſtina puritate deducit. Iacob vero, moriens, cum ex duobus Ioſeph filijs duas tribus inſtituere voluiſſet, vt id commodius fieret, prædium illud, quod ab Amorrhæis viribus occuparat, Ioſeph filio ſuo attribuerat; id autem olim ad tribum Ephraim pertinebat. *Erat autem ibi fons Iacob.* Aquæ perpetuo bullientis perennitas, fontem efficit; altitudo, puteum.

Vtroque

Vtroque nomine illam aquæ congeriem Ioannes appellat. Sēper enim ex ſcaturigine aquæ perennitas emanabat, & in iuſtam altitudinē depreſſa erat. Appellabatur autem fons Iacob, quia effoſſus iuſſu illius exſtiterat. *Ieſus autem fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* Subijcit Ioannes oculis, quantum poteſt, orationis miro compendio, habitum hominis de via defeſsi, & nimia laſsitudine languentis. Ille igitur, qui dat laſſo fortitudinem, qui ſanat ægrotos, qui languentes corroborat, qui imbelles inuicto robore fulſit, laboribus affli-ctari, laſsitudine frangi, & langore prope cōfici, voluit, vt langoribus noſtris mederetur. O clementiſsime Domine, qui ſine labore vllo cælum, & terram, mirabiliter exſtruxiſti; qui mundum vniuerſum condidiſti; & formas innumerabiles effinxiſti; qui terris ſtabilitatem, & fecunditatem, naturæ cæleſti claritatem dediſti; qui diſsimiles inter ſe naturas definito pondere, numero, ratione, colligaſti, ſalutariq. lege deuinxiſti; qui omnia perſcrutaris, & inſpicis, rectiſsimoq. iudicio perpendis, atque moderaris. Num in tantis operibus aliquis vmquam te langor oppreſsit? num te negotiorum multitudo obruere vmquā potuit? num vel laboribus innumerabilibus infringi, vel curis, & difficultatibus, impediri potuiſti, ne omnia præſentia tua ſtabilires, miſericordia conſeruares, ſtabili iudicio contineres, & vnicuique homini pro merito præmium, vel pœnam, conſtitueres? Non certe. Deus, inquit Iſaias, ſempiternus Dominus eſt, qui creauit terminos terræ: non deficiet, neque laborabit. Nec eſt inueſtigatio ſapientiæ eius. Nos igitur ſoli tibi laſsitudinis cauſſam dedimus; nos tibi laborem, & defatigationem, attulimus; nos te peccatis noſtris ſeruitutis iugum ſubire cōpulimus; & iniquitates noſtrę te doloribus ſummis oppreſſerunt. Vt enim noſtrā libertatem conſtitueres, ſerui formam induiſti, &, vt nos e laboribus immenſis educeres, nullum vel laborem, vel dolorem recuſaſti. Hæc mihi in mentem venerunt, fratres, quæ de Chriſti laſsitudine dicerē. Non potui enim tā inſignē Domini erga nos in omni loco benignitatē taciturnitate comprimere. Sed maiora adhuc benignitatis indicia videamus.

*Hora erat autem quaſi ſexta.* Parum aberat a meridie, cum Dominus, ex itinere fatigatus, neque ſe cibo vllo refecerat, neque potu recreauerat.

*Venit mulier de Samaria haurire aquam. dicit ei Ieſus, Da mihi bibere. Diſcipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.* A muliere aquam petit, quia diſcipuli non aderant, a quibus illud miniſterium flagitaret; & ſimul ſuam indigentiam, & mendicitatem, omnibus notam eſſe voluit. Cum enim eſſet rerum omniū dominus, pro nobis egens factus eſt, vt nos, illius inopia, diuites eſſemus. Erat ille quidem non mediocri ſiti cruciatus. Itineris labor magnus; æſtus interim vrgebat; nec erat interim vllum vel laboris, vel caloris, alleuamentum; ſed alia erat ſitis, quæ illi maius cruciamentū afferebat. Quænam, inquis, ſitis illa fuit? Salutis humanæ cupiditas, caritatis ſollicitudo, ardentiſsimum ſtudium, quo mulieri conſulere ſtatuebat. Nec enim temere iter illud iniuit; neque ſine cauſſa hora illa ad puteum cōquieuit; tempus nouerat; opportunitatē præuiderat; maturitatem illam mulieris ſanandę minime prętermittendā putauit. Quis enim, ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit? Summus cælitum imperator, & Dominus, cuius nutu montes quatiuntur, & vniuerſa natura contremiſcit, cum muliercula loquitur; nec illius humilitatem aſpernatur; nec imperitiam contemnit; neque elatione religionis impeditur, quo minus ab ea pęnuriæ ſuæ remedium poſtulet. Emendicat Dominus rerum omnium, emendicat a nobis ardentiſsimæ ſitis, qua flagrat, depulſionem; flagitat a nobis perpetuo, vt exſtinguamus illius ſitim, qua, ſine vlla intermiſſione, cruciatur. Petit enim a nobis, vt oblatā ſalutem minime reſpuamus; vt ſalui, & ornati, eſse velimus; vt animas noſtras Deo conſecremus, vt peſtem ſempiternam arceamus, vt in cæleſtes ſedes, quas ipſe nobis præparauit, adſcendere nitamur. Indigniſsime nāque patitur, animos, a ſe ad imaginē patris expreſſos, ad gloriam ſempiternam factos, deformari, inquinari, peruerti, & a ſtudio diuinæ virtutis abductos in miſeriam ſempiternam detrudi. O fratres cariſsimi, vos, quantum poſſum, hortor, & moneo, vt hanc Chriſti, noſtri liberatoris, indigentiam ſubleuetis. Vnuſquiſque veſtrum ſecum ſtatuat, a ſe remedium huius ſitis poſtulari: ſtatuite cum animis veſtris, dicere Chriſtum vnicuique veſtrum, Homo, ne ſis crudelis, & immanis; capiat te miſericordia mei. multa pertuli; multa toleraui; multos labores hauſi; cōuicia multa ſuſtinui; cruciatus ingentes perpeſsus ſum; omnia hoſtis ſempiterni tela in meum corpus adhæſerunt; ſed nihil æque dolui, atque tui ipſius amentiam, qua tibi peſtem machinaris. Tantus autem hic meus dolor exſtitit, vt, illius depellendi gratia, Crucem ſponte mea ſubierim. Non igitur tantum mihi dolorem Crucis ſupplicium inuſsit, quantum tu mihi quotidie flagitijs tuis inferre non dubitas. Te igitur ſuppliciter oro, vt mihi miſericordiam tribuas, & ne ſis in me crudelior, quam Satanæ ſatellites, atque miniſtri, qui me clauis Cruci confixerunt. Ardeo cupiditate ſalutis tuæ: reſtiugue igitur ſitim meam tuæ vitæ conuerſione. Quid, fratres mei cariſsimi, hanc Chriſti tam ſupplicem orationem contemnetis? illiusq. poſtulatum, cum veſtræ ſalutis interitu, repudiabitis? & ſimul ſummi Domini non ſolum imperium, ſed etiam preces, contemnetis, veſtriq. ſtatus incolumitatem pro nihilo reputabitis?

tabitis? Quod ſi illius benignitas uon vos inflectit, ira ſaltem futura vehementer exterreat. ignem enim ſempiternum denuntiat omnibus, qui illum ſitientem viderint, & aquã illi, hoc eſt pauperibus nõ porrexerint. Si igitur, qui aquã pauperi ſitienti non attulerint, igne ſempiterno cruciandi ſunt; qui ipſi Chriſto, ardentiſsima ſiti noſtrarum animarũ cruciato, non ſubuenerit, quo ſupplicio tantũ ſcelus ſęculis infinitis exſoluent? Hæc mihi in mẽtẽ venerunt, quæ de ſiti Chriſti diſputarem, vt ex intimis ſenſibus veſtris miſericordiã elicerẽ, qua Chriſto, veſtræ ſalutis cupiditate vehementiſsime cruciato, ſubueniendũ exiſtimaretis. Sed mulierculæ reſponſum videamus:

*Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quo modo tu, Iudæus cum ſis, bibere a me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Summum, vt apparet, inter vtramque gentem odium omnem humanitatis coniunctionem dirimebat, vſque adeo, vt ſcelus haberetur, alterutri nationi aquam porrigere. Simul hæc oratio Chriſto obijcere videtur acerbioris offenſionis indignitatem, qua Iudæi Samaritanos ab omni ratione conſuetudinis, & familiaritatis, expellebant. Ex habitu, inquit, te Iudæum eſſe, conſpicio. Iudæi Samaritanos exſecrantur, & putant, religionẽ a ſe violari, quoties Samaritanũ familiariter appellauerint. Quo modo igitur bibere a me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana, veſtræq. religionis offenſionem minime reuereris?

*Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi, Da mihi bibere: tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam.* Donum Dei, eſt illius benignitas, quæ crimina omnia delet, cupiditatis vires elidit, animũ, e peccati tyrannide liberatum, Diuinis iuſtitiæ muneribus exornat, in filijs ſuis annumerat, patrimonijq. cæleſtis heredem inſtituit. Illi namque formam filii ſui pulchritudini cõſimilem imprimit, vt eum cum filio ſuo in Regni ſempiterni poſſeſsione collocet. Huius autem tanti doni, atque gratiæ, auctor, & adminiſter, ipſe Dominus eſt, qui ſe mulieri paullatim aperiebat, vt eam tanti beneficij participem faceret. Summa namque probitas, non eſt exoratu difficilis; cum omnibus animis ſe communicare ſtudet, vt omnes ſui ſimiles efficiat, & in Diuino tandem gradu locet. Vt autem hoc opus omnium maximũ exſequatur, non opes humanas exigit; non generis nobilitatem flagitat; non artes humanas expetit; non ingenium ſummum exquirit; naturæ facilitatem, & humilitatem, expoſcit, qua ſe totum in animum minime contentioſum, & ad fidem Diuinis verbis habendam paratiſsimum, valde clementer inſinuet. Vt enim Sol omnia, quę nõ ſunt corporibus oppoſitis obiecta, colluſtrat, ita Diuina benignitas omnes animas, quæ non ſunt ſuperbia, & confidentia, præpeditæ, lumine ſuo complet. Ita igitur fit, vt, qui ſibi ſapientiam inſolenter arrogãt, a luce deſerantur; & in extremæ ignorantiæ tenebris verſentur; qui vero de ſe humiliter, atque demiſſe, ſentiunt, radijs ſapientiæ clariſſimis illuſtrentur. Quanta autem fuerit huius mulieris abiectio, & quanta facilitas ad credendum Deo; ſermonis huius progreſsio declarabit. Sed id continuo apparebit. Nunc ad inſtitutum ſermonem redeamus. Dum Dominus ait, Si ſcires donum Dei, oſtendit, quantum malum ſit in ignoratione boni veriſsimi ſitum. Qui enim ignorat donum Dei, non incenditur illius cupiditate, non omni contentione laborat, vt illud adipiſcatur; non denique illud a Deo petit, & ita numquam illo potitur. Qui vero Dei donum non obtinet, malis ſummis, atque ſempiternis, obruitur. Dum vero dicit, Petiſſes ab eo, docet, liberum eſſe nobis, vel petere, vel non petere, Diuinum beneficium. Quemadmodum eſt in noſtra poteſtate, vel oblatum valde libenter accipere, vel ingrate nimis aſpernari. Aqua viua, eſt illud donum Dei, cuius notitia continet totius ſalutis, & honeſtatis, ſempiternæq. vitæ, principium; gratiam vero Spiritus ſancti Aquam viuam, hoc eſt perpetuo fluentem, nominat, quia flagitiorum ſordes abluit; quia cupiditatis ſitim reſtinguit; quia fecunditatem inducit; quia viriditatem, & amœnitatem, elicit; quia fructus ſaluberrimos ex animis, antea vitiorum aſperitate vaſtatis, educit. Sed videamus mulieris imperitiam, vt clarius deinde in illa donum Dei, & aquæ viuæ fructum, poſsimus agnoſcere.

*Dicit ei mulier, Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt: vnde habes aquam viuam?* Non inſultat, non conuicia iacit; non magnificentiam orationis irridet, immo Dominum appellat, & iam quodammodo in illo ſpeciem quandam maieſtatis intuetur. Aliter Dominũ non appellaſſet. Sed tantũ addubitat, &, quod erat Diuinitus intelligendum, ad ſenſum corporis traducit. Quod minime mirandum eſt. Si enim Nicodemus, qui non erat Samaritanus, ſed Iudæus; non idiota, ſed eruditus; non vnus e multis, ſed eruditione, religione, exiſtimatione, princeps; ſententiam Chriſti Diuinam ad corporis naturam transferebat, & ideo difficultates, e natura ſeminis, & ſanguinis, aſsũptas, opponebat; quid faceret muliercula, rerum Diuinarum prorſus ignara, & in moribus a Diuinis inſtitutis abhorrentibus enutrita, quæ numquam vel legere poterat, neque audierat eſſe aquam viuam, quæ e cælo in terras emanaret. Non habes, inquit, hydriam; nõ habes funem; aquam manu haurire non potes, cũ puteus altus ſit. Itaque, niſi ego tibi aquam hauſero, neceſſe eſt, vt tua ſitis ingraueſcat. Quo modo igitur tu, qui a me aquã obnixe poſtulas, (quod non feciſſes, ſi copia illius tibi ſuppeteret,) te mihi aquam viuam dare poſſe, confirmas?

Numquid

*Numquid tu maior es patre noſtro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipſe ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius?* Vt Mahumetani genus ementiuntur, (pro Agar enim Ancilla Saram genitricem adſciſcunt) ita Samaritani, vt apparet, Iacob generis principem appellabant: cumq. ab illo originem minime duxiſſent, illum tamen tanti faciebant, vt neminem illi parem eſſe poſſe ſuſpicarentur. Ait igitur, Si de potentia, & viribus, agitur, te ſolum, & inermẽ, video omnium miniſterio deſtitutum. Si religionis ſanctitate niteris, & confidis, te ope Dei præſentiſsima perennis aquę compotem fore, nemo certe in terris exſtitit, qui Iacob pietate, & ſanctimonia, ſuperaret. At ille aquã aliam dare nobis non potuit. Ipſe enim ex hoc puteo bibit, & filij eius, & pecora eius. Tanta enim erat aquæ pænuria, vt non alio poſſet greges, & armenta, potum agere.

*Reſpondit Ieſus, & dixit ei, Omnis, qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Chriſti mos eſt, omnes ſententias, a corporum ſimilitudine deſumptas, ad ſenſum Diuinum reuocare: contra vero, qui nondum poſſunt animum a corporis affectionibus abducere, ad humanos ſenſus Diuina transferunt. Hoc igitur in loco Dominus ſententiam Diuinam, atque omnium maxime ſalutarem, pronũtiat. Quo modo, inquies? Quia omnis hominum appetitus eo tendit, vt aliquando requiete abſolutiſsima perfruatur. Ea vero frui non poterit, niſi expleatur bonis omnibus, quorum deſiderio flagrat. Expetit homo voluptates, expetit honores, expetit, vt eos facilius adipiſcatur, opes immanes, expetit vitæ pręſidium, ſuiq. ſtatus ſecuritatem. Verum nec vllæ voluptates libidinem explere poſſunt, nec vlli honores ambitionem, nec vllæ opes auaritiam, nec vlla pręſidia metum, & ſollicitudinem, depellunt. Cur ita tandem? Quia voluptates ſunt amariſsimæ, honores inaniſsimi, opes inuehunt curas acerbiſsimas, præſidia ita ſunt infirma, vt quouis leuiſſimæ tempeſtatis impetu conuellantur. Vſus igitur docet homines, ſe ſine vllo fructu vitã in augendis, & amplificandis, opibus contriuiſſe. Nec enim ſe dolore, metu, ſollicitudine, vacuos eſſe ſentiunt. Huic morbo, & indigentiæ, philoſophi ſe remedium allaturos eſſe polliciti ſunt. Nec enim opes amplificando, ſed cupiditatem reſecando, vitam beatam comparari ſtatuebant. Omnem vero rationem reſecandæ cupiditatis in philoſophia collocabant. Ea namque effici dicebant, vt animus, opibus naturæ, quæ ſunt valde parabiles, atque terminatæ, contentus, nihil amplius deſideraret. In eo igitur ſtatu, quo animum ita expletum aſſerebant, vt nihil aliud vellet, nihil expeteret, nihil ad ſe pertinere putaret, ſummum bonum conſtitutum eſſe dicebant, Αὐταρκείαν appellabant, id, quod Latini Sufficiẽtiam nominant. Eſt autem Sufficientia, copia bonorum omniũm, quibus qui affluunt, cum nihil illis deſit, quiete ſumma fruuntur. Huius autem ſufficientiæ illi philoſophiam, cuius ſe magiſtros eſſe iactabant, effectricem aſſerebant. O promiſſum fallax. o inſolens in ſapientia oſtentanda faſtidium. o minime ferendum mendacium. Cum inſita in hominum natura cupiditas, ſit inexplebilis, & infinita; cum ſitis humana non poſsit vlla ratione reſtingui; cum vſus, & experientia, demonſtret, eo magis ſitienter appeti opes humanas, quo affluentius hauriuntur; cum nulla ratione, nulla lege, nullo more, libido contineri poſsit, ne in omnia flagitia prorumpat, quoties ſibi impunitatem oblatã exiſtimauerit; erit ne quis tam audax, qui morbo inſanabili ſanitatem audeat polliceri? Poterit quidem fieri, vt ad aliquod tempus metu coerceatur audacia; vt puſillus, & anguſtus, animus, propter imbecillitatem, ad honores ſummos non adſpiret; vt ſeruire malit ſine ruinæ periculo, quam cum diſcrimine ſalutis imperium tenere; vt autem non appetat ea, quæ pulchra, & eximia, putat, fieri non poteſt. Timor igitur, & imbecillitas, & deſperatio, tenet homines, ne ruant, & furibunde Reſpublicas ſuas euertant. Animus enim paullo excelſior, & dignitatis appetẽtior, quo maior eſt, & maiores vires collegerit, eo turbulentius omnes leges perrumpet, vt principatum, cum rerum omnium ſtrage, violenter occupet. Hinc publicę diſſenſiones, hinc ciuiles tumultus, & inſaniæ: hinc poſtremo euerſiones omnium Rerump. oriuntur.

Erit ne huic tanto malo remedium aliquod ſperandum? Erit certe, ſi mali cauſſam nouerimus. Quænam igitur cauſſa poterit afferri huius tam diræ calamitatis? Mirabilis humanæ naturæ præſtantia. Eſt enim, vt ſanctæ litteræ teſtificantur, impreſſa, & inſculpta, in animis noſtris, Diuinæ mentis imago: ex quo plane concluditur, nos ad bona ſempiterna natos, & a natura imbutos, & inſtitutos fuiſſe.

Mira eſt igitur naturæ humanæ capacitas, & amplitudo, quam videlicet nec totius orbis imperium implere aliqua ex parte queat. Facilius igitur dolium ingens, aquæ ſtilla expleri, quam humanus animus, congeſtis vndique opibus, ſatiari poterit. Omnia enim, quæ verſantur in vita, ſunt certa mole, numero, atque menſura, definita, & exiguo temporis ſpatio terminata: at cupiditas humana, cum ſit immenſa, inexplebilis eſt. Qui enim ad cæleſtia, atque ſempiterna, bona perfruenda nati ſunt, qua tandem ratione poterunt terrenis, & interituris, opibus ſatiari? Cum vero mẽs, curis in terram depreſſa, & flagitiis innumerabilibus obſcurata, beneficijs Diuinis, ad ſalutem, & gloriam, datis, ad perniciem, & dedecus, abuti plerumque ſoleat; tum hanc cupiditatis infinitatem, qua poterat ad Diuinitatem

tem quandam feliciter eniti, ad ſtudium inanitatis temere confert,& huius vitæ ludibria, quaſi nocturna quædam viſa, abſque vllo fructu,conſectatur. Si igitur voluptates expetit, voluptates euaneſcunt; &, cum effluxerint, animum doloribus dilaceratum relinquunt; ſi opes exquirit, opes animis, cum eos minime ſatient,illudunt, eoſq. multo grauiore indigentia premunt, & excruciant.

*Dicit ad eum mulier, Domine, da mihi hanc aquam, vt non ſitiam:neque veniam huc haurire.* Vetus eſt Prouerbium, multorum ſermone, atque ſententia, celebratum, Omnia præclara eſſe paratu difficilia. Turpitudo namque paſſim occurrit; flagitium omnibus peruium eſt; ſine induſtria labimur; ſine doctrina concidimus;communis vita multas labis,& impuritatis,vias ſuppeditat; quibus natura, cum ſit a labore ad deſidiam, & voluptatem,procliuis, facile ſuccumbit.At,qui magna ſibi proponit, & ad decus ſibi totis viribus enitendum exiſtimat, otium ſibi minime ferendum putat. Eſt enim ei coercenda temeritas, repellenda cupiditas,contemnenda voluptas,virtus ſumma contentione paranda; &, quo clarior, & amplior, & excelſior, locus eſt, ad quem animus, gloriæ cupiditate vehementer inflammatus,adſpirat, eo plures labores excipiendi ſunt, & maiora etiam pericula ſubeunda, vt ſummi honoris, & honeſtatis, amplitudo comparetur. Heſiodi igitur ſententia ab omnibus laudari ſolet, qua dicit, Virtutis initiũ eſſe multis laboribus obſtructum, viam eſſe nimis longam,& accliuem, multiſq. difficultatibus implicatam. Verum,qui rectius de quæſtione hac iudicium facere voluerit, non tantum laboris ineſſe in virtutis ſtudio iudicabit,quantum multi fortaſſe ſuſpicãtur. Nam, ſi veræ virtutis amplitudo in ſtudio humano, & non in beneficio Diuino, conſtituta fuiſſet, tunc certe ſtudium illius difficillimum extitiſſet. Cum vero virtutis origo e cælo pẽdeat, cum illius ſpecies Diuina ſit, cum omnis illius ornatus, & pulchritudo, a pulchritudine Diuinæ mentis oriatur, & in Dei ipſius benignitate,& gratia, conſiſtat, ipſaq. Dei benignitas omnibus prompta, atque parata, ſit, qui ad eam ſe firma fide contulerint,quid paratu facilius poterit excogitari? Sic autem fit, vt, quod nec vllius ingenij excellentis acumine, nec animi excelſi magnitudine, nec artium maximarum ſtudio, nec aſsidui laboris contentione,quæri,& comparari,poteſt, adeo facillime conſequantur omnes,qui in cælum ſuſpexerint, & in eo totum ſtudium vitæ poſuerint, vt ab infinito totius decoris fonte veriſsimum decus hauriant. Inaniſsimam quidem honeſtatis ſpeciem poterit ſtudium humanum amplexari,quod cõfeſtim euaneſcat. Ad verum porro decus, & honeſtatem, nullo vmquam modo,viribus humanis, perueniet. Munus enim,eſt Diuinum;forma,ſtatu Diuino propagata; imago Diuinæ claritatis, ipſam Dei ſpeciem referens; nec aliunde, quam ab ipſo Deo,totius dignitatis auctore, in homines, qui illius benignitatẽ gratis animis amplectuntur,expreſſa. Totum autem in eo poſitum eſt, vt Dei benignitati, nos ad ſalutem vocanti, cedamus, vt gratiam minime repellamus, vt munus oblatũ minime reſpuamus, noſq. ab illo flecti,fingi,formari, in viam ſalutis induci, permittamus. O ſalutarem mulieris Samaritanæ ſimplicitatem, quæ tam breui, cum tanta facilitate, tantas opes ab ipſo benignitatis fonte conſecuta fuit? lucem non repulit;bonitati non repugnauit;cum nullum impedimentum oppoſuiſſet, ſeſe illuſtrari, & incendi,& cupiditate Diuini ſtatus inflammari,percepit. Diuinitus Salomon Deo exſecrandum,& deteſtabilem,ait eſſe omnem illuſorẽ, quem videlicet ſuperbia perſuadet nihil omnino credere, niſi quod ſenſu corporis vſurpat;aut,humani argumenti ratione,licet parum firma,cõcludit;& iccirco Diuinitus effata contemnit. at ideo,inquit, cum humilibus eſſe omnia colloquia illius. Abiectiſsimã mulieris condicionem non contemnit;illi ſe paullatim aperit; opes ſuas ſenſim explicat. Itaque ait,fore,vt,qui aquam illius biberit,numquam ſitiat,ſed fons aquæ perennis in illo aperiatur, qui in hac vita omnibus veriſsimis bonis animum illius expleat,& ad vitam æternã tandem, abſque vllo errore,perducat. Quid ad hæc mulier illa beatiſsima? Numquid dixit, Quo modo fieri poterit, vt intra pectus hominis fons aperiatur?vt humana ſitis,cum ſit infinita, reſtinguatur? vt tanta ſit capacitas in animo, vt fontem aquæ perennis includat?Nihil horum.Sed,quid dicit? Domine,da mihi hanc aquam,vt non ſitiam:iam vides fidei vigentis argumentum. Non enim poſtulaſſet aquam viuam, niſi eum iam credidiſſet eſſe aquæ ipſius perennis dominum, totiuſq. moleſtiſsimæ cupiditatis extinctorem. Hoc enim videtur dicere: Domine, multa me ſollicitant. Nam & inopia premit, & libido vexat, & curæ dilacerant, & amor exagitat, & odium pungit; & hæc omnia perpetuis me laboribus afflictari compellunt:ſed nullus me labor iuuat. Nullum enim mihi continui laboris afferunt alleuamentum. Iiſdem enim curis ſemper excrucior;opes effugiunt; voluptates effluunt; ſollicitudines ingraueſcunt: quo magis,vt aliqua animi requiete fruar, elaboro,eo vehementius,huc,& illuc, aſsidua iactatione,cõturbor. Sitis igitur me perpetuo torquet, ita, vt nullo modo poſsim exitum meæ indigentiæ,& cupiditatis, reperire. Tum demum igitur ab omni ſollicitudine conquieſcam, cum tu me aqua iſta ſalutari ſatiaueris. Ergo ſitim illam, quam nullæ humanæ opes ſedare poſſunt, gratia tua facillime depellet. Quid hac igitur mulieris oratione ſapientius? aut,quod maius extare poterat in

illa

illa fidei egregiæ documentum. Itaque fructum ipſius fidei eximium continuo percepit:

*Dicit ei Ieſus, Vade, voca virum, & veni huc.* Noo vult Dominus beneficia ſua inuidioſe cõprimi, ſed diffundi latiſsime, & cum omnibus, quo ad fieri poterit, communicari. Ideo iubet virum accerſiri, vt, qui erant corporis coniunctione deuincti, eſſent deinde bonorum cæleſtium communione copulati.

*Reſpondit mulier, & dixit, Non habeo virum. Dicit ei Ieſus, Bene dixiſti, quia non habeo virum. quinque enim viros habuiſti: & nunc quem habes, non eſt tuus vir. hoc vere dixiſti.* Quinque videlicet viris, vni poſt alium, poſt vniuſcuiuſque mortẽ, fuerat matrimonio copulata, ſexto autem nõ erat ſollemni iuris ritu coniuncta. Erat igitur magis Concubina, quam Vxor, appellanda. quæ tuoc familiæ macula delenda erat, vt coniunctio parum legitima, Diuino iure ſanciretur; & libidinis impuræ conſortium, caſtum, & ſanctum matrimonium fieret, magis animorum ſanctiſsima ſocietate, quam corporum fœdere, copulatum. Ea autem de cauſſa Dominus Virum mulieris appellat illum, qui nondum vir illios erat, eo quod non tam ad præſentem vtriuſque condicionem, quam ad futurum fœdus, & fidem, reſpiceret. Sed videte mulieris admodum felicis in debita fide facilitatem. Et ſimul conſiderate, quam liberalis, & ampla, ſit Diuina benignitas, in eos, qui Spiritui illius minime repugnãt. Animos enim tractabiles, & ad omnem rationem bonitatis flexibiles, & minime contentioſos, amat; & io eos opes ſuas magnificentiſsime congerit: contra vero, difficiles, acerbos, & io ſuſcepta ſemel opinione pertinaces, execratur. Simplex enim animi candor, & lenitas veritatis appetens, facile in ſe Diuinæ lucis claritatem recipit, & Spiritus ſancti monitu cõmouetur. At animi peruicacis aſperitas, vt in frenis equi duritas, reluctatur, & calcitrat, omnemque moderationem repellit; neque ſolum legibus humanis, æquabili iure conſtitutis, ſubijci non vult, verum & Spiritus ſancti monita contemnit. Vt igitur nihil eſt miſerius animis elatis, & inflatis, amoreq. ſui prorſus inſanientibus; (ſenſus enim ſuos facile Diuinis iuſsis, & monitis, anteponunt) ita nihil ſalutarius eſſe poteſt mente ſupplici, facillimeq. fidem proprijs ſenſibus abrogante, vt omnes vitæ rationes ad monita Diuina perpendat. Deus enim ſuperbos, iuſtitiæq. ſanctionibus illudentes, vt ait Salomon, execratur, & cum humilibus ſapientiæ ſuæ arcana communicat. Quod in hac muliere clare cernitur: nihil contendit; nun aduerſatur; probrũ ſibi obiectum non indigne fert, dedecus admiſſum recognoſcit; lumen illud clariſsimum, quo ſcelera omnia conuincuntur, minime fugiendum exiſtimat, ſed valde libenter admittit; neque tam inſitę turpitudiois commemoratione dolet, quam lucis ipſius ſplendore lætatur. Itaque de conuicio ſibi facto minime cooqueritur; immo gloriam illius, a quo fuit oratione redarguta, confiteri paullatim incipit. Sequitur enim:

*Dicit ei mulier, Domine, video, quia Propheta es tu.* Cum illum Prophetam eſſe confitetur, duplex officium facit. Nam & illi Diuinum ſenſum attribuit, & ſe libidiois importitate maculatam eſſe non negat. Cum enim illum Prophetam eſſe confirmat, veritatem dixiſſe pronuntiat, & ita ſe flagitio infamem eſſe fatetur. Sed maiorem deinceps mulieris laudem videamus. Oraculum ſanctiſsimum conſulit; ſed non illud de commodis vitæ diligenter inquirit. Sed omnis illius veritatis indagandæ cupiditas ad religionis veriſsimum cultum, & rationem, deſtinatur. Ait enim:

*Patres noſtri in monte hoc adorauerũt, & vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet.* Multi errores verſantur in vita, quibus omnis ratio bene, atque beate, viuendi perturbatur. Nullus tamen eſt eo peſtilentior, quo in religionis cultu delinquitur. Quo enim virtus præſtantior eſt, eo falſa illius ſpecies turbulentior eſt, & maiorem miſeriæ cauſſam cõtinet. Cũ vero nulla ſit virtus religione ſalutarior, neceſſe profecto eſt, vt illius inaois imago latius viam ad miſeriam ſempiternam patefaciat. Animos tamẽ erroribus infectos ancipites curæ ſæpenumero peruagantor, dum ſecum hærent, & dubitant, &, in tanta, & tam multiplici, religionum varietate, ſtatuere nequeunt, qoæ ſit, tamquam vera, ſummo ſtudio colenda, cum plus vna vera eſſe noo poſsit. In hac tamen dubitatione, leges, & inſtituta, patriæ, tantam vim habent, vt difficillime a patrijs moribus, in quibus enutriti ſunt, auellantur. maxime cum & hooeſtatis opinio, & metus periculi, eos cogant in falſa religione permanere. Nam & ſummum dedecus exiſtimatur, religionis patriæ cultum deſerere; & ijs, qui ſe ad aliam religionẽ contulerint, eſt grauiſsimus, aut mortis, aut exſilij, metus iniectus. Quod ſi homines fuiſſent ad veritatis diſciplinam dociles, eamq. omnibus vitæ commodis præterendam eſſe iudicaſſent, Diuinamq. mentem, quæ numquam miſerorum poſtulata repudiat, conſuluiſſent, veritatis certe fructum ab immenſa probitate percepiſſent. Nam, cum mulier, & Samaritana, & vitiis cooperta, a ſummo Domino precibus impetrauit, docuit certe, quam prompta, atque parata, ſit Diuina benignitas cunctis mortalibus ad veriſsimæ religionis, atque iuſtitiæ, diſciplinam omnibus ex æquo tradeodam. Non contempſit mulieris humilitatem; non errorem religionis parum ſapienter cultæ contumelioſe retulit; non indignam eſſe denique reputauit, cui viam ſalutis aperiret; atque in principio non religionis cootentionem facit, ſed, vt ſe in animum mulieris, iam cupiditate veritatis incenſum, magis inſinuet, oſtendit,

ne Iu-

Digitized by Google

ne Iudæos quidem ad perfectionem ſanctiſsimæ religionis perueniſſe. Sequitur enim:

*Dicit ei Ieſus, Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis Patrem.* Cum Patrē omnium Drum nominat, certe docet, Deum non eſſe Iudæorum tantum Deum, ſed omnibus hominibus, qui illius beneficia non ingrate repulerint, ſe caritate patria conſulturum. Tum addit:

*Vos adoratis, quod neſcitis: nos adoramus, quod ſcimus, quia ſalus ex Iudæis eſt.* Hic iam rationē, quare Iudæorū religio fuerit religioni Samaritanorum longe anteponenda, declarat: quo in loco cernimus, omnibus nationibus, quę religiones ſuas colunt, eſſe propoſitam vnā vim, atque rationē, ſempiternam, vnam mentē per omnia commeantem, omnibuſq rebus conſulentem, vnum ſummum Deum, reliquis omnibus, quos illi Deos habebant, imperantem, venerari. Siue enim Romani Iouem, ſiue Græci Δί'α, ſiue Argyptij Hāmonem, ſiue Babylonij Belū, ſiue, ne plura perſequar, quibuſcumque nominibus reliquæ nationes Deum appellarent, vnum ſummum Deum, cui reliqua nomina ſubijciebant, præcipue colendum iudicaſſe. Quid ergo erat, quo vera religio a fallaci, & inani, religione diſtingui poſſet? Dei notitia, & ignoratione, Iudæi ſoli Deum, quem colebant, non ignorabāt. Gentes reliquæ ipſum Deum, quem ſumma veneratione digniſsimū eſſe ſtatuebāt, minime norant. Si enim Deum nouiſſent, numquam ad illius opem, quaſi potentiæ illius diffiderent, Deos innumerabiles adſciniſſent; numquam ſanctiſsimum numen diſtribuendum, atque dilacerandum, ſuſcepiſſent, vt certas prouincias certis dijs ad miniſtrandas aſsignaſſent; numquam humanam faciem, & humanas perturbationes, atque flagitia, naturæ Diuinæ nimis ſurenter affinxiſſent, numquam hominrs impuros, beſtias immanes, & dedecoris ſummi turpitudinem, in Diuina ſede collocaſſent; numquam denique inceſta libidine, humani ſanguinis effuſione, atq. parricidio, cæleſte numen placandum eſſe decreuiſſent. Colebant illi quidem Deum, ſed Drum, quem colebāt, prorſus ignorabant. Non enim ſciebant, potentiam illius nullis finibus coerceri, numē illius nullis viribus impediri, naturā illius minime in partes diſſecari: neque poſtremo ſciebant, ſanctitatē ſummā flagitijs non poſſe deleniri, neque immēſæ probitati crudelitatē poſſe placere. Sapientiſsime igitur, vt oīa, Paulus, ad Atheniēſes, inquit: Quod ignorātes colitis, hoc annūtio vobis. Ad eundē modū, licet longius a ſummis erroribus abeſsēt, Samaritani Deū, quem colebāt ignorabāt. Nā ſalus ex Iudęis eſt. Erāt enim maiorū exēplis admoniti, ſanctiſsimę legis inſtitutis eruditi, Diuinorū hominū oraculis inſtructi, ad ſpem ſalutis excitati, ad ſtudiū ſummi Regis, qui ſalutē erat oībus allaturus, inſtituti. Cum igitur oēs nationes ſimulacris immolarent, & patrijs legibus facinora capitalia in procuranda religione facere cogerentur, ſola Hebræorum natio ſoli Deo, ritu Diuina lege conſtituto, ſacrificabat, & pure, atque ſancte, ſacra cōficiebat. Apud illam erant myſteria noſtrę ſalutis collocata; illius cuſtodiæ erant monumēta clementiæ Diuinæ commiſſa: ea fœdus, a Deo cum patribus ſanctis ſanctiſsima cærimonia percuſſum, conſeruabat; ea denique legis ſanctiones, hominum Diuinorum monumenta, & ſacrata volumina, continebat, quibus erat per Chriſti beneficium ſalus cunctis gentibus afferenda; atque, vt nihil aliud dicam, Chriſtus ipſe, ex illius gentis ſtirpe, ad totins generis humani ſalutem, exortus eſt. Ideo Ieſus appellatus eſt. Ieſus autem, vox Hebræa, Salutem ſignificat. Salus igitur ex Iudęis eſt. Ab illis enim ad omnes hominum nationes Ieſu benignitas emanauit. Hic videmus, quo modo Iudęorum religio fuerit non ſolum omnibus hominum religionibus anteferenda, verum & ipſa ſalutem gētibus cunctis attulerit. Quo modo autem, ipſius religionis perfectione, omne diſcrimē religionis fuerit omnino ſublatum, & veriſsimæ ſalutis via omnibus, & Iudæis, & alienis a Iudæa gentibus, ex æquo demonſtrata, docet ipſe Dominus. Sequitur enim:

*Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.* Perfecta religio, non anguſtijs vnius certi loci continetur. Sic enim inquit ille: Cælum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorum. Quæ eſt iſta domus, quam ædificabitis mihi? Cum ſit igitur ille, vt apud Iſaiam teſtificatur, rerum omnium Dominus, cum cælum, & terrā, impleat, cum nullns locus in omni natura ſit ab illius maieſtate, & imperio, ſecluſus, abſurdum nimis erat, opinari, omnem religionis veriſsimæ rationem vnius templi valuis includi. Iudæos igitur, qui totam ſanctitatis vim Hieroſolymitani templi circuitu coerceri volebant, exprllit Deus. Sic enim eſt apud Malachiam: Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia, & incendat altaria mea gratuito? Non eſt mihi volūtas in vobis, dixit Dominus exercituum, & munus non accipiam de manu veſtra. Ab Ortu enim Solis vſque ad Occaſum, magnum eſt nomen meū in gētibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meū in gentibus, dicit Dominus exercituum. Hoc Diuino teſtimonio comprimitur aliqnorum Iudæorum temeritas, & inuidla. Temeritatē nomino, quia totam Dei immenſi maieſtatē ambitu vnius ædis includere nitebātur. Inuidiā vero, quia a ſanctiſsimæ religionis fructu vniuerſū genus humanū excludere volebant. Quemadmodū aūt nec in mōte Samariæ erat certus locus religioni deſtinatus, nec Hieroſolymis templum, in quo ſolo Deus eſſet auguſte colēdus; ita & illa ſacrificia erant nō a Iudæis

tantum,ſed ab omnibus,faciēda, quæ neminē aditu ſanctitatis arcerent. Erat enim religio, non corpore tantū,ſed mente, procuranda:erat Diuina Maieſtas,nō imagine pietatis, ſed veriſsima pietate,placanda. Erat enim, pro ſanguine pecudū, nequitiæ interitus inducendus,pro odorum ſuffimentis,ſanctorum hominū preces adhibendę; pro circumciſione carnis, incēſa fides excitanda;pro legis piaculis, per ſe nullā vtilitatē animis afferentibus, ſacrificiū acceptiſsimum, quo erant omnes maculę animis inuſtę,prorſus oblitterādæ;atque, poſtremo, pro adumbrata iuſtitia,in varijs luſtrationibus,& hoſtijs brutorū animantiū, cōſtituta vera , & expreſſa,iuſtitia,Diuini Spiritus beneficio conceſſa , ipſiuſq. Diuinæ mētis ſpecie,& pulchritudine, confirmata. Ea vero poſita eſt in vitæ veteris deteſtatione, in ſanctiſsimæ nouitatis integritate, in hominū caritate,in virtutis veriſsimæ cultu, in Diuinæ probitatis amore, in ardore mentis ad ſempiternā gloriā,atque,vt vno verbo dicā,in perfecta totius animi cū Deo coniunctione. Dei.n. natura,nō corpore,ſed mente,conſiſtit.Eſt igitur non tam corpore, quā puriſsima mēte,colendus.Itaque non erat brutorum animantiū ſtrage,ſed innocētia,& ſanctitate,litandū;& ira illius non tam donorū amplitudine, & tēplorum magnificentia , quā ſanctis precibus, auertenda.Multa,& varia,ſacrificia ſunt,quæ poſſunt non in vno tantū loco,ſed vbique,a cūctis nationibus,immolari.Primū eſt, ſpiritus, propter ſceleris recordationē , mærore deiectus,& a turpitudinis impuritate, ad puritatis ſtudiū traductus. Alterum eſt, beneficiorū Diuinorū memoria,& ſtudiū vitæ , in Diuina benignitate celebranda conſumptū.Sic enim inquit ille: Sacrificium laudis honorabit me. Tertiū ſacrificium eſt,fides, in illius clemētia tota mente repoſita.Inuoca me,inquit ille,in die tribulationis,& honorificabis me. Sacrificiū prǫterea illi gratiſsimū,eſt Iuſtitia.Sacrificate,inquit ille vir excellens, ſacrificiū iuſtitię. Ingens etiā ſacrificiū eſt, & omni laude digniſsimū,miſericordia,egentibus,& afflictis, attributa.Hæc eſt(inquit apud Iſaiam Dominus)refectio mea:reficite pauperē. Opes aūt, quibus hæc ſacrificia offerri poſſunt, nō ab armentis,vt olim,nec a ſæptis ouium,ſed a Spiritus ſancti magnificentia, depromuntur.Vt autē hę opes impetrari facillime poſsint, ſunt orationis ſacrificia frequenter immolāda.Benigne fac,Domine,in bonitate tua Sion,vt ædificentur muri Hieruſalem.Salutē Hieroſolymæ cęleſti precatur,quæ eſt Eccleſia,ex oībus terrarū nationibus, vnico fidei,atq. ſanctitatis,fœdere,cōgregata.Addit deinde: Tunc acceptabis ſacrificiu, & holocauſta. Tu , inquit, qui legis victimas aſpernaris , qui ſacrificia antiqua repudias,illis ſacrificijs,quæ tunc immolanda ſunt, facile ad miſericordiā inflecteris.Quę ſint aūt illa ſacrificia,declarat,dū adiungit,Tūc imponēt ſuper altare tuū vitulos. Vituli aūt,ſunt pię precēs,& vota animo acriter incenſo nūcupata. Quemadmodū in Oſea plane videtur:Omnem(inquiunt, qui ad Dñm conuerſi ſunt)auſer iniquitatem, & accipe bonum,& offeremus vitulos labiorum noſtrorū. Ex hoc loco clare perſpicitur,vitulorum hoſtias Deo gratiſsimas,eſſe orationes bonorū, cum ardenti ſtudio pietatis immolatas. Hoc eſt igitur,adorare Deū in ſpiritu, & veritate. Adorare Deum,eſt, puriſsima mente verā iuſtitiam,& pietatem,colere,precibus in cælum euehi, & cæleſte numen laudibus ſempiternis afficere. Mulier interim, dum hæc audit, animo commouetur,paullatim incenditur,& incitatur , & ad fidem Diuinis monitis habendam confeſtim inducitur. Tum ait:

*Scio quia Meſsias venit,qui dicitur Chriſtus.cum ergo venerit,ille nobis annūtiabit omnia.* Videte ſanctæ cupiditatis ardorē, quo Chriſti deſiderio flagrabat. Cernite animi alacritatem , qua ſe promptam,atque paratā,oſtendit , ad Chriſti diſciplinam audiendam, & imperium accipiendum. Animaduertite ſimul huius alacritatis fructum ſine vlla dilatione tributum; vt intelligatis , Dei benignitatē ſpes eorum minime remorari , qui ſpem in illo tota mente reponunt. Sic enim eſt ad ſalutem nobis afferendā propenſus,vt nihil ardētius expetat,nihil diligentius curet,nullis ſacrificijs vehementius oblectetur. Quantam igitur operam ponat in animis noſtris fide prępparādis,& quaſi aratro proſcindendis,& ſubigendis,vt ſemen diſciplinæ cęleſtis accipiant , eſt admiratione digniſſimum. Itaque, cum primum cernit faciendæ ſementis opportunitatem, non procraſtinat. Se igitur mulieri continuo demonſtrat.

*Dicit ei Ieſus, Ego ſum qui loquor tecum.* O benignitatis immenſę facilitatem,quā ſubito ſuas opes explicat?quā liberaliter lumen ſuū porrigit? quanta largitate diuitias cū animis gratis,qui beneficia non aſpernantur, & fidē ſeruare volunt,cōmunicat.O mulier,inquit,ſi aquam ſalutarē,atque perennē,expetis,ſi lucē ſempiternā intueri deſideras,ſi vitæ ſempiternæ cupiditate flagras , ſi veritatem clare cernere vehementiſsime cupis ; ſi denique oībus ſommis bonis frui , æuo ſempiterno,concupiſcis;intellige,oīa ſumma bona,Chriſti religione ſanctitate,beneficentia,numine,cōtineri . At ego Chriſtus ipſe ſum , qui tecum loquor .

*Et continuo venerunt diſcipuli eius : & mirabantur , quia cum muliere loquebatur.* Non quidem, quod mulier eſſet,ſed,quod Samaritana eſſet. Non intelligebant enim,legem, quam illis dederat , ne in Samaritanorum vrbes ſe ad docendum conferrent , eo tantum pertinuiſſe , vt Iudæorum offenſio vitaretur ; tantiſper , dum cerneretur , Iudæis primum fuiſſe tradendam Euangelij diſciplinam,antequā gentes alienę fuiſſent ad eandem ſocietatem euocatæ.Prætereа,iter in illam ciuitatem non apparebat

parebat

parcebat conſilio initum, ſed neceſsitate ſuſceptum; quia alia via in Galilæam fieri commode non poterat, & materia benigne faciendi, quæ ſe offerebat, non erat a ſumma bonitate prætermittenda. Quamuis enim caſus ille nõ fuerit, ſed conſilium, erat tamen opus, vt caſus eſſe videretur, ne Iudæis anſa calũniæ præberetur. Erat enim eorũ imbecillitas in principio toleranda, ne quidquam interueniret, quod eos a ſtudio pietatis alienaret. Poſtremo, ſummus princeps, qui legem ſanxerat, erat ipſius legis interpres, ipſiuſq. mentem, non verba, ſequebatur, maxime vero, cum eſſet omni lege ſolutus. Hæc enim diſcipuli non intelligebant, & ideo mirabantur.

*Nemo tamen dixit, Quid quæris, aut quid loqueris cum ea?* Nihil magis diſtare videtur a ſumma manſuetudine, & humilitate, quam ſummę maieſtatis amplitudo. Attamen ſic Dominus humilitatem cum maieſtate cõiunxerat, vt, cum ſuorum commodis inſeruiret, & inter diſcipulos, vt miniſter, verſaretur, illi tamen vix auderent rationem eorum, quæ ab illo gerebantur, exquirere. Satis enim illi erat, exploratum habere, nihil ab illo fieri poſſe ſine ſummo conſilio, & ratione.

*Reliquit ergo hydriam ſuã mulier, & abijt in ciuitatẽ, & dicit illis hominibus, Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci. numquid ipſe eſt Chriſtus?* O admirandam mulieris beatiſsimæ celeritatem. O maximæ fidei, & ardentiſsimæ pietatis, argumentum. Aquationis oblita, hydriam reliquit; in vrbem aduolat, vt non ſolum viro ſuo, ſed cunctis ciuibus, illam tantam voluptatem nuntiet. Animus enim, vigenti gaudio cumulatus, mentis compos eſſe nequiuit. Exſultat igitur, &, tamquã demens, excurrit, & voces, iudices lætitiæ ingentis, emittit. Nam, ſi is, qui ſumma inopia premitur, cum, pręter ſpem, magnas ſibi opes oblatas eſſe conſpicit, præ lætitia geſtit, magnamq. hilaritatis intimæ ſignificationẽ dare compellitur; ita, vt mentis expers eſſe videatur; quid illa mulier faceret, quæ non futiles, & inanes, diuitias, ſed Diuinas, atque ſempiternas, ſibi diuinitus explicatas eſſe vidit? Lætabor, inquit ille vir diuinus, ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa. Ergo, ſi diuinæ legis inſtituta tantam lætitiam afferebant viro ſanctiſsimo in Diuinis diſciplinis educato, quantam lætitiam perciperet mulier illa ex repentino ipſius Domini, qui legem dederat, adſpectu? nam bona, quæ improuiſo egentibus offeruntur, multo magis afficiunt animos, quam illa, quæ fuerant ſpe, atque meditatione, percepta. Præterea, cum antegreſſa cupiditas ſit voluptatis efficiens; cum videlicet id, quod cupiebamus, aſſequimur; conſequens eſt, vt, quo acrior cupiditas antecedit, eo maior voluptas, ex rei vehementius expetitæ fructu, conſequatur. Quam vero cuperet mulier Chriſtum videre, oratio illa declarat. Scimus, inquit, quod Meſsias veniet: cum autem venerit ille, omnem errorum caliginem diſpellet, & veritatem enuntiabit. Intelligebat enim, ſalutem generis humani, veritate contineri. Eam igitur vehementer appetebat; &, quo longius familiaris ille cum Chriſto ſermo prouehebatur, eo cupiditas magis augebatur. Fuit igitur neceſſe, cum cupiditatem amplificatam bonum vehementer expetitum repente conſequeretur, vt tanta exſiſteret voluptas, quanta verbis explicari non poſsit. Quid igitur primum in hac muliere laudem ignoro? Fidem? an lætitiam ex fide profectam? an caritatem? an alacritatem? Fides tanta fuit, vt, ſine vllis ſignis, Dei tantum verbo inducta, crediderit. Lætitia longe maior exſtitit, quã ſi ſubito omnibus opibus humanis affluxiſſet. Caritas ea fuit, vt non ſibi tantum, neque viro tantum, ſed omnibus ciuibus ſuis, opes illas ſummas communicare voluerit. Alacritas, ad caritatis egregiæ munus obeũdum tam inſignis exſtitit, vt nihil illius curſum retardaret. At videte, quibus verbis Chriſtum annuntiauit. Venite, inquit, & videte. Non, inquit, verbis meis fidem habeatis. Ipſi oculis, atque mente, percipite. Dixit mihi, Omnia quæcumque feci: quod ſine Diuini Spiritus inſtinctu fieri nullo modo poterat. Numquid ipſe eſt Chriſtus? Si veritatis magiſtrũ, ſi vindicem libertatis, ſi bonorũ omnium largitorem, ſi cunctorum malorum depulſorem videre cupitis, approperate. Quod enim vidi, quod ſenſi, quo modo animus meus illius dictis exarſerit, quam lucem adſpexerim, nõ dicam; partim, quia rerũ magnitudinem conſequi oratione nõ poſſum; partim, quia vereor, ne verbis meis amplitudinem tantæ dignitatis imminuam; & ſimul timeo, ne parum mihi fidem habeatis. Cupio igitur, vt ipſi eundem ſenſum percipiatis, vt mecũ frui tanta iucunditate poſsitis. Ex hac illius oratione, ſtatuere poſſumus, hãc mulierem primũ Chriſti nũtium gentibus a Iudæorum ſtirpe alienis attuliſſe. Euangelij enim fundamenta iecit in Samaria, vt poſtea tanta facilitate reciperet ea gens verbum Dei; & Spiritus ſancti lumine, opera Petri, atque Ioannis, illuſtraretur. Sed, cuius gratia, tam multi, in huius mulieris laudatione, fuimus? nempe, vt videretis admiranda opera Dei. Mulier, a veræ religionis ſtudio abhorrens, flagitiis infamis, atque dedecore maculata, tam ſubito ad religionem ſanctiſsimã conuerſa, & tanto ardore pietatis inflammata fuit, vt non ſolum ipſa ſummæ virtutis ſignũ daret, verũ & cunctis ciuibus ſuis viam ſalutis oſtenderet. Num parum docet, quãta ſit benignitas Dei, & quanta facilitate, vno tẽporis momẽto, ex impuris, & flagitioſis, ſanctos, & caſtos, efficiat? Oẽs igitur hortor, & moneo, quos ſcelerũ cõſcientia nimis oppreſſos detinet, ne deijciãt animos, ne deſperatione fran-

gantur, ne ſibi aditum ad ſalutẽ interclusſum eſſe penitus arbitrentur; in hanc mulierem reſpiciant, eius fidem imiteutur, illius alacritatem ſequantur; ab immenſitate Diuinę clementiæ oculos numquam deiiciant; & ſic, tandem, a vitijs innumerabilibus expediti, in Dei filiis numerabuntur.

*Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum.* Oratio mulieris inflammata, tantas vires habuit, vt ſpem ciuium excitaret, & omnes certatim conuenirent, vt, quod auribus vſurpauerant, oculorum ſenſu perciperent.

*Interea rogabant eum diſcipuli, dicentes, Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis, Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. Dicebant ergo diſcipuli ad inuicem, Numquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Ieſus, Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me, & perficiam opus eius.* Mulieris mentem acerrime commotam, & incitatam, vidimus; fidem ex nimia illa feſtinatione percepimus. vt hauriret aquam, venerat; &, quaſi non eſſet illi deinceps ſiti laborandum, ſine aqua in vrbem properat; &, quod eſt magis admirandum, caritatis ſtudio incenſa, caritatis officium deſerit. Petierat ab illa Dominus aquam; illa vero, immemor poſtulati, & ſui propemodum ipſius oblita, antequam Domino, a quo tam multa repente beneficia ceperat, potum daret, hydria relicta, celeritate mirabili, in vrbem contendit. Nec interim a Domino reuocatur. Nec enim dicit, Paulliſper reſiſte, dum bibam, & poſtea, quantum potes, accelera. Quamuis enim ex itinere defeſſus, & ſiti valde afflictus eſſet, alia tamen ſitis eum longe acrius afflictabat; ad quam reſtinguendam magnas vtilitates mulieris illius alacritas afferebat. Quæ erat ſitis, qua mirifice flagrabat? Hominum ſalus, & lucis ſuæ communicatio; quã, diſcuſsis tenebris, erat mentibus allaturus. Tanto autem deſiderio tenebatur conferendi hominibus, etiam alienis, immortalis beneficii, ut corporis ſui curam abiiceret; vt ſitim, atque famem, facillime perferret; vt labores, atque dolores, valde libenter exciperet. Humana namque miſeria illum tam inſigni dolore cruciabat, vt dolores, quos, leuandæ noſtræ miſeriæ cauſſa, patiebatur, eſſent illi iucundiſsimi. Minor enim moleſtia, cum ſanitatis cauſſa ſuſcipitur, eſt inſigne moleſtiæ grauioris alleuamentum. Conſiderate, fratres, quanta ſit in Domino ſalutis noſtræ cupiditas. Nec enim ſolũ ægerrime patitur animorum noſtrorum inualetudinem; ſed neque medicinæ dilationem æquo animo ſuſtinere poteſt. Itaque nihil aliud curat, nihil molitur, nihil efficit, neque eſt, de re alia magis, quam de ſalute noſtra, ſollicitus. Ea de cauſſa, neque cum muliere vehementer egit, vt ſibi potum daret, & oblatos a diſcipulis ſuis cibos repudiat; in quo nos docuit, nihil eſſe fratrum ſaluti anteuertendum. Admonent illi, vt corpus, nimio labore defeſſum, cibis, quos emerant, reficeret. Ille reſpondet, alia ſe fame longe acrius premi, cui erat in primis occurrendũ. Ait igitur, Alia me maior fames vrget, in qua explenda eſt mihi maiore cura laborandum: Cibus autem, quo fames hæc depellenda eſt, veſtros iſtos cibos, quos apponitis, tanta vtilitate, & iucuuditate, ſuperat, vt iſti, ad quos me inuitatis, ſint, ſi ad hunc conſerantur, facile contemnendi. Putant diſcipuli, aliquas nimis exquiſitas dapes illi fuiſſe oblatas, tanta ſuauitate refertas, vt illæ, quas afferebant, reijciendæ viderentur.

*Dicit eis Ieſus, Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Chriſti cibus erat obedientia: qua omnes actiones ſuas ad voluntatem Patris adminiſtrabat, & ad gloriam illius omnia ſtudia ſua conferebat. Gloria autem ſumma Patris, in opere omnium maximo conſiſtebat. Maximum autem illius opus, non eſt mundi totius molitio, non cæleſtis naturæ conuerſio, non tanti operis concinnitas, & pulchritudo, non legis ſanctiſsimę promulgatio. Cur ita tandem? Quia in his operibus non ſumma illius benignitas clare cernebatur. Quo modo? Quia finis, quem ſibi ſummus conditor propoſitum ſemper habuit, in illis non apparebat. In his enim operibus media, quibus ad perfectionem tendi potuiſſet, non perfectio molitionis elucebat. Quę nam eſt autem totius operis perfectio, & abſolutio? Diuinæ claritatis imago; virtutis ampliſsimę decus; & mentis præcellentiſsimę ſimilitudo. Qua potiſsimum ratione id probari poteſt? Ea certe, quæ maxime firma eſt, neque poteſt contraria ratione conuelli. Summa bonitas, numquam inuidiæ fuit affinis. Omnibus igitur naturis, quantum vniuſcuiuſque ratio patitur, bona ſua large communicat: &, quo natura præſtantior eſt, eo magnificentius in illam bona ſua congerit, vt in rebus omnibus ſimilitudo quædam, aut impreſſum ſaltem veſtigium, Diuinæ bonitatis appareat. Cum autem nihil ſit intra cæli complexum humana mente prę clarius, omnia Dei opera in eum finem conferuntur, vt in mentibus humanis ſpeciem ſui numinis, atque benignitatis, inſculpat. Huius autem formę Diuinę perfectio, vera iuſtitia, & bonitate, continetur. Hæc igitur Dei præcellens imago, eſt opus Dei, omnium præclariſſimum. Hęc nec in ſideribus, nec in Sole, nec in vlla natura earum, quæ cęli ambitu coercentur, elucet. In ſolo igitur homine, cũ ſit ad imaginẽ Dei factus, iuſtitię decus, & ornamẽtum, cerni poteſt. Hoc neque naturę perueſtigatio cõtulit, neque inſtitutio legis effecit, licet quãtũ eſſet in illo veriſsimę dignitatis, admonuerit. Solus Dei filius, rerum omnium opifex, abſoluit. Qui, licet, antequam in terras adueniret, hanc multis viris ſanctis gratiam impertiret, vt eos ſecum virtutis ſimilitudine, & amoris pactione, coniungeret, non

ita

Digitized by Google

ita tamen late in omnes partes bonitatis ſuæ lumen porrigebat, vt innumerabilem multitudinem Diuinitatis ſuæ muneribus illuſtraret;&, qnia cuilibet naturæ inſitum penitns eſt ea, quæ maxime illi videntur, accommodata, conſectari (vt enim; inquit ſummus ille poeta, Trahit ſua quemque voluptas) & nihil ſit magis inſitum in benignitatis Diuinæ natura, quam benigne facere; ſequitur, vt opns noſtræ iuſtitiæ non ſit modo opus omnium operum Diuinorum maximum, ſed etiam ipſi Deo iucundiſsimum. Quare minime mirandum eſt, Chriſtum, præ cibi huius ſuauitate, qua animus illius alebatur, & exſultabat, cibos omnes, qui ad corporis vim reficiendam pertinebant, contempſiſſe. Illud eſt magis admirandum, quo modo tam patienter, atque tam diu, immanitatem noſtram toleret. Nam, ſi tantam voluptatem capiebat ex vitæ noſtræ conuerſione, qua homines a ſe longe diuerſos ſibi coniungit, & bonis ſempiternis egregie cumnlat, quanto animi angore, & cruciatu, animum illius afflictatnm fuiſſe creditis, quoties cerneret homines adeo in ſcelere pertinaces, vt ſponte ſua in peſtem ruerent, &, amentia præcipites, liberatorem ſuum odio acerbiſsimo perſequerentur. Sed, quid præterita tantum lamentamur? Hodie, inquam, hodie, Chriſto, ſi ita loqui licet, intolerabilem moleſtiam exhibemus, quoties aures monitis illius occludimus, & munera illius aſpernamur, noſtramque ſalutem prodimus, & cum illius bonitate continenter bellum gerimus. Itaque, eadem opera, & nobis exitium ſempiternum comparamus, & Chriſto crucem defigimus. Sed, vt in propoſitum reuertamur, ſtatuendum eſt, cum tam multa ſint opera Dei, ſingulari tamen ratione, hoc opus, quod in hominum conuerſione poſitum eſt, qua, a rebus terrenis abſtracti, ad conſpectum cæli conuerſi, ad ſtudium iuſtitiæ traducuntur, Dei opus nominatur, quia eſt clariſsimum, & iucundiſsimum, & omnium maxime admirandum, &, quod in maximam Dei gloriam redundat.

Hoc opus ipſe Dei filius, antequam ſub humana forma, & ſpecie, in terris oriretur, ſæpe faciebat. Omnes enim ſancti homines, nomine illius afflati, eum ſtatũ aſſecuti ſunt, vt, iuſtitiæ donis, atque muneribus, exculti, tamquam dij quidam, inter reliquos homines verſarentur. Sed multo clarius idem opus effecit, atque perpoliuit, poſtquam humanam naturam mirabiliter aſſumpſit, & ſe ad docendos homines præſentem dedit. Sed, cur nõ id opus ab exordio generis humani, eadem ratione, exſequi voluit? Eadem, inquis, ratione? Hoc tantundem eſt, atque ſi diceres, Cur non, cum primum, hominibus multiplicatis, vrbes ædificari, & frequentari, cœperunt, Dei filius humanam formam non induit, vt ſe pro omnibus ad ſacrificium offerret? Primum, quia tantum, & tam excellens, opus, quod, vt dictum eſt, omnia Diuina opera interuallo lõgiſsimo ſuperabat, excellẽtem, & maximam, fidem requirebat. Cum enim ſine fide beneficiorum Diuinorum participes eſſe nequeamns, ratio poſtulat, vt ſnmmum, atque commune, beneficium, ſumma, & communis, fides antecedat. Hęc autem fides in humanæ mentis anguſtijs inſidere non poteſt, eo quod omnis hominum fides in ſenſibus collocata ſit, ita, vt nihil homines credere velint, quod ſub ſenſus minime cadat. Erant igitur huius fidei fundamenta, non ab hominibus, ſed a Deo, lõgiſsimo tempore, iacienda. Deus enim vim non intentat, ſed rationem ad credendum ſenſim, atque leniter, inducit. Iniecta namque vis excludit interitum. Libera autem mens, gratia Diuini Spiritus illuſtrata, iuſtitiæ præmiũ ſempiternum conſequitur. Vt igitur humana mens ſponte ſua ad credendum induci poſſet, neceſſe fuit, vt, multis ante ſæculis admonita, minime clementiæ Diuinæ repugnaret.

Deus igitur ab initio, promiſsis ampliſsimis, myſterijs ſanctiſsimis, effatis clariſsimis, ſic opus ſuum, antequam fieret, expreſsit, & fœdere ſacroſancto confirmauit, vt nemo, qui non omnino mentis expers eſſet, dubitare de illo poſſet. Noua, inquit apud Iſaiam, ego annuntio: antequam oriantur, nota vobis feci. Similiter apud Ioannem idem Dominus ait, Hæc dixi vobis, antequam fiant, vt, cum facta fuerint, credatis. Itaque fuit clementiæ Diuinæ conſonum, vt, antequam Sol iuſtitiæ in terris oriretur, prius, & origo generis, & natale ſolum, & temporis definiti terminus, & vitæ mores, & inſtituta, & mortis ſanctiſsimę ſacramentũ, & reſurrectionis decus ſempiternũ, & orbis terrarum conuerſio, & reliqua denique omnia, quæ hoc ampliſsimũ Diuinę miſericordiæ documentũ conſecuta ſunt, eſſent Prophetarũ monumentis exactiſsime pronuntiata; vt cerneretur ab omnibus, qui minime lucem fugerent, quo modo rerum exitus cum earum omnium prædictione conuenirent. Deinde commodum fuit, vt humanum genus, experiendo, perciperet, quã imbecilla eſſet humana natura, ſi Dei ſingulare pręſidiũ, atque gratiam, remoueris. Quid enim ratione, artibus ſummis Inſtructa, ſollertius? Quid Dei lege, tã admirandis ſignis, ſancita, mirabilius? At neque philoſophia Græcos, neque lex Hebræos, potuit a ſempiterna peſte ſeducere. Cum igitur opus fuerit, vt omne os obſtrueretur, & ſubditus fieret omnis mundus Deo, non mediocri temporis interuallo; commodum non erat, vt Dei filius non citius naturam humanam aſſumeret; ſed eo tempore, quo poſſet ab omnibus intelligi, nullum remedium ſalutis in terris inueniri. Duplicem autem fructum hæc dilatio temporis afferebat. Nam & humilitas ad ſalutem neceſſaria parari, & firma ſpes ſalutis excitari, poterat. Humanam

namque imbecillitatis cognitio, homines de ſe humiliter ſentire compellit; & remedium, a Deo in rebus deſperatis oblatum, non dubiam ſpem vitæ immortalis oſtendit. Præterea, ſic eſt hominum natura a contento virtutis ſtudio ad vitæ molliriem propenſa, vt, quo magis a primo illo pietatis ardore, & a principio diſciplinæ ſalutaris, & recordatione beneficiorum, quæ accepit, tempore diſtat, eo magis labatur, & in ruinæ periculum miſerius incidat. Si igitur Dei filius a principio ſub humana forma, atque natura, per ſe terras inuiſiſſet, tauta iam illius obliuio in hominum mentes irrepſiſſet, vt in pleriſque fidem infringeret. Quemadmodum de temporibus vltimis, quæ ſecundum illius aduentum præceſſerint, ille dicit: Putas, inquit, cum venerit filius hominis, inueniet fidem in terris? Poſtremo, tunc aduenit, cum opportunitas ſumma, Dei ſempiterno conſilio deſioita, maior oblata fuit. Opportunitas autem, tribus in rebus conſiſtebat. Vna, fuit in ſumma miſeria conſtitota. Numquam enim exſtiterat tætrior omnium flagitiorum, & ſcelerum, colluuies; numquam maior ſalutis deſperatio. Conſentaneum autem Diuinæ ſapientiæ fuit, maximum remedium maximis morbis reſeruari. Alteram, in ſcelere, & audacia ſumma, poſitam fuiſſe conſtat. Nam, ſi Iudæorum Principes animo tecum repures, intelliges, illos, inuidia furentes, odio flagrantes, in ſimulatione pietatis ſacrilegos, exſtitiſſe: qui morbi ita plerumque ſunt inſanabiles, vt curatione fiant in dies grauiores. Si ad eos Romanorum milites, qui tunc in Iudææ præſidio erant, animum referas, nihil illis intelliges fieri potuiſſe, vel audacius, vel magis ab omni ſpecie religionis alienum. Vtrumque autem neceſſarium fuit, ad noſtræ ſalutis rationem. Nempe, Iudæorum Principum conſilium ſceleſtiſſimum, quo necem Chriſto machinarentur; & audacia Romanorum militum, qua ſcelus illud exſequerentur, & crudelitate ſumma Iudæorum impiorum oculos exſaturarēt. Sic enim ſolet ſumma bonitas ex noſtris malis bonum educere, vt omnia tandem ad ſuorum ſalutem, & gloriam, referantur. Hæc igitur opportunitas, quæ paranda, & exſpectanda fuerat, iam Diuinitus inſtabat, cum Chriſtus cibos a diſcipulis oblatos reijciebat, vt alijs multo ſuauioribus expleretur. Ait igitur:

*Non ne vos dicitis, quod adhuc quattuor menſes ſunt, & meſsis venit?* Non, cum primum ſemen terræ mandatur, fruges proueniunt: ſed primum, viriditas herbeſcens exoritur; deinde, in iuſtam altitudinem culmis geniculatis erigitur: deinde, ſpicas ariſtis vndique vallatas effundit: tum, frumentum, vaginis incluſum, modico Solis calore tepefactum, paullatim matureſcit: poſtremo, albeſcentibus agris, agricolarum ſpes ad fruges cito demetendas, & fructus percipiendos, excitatur. Ad hunc modum Euangelij frumentum exaratum fuit. Nam, a principio generis humani, tellus mollita, & oblimata, ſedulo fuit, cum mentes humanæ, operibus Diuinis eruditæ, & iudicijs Diuinis exterritæ, numen ſempiternum eſſe cognouerunt, quod res humanas curaret, & pœnas ſontibus irrogaret, & bonos præmijs ſempiternis afficeret: deinde, ſummus ille pater familias, & colonus ſapientiſſimus, egregiam ſementem fecit, cum legem tulit, vt ex ea videlicet iuſtitiæ ſegetes prouenirent: rum, iudicum, & Regum, cuſtodia, agrum conſitum vndique muniuit; ne, quod ſatum fuerat, immanes beſtiæ deuorarent: poſtremo, ne ſubcreſcentes herbæ fruges teneras obruerent; & ſiluarum aſperitas fundi cultum deuaſtaret, miſsi fuerunt Prophetæ, qui noxias herbas euellerent, & vitiorum fibras exſtirparent. Sic denique factum eſt, vt pietatis culmi, altis radicibus nixi, grandeſcerent, & adminiculis firmarentur, donec metendi maturitas adueniret. Hi quattuor menſes non a ſementis initio, ſed ab anni principio, numerandi ſunt. Menſis primus, apud Hebræos, ſub æquinoctio verno, prima die Lunæ renaſcentis, inchoabat. Si inde quattuor Lunares menſes numerentur, ad quartum circiter menſem peruenies, qui apud nos Iunius eſt, quo tempore meſsis eſt. Commodum autem fuit, duci hunc numerum nō a ſementis, ſed ab anni, principio, quod noſtro menſi Martio propemodū reſpondebat; quia tunc, maxima parte frigoris elapſa tempus iā mitius viget ad incrementum ſegetū, & fruges paullatim maturandas, accōmodatū. Similiter, quo tempus ante Chriſti ortum propius ab illius aduentu diſtabat, eo fides, qua Chriſtus erat excipiendus, maiorē ſpem futuræ maturitatis oſtendebat. Nam nullus iam erat apud Iudæos ſimulacrorum cultus, qui veriſsimæ religionis ſanctitatem impediret; & apud alias gentes iuanitas variarum religionum erat euentu facillime redarguta. Nullam enim opem cultoribus ſuis afferebant. Poſtremo, omnia tunc oracula ad veritatis confirmationem conueniebant; & effata Diuina, clarius intellecta, ſpem ſalutis in dies vehementius excitabant: poſtremo, Ioannis auctoritas ſumma omnem dubitationem libertatis abſque mora conferendæ ſuſtulerat. Opportuniras igitor ſumma prædicandi Euangelij, modis omnibus apparebat. Chriſtus igitur, ſimilitudine a maturis frugibus deſumpta, diſcipulos admonet, ne occaſionem rei bene gerendæ vllo modo prætermittant. Vt enim maturitas frugum eo anni tempore agricolas ad meſſem inuitabat; ita tam multæ opportunitates Dei agricolas ad comparandos, condendosq. Euangelij fructus admonebant. Ait igitur:

*Ecce dico vobis, Leuate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitã æternam: vt, & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit:* Non ſolom exẽplo diſcipulos hortatur, vt nullum emolumentom Euangelij fructibus anteponant; verũ &, propoſita mercede, animos eorum ſtudio communis ſalutis incẽdit. Docet enim, mercedem tam præclari operis eſſe Diuinam, atque ſempiternam. Nec ſolum amplitudine mercedis, ſed etiam facilitate muneris obeundi, eos ad officium alacrius ſuſcipiendum inuitat. Vt enim non eſt comparandus labor eorum, qui fruges metunt, cum eorum labore, qui ſementem fecerant; vt in ſemine enim ſpargendo labor abſque certa ſpe fructus impenditur, & variæ tempeſtates grauem metum ſępenumero oratoribus ipſis inijciunt; at, qui metunt, certas fruges in horreo condunt: ita ſanctorum hominum labor, qui ante Chriſti ortum ſemen Diuini verbi humanis animis mandabant, ita laborem plerumque ſuſcipiebãt, vt nullus fructus, eorum moleſtiam, & ſollicitudinẽ, alleuaret; at Chriſti diſcipuli tantam voluptatem ex amplificati frumenti numero capiebant, vt neque laborem, neque dolorem, ſentirent. Prophetarum quidem laborem ſpes futuræ ſalutis leniebat: Apoſtolos vero, fructus, quem ex opera ſua percipiebant, mirabiliter oblectabat. Quantum igitur percepti, & conditi, fructus lætitia vincit ſpei percipiendi oblectamentũ, tantum neceſſe erat, vt Apoſtolorum gaudiũ, ſolatium illud, quo Prophetæ labores ſuos cõſolabãtur, ſuperaret. Quod ſi vera, & ſtabilis, voluptas labores non modo leues, & tolerabiles, verum & valde iucũdos, efficit; certe, quo maior erit voluptas, eo facilius ſenſum a memoria laboris auocabit. Inſignis igitur vis hac oratione Domini continetur, ad labores omnes animo maximo ſubeundos; qua diſcipulos admonebat, vt labores minime recuſarent, e quibus nempe tam mirabiles fructus erant excepturi.

*In hoc enim* (inquit) *eſt verbum verum: quia alius eſt qui ſeminat, & alius eſt qui metit. Ego miſi vos metere quod vos non laboraſtis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis.* Qui ſeminauerũt, Prophetæ fuere, qui in locis ſilueſtribus diſciplinæ ſalutaris ferro proſcindendis, & arandis, & iterandis, & modis omnibus ſubigendis, innumerabiles labores, cum nõ mediocri cura, & ſollicitudine, ſubierunt. Ad maiorem autem animi angorem accedebat, qđ dira, & exitioſa, populatibus ſuis nuntiare ſæpe numero cogebantur. Cum enim plerumque ſine fructu ciues ſuos admonerent, vt, impuritate vitæ relicta, pietatem, & iuſtitiam, colerent; (illi enim, quo crebrius admonebãtur, eo pertinacius in ſceleribus inſtitutis pſeuerabant) neceſſe erat, vt eis, qui in viã redire nullo pacto volebant, peſtem, & exitium, quod Dei numen erat illaturum, prædicerẽt. At malus nuntius, cum mediocri ſenſu doloris, afferri a bonis plerumque ſolet; &, cum non mediocri offenſionis acerbitate, ab hominibus in ſcelere obſtinatis accipitur. At, poſt illatum ſupplicium, homines reliqui fiunt magis ad diſciplinam dociles, & facilius in iuſtitiæ viam ingrediuntur. Hoc igitur, quod magis moleſtum, & laborioſum, fuit, Prophetæ ſuſcepere. Sic enim tempora flagitabant. At vero Chriſti diſcipuli, non triſtia, ſed læta, nũtiabant; neque tam iratum ſontibus numen, quam propitium, prædicabant; neque tam iudicij pœnam, quam clementiæ veniam, & gloriam, proponebant. Fidelis, vt inquit Paulus, ſermo, & dignus, qui ab omnibus libenter audiretur. Docebat enim, Ieſum, Dei filium, adueniſſe, vt homines, qui erant ſempiternis pœnis obnoxij, ſaluos efficeret, & gaudio ſempiterno cumularet. Licet igitur longe amplior dignitas ſit Apoſtolorum, quam dignitas Prophetarum exſtiterat; conſtat tamen, Prophetas prouinciam magis moleſtam obijſſe. Erat enim illis nimis acerbum, & luctuoſum, maximum laborem cum exiguo fructu ſuſcipere: atque, vt nihil aliud dicam, illi cum lacrymis ſeminabant, quod Apoſtoli cum exſultatione in horreum Chriſto condidere.

*Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis, Quia dixit mihi omnia quæcumque feci.* Iam Chriſti Diuina virtus in mulieris illius imbecillitate mirabiliter eminere incipiebat, quando tam multi teſtimonio illius commoti ſunt, vt, e tenebris, quibus aſſueuerant, emerſi, admodum libenter in lucem, quam oculi languidi fugiunt, reſpicerent. At, quæ mulier tam excellens munus, & tam feliciter, adminiſtrauit? Si condicionem quæris, abiectiſsima; ſi opes, egentiſsima; ſi vitæ dignitatem, flagitiorum turpitudine maculata; & tamen tãtam vim habuit illius oratio, vt ciuium ſuorum multitudinẽ ab erroribus, & flagitijs, quibus erat oppleta, ad ardens ſtudium Chriſti traduceret. O admirandam Diuini ſpiritus virtutem, & immenſæ benignitatis efficientiam, quæ tam ſubito, ex impuris, caſtos; ex flagitioſis, ſanctos, efficit; & ex animis in terra defixis, ſacraria ſibi conſtruit; atque poſtremo, multos mortales, atque ex lutulentis vitijs eductos, Euangelij miniſtros inſtituit, quorum opera, Eccleſiam acceſsionibus miris amplificet.

*Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum vt ibi maneret. Et manſit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt propter ſermonem eius.* Hoc primum, in terris, apud gentes alienas, inſtruxit, per ſe, Sapientia Diuina cõuiuium, quo & ipſa cibis iucundiſsimis vteretur, & homines illos poculis Diuinis expleret, cæleſtiq. vino lætificaret. Itaque mentis ardore flagrantes, & vehementer exhilarati, eam

diſciplinam ex ipſo perenni fonte ſempiternæ fcelicitatis hanriebãt,qua ſe ſapientiæ muneribus egregie cumulari ſentiebant.

*Et mulieri dicebant, Quia iam non propter tuam loquelam credimus. ipſi enim audiuimus, & ſcimus quia hic eſt vere Saluator Mundi*. Fidei qnidem fundamenta,præcedente ſanctorum hominũ præconio,iaciuntur: at illius perfectio, Chriſti ipſius teſtimonio confirmatur.Mulier igitur illa,Prophetarum quodammodo munere functa fuit,cum,Chriſtum, ciuibus ſuis, antequam illum viderent, aduenisſe, nuntiauit. Illi, mulieris nuntiocommoti, continenter accelerant.Maximum vero fructum ex ea celeritate perceperunt,cum.ipſius Domini oratione,fuerunt diſciplina Regni cæleſtis inſtructi.Sapienter igitur dicebant,iam ſe,non mulieris nuntio, ſed ipſius Domini verbis Diuinis,eruditos, exploratum habere, illum eſſe generis humani liberatorem, in quo ſolo tota ſpes ſalutis erat collocanda. Quod illi vero de muliere dicebãt,nobis licet ad Prophetarum teſtimonia trãsferre.Poteſt enim quilibet noſtrum in hanc ſententiam Prophetas affari: Immortali quidem nos, o viri ſanctisſimi, beneficio deuinxiſtis, cum nobis lumen prætuliſtis, quo poſſemus tandem Dei filium in terris intueri. Vos illius ortum; vos locũ, natalicijs illius deſtinatum; vos tempus, illius aduentui præfinitum; vos, illius mores, leges,& inſtituta; vos,illius humilitatem, clementiam,manſuetudinem,exactisſime prædixiſtis; vos,opera admiranda,quæ ad demonſtrationem ſui numinis erat facturus, admodum luculenter explicuiſtis; vos, mortem, & cruciatum,quem pro omnium ſalute libentisſime perpeſſurus erat, minime ſiluiſtis; vos,triumphum, quẽ, profligatis hoſtibus, & morte etiam deuicta, in cælum acturus erat, ſummis laudibus ornandum ſuſcepiſtis; vos, lucem cunctis nationibus, quæ in tenebris, & caligine,verſabantur, afferendam, oratione clarisſima. nuntiaſtis. Itaque ſic animos hominum, ad ſpem ſalutis, & immortalitatis, erexiſtis,vt nemo,qui non prorſus inſaniret, poſſet,cum id', quod a vobis tam multis ante ſæculis, varijs temporibus, prænuntiatũ fuerat,exitu ſelicisſimo comprobatum videret, ambigere,quin & ea,quæ monumẽtis veſtris, ad ſempiternam memoriam, conſecranda ſuſcepiſtis,eſſent in mentibus veſtris a Diuina mente defixa; & ille, ad quem omnes veſtras prædictiones contuliſtis, eſſet ille ſummus princeps,cuius vi,conſilio, numine, ſanctitate,erat genus humanum e durisſima ſeruitute liberandum,& in poſſesſionem hereditatis ſempiternæ mittendum.Immortali igitur,vt paullo ante dixi, beneficio nos obligaſtis, cũ vos nobis duces præbuiſtis,vt ductu, & admonitione veſtra, poſſemus multo commodius ad tantæ ſcelicitatis fructum peruenire. Verum,poſtquam ipſi vidimus,& audiuimus; iã, non propter prædictiones, & monita veſtra, ſed propter experimentum noſtrum, credimus; & confitemur,illum eſſe Dei filium, noſtræ pacis interpretem, noſtræ ſalutis vindicem, qui iam nos per Diuinos homines, neque per cæleſtes nuntios, ſed per ſe ipſum,noſtras mẽtes expianit, & in ſocietatem Regni cæleſtis enocauit,omniaq.munera,quibus noſtra ſalus, & dignitas,erat parãda, innoſtros animos liberalisſime congesſit. Quo modo, inqniet aliquis,ſi illum præſentem non adſpicitis? Immo præſentem cernimus; præſentem audimus; præſentem alloquimur; præſentis familiaritate, & iucunditate, perfruimur.Quid enim? Cum mentes noſtras lumine diſciplinæ cæleſtis illuſtrat, abſens cenſendus eſt? Cum animos noſtros cupiditate Regni cæleſtis incendit,a nobis demigrat? Cum in nobis inuictum robur inſerit, quo omnia pericula contemnamus, parum ne ſuam nobis præſentiam declarat? Cum in præcordijs intimis nobiſcum loquitur,& hortatur, & admonet,& inflammat,obſcure teſtificatur,ſe,ſi noſtris flagitijs illum a nobis non repulerimus,ſemper nobis affuturum? Vnde concluditur, nos ad animorum confirmationem, ſi iam in Chriſti familiaritatem penitus intrauimus,minime veſtris monitis indigere. Veſtra tamen ſcripta retinenda cenſemus, vt & vobis gratiam ſemper habeamus, & alios, qui non ita ſunt in fide progresſi, melius inſtruamus, quo posſimus vniuerſi tanto bono potiri. Hac oratione poſſumus ſanctos Prophetas affari, & illorum Dominum incenſo ſtudio,& gratisſima recordatione bonorum, quæ ab illo accepimus, venerari, vt in dies magis beneficijs illius augeri, & ornari, posſimus.

ORA-

# ORATIO XII.

*POST duos autem dies exijt inde: & abijt in Galilæam. Ipſe enim Ieſus teſtimonium perhibuit quia Propheta in ſua patria honorem non habet.* Mirū eſt, cum Galilæa illius patria nominata fuerit, (Nazaret enim Galilææ ciuitas erat) & ipſe in Galilæam iter haberet, cur eam rationem ſuſcepti itineris aſſignet, quod omnes Prophetæ in ciuitatibus ſuis, a ciuibus ſuis contemnantur, indigniq. debitis honoribus exiſtimentur. Contemptionis huius cauſſam non quæro. Inuidiam namque ſcio inter ciues maxime dominari. Homines enim mediocre virtutis officium in ſuis patiuntur; virtutis excellentiam pati non poſſunt. Principes haberi cupiunt multi: iccirco condicionis æqualitatem moleſte ferunt, quoties eos, quos ſe multo inferiores opinantur, ſecum æquatos animaduertunt. Iam vero, cum aliquem vidēt, modum, quem virtuti præfiniunt, tranſilire, & ſe longo interuallo ſuperatos eſſe conſiderant, intabeſcunt, odium immane in ſuos concipiunt, ciuium autem præſertim gloriam, ſuum dedecus arbitrantur; eaq. de cauſſa exitium illis, qui virtute præcellunt, modis omnibus moliuntur. Hoc igitur, quod paſsim fieri videmus, non admirandum arbitror. Quod autem Dominus ipſe ſponte ſua ingratam patriam, in qua deſpiciendus erat, incenſo ſtudio peteret, vbi ciues ei generis humilitatem obijcerent; vbi ex arte fabrili Ioſeph, quem illius parentem exiſtimabant, probrum petulanter inſerrent; vbi denique inſita perfidia beneficia Diuinitus oblata reſpuerent; hoc admiratione dignum iudico. Sed duplex aſsignari ratio poteſt; vna, communis; altera, occaſioni temporis accommodata. Communis autem amor in patriā, naturali iure debitus. Sit ingrata patria; ſit ciuibus, quorum opera, & ſalus, & dignitas, ciuitati comparatur, infeſta; ingentia merita immani crudelitate compenſet; patria tamen eſt, & communis ciuium mater, vſque eo ſummo ſtudio conſeruanda, dum illa ſalutem ſuam minime prodat, & conſeruatores ſuos a ſe non furenter expellat. Iccirco Dominus ipſe frequenter in Galilæam ſe conferebat, vt ſuis cō ſuleret, & per ſe non ſtetiſſe demonſtraret, quominus omnes ſalutis compotes fierent, & interim eos ad ſuorum numerum aggregaret, quos præſcierat in fide permanſuros. Hæc igitur ratio illum impellebat, vt ſæpe Galilæam inuiſeret. Altera ratio, ex Iudæorum motu, atque diſceptatione, orta fuit. Cū enim viderent, minus multos ad Ioannem ventitare, quam ſolebant; cum admirabilem hominum multitudinem ad Chriſtum conuenire cernerent; tum ex eo Ioannis exiſtimationem imminui, & Chriſti gloriam amplificari, cernerent, quod Ioannis diſcipuli indignisſime patiebantur; vt doceret, gloriā interdum, inuidiæ declinandæ cauſſa, fugiendā, in Galilæam immigrauit, vt in patriam ſuā concederet, in qua non ignorabat ſibi debitos honores minime deferendos. Cum igitur gloriam fugeret, conſonum fuit, vt eo ſe conferret, vbi pro gloria contumelijs afficeretur. Ea igitur de cauſſa ſcriptum eſt a Ioanne, ſe ideo in Galilæam properare, quod Propheta in patria ſua expers honoris eſſet.

*Cum ergo veniſſet in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidiſſent quæ fecerat Hieroſolymis in die feſto: & ipſi enim venerant ad diem feſtum.* De ciuibus Nazareis in hoc loco mentio non fit. Apud alios Euangeliſtas memoratur eorum improbitas erga illū, quem præcipue venerari, & amare, & in quo vitæ præſidium conſtituere, debuiſſent.

*Cum ergo veniſſet in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidiſſent quæ fecerat Hieroſolymis in die feſto: & ipſi enim venerant ad diem feſtum.* Ex hoc loco poteſt animaduerti, cum dies feſtus ſine aliqua ſingulari notatione nominis appellatur, de Paſcha eſſe Feſti diei nomen intelligendum. Conſtat enim, diem hūc feſtum, cuius hic mentio fit, Paſcha fuiſſe, quo die, flagello ex funiculis facto, vendentes, & ementes, eiecit, &, diſiectis menſis, nummulos effudit, oues, & boues, expulit, omnes, qui templum Dei, precibus, & votis, conſecratum, in profanos vſus conuertebant, acriter inſectatus eſt. Multa deinde ſigna numinis inſiti, edidit cū multos, morbis inſanabilibus oppreſſos, in integram ſanitatem verbo tantum reſtituit. Hæc oīa cum multi Galilæi Hieroſolymis adſpexiſſent, illum libenter exceperunt.

*Venit ergo iterum in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum.* Signi memoria vigebat, qua credi poterat, non eſſe in eo loco fidem prorſus exſtinctam.

*Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.* Hoc in loco, Reguli nomine, non aliquod genus Regiæ poteſtatis, ſed Regiæ familiaritatis, deſignatur. Rectius igitur Regij nomen, quam Reguli, quadrabat. Regij autem appellantur, qui Regibus operam nauant, & in illorum domeſticis numerantur.

*Hic cum audiſſet quia Ieſus adueniret a Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum vt deſcenderet, & ſanaret filium eius. incipiebat enim mori.* Hic certe, fide ſe, non tamen perfecta, ductū eſſe, demonſtrabat. Si enim non crediſſet, filium, mortifero morbo oppreſſum, atque deſperatum, Chriſti præſentis ope poſſe ſanari,

nari,

nari, non tantam celeritatem ſuſcepiſſet, vt Chriſtũ conueniret; non tanto ſtudio ab eodem remedium filio flagitaſſet; non tanta denique contentione cum ſummo medico, atque ram inflammatis precions, egiſſet, vt filio ſuo mederetur, illumq. ab Orci pæne faucibus educeret. Qnod autem infirma illius fides exſtiterit, ex eo conſtat, quod in eo maximo opere contenderit, vt illum præſentẽ exhiberet. Non credebat videlicet, illius verbo poſſe abſentium etiam morbos facillime depelli. Fide igitur, licet imbecilla, ſalutem filio imperauit. Fidei vero imbecillitas, admiranda curatione nou lenata modo, ſed oonnino depulſa, fuit. Cum autem, vbi vires nullę ſunt, a peritis medicis medicina adhiberi non ſoleat; ( fruſtra enim perditæ naturæ remedia comparantur ) hic noſter medicus afflictam naturam ſic reficiendam, & recreandam, ſuſcipit, vt curationi minime repugnet. Robur autem afflictæ naturæ, in fide conſiſtit. Nam abſque fide ſalus amiſſa recuperari non poteſt. Hanc igitur, curator animorum, ſi nulla eſt, vt in animis faciat; vel, ſi, ima facta, infirma tamen eſt, inuicta virtute corroboret, elaborat. Hoc igitur Diuina Chriſti medicina prȩſtat, quod humana præſtare nequit. Medici uamque, vbi vis naturæ deficit, ægrotis operam minime dandam cẽſent. Naturæ enim viribus omnino deſtitutȩ, vires reddere oullo artificio poſſunt. At Chriſtus, in illis, qui non ad extremum cum Diuina benignitate pugnant, vt munerum Diuinorum compotes omnino fiant, fidei ſemina cõſerit, & adultam fidem corroborat, vt fructus vberrimos effundat. Quod hic factum fuiſſe cernimus. Illum tamen interim reprehendit, quod eam fidem, quam oportebat, minime promiſſis Diuinis adiungeret. Ea tamen reprehenſio, non ad illum tantum, ſed ad vniuerſum Iſraelis genus, referenda eſt. Apud Samaritanos enim, alienos homines, & a Iudæorum ſacris abhorrentes, & lege parum feliciter inſtitutos, nullum ſignum ediderat; & tamen ab illis fuit, vt verus generis humani liberator, & debita fide, & honoribus ſummis, exceptus. Hoc igitur aperte dicit: O gẽs, Iſraelis ſatu propagata; o viri, inſtitutis Diuinis eruditi; pudeat vos imbecillitatis, & ignauiæ. Gentes alienæ vobis laudem præripiant. Illæ in hereditatem, parentibus veſtris, Diuina pactione, promiſſam, alacritate admirabili perueniant; & vos, ſocordia veſtra, ne vobis antecellant, non omni ſtudio contendetis? Iudæi a Samaritanis ſe vinci patiuotur; heredes ab alienis, ſedulitate, & induſtria, ſuperãtur; nec indignum generis nobilitate putãt, aliquem hominem externum ſibi, qui in filiorum loeo numerantur, opibus, & dignitate, præcellere. Innumerabilis gentium multitudo, abſque vllis ſignis, Deo creditura eſt; & vos, *niſi ſigna, & prodigia, videritis*, veritatis ſommæ, atque ſempiternæ, verbis aſſeotiri *non vultis*. Nec interim intelligitis, fidei æſtimationem attenuari, & pretium religionis imminui, cum ſigna a Deo repoſcuntur.

Qui enim ſignis a Deo confirmari vult, quanta ſit in Deo fides, & quanta io fœdere ſeruãdo conſtantia, non percipit: quando illi, ſine ſignorum oſtenſione, quaſi pignore, & cautione, credere recuſat. Itaque, eadem opera, & Dei maieſtatem lædit, & ſuam in fide colẽda imbecillitatem oſtentant. Quo igitur fides ſignis minus indiget, eo clarius illius inſigne decus apparet. Verum id quidem eſt. Contra tamen dici poteſt, ſummæ leuitatis eſſe, ſine ſummo Diuinæ virtutis argumento credere, aliquid a Deo nuntiari. Qui cito (inquit vir ille ſapiẽtiſsimus) credir, leuis eſt corde. Itaque ſignorum petitio, non perfidiæ, ſed prudẽtiæ, contioet argumẽtum. Nam, qua tandem alia ratione poterit quiſque certus eſſe, ſe a Deo admoneri, niſi opere eiuſmodi, quod humana nullo modo fieri queat induſtria? Si igitur leuitas merito vituperatur; ſi credendi facilitas plerumque errotibus turbulentis inficitur; ſi temeritas eſt, ſine grauiſsimis teſtimonijs, ea, quæ ratio non percipit, approbare; ſi, quo quiſque citius ad credendum inducit animum, eo facilius in capitalem fraudẽ inducitur; ſi denique is, qui omnibus, abſque delectu, credit, omnibus plerumque ruinis opprimitur; quomodo iure reprehendi poteſt id, quod continet ſalutis cautionem, prudentiæ munus, ſapientiæ fundamentum, temeritatis, & demen iæ, depulſionem? Non male Epicharmus admonebat, ſalutaris iuſtitiæ vim in animo parum credulo totam conſiſtere. Qui enim omnis credulus eſt, neque grauitatem retinere, cum ſit leuiſsimus; neque vitam firmo præſidio tueri, cum ſit hoſtibus importunis obnoxius, vllo modo poterit. Quo vero teſtimonium, quod fidem noſtram requirit, eſt magis ab hominum communi intelligentia remotum, eo difficilius conuenit, illis, quæ nobis annuntiantur, aſſentiri. Quid autẽ eſt magis ab humana intelligentia diſtans, quam illa Dei opera, quæ nec oculus adſpicit, nec auris comprehendit, nec animus intelligendo conſequitur? Vt igitur temeritatis, & leuitatis, ſuſpicionem vitarent homines, eo tempore, quo nondum Euangelium erat ſignis oſtenſis, & temporis progreſſu, confirmatum, opus profecto videbatur, ſigna poſtulare. Inquis tamen, Deo eſſe, etiam ſi nulla ratio afferatur, ſine cunctatione credendum. Cum enim ille, veritas ſumma, atque ſempiterna ſit, ea ſolum ratione, quod aliquid ab eo enuntiatum fuiſſe conſtiterit, eſt firma continuo fides illius verbis habenda. Veruoi. Sed, vt mihi conſtet, id, quod profertur, a Deo dictum eſſe, ſignis indigeo. Quacumque igitur ratione fidem firmare velis, opus eſſe videtur admiraodis ſignis, quæ fidẽ faciant.

faciant. Non igitur reptehenſione digni videbantur eſſe Iudæi, qui ſigna tequirebant. Sed intelligẽdum eſt, duplex eſſe ſigni genus; aliud interius, animis oſtenſum; aliud exterius, in oculorum adſpectu conſtiturum. Tardiores mentes, oculorum ſenſu commouentur; acriores, Diuinis animorum motibus impelluntur. Cum enim ſibi quiſque maxime diſplicet; cum ſubito vitia, quæ non ita clare cernebat, intelligit; cum deformitatem flagitiorum, quibus antea fauebat, exhorret; cũ Dei iudicium, quod minime metuebat, vehementer extimeſcit; cum Diuinam clementiã repente cogitat; cum a ſcelerum immanitate ad ſtudium veræ virtutis, temporis momẽto, traducitur; cum, contemptis, & abiectis rerum terreſtrium curis, ad cupiditatem vitæ cæleſtis exardeſcir; cum animus poſtremo, lumine Diuino colluſtratus, illa, quæ antea parum acute ſentiebat, clare cernar, & ita commutatur, vt ea, quæ nimis amabat, exſecretur, &, quæ modis omnibus fugiebat, acriter appetat, & aſſectetur, & rebus omnibus, quæ nimis expetenda iudicabat, anteponat: num obſcura ſigna Diuinæ virtutis intuetur? num tam repentina mentis conuerſio, qua pro tenebris lucem amplectitur; pro inſanabili morbo integram ſanitatem recuperat, pro imbecillitate miſeranda vires Diuinas aſſumit, pro miſeræ vitæ ludibrijs ad cæleſtes opes adſpirat, fieri poteſt abſque numinis præſentis efficientia? Si vidiſſes hominẽ cæcum repente viſum recipere, minime dubitares, quin illud opus Diuinũ eſſet; & vides, mentem, quæ erat oppleta tenebris, Diuino ſplendore collucentem, & dubitas, quin Diuinus illi Spiritus clementer affulſerit? Si cerneres claudum exſilire, Deum ſummis laudibus efferendum iudicares; & cernis, hominẽ, ad opera pietatis efficienda tardiſsimum, cõtẽto ſtudio, & curſu, omnia pietatis opera ſtudioſe, alacriter, & vigilanter, exſequi, non fateberis, Dei ipſius manu potentiſsima factũ eſſe, vt is, qui ſe loco commouere nõ poterat, in omnes partes excurrat, vt omnibus in locis, pietatis, & benignitatis, impreſſa veſtigia relinquat? Si in oculis tuis leproſum repente ſanari conſpexiſſes, eo certe ſigno Dei præſentiam declarari cerneres, & tamẽ, quoties hominem impurum, multisq. flagitijs infamem, audis fuiſſe ad puritatis, & cõtinentiæ, ſtudium ita conuerſum, vt nihil illo caſtius, in omni piorum hominum cœtu, reperiatur, nõ dices illud fieri minime potuiſſe abſque Chriſti præſentis numine, atque benignitate? Nemini dubium eſſe poteſt, quin in Diuinis operibus longe præſtent illa, quæ ad animorum ſanitatem, & amplitudinem, conferuntur, ijs, quibus corpora valetudinem amiſſam, & perditos ſenſus, atque adeo vitam, recuperant. Quo enim animus corpori magis antecellit, eo in animorum ſalute clarius Dei benignitas illuſtratur. Non igitur ij, qui ſigna non petunt, leues habendi ſunt. Signis enim maximis ad credendum incitantur. Nouam namque lucẽ adſpiciunt; nouis ſenſibus inſtruuntur; nouo mentis ardore commouẽtur; eaq. ſentiunt, quæ verbis explicare non poſſunt; atque, vt nihil aliud dicam, Dei ipſius colloquio ſuauiſsimo perfruuntur. Audiam, inquit Dauid, quid loquatur in me Dominus. Similiter & Ioannes, Qui credit, inquit, in filiũ Dei, teſtimonium habet in ſemetipſo. In eandem ſententiam Paulus ait, Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei. Sermo igitur intimus, eſt veritate firmiſſimus, ſuauitate iucundiſsimus, luce clariſsimus, quo Spiritus Domini mentes erudit, illuminat, erigit, inflammat, lætitia cumular, Diuinoq. robore confirmat. Qui igitur his teſtimonijs corroborati ſunt, miracula non requirunt. Cur igitur miracula tam multa fuerunt ab auctore noſtræ ſalutis, in conſpectu populi vniuerſi, tam frequenter edita? Quia homines, nimium corporibus affixi, ſignis admirandis in corporibus animaduerſis, erant ad intelligentiam maiorum operum paullatim adducendi. Cum igitur maior pars hominum eſſet ad clariorem diſciplinam ſancti Spiritus indocilis, fuit ſignis corporeis admonẽda; vt intelligerent, quis eſſet ille, a quo ſolo ſempiterna ſalus, & dignitas, poſtulanda, & exſpectanda fuerat. Cum igitur multi, ſignis in corporum curatione factis, ad Chriſti cognitionem peruenirẽt, non pauci, ſine ſignis corporeis, luce tantum intra mentem Diuinitus oblata commoniti, crederent, dubium eſſe nequit, quin illorum fides, qui, ſine ſignis externis, monitis Diuinis aſſenſi ſunt, fuerit longe præſtantior. Itaque Samaritani, qui ſine miraculis in Chriſtum crediderũt, in hoc certe religionis ſuæ primordio, Iudæis, qui, miraculis perſuaſi, crediderunt, anteponendi ſunt. Nec tamen ob id ſunt in aliqua leuitatis ſuſpicione ponendi. Lucẽ enim viderunt; animos inflammari ſenſerunt; motus admirandos in mentibus ſuis experti ſunt; Spiritui ſancto minime repugnarunt; & ea de cauſſa maxima fidei præmia conſecuti ſunt. Sed clementiſsimus Dominus, qui maximam fidẽ maximis opibus cumulare ſolet, mediocrem nõ aſpernatur. Quemadmodum hoc in loco, vt iam ad hiſtoriam reuertamur, factum fuiſſe conſpicimus. Sic enim ſequitur:

*Dicit ad eum regulus, Domine, deſcende prius quam moriatur filius meus.* Amor, parentem ſtimulat; fides, ſpem prorſus langueſcere non ſinit. Inſtat igitur, & vrget, & a Domino, vt acceleret, enixe contendit. Sed, quam imbecilla ſit illius fides, ex eo perſpicitur, quod neque credit, abſentis numẽ idem omnino poſſe, quod præſens; nec intelligit, non eſſe difficilius, omnipotenti Dei verbo mortuos in vitam reuocare, quã in mortis diſcrimine con-

ſtitutos

atque perniciem, indulgentia veſtra, comparatis? vos illos corrumpi ſinitis; vos illorum flagitijs materiam præbetis; vos ſumptus illorum cupiditati, & intemperantiæ, ſuppeditatis; vos etiam illorum inſolentia gloriamini. parentibus modeſtia filiorum diſplicet; manſuetudo eſt vehementer inuiſa; Chriſtianæ pietatis exempla in iuuentute deteſtamini; mores etiam commodos, imbecillitati affines eſſe iudicatis; ſic denique filios inſtituendos plerumque ducitis, vt immites, & acerbi, & feroces, euadant, & communibus plerumque rebus infeſti; atque poſtremo ſic eos paullatim infici, & contaminari, permititis, vt, qui deſtinati ciues erant Cæli, in imas Tartari ſedes detrudatis. Nec interim vobiſcum cogitatis, filios veſtros magis ad genus Diuinum, quam ad humanum, pertinere. Deus enim illos genuit, & informauit, in eorumq. animis imaginem ſuæ mentis impreſsit, eosq. veſtræ curationi, & moderationi, commiſit, vt eos ſic tueremini, ne vmquã a via ſalutis aberrarent. Quam rationem igitur huius depoſiti ſempiterno iudici reddetis? Quod vobis perfugium comparabitis? Quod tantum malum fingi mente poteſt, quod ſit cum hoc tanto ſcelere comparandũ? Deus, apud Prophetas, Iudæorum ſcelus acriter, atque vehementer, inſectatur, quod filios ſuos in honorem deorum falſorum immaniſſime iugularent, commenticiaq. numina innocentium filiorum ſanguine placanda ſuſciperent. At vos, non filiorum corpora, ſed, quod eſt longe deteſtabilius, animos, contrucidatis, ipſiusq. Dei imagines deformatis, & ad effigiem dæmonis infeſtiſsimi figurandas ſuſcipitis: & illi quidem, falſa religione decepti, cum opinarentur, in eo ſe numini ſempiternorem gratiſsimam facturos, ſanguinis caritatem repudiabant, vt Deo ſatisfacerẽt; vos, contra, cum veriſsima religione ſitis inſtructiſsimi, contra ſanctiſsimam religionẽ, atque Diuinas leges, & inſtituta, Dei legem negligitis, vt filiorum libidini ſeruiatis. illi, ſimulacris impuriſsima cerimonia conſecratis, ſui nominis heredes immolabant; vos vero, viua mentis Diuinæ ſimulacra, turpitudini, flagitio, dedecori, furori, & inſaniæ, dedicatis: atque, vt nihil aliud dicam, illi, pœna breuiſsima furenter in propria viſcera ſæuiebant; vos autem, liberis veſtris, deteſtabili iudicio, pœnam ſempiternam cõparatis. Quo facinore quid poterit fieri truculentius? O fratres cariſsimi, vos oro, & obteſtor, vt Dei ſanctiſsimum numen metuatis; &, ne in illius iram incidatis, ſolliciti ſitis; & ſimul miſericordia vos capiat filiorum veſtrorum, quos Deus veſtræ curæ, & ſedulitati, commiſit, non vt opibus per iniuriam partis augeretis, ſed vt viam illis ad opes ſempiternas fruendas omni ratione muniendam curaretis; nec vt voluptates peſtiferas ſectarentur, ſed, vt voluptatis ſempiternæ cupiditate flagrarent, & omnibus vitæ commodis iuſtitiam, & pietatem, anteponerent. Veſtri etiam miſeremini. Nam indulgentia veſtra in miſeriam ſempiternam, niſi reſipiſcitis, detrudemini; &, cum filios ſalutari diſciplina diligenter imbuendos ſuſceperitis, ſeruorum veſtrorum ſalutem minime negligatis. Exemplum hodierna die vobis omnibus propoſitum cogitate, vt non ſolum ipſi credatis, ſed totæ domus veſtræ: vt ſic, ſalute corporibus, & animis, ardenti fide, conſtituta, ſempiternam gloriam conſequamini.

# ORATIO XIII.

*HOC iterum ſecundum ſignum fecit Ieſus, cum veniſſet a Iudæa in Galilæam*. Quæri non abſque ratione poteſt, cur Ioãnes, & huius loci, & ſecundi miraculi, in eodem loco editi, mentionem fecerit, cum aliqua multa ſigna, quæ (vt credibile eſt) in eodem itinere Chriſtus deſignauit, idem Ioannes omiſerit. Opinor equidem dici poſſe, conſonum rationi fuiſſe, vt in loco, vbi primum in illis Galilææ terminis clementiæ ſuæ fundamenta iecerat, clariore ſigno inſtitutũ opus abſolueret. Primo illo ſigno, inopiæ conſuluit, & pauperes nuptias ab humana mæſtitia ad honeſtam hilaritatem reuocauit. Et hoc ſecundo ſigno, abſens mortem verbo perculit, & puerum conclamatum ab ipſius pæne Orci faucibus extraxit. Prioris ſigni fructus, quam clarus exſtiterit, oſtenditur. Scriptum eſt enim, Et crediderunt in eum diſcipuli eius. Hic autem ſimiliter dicitur, Credidit ipſe, & domus eius tota. Eo enim ſigna Chriſti mirabilia pertinebant, vt fidem numinis ſui faceret, vt, fide conſtituta, ſalutem mentibus afferret.

CAP. V. *Poſt hæc erat dies feſtus Iudæorum*. Poſtquam, vt inuidiam declinaret, iter in Galilæam suſcepit; poſtquã Samariæ tenebris illuxit. poſtquam Regij illius filium, mortifero morbo oppreſſum, e mortis ipſius vinculis eripuit, poſtquam denique in Galilæam penetrauit, vt ea faceret, quæ ab alijs Euangeliſtis referũtur; in Iudæam tandem reuerſus eſt, vt opera inſtituta perficeret, & dies feſtos, ſtatis temporibus, ordine a lege conſtituto, celebraret; & interim hominum mentes in meditatione rerum cæleſtium, quas feriæ illæ deſignabant, exerceret. Qui dies autem hic fuerit, nõ exprimitur. Intelligi tamen poteſt, Paſcha fuiſſe. Cum enim Paſchæ celebritas, maxima omnium, quæ olim a Iudæis agebantur, exſtiterit, veriſimile eſt, vt diei feſti nomine, abſque aliqua deſignatione poſito, illum præcipue diem intelligamus, qui maxima religione colebatur. Hoc autem eſt veriſimile: hæc, quæ hoc in loco referuntur, non eodem anno geſta fuiſſe, quo ea, quæ antea dicta ſunt. Inſtabat enim meſſis tempus, cum Chriſtus in Samariam peruenit, vbi Samaritanis mirabile lumen porrexit, & in eorum mentibus ſtudia immortalitatis incitauit. Vltra deinde progreſſus, in Galilææ fines intrauit, & deploratum hominis Regij filium verbo in ſanitatẽ reſtituit. Hæc autem in tranſitu facta ſunt, cum in Galilæam contenderet. In reliqua Galilææ regione bonam illius anni partem conſumpſit, vt, antequam in Iudæam rediret, res mirabiles efficeret; quibus ſi non omnes, non paucos tamen cupiditate Regni cæleſtis inflammaret. Nec eſt, quod quiſquam arbitretur, illud, Poſt hæc autem, tempus ita continenter conſequens deſignare, vt nullum interiectum ſpatium intelligi poſſit. Non enim, e veſtigio, cum primum puer ſanitatem recuperauit, in Iudæam reuerſus eſt. Quod Ioannes aperte docet, cum ait, Hoc iterum ſecundum ſignum fecit Ieſus, cum veniſſet a Iudæa in Galilæam. Vnde colligitur, nõdum iter, quod ſuſceperat, abſolutum fuiſſe, cum hoc ſignum edidit. Nec eſt veriſimile, vt, adſpectu telluris patriæ contentus, repente, ſine vllo fructu, eo, vnde digreſſus fuerat, confeſtim remearet. Multum enim ſtudij, atque laboris, in Galilæis erudiendis conſumpſit; multis ſignis vehementer admirandis numen ſuum hominibus illis oſtendit; multaq. deſignauit, quibus clare cerneretur, ſalutem rebus communibus importari. Quid eſt igitur, cur, alijs ſignis omiſſis, Ioannes hoc tantum commemorat, quod in ſalute puero mirifice reſtituta datum fuit? Quia ea tantum monumentis mandare ſtatuit, quę acrius mẽtes excitare poterant ad rerum Diuinarum intelligentiam, & ea maxime, quæ præterea fuerant ab illis, qui ante ſcripſerant, prætermiſſa. Primo illo ſigno, cum aqua fuit in vinũ conuerſa, ſignificauit, in nuptijs, quibus Eccleſiam ſibi matrimonio copulauit, legem in Euangelium commutari, pro metu amorem ſubſtitui, mæſtitiam in lætitiam conuerti, inopiam hominum opibus Diuinis expleri, atque poſtremo vmbras, & imagines, interuentu veriſſimæ lucis, exſtingui. Cum vero puerum abſentem verbo tantum ex immanitate mortis appropinquantis extorſit, oſtendit, mortem in illis, quos ipſe in fidem ſuam recipit, locum habere non poſſe. Sed ad hiſtoriam reuertamur.

*Et adſcendit Ieſus Hieroſolymam. Eſt autem Hieroſolymis ſuper Probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraice Bethſaida, quinque porticus habens*. Nihil impurum, aut aliqua ſordium contagione maculatum, Deo gratum eſſe poteſt. Nullum enim eſt impuritati cum ſumma puritate commercium; nullum flagitijs cum præcellentiſſima ſanctitate fœdus; nulla vitiorum fœditati cum honeſtate Diuina ſocietas. odit Dominus illuuiem tætram, exſecratur turpitudinem; repellit a ſuorum cõmunione, quidquid fuerit lutulentis vitijs inquinatum. Iccirco in lege imperat Moſi, vt filios Iſrael ab impuritate deterreat, ne in ſordibus ira Diuina percuſſi moriantur. Externis .n. ſordibus impuritas animorũ deſignatur, quę diro exitio coercenda eſt. Fuit igitur

olim

olim conſonnm legis myſterio, vt poſſet oſtēdi, quam eſſet Deus vitiorum ſordibus infenſus, vt nullum ei ſacrificium offerri poſſet, quod non eſſet aquis ablutum, vt, abſterſis, quantum fieri poſſet, maculis, animarũ munditiam, quam Deus a nobis exigit, deſignaret. Ob eam igitur cauſſam, fuit illa piſcina Hieroſolymis ædificata, vt quadrupedes ad ſacrificium deſtinati lauari commode poſſent. Probatica autem appellabatur, a nomine Græco Πρόϐατον, quod Ouem ſignificat. Nomen vero. Hebræum Betheſda, idem eſt, quod Domus frugum. Nam mentis puritatem fruges vberrimæ conſequuntur. Deum timentibus nihil deeſſe poteſt: timēt autem, qui religionem mente puriſsima colunt, & venerantur. Quo autem magis hominum ſalus appropinquabat, eo clarius vitæ lauacrũ ſanctiſsimum ſignis exprimendum erat. Itaqne piſcina illa, baptiſmi ſacramentum continebat, quo omnes flagitiorum ſordes eluuntur, & cæleſtis quædam puritas, Chriſti gratia, & benignitate, comparatur. Quinque porticus habebat, vt aditus omnibus nationibus, abſque vllo diſcrimine, pateret. Numerus quinarius, ſenſibus ſignificandis apponitur. Aptiſsime igitur conuenit hominibus, qui vitæ mortalis inſtituta ſenſibus, & non fide, metiuntur. Hi igitur omnes, languidi ſunt, & difficillimis morbis impediti. Ob id antem ſequitur:

*In bis iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum.* Nobilitas de lauacro piſcinæ minime cogitabat; partim, quia morbos, in quibus erat, non ita clare cernebat; partim, quia morbis, quibus ſe oppreſsā eſſe videbat, domi ſuæ, medicorum opera, leuari facillime poſſe confidebat. Pauperes igitur tantum ad piſcinam ventitabant. Inopia enim cogebat, eos, quos opes humanæ deficiebant, in opem Diuinam reſpicere. Præterea, nnlli morbi, quibus opportuno tempore illa piſcina homines liberabat, ſanabiles erant. Nam aut cæci erant, aut claudi, aut aridi. At hominum medicina neque cæcis adſpectum reddit, neque claudis robur ad expedite diſcurrendum elargitur, neque cõſumptum funditus humorem, quo vegeta vis corporis naturales motus in membris ſingulis ciebat, vllo modo reſtituit. Hoc igitur, quod ars humana præſtare non poterat, homines miſeri ex clementia Diuina requirebant. morbi illi corporum, morbos, quibus oppreſsi animi tenebantnr, aperte deſignabant. Cæcitas enim amentiam, ſumma pedum imbecillitas iacentis animi languorem, ariditas humanitatis ſenſus propemodum extinctos exprimebāt. Homines enim, vel non videne, qnid gerendum ſit; vel, ſi vident, cum id efficere conantur, quod optimum iudicant, in medio conatu labuntur, & concidunt; vel, quod eſt omnium miſerrimum, viribus ita deſtituti ſunt, vt ſe commouere loco non poſsint. Itaque, vel tenebræ aciem mentis impediũt, vel morbi vires debilitant, vel ſtupor quidam immanis ſic animi ſenſus captos, & oppreſſos, obtinet, vt nulla prorſus vis in illis ad corpus in aliquam partem impellendum emineat. His morbis afflicti iacēt omnes homines, qui gratia Diuina ſanati minime ſunt. Nam vel non vident, qua via ingrediendum ſit, vt ad beatā vitam perueniant; vel, ſi vident, viribus firmari, & ſtabiliri, non poſſunt, & in medio conatu franguntur; vel poſtremo ita iacent flagitijs omnibus circnmuenti, & vitiorum vinculis alligati, vt ſe commouere non queant. Lex tamen, antequam veniret fides, vt Pauli verbis vtar, ſpem ſanitatis hominibus afferebat. Erat enim legis vniuerſæ ratio, atque diſciplina, piſcina quædam, quæ ſordes eluebat, & animorum morbos ſanabat. Sed, quo modo? Primum, erat fides neceſſaria, qua quilibet ſeſe ad legis ſtudium non ſegniter applicaret: deinde, opus erat, vt angelus Domini, cum eſſet opportunum, motum animis afferret. Angeli vero, qui hoc munus adminiſtrabant, erant Prophetæ ſanctiſsimi, qui populi ſcelus arguebant, qui ingrati animi crimen hominibus beneficiorum Diuinorum oblitis obijciebant, qui impietatis ſcelus aſperis verbis inſectabantur. Tunc igitur, ea criminatione multi commoti, atque perturbati, miſeriam, in qua verſabantur, agnoſcebant, e quibus alij continuo ad opem Diuinam recurrebant, & veniam ſuppliciter implorabant; alij vero officium de die in diem differebant, vſque eo, dum, rurſus, diuturna peccandi conſuetudine depreſsi, in priſtinis ſordibus prolapſi, corruerent. Illi igitur tantum ſanitatem recuperabant, qui alacritate ſumma medicinam e cælo flagitabant, & animorum remedium non in legis ipſius ſacris, ſed in Dei gratia, reponebant. Numen enim Diuinum ignauiam deteſtatur, & alacritatem gratia ſna remunerat. Signum eſt enim, contemni beneficia, quæ non ardenter expetuntur, aut nimis negligenter, & otioſe, procurãtur. Qui igitur non acerrime concupiſcit, quod eſt votis omnibus expetendum; qui non nimis diligenter accurrit, vt veriſsimis bonis, quæ offeruntur a Deo, perfruatur; oſtendit, ſe beneficia Diuina negligere. Qui vero beneficia Diuina negligit, ingratus in Deum eſt. Qui eſt in Deum ingratns, omnia ſimul ſcelera eſt improbitate ſumma complexus. Cum igitur a Deo. a quo ſolo omnis ſanitas exſpectanda, & poſtulanda eſt, longe diſsideat, ſanitatem minime recuperabit. Qui igitur ignauia torpet; qui deſidia langueſcit; qui non valde diligenter approperat, vt beneficia Diuina recipiat, expers benignitatis Diuinæ remanebit. Cũ igitur turbatur animus ſceletis admiſsi recordatione, qui motus ſæpiſsime fit quodam Diuini ſpiritus appulſu,

eſt ſtatim, abſque vlla mora, ad Dei clementiam confugiendum. Aliter enim, abſque vllo fructu, motus excitatur in animo. Immo, quo vehementior motus exſtiterit, eo magis inſtitutum ſcelus erit deteſtādæ rebellionis acceſsione cumulatum. Summa igitur vis ſalutis, in alacritate ſumma conſiſtit. Vt autem hoc poſſet ſignificari, vt iam ad myſterium reuertamur, poſt motum, quem angelus aquę afferebat, non omnes ſanitatem recipiebant, ſed ille tantum, qui primus ſe in piſcinā conferebat, vt eo ſigno videretur diligentiam Diuinis bonis plerumque feliciſsime potiri.

*Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſua.* Condicio hominis erat valde miſerabilis, qui, tam graui malo confectus, tam longo tempore in grabato decumbebat, omnium hominum ope, & auxilio, deſtitutus. Inopia erat ſumma; morbi vis omnes illius vires eliſerat; humorem vitalem exhauſerat; membra ſic oppreſſerat, vt nullum poſſet munus ſuum obire. Erat igitur illa vita, morte longe funeſtior. Immo erat illi mors expetenda, vt per eam poſſet vitæ funeſtiſsimæ vinculis expediri. In ſummis enim malis mors, quæ finem miſerijs omnibus affert, vnicum remedium calamitatis haberi ſolet. Sed, ſi tantum malum eſt in morbo diuturno, qui mēbris vſum, atque adeo ſenſum, eripit, vt mors optāda videatur; quid de morbis animi erit exiſtimandum, qui rationem impediunt, qui iudicium obtundunt, qui libertate ſpoliant, atque mentem oppreſſam tenent, ne remedium poſsit inquirere? Non poteſt tanta mali vis vllis verbis explicari. Sed, vbi omnis ſpes opis humanæ eſt prorſus inciſa, ibi ſe clementia Diuina clarius oſtendit. Nec enim ſummus medicus, qui, vt genus humanum morbis omnibus liberaret, humanā formam induit, exſpectat, dum ægroti illum quærant, & opem illius implorent. Ipſe enim eos inquirit, & opem ſuam pollicetur, atque, vt ſanari velint, enixe contēdit. Quod in hoc ægroto clare cernitur. Sequitur enim:

*Hunc cum vidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet, quia iam multum tempus haberet, dicit ei, Vis ſanus fieri?* Prompta, atque parata, medicina cæleſtis eſt omnibus, qui ſani fieri volunt. Omnes enim Deus ſaluos fieri vult. Sed multi morbis libenter addicti ſunt; ſanitatem repudiant, medicinam aſpernantur, & in medicos inuehuntur. Nec enim incontinentes libidinis morbo, nec auari pecuniæ cupiditate, nec ambitioſi auræ popularis tyrannide, liberari vllo modo volunt. Atqui certiſsimum ſignum mortis eſt, curationem reſpuere. Merito igitur a multis quæri poteſt, an ſanari velint, cum tam multi ſint, qui prorſus ſanari nolint. Sed hoīs miſeri reſponſum videamus:

*Reſpondit ei languidus, Domine, hominem non habeo, vt, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam: dum venio enim ego, alius ante me deſcendit.* Putauit ægrotus, ſe non interrogari, ſed accuſari; quaſi culpa ſua tamdiu morbo premeretur, quaſi diligentia facillime eam depellere potuiſſet. Fecit igitur, quod ſerui facere ſolent, cum de facto quæruntur, cuius ſibi culpā obijci ſuſpicantur. Non enim ad quæſita reſpondent, ſed, vt a ſe crimen remoueant, orationem ſollicite conferunt. Languidus enim, cum exiſtimaret, ſibi probro dari longiſsimi morbi diuturnitatem, quaſi in manu ſua fuiſſet in ſanitatem redire, non dicit, ſe velle ſanari, ſed rationem affert, qua ſanari minime potuerit, quamuis ſanitatis vehementer cupidus exſtitiſſet. Et interim magnitudinem miſeriæ ſuæ declarat, quæ oratione nulla vehementior eſſe poterit ad clementiam impetrandam. Quid enim poterit efficacius eſſe ad miſericordiam clementiſsimi Domini alliciendam, quam miſeriæ ſummæ demonſtratio? Domine, inquit, omnia me vndique mala circumſiſtunt. Nec enim ſolum inſanabili morbo oppreſſus, & impeditus ſum, verum & omnium mortalium auxilio deſtitutus. Itaque, cū me ipſe loco mouere non facile queā, & hominem nullum habeam, qui mihi ſubſidio occurrat, cum aqua turbatur, & ego, quātum poſſum, nitor, vt in piſcinam me deferā, iam ab alio quouis ſanitatis occaſionem præreptam video. Video igitur, alios, vel, inſita vi, in piſcinam properare, vel, aliorum ope, in eam deferri, meq. ſolum, tam multis annis, in morbo moleſtiſsimo, abſque vlla calamitatis alleuatione, verſari. Hac oratione, ſe ignauiæ crimine liberat, & miſericordiam ſuppliciter commouet, &, quod vehementiſsime cupit, cum ſumma felicitate conſequitur.

*Dicit ei Ieſus, Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* O nimis admirandam verbi omnipotentis efficientiam. Nulla mora facta eſt: continuo ſanatur ægrotus: humor areſactus reuireſcit: vires exſtinctæ reuiuiſcunt: nerui diſſoluti ſolidantur: & is, qui in grabato ſe in alterutram partem verſare non poterat, grabatum repente ſuſtulit, &, ſine vlla oneris offenſione, celeritatem miram, ambulando, ſuſcepit. Inquit enim Ioannes:

*Et ſtatim ſanus factus eſt ille: & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat.* In quo liberatoris noſtri ſanctiſsimum numen clariſsime cerni poterat. Qui enim ſolo verbo reſtituit homini, morbis omnibus oppreſſo, vno temporis momento, ſanitatem, num obſcure demōſtrauit, ſe illum eundem eſſe, qui verbo cælum condidit? qui terræ fundamenta ſtabiliuit? qui varias rerum formas, vno conſenſionis fœdere, colligauit? qui vocat ea, quæ non ſunt, & voce tm, & imperio, facit, vt ſint? ita, vt non ſit alia naturæ vis, quam illius verbi infinita virtute præditi mirabilis effectus, & operis abſolutio. Quonam igitur modo poterit, temporis puncto, amiſſa valetudo conſtitui, niſi Dei verbo, quo condita, & conſtituta ſunt vniuerſa,

Digitized by Google

uerſa,ſiue quæ in cæleſti natura ſemper inhærent,ſiue quæ terris,& aquis, inclnduntur, ſiue quæ aeris, & ætheris, ſpiritu vitali continentur? Satis igitur apparebat, numen illud ſempiternum,quo dæmones eijciuntur,morbi depelluntur, mors exſtinguitur, vita confirmatur,ex eo opere, quo homo, tam longo, atque diuturno,morbo ſtratus, & afflictus,& ad Chriſti vocem ſubito conualuit,& ita conualuit,vt grabatum,in quo decumbebat,facillime baiularet, & ſub eo onere alacriter gradum,quocumque commodum videretur, inferret. Diuinæ igitur virtutis ſignum erat, quod animos admiratione defixos excitare poterat ad gloriam ſummi Domini celebrandam, qui ſolus ex altiſsima cæli ſede, atque domicilio, in terris humilia contuetur, & pauperum preces non aſpernatur, cuius neque potentia a probitate deſeritur, neque probitas immenſa potentiæ infinitæ præſidio uudatur. Numquam igitur fruſtra illins auxilium implorabit, qui in illo ſolum omne præſidium vitæ collocandum eſſe decreuerit. Sed, quo maius, & admirabilius,ſignum fuit, eo deteſtabilius crimen eorum exſtitit, qui calumniando Diuinum opus inquinare, & peruertere, nitebantur. Sequitur enim:

*Erat autem ſabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi,illi qui ſanatus fuerat,Sabbathum eſt,non licet tibi tollere grabatum tuum.* Quid ad hæc,vir gratia Diuina ſanatus? Sic reſpondit,vt oratione breuiſsima omnem a ſe criminis ſuſpicionem depelleret. Inquit enim:

*Qui me ſanum fecit,ille mihi dixit, Tolle grabatum tuum,& ambula.* Quaſi diceret,Non meũ iudicium ſecutus ſum, nec cuiuſuis hominis cõſilio nixus, onus hoc mihi ſubeundum hac die ſuſcepi; ſed imperium illius exſequor,qui errare non poteſt. Voce enim, & imperio, tantum,ſanitatem mihi,multis abhinc annis funditus perditam,temporis momento,reſtituit. Ergo,cum opus,Diuinæ virtutis argumentum certiſsimum, contineat, non ne liquet,Diuinum virum eſſe,qui tam admirabile opus effecit? Diuinam igitur auctoritatem ſequor. Quo circa,cum illi,qui me ſanum fecit,obtẽpero, reprehendi merito nõ poſsum.

*Interrogauerunt ergo eum, Quis eſt ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum,& ambula?* Videte calumniæ ſceleſtiſsimæ improbitatem. Nõ enim inquiunt, Quis eſt, qui te ſanum fecit? hoc enim ad laudem ſummam erat neceſſario referendum: ſed id tantum arripiunt, qđ illis videbatur fore ad adſtruendam calumniam accommodatum. In quo quidem plane demonſtrabant, ſe penitus eſſe Satanæ placitis, & imperio, mancipatos. Ille namque eſt origo mendacij, atque calumniæ parens, & architectus; &, ne quidquam illis, ad teterrimam nefarij criminis impudentiam,deeſſe poſſet,ſimulant,in maximo ſcelere,pietatem; &,religionis obtentu, facinus ſceleſtiſsimum meditantur; oſtenduntque ſe non poſſe vlla ratione pati, opus aliquod ſabbato fieri, quaſi in ea re omnis religionis ſanctitas verteretur. Siccine, inquiunt, hoc ferri vllo modo poteſt, vt quiſquam audeat aliquid operis in die ſabbati moliri? Tam negligentes, atque diſſoluti,erimus, vt non pœnas grauiſsimas a tam indigno ſcelere repetamus? At hominis ſalus magni facienda eſt. Sit ita ſane. Sed nihil eſt otio ſabbati,Dei lege ſancito,præferendum. Pereant homines vniuerſi, dummodo ſabbatum nullo pacto violetur. Hac igitur indignatione commoti ſancti videlicet homines,& ſupra modum in legis cultu, quam nefarijs ſceleribus quotidie violabant,ſuperſtitioſi, de Chriſti pernicie coniurant. Leue namque illis crimen erat, mentiri, calumniari,peſtem ciuibus machinari,inopes iniurijs opprimere, cædem bonis inferre,atque, vt nihil aliud dicam, operibus Dei clariſsimis tenebras impietatis obducere. Hæc igitur omnia non valde curanda reputabant: aliquod autem opus, ſalutis humanæ gratia, ſabbato, ad Dei gloriam,ſuſcipi, hoc erat illis teterrimum facinus ſumma ſeueritate vindicandum. Quis eſt, inquiunt, qui tantum facinus fecit,vt diceret,Tolle grabatum tuum, & ambula.

*Is autem qui ſanus fuerat effectus,neſciebat quis eſſet. Ieſus enim declinauit a turba conſtituta in loco.* Seceſſerat quidem, vel, vt gloriam fugeret,vel, vt primos illos impetus inuidiæ declinaret; vt nos exemplo ſuo doceret,neque gloriam nimis appetendam eſſe, nec inuidiæ tela contemnenda, ſed multis in locis loco cedendum, dum odium multitudinis feritatem ſuam aliqua ex parte remittat.

*Poſtea inuenit eum Ieſus in templo, & dixit illi, Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Ex hoc loco plane liquet, morbis vrgeri ſępe numero multos mortales propter flagitia,& ſcelera,quæ contra legem Diuinam,vel libidine,vel odio,furentes, concipiunt. Irrogat illis pœnam clementiſsimus Dominus, vt,afflicti doloribus, & anxietatibus,reſipiſcant, &, aduentantis mortis periculo circumuenti, ab illo remedium deprecentur,qui ſolus poteſt mortuos in vitam reuocare. Corpus igitur afflictat, & tædio grauiſsimo conficit,vt animum ſanet. Neque ſolum menti ſanitatem confert; verum,& corpori fracto,& debilitato,& propemodum cõfecto, ægroti ipſius votis, & precibus, ad clementiam inflexus,ſanitatem, & integras vires,reddit, & valetudinem nouo robore confirmat,vt poſsit deinde,iuſtitiæ cultu,priſtina flagitia compenſare. Quod ſi quiſpiam ingratus,& beneficij prorſus immemor,ad eadem flagitia reuertitur,dignus eſt, vt multo grauiore morbo teneatur, eo quod clemẽtia Domini, ad ipſius Domini offenſionem, impudenter abutitur. Ideo inquit:

*Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* O fratres cariſsimi, caſus graues exhorreſcite. In mortiferos morbos incidiſtis; ipſam a vobis vitam repuliſtis; medici ſummi gratia reuixiſtis; cauete, ne in eaſdem rurſus ægrotationes incidatis. Graue malum eſt, morbis opprimi: ſed longe grauius eſt, poſt depulſos morbos in eoſdem rurſus per ſummum flagitium relabi. Periculoſum eſt, in valetudine premi: ſed multo periculoſius eſt, poſt confirmatam valetudinem, e proſpero ſtatu valetudinis, quæ firma eſſe videbatur, concidere. Hærent medici; familiares anguntur; propinqui ſollicitantur; parentes, atque neceſſarij, pertimeſcunt. Quod tanto magis eſt in animæ periculo metuendum, quanto animæ condicio condicioni corporis antecellit. Exiſtimate igitur, vnicuique veſtrum eadem verba a noſtræ ſalutis auctore proferri, quoties flagitijs veſtris ignoſcit, & vos iterum apud ſe in gratia ponit.

*Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Vires, quibus ſanitatem recuperatam ad extremum tueri poſſitis, ille vobis tribuet, qui ſanguinem ſuum nobis largitus eſt, vt ſanos, & incolumes, ad ſempiternam vitam perduceret.

ORA-

# ORATIO XIV.

A*bijt ille homo, & annuntiauit Iudęis quia Ieſus eſſet, qui fecit eũ ſanum.* Munere ſuo egregie functus eſt, cum laudem, & gloriam, ſuæ ſalutis auctori tribuit, & publice numen illius prædicauit, a quo ſanatus exſtiterat. Non ſolum enim corporis integras vires recepit, verum & animi ſtatum, fidei opibus florentem, aſſecutus eſt, ita, vt nullam impiorum offenſionem formidaret.

*Propterea perſequebantur Iudæi Ieſum, quia hæc faciebat in ſabbato.* Vt apparet, tantum pondus religionis ſtatuebant Iudæi ineſſe otio ſabbati, vt vix vllum ſcelus eſſe comparandum iudicarent, cum illius ſcelere, qui aliquid in illo die, vel domi, vel foris, ageret, vſque adeo, vt neque ignem ad coquendos cibos eis facere ſabbato liceret. Et, ne vſquequaque Iudæos ineptiarum condemnemus, operęprętiũ erit, attendere, quibus rationibus ſuperſtitionem ſuam tuebantur. Primum enim, demonſtrare poterant, nullum præceptum fuiſſe in lege ſæpius repetitum, & vehementius inculcatum, & maiore religione conſtitutum. Deinde, cernebãt, ſeuerisſime in eos, qui ſabbato aliquid gerebãt, antiquitus fuiſſe vindicatum. Nam, vt in libro Numerorum continetur, cum fuiſſet homo inuentus, qui ſabbato ligna colligebat, fuit a populo, Dei ipſius iuſſu, lapidibus obrutus, vt atrocisſimo leti genere multis horrorem, ne ſimile facinus deſignarent, incuteret. Cum vero, ſtatis temporibus, magna cum cærimonia, ſollemnes dies agerentur, quibus Diuinorum beneficiorũ memoria renouaretur, nulli tamen feſti dies fuere maiore religione celebrati. Nam, vt alios dies ſollemnes omittamus, die etiam Paſchæ multa fieri licebat, quæ ſabbatis facere nefas erat. Seruilia namque opera permittebantur, quæ non erant ſabbatis vllo modo permiſſa. His rationibus inducti Iudæi, maximum ſcelus in ſabbati violati crimine ponendum eſſe, ſtatuebant. Sed libenter a Iudęis audierim, num exiſtimẽt, tantum eſſe Deo cordi hominum otiũ, & inertiam, vt non poſsit hominibus placari, niſi otio contabeſcant. Nam, ſi vnius diei otio tantopere delectatur, vt nullis operibus poſſit violati numinis offenſio compenſari, veri ſimile eſt, vt, quo magis diuturna ceſſatio fuerit, eo facilius gratia illius concilietur. Negabunt certe. Dicentque, ſeptimum quemque diem a Deo ſelectum fuiſſe, quo ſolo feriæ agitarentur. Recte. Sed rationem ab illis feriarum repoſcamus. Num feriæ iſtæ, otij tantum gratia, Diuinitus inſtitutæ ſunt, an propter alias rationes, quæ magis in rem ſunt, quam cuncta opera, quę ab hominibus in vita patrari poſſunt? Si otium tam ſacratum eſt, illud, ſi poſſumus, non ſeptimo quoque die, ſed reliquis omnibus diebus, amplexemur, vt beatiores eſſe poſsimus. Si vero non otium eſt operibus vitæ præferendum, rationes afferant, quibus inductus rerum omnium Dominus, præceperit, ſabbatum tam inſigni religione celebrari. Si dixerint, Deum ſeptimo ab orbe condito die ab omni opere ceſſauiſſe, minime mirabor. Perditorum enim hominum cæcitas, hæc, & alia multa, nefarie profert, quæ ſimul, & amentiam illorum, & impietatem, coarguunt. Cum enim Litteræ ſanctæ dicunt, Deũ ab omni opere ſeptimo die quieuiſſe, non in Deo otium, ſed in opere perfectionem ſummam, ſignificant. Cum enim artifex quilibet opus a ſe prorſus abſolutum conſiderat, animo conquieſcit, atque mirifice delectatur, eo quod opinetur, nihil iam a ſe poſſe ad opus illud perpoliendum requiri. Quod, vt de Deo, more humano, loquamur, tãto magis de ſummo illo naturæ conditore, & opifice, cogitandum eſt, quanto præclarius illius opus fuit, & quanto perfectius ſuis omnibus numeris, atque partibus, abſolutum. Quies igitur Domini, non otium ſignificat, ſed operis a ſe perfecti comprobationem, & mirabilem, vt ſanctæ Litteræ loquuntur, voluptatẽ. Delectatus eſt, inquiunt, Dominus operibus ſuis. Nam, quantum ad otium attinet, numquam ab opere, & a naturæ a ſe conditæ curatione, vacauit. Semper itaque aliquid de integro creat, alit, & nutrit, atque ſuſtentat, cælum continuo verſat, vitam animãtibus inſpirat, res prolapſas inſtaurat, & omnia denique ſingulari ratione conſeruat, ita, vt numquam illius a ſuis operibus otium vllum cogitari poſsit. Cur igitur, inquies, otium ſabbati lege ſua ſanctum eſſe voluit? Vt hominũ, quos in fidem ſuam præcipue receperat, vitæ conſuleret? Quo modo? Quia omnis vita noſtra in Dei cognitione cõſiſtit. Tunc enim viuimus, cum Dei ſanctiſsimum numen, inexplicabilem ſapientiam, & immenſam probitatem, cogitamus, & illius erga nos beneficia, quæ ſunt innumerabilia, in memoriam ſæpe redigimus. Quia vero humana negotia, quæ ſunt a nobis neceſſario procuranda, ita mentem a rerum Diuinarũ meditatione frequenter abducunt, vt non mediocre periculum animis intendatur; ſi obliuio, paullatim irrepens in ſenſus, illos a cæli conſpectu deiectos in terram depreſſerit, cõmodum fuit, vt ſeptimus dies, quieti ſanctiſsimæ conſecratus, deligeretur, quo populus, religione deuinctus, poſſet liberius de rebus Diuinis, atque ſempiternis, cogitare, & memoriam acrius excitare, & ſtudium ſæpius incendere, quo numquam Diuina beneficia ex ani-

mis

mis elaberentur, & ita multo vehementius homines in ſtudium Diuinæ legis incumberent. Noſtris quidem operibus non indiget Deus. non enim noſtro ſtudio, & ſedulitate, opes illius augentur, neque noſtris laudibus illius immenſa dignitas amplificatur,ſed omnia illius opera ad ſalutem,& dignitatem, noſtram,illins gratia,& benignitate, conferuntur. Cum vero ingrati animi crimen omnia ſcelera complexum ſit, & ita fiat, vt hominis ingrati ſpes miſerabiliter euaneſcat, & pro bonis, quæ ſibi,erroris opinione,finxerat, in ſupplicium ſempiternum deferatur, ſtatuit clementiſsimus Pater,& Dominus,vt ſaltem ſeptimo quoqne die memoria tantæ probitatis replicaretur. Tria vero potiſsimum Dei beneficia, vt in lege percipimus, ſtatuebat Deus,vt homines mente recolerent. Primum enim fuit,creationis beneficium, quo cęlum, & terram,& maria,& omnia,quæ cæli complexu,& ambitu,continentur,creauit,& in homine imaginem ſuæ mentis impreſsit, & omnia ſub hominis imperio ſubiunxit, vſque adeo, vt etiam cælum,& ſidera, voluerit, vt hominum vſibus ſeruirent. Alterum, fuit libertatis beneficium. Cum enim eſſent Hebræi dumina tu Pharaonis nimis crudeliter oppreſsi, Deus illum,cum interitu Pharaonis, & totius illius terræ vaſtitate,in libertatem vindicauit. Tertium beneficium,exſtitit ſacrorum procuratio,ſcelerum expiatio, cærimoniarum inſtitutio,totiuſq. religionis antiquæ ſanctitas, qua fiebat, vt pietas tunc præcipue in animis verſaretur,cum operibus illis operam dabant, & ſimul ſignis illis homines admoniti, ad ſpem multo felicioris condicionis erecti, facilius fidem Diuinis promiſsis adiungerent. Liquet igitur ex his, quæ in medium attulimus, non eſſe creatos homines, vt ſabbatum colerent; ſed ideo ſabbatum inſtitutum, vt homines ad ſalutem facilius peruenirent: neque ſabbati religione,ſed animorum puritate, & hominũ caritate,pietatis ſummam cõtineri. Sic enim inquit apud Iſaiam Dominus: Cuſtodiens ſabbatum,ne polluat illud: Quo modo autem violari poſsit ſabbatum, plane docet, dum ait, Cuſtodiens manus ſuas, ne faciat vllum malum. Si igitur is, qui malum aliquod facit, eſt is,qui ſabbatum polluit,is certe, qui manus a maleficio continet,qui omnia, quæ gerit, ad gloriam Diuinam dirigit, ſabbatum ſanctiſsimum ſemper habet. Alibi apud eundem Prophetam inquit idem Dominus, Hæc eſt requies mea,reficite laſſum, & hoc meum refrigerium. Vnde colligitur, verum ſabbatum eſſe in beneficentia conſtitutum. Qui igitur nõ ſolum improbitatem & flagitium, ſummo ſtudio cauet, & iniquitatem odio ingenti perſequitur,verum & miſeros, & afflictos,conſolatur,multorumq. inopiam opibus ſuis, cum poteſt,ſubleuandam ſuſcipit,is ſabbatum pie celebrat, & requiete Domini ſancte perfruitur.

Sabbati enim vox,Requietem deſignat. Requies autem Domini,eſt in ſanctitate,& iuſtitia,conſtituta. Summa enim operum Diuinorum,eſt in iuſtitia collocata. multis enim partibus ſuperat cæli magnitudinem,& Solis,atque ſiderum omnium,claritatem. Ergo,cum animum iacentem excitat, cum ſceleris maculas omnes abſtergit, cum formam ſuæ pulchritudinis in animis inſtaurat, eoſq. efficit Diuinæ naturæ,Chriſti meritis,& ſanctitate, participes; tunc quietem capit, & voluptate ſumma perfunditur. Relinquitur,inquit Paulus, ſabbatiſmus populo Dei. Probat enim, Dei ſabbatum,nec in die ſeptimo,nec in promiſſæ telluris poſſeſsione, ſed in iuſtitiæ fructu, conſiſtere. Hanc requiem Dauid animo proſpiciebat,inquiens, Surge,Domine, in requiem tuam,tu, & arca ſanctificationis tuæ. Sacerdotes tui induant iuſtitiam,& ſancti tui exſultent. Cum igitur Deus olim tanta vigilantia ſabbatum coli præcipiebat, intelligendum eſt, non tam ſabbatum, quam id, quod erat ſabbato deſignatum,præſcripſiſſe; & ideo in eos,qui ſabbatũ violabant, acriter animaduerti præcipiebat. Sabbati enim nomine,ſanciebat pietatem,ſanciebat animũ gratum, & memorem, ſanciebat beneficentiam, ſanciebat denique iuſtitiæ ſanctitatem. Dies igitur ille, qui tantum myſterium continebat, erat temporibus illis, quibus nondũ veriſsimæ iuſtitiæ ſplendor exortus fuerat, ſummo ſtudio colendus. At, poſtquam lux in tenebris illuxit,vmbra legis euanuit, & nos nimia illa ſabbati ſuperſtitione liberati ſumus. Quin etiam legis ipſius tempore non tam adſtricti erant homines ad otij illius nimiam religionem, quam Iudæi ſuſpicabantur. Licebat enim ſacerdotibus, in templo per ſabbata victimas immolare,ſanguinem hoſtiarum fundere,adipem adolere, odores incendere. Licebat etiã Iudæis,ad aquas agere iumenta,& quadrupedem quemuis ex puteo, ſi in illum incidiſſet, extrahere. Moribus igitur erat ab illis comprobatum,fas eſſe ſabbatis,non ſolum omnia, quæ ad religionem, & Dei gloriam, pertinebant, efficere, verum & miſericordiam non hominibus tantum, ſed etiam brutis animantibus,impertiri. Omnia igitur,quæ vel ad Dei laudem,vel ad hominum caritatem,pertinebant,licebat ſabbato,vt ipſe Dei filius,qui legem tulerat,interpretatus eſt,ſine vlla bonorum offenſione,conficere. Sed,vt iam totam de ſabbato rationem concludamus,ipſius Domini ſententia,error omnis ijs, qui non perpetuum cum veritate certamen ſuſcepiſſent, omnino detractus eſt. Sic enim ſequitur:

*Pater meus vſque modo operatur: & ego operor.* Opus, inquit,plane Diuinum fuiſſe, conſtat. Ars enim humana morbos inſanabiles minime curat: morbos autem,quos curat,nõ temporis momento, ſed ſpatio ad curationem commode ſumpto, depellit, & id non verbo

tantum,

tantum,ſed adhibitis medicinę remedijs,exſequitur. Magiæ vero diſciplina,non ſanat repente morbos, ſed ad morbi grauitatem fallacißimis medicamentis ſemper aliquid addit. Inuentum namque dæmonis, qui ſemper eſt humano generi hoſtis infeſtißimus, non poterit eſſe ſalutare. Neque enim hoſtis humani generis,ſalutem,quam funditus perdidit, dare poteſt;&,ſi poſſet,eam nullo modo dare vellet, cum ſit ad perniciem nobis inferendam ſemper intentus. Cum igitur nec ars humana, neque dæmonis fraudulenta machinatio, queat vllo modo perditam ſanitatem,& amiſſas vires,temporis momento,reſtituere;& vidiſtis hominem prorſus abiectum,morbis inſanabilibus miſerrime laborantem, viribus omnino deſtitutum, voce tantum mea repente ſanatum;non intelligitis,opus eſſe Dei, nec eſſe tam admirandam ſanitatem ad alium auctorem, quam ad Deum, referendam? Si ergo Dei opus eſt, vt certißime liquet, & vidiſtis meo tantum imperio fuiſſe hoc opus effectum,intelligere ſane poteſtis,me filium illius eſse,nempe, cui ſoli is, vt vnico filio,numinis ſui vim,& immenſam poteſtatem,tradiderit? Opus igitur illius eſt, & meum eſt. Vt enim Diuina natura, cum eadem, & maxime ſimplex,ſit, diſcindi, & in partes tribui, nequit, ita neque Diuini operis vlla diſtinctio intelligi poteſt. Quidquid igitur a me Diuinitus fieri cernitis, intelligite, id a Patre meo fieri. Cum igitur hoc opus Patris mei numine geſtum ſit, & vos idem opus,tamquam nefariũ, & impium, criminamini, ipſum Deum, cum proiecta audacia,& impudentia,ſceleris inſimulatis. Hoc dicto,exarſit magis inuidia; &, qui cædem antea meditabantur, tunc acrius irritati ſunt, vt infandum illud facinus molirentur.

*Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non ſolum ſoluebat ſabbatum, ſed & patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* Vt ex hoc loco clare cernitur, Iudæi,flagrantes ſcelere, & inuidia, & furijs acriter exagitati,intellexerunt id,quod multi, qui ſe Chriſtianos exiſtimari volunt, nullo modo prorſus intelligunt. Intellexerunt enim,hac ſententia,Chriſti,filij Dei,numen immenſum,atque ſempiternum,eadem,cum Patre, natura, virtute,potentia,maieſtate, imperio, præditum explicari; & ideo in Chriſtum furentius inuecti ſunt. Vnde colligitur, eos,qui Filium a Patris natura,& auctoritate ſempiterna, ſeiungunt, Iudæos ſtupore mentis, atque ingenij tarditate, ſuperare; nec minus, quam Iudæos ipſos,qui tantum in ſe facinus conſciuerunt, impios,atque ſceleratos,exſtitiſſe. Illi namque, Chriſti corpus interimere cogitabant;hi vero,Chriſti Diuinitatem exſtinguere conari ſunt. Quod ſi Arius,& Eunomius, & Sabellius, & reliqui Satanæ ſatellites, atque miniſtri,ſempiternis ſupplicijs, propter tam ſceleſtum,& immane,facinus,mactati ſunt;illi, qui poſt tam multa ſæcula, vt manes Arij ab inferis excitent, erroremq. peſtiferũ rurſus inſtaurent,& cauſſam,ſanctorum Patrum ſententia ſæpenumero iugulatam, Diuiniſq. iudicijs exſtinctam,atque ſepultam,excitent, & tueantur, modis omnibus enituntur, quibus tandem cruciatibus digni ſunt? O facinus exſecrandum: o ſcelus dirißimum: o peſtem hominum perditorum,qui tam dirum bellum in Diuinam Maieſtatem moliuntur. Gloriam enim ſempiterni Patris impugnant; ſplendorem Diuinæ claritatis vt exſtinguant, enixe contendunt, cum Dei filium, rerum omnium conditorem,Patris immenſum decus, & gloriam,referentem, de ſempiterni imperij ſolio detrudere, & in turbam inijcere,conantur. & tamen Chriſtianos ſe nominant; & tamen de gloria Diuina ſe valde ſollicitos eſſe iactant; & tamen ſe Chriſti verbis ſemper addictos eſſe profitentur. Si Chriſtiani ſunt, Chriſtum audiant. Num perplexe loquitur? num obſcure, quid ſit de hac quæſtione ſentiendum, pronuntiat? num parum perſpicue numen ſuum operibus,atque verbis, teſtificatur? Non certe. Sequitur enim:

*Reſpondit itaque Ieſus, & dixit eis, Amen, amen dico vobis, non poteſt Filius a ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem. quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Quid eſt hoc, quod ait, Non poteſt Filius a ſe facere quidquam? Num oratio hæc, Filij potentiam infirmat,& tollit? Non prorſus. Immo iuſtitiam probat,& potentiam confirmat. Hoc autem vniuerſe intelligendum eſt, quod etiam Græcorum philoſophia confitetur, quoties dicitur aliquid non poſſe Deum, non potentiã Deo detrahi, ſed imbecillitatem negari. Id enim dicitur non poſſe Deum, quod eſt vitioſißimum, aut imbecillitati finitimum. Veluti,ſi dicatur, Deum peccare nullo modo poſſe, aut turbidis animi motibus commoueri, & libidine concitari. Hoc poſito, ſtatuendum eſt, omnem iuſtitiam in cõiunctione illa conſiſtere, qua mentes ita ſunt placitis Diuinis addictæ, vt nihil agant, nihil moliantur, nihil cogitent, quod non ſit Dei lege præſcriptum, & illius gloriæ deſtinatum. Vnus enim tantũ eſt totius probitatis, atque iuſtitię, fons, & origo. Quidquid igitur aliunde fluit, neque bonum, neque iuſtum, eſſe poteſt. Mihi autem, inquit vir ille ſanctißimus, adhærere Deo, bonum eſt. Omne igitur, quod a ſe quiſque promiſit, ſine vllo reſpectu, ad ipſius ſummæ veritatis, & iuſtitiæ, rationem iniquum eſt, & a regula veriſsimæ probitatis alienum. Cum igitur Dei Filius dicit, Nõ poteſt Filius a ſe facere quidquam, hoc certe dicit, Non poteſt vllo pacto Filius aliquod iniquum opus efficere; non poteſt vllis iniuſtitiæ maculis infici; non poteſt vllo contagio impuritatis inquinari; non denique poteſt a ſumma Patris con

iunctione

ſunctione diuelli. Quod deinde ſequitur, nempe, Quæcumque enim fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit, Filij numen, atque Diuinitatē, admodum clare demonſtrat. Nihil enim excipit. Ergo, ſi Pater vniuerſam naturam ſumma ratione, & conſilio, fabricatus eſt; ſi cælum mirabiliter exſtruxit, & aſtris clariſsimis exornauit; ſi terræ fundamenta ſtabiliuit; ſi maris immenſitatem terris circumdedit; ſi flores, ſi fruges, ſi arborum fructus, ſi animantium varietatem, condidit; ſi cæleſtis mentes, quæ in fide manſerunt, ſplendore eximiæ claritatis illuſtrauit; hæc omnia Filius ſimiliter effecit. Numquam igitur ſummus rerum opifex aliquid ſine Filio præfecit. Omnia namque, quæ Pater agit, Filius agit. Vt autem magis explicet, verbum Similiter apponit. Quid autem eſt Similiter, niſi, Eadem omnino vi, numine, ratione, probitate? Ne tamen Patri gloriam præripere imperitis exiſtimetur, ſui numinis gloriam ad Patrem, totius Diuinæ claritatis principem, & auctorem, reuocandam eſſe demonſtrat; ſuæq. Maieſtatis ſplendorem a Patris ſplendore, ex omni æternitate, exortum fuiſſe, teſtificatur.

*Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit.* Non eſſe poteſt affinis inuidiæ ſumma probitas. Semper igitur habuit, cum quo omnia ſua bona communicaret. A ſempiterno igitur tempore Filium genuit, in quē, infinita, & inexplicabili, ratione, munera ſua eūgereret, & per quem omnes rerum formas efficeret, & naturam vniuerſam opibus large, atque munifice, locupletaret. Quod ſi Deus omnia, quæ facit, diligit; (vidit enim Deus cūcta, quæ fecit, & erant valde bona) qualis tandem amor, & quantus exiſtimari poteſt ille, quo Filium amat, quem natura ab æuo ſempiterno generauit? Eſt enim ille, vna viua, & expreſſa, ſummi parentis imago, Diuini decoris, & dignitatis ſplendor, immenſum lumen, ab origine immēſi luminis, & claritatis, exortum, omnes opes Patris, amplitudine virtutis, & ſapientię, & probitatis, ſumma ratione repræſentans. Ille namque eſt rerum omnium conditor, & conſeruator, & finis, in quem omnes naturæ partes, inſita quadam propenſione, referuntur. Nam omnia vitam expetunt, & interitum natura reformidant. At Dei Filius, vitæ fons eſt, quemadmodum ſcriptum eſt, Apud te eſt fons vitæ. Qui igitur ſeſe a Dei Filio diſiungit, mentis furore, & amentia, percitus, fugit id, quod vehementer expetit, & in id, quod vehementer exhorret, ſe præcipitem dat. Dum enim, vt vitam tueatur, enixe contendit, in mortem properat, omnibuſq. modis ſibi peſtem machinatur. Cum igitur Patris amor in Filium infinitus ſit; (nec enim vllo termino continetur) reſtat, vt amoris effectus ſit ſimiliter infinitus. Nihil igitur eſſe poteſt, quod a Filio ſecretum habeat; nihil ita abſtruſum, & obſignatum, vt non a ſempiterno tempore, fuerit Filio communicatum, & illius poteſtati, atque moderationi, commiſſum.

*Et maiora his demonſtrabit ei opera, vt vos miremini.* Si hominem languidum, membris omnibus captū, annis octo & quadraginta in grabato miſerrime decumbentem, mea tantum voce, & imperio, repente ſanum, & optime valentem, adſpexiſtis, & id vobis non mediocrē admirationem commouit; intelligite, & opus illud Diuinum fuiſſe, & longe maiora, & magis admiranda, opera, a me ſuſcipienda, & perficienda eſſe, vt magis admiremini.

*Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat: ſic & Filius, quos vult viuificat.* Si mors omnia cōficit, & conſumit, ſi maxima imperia demolitur, ſi memoriam omnium rerum humanarū obliuione obruit, ſi denique nihil eſt tanto robore, & firmitate, præditum, quod non ſit tandem vetuſtate delendum, quod nā certius eſſe poterit Diuinitatis argumentum, quam mortis ipſius interitus? Qui enim mortem exterminat, vitæ ſempiternus auctor ſit, neceſſe eſt. Si igitur hoc etiam a Patre Filius habet, vt mortuos in vitam reuocet, hoc ab illo ſimiliter habet, vt verus Deus ſit eadem gloria in omni æternitate prædicandus. Sed intelligendum eſt, duplicem eſſe mortuorum ſuſcitationem. Quemadmodum, & mortis genus duplex eſt. Vnum eſt, quo homines, rebus terrenis addicti, miſeris modis affligantur: nempe, quo corpora ab animis deſeruntur. Alterum, quod multo grauius metuendū eſt, quo animi a Deo, qui eſt vera omnium vita, diuelluntur. De hoc autem genere mortis primum Chriſtus hoc in loco diſſerit; cū ait ita; Et Filius quos vult viuificat. Non enim dicit; Omnes viuificat, ſed Quos vult. Vnde colligitur, multos eſſe, quos viuificare non vult. Qui ſunt illi? Ij, qui fidem verbis Diuinis abrogāt; qui obedientiam abijciunt; qui munera Diuina repudiant; qui obſtinatis animis in flagitijs perpetuo volutantur; qui denique, vt paullo poſt videbimus, ipſius Chriſti vocem nō audiunt. Qui vero fidei viribus incitati, & ardore mentis inflammati, ſeſe ad ſtudium pietatis applicāt, ſunt illi, quos Dei Filius in vitam reſtituit. Nihil enim damnationis eſt, vt Paulus ait, iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Quid autē miſerius cogitari poteſt animo vulneribus mortiferis ſaucio, morbis peſtiferis oppreſſo, Satanæ vinculis impedito, & ſempiternis pœnis obnoxio, atque, vt nihil aliud dicam, a vita vera diſiuncto, & mortis truculentia dilacerato? Qui enim a Deo, propter flagitiorum impuritatem, deſeritur, mortis immanitati cōtinuo ſubiicitur; &, quo magis animus corpori antecellit, eo funeſtior eſt animi mors, quam corporis interitus. Ab hac autem tam immani clade, & tam diro exitio, nemo liberari poteſt, niſi Dei ipſius numine, & poteſtate. Qui igitur hanc vitam, voce tantum, & im-

perio,reddit,plane ſe Deum eſſe,demonſtrat. Hoc ergo tam præclaro opere, quod infinitis propemodum partibus mundi totius amplitudinem,& pulchritudinem, & vtilitatem,& gloriam,ſuperat, probat Dominus,ſe Dei filium eſſe,& hanc poteſtatem a Patre,infinitis ante ſæculis, accepiſſe. Quod autem hic de prima reſurrectione(ſic enim eam appellat Ioannes in Apocalypſi) ipſe Dominus loquatur,ea,quæ ſequuntur, oſtendunt.

*Neque enim Pater iudicat quemquam: ſed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificāt Patrem.* Iudicare,in ſanctis Litteris ſæpenumero idem eſt, quod Condemnare. Similiter & Iudicium,eſt ſententia,qua rerum capitalium rei condemnantur. Inquit igitur hoc in loco Dominus.Pater, neminem eorum, qui vocē Filij audierunt,qui ex tæterrimis iniuſtitiæ tenebris in iuſtitiæ lucem vocati ſunt,capite condemnat. Omnia enim crimina antiqua,quibus fuere alligati,Filio cōdonat.Hoc eſt,Filii meritis,& ſanctitate, placatus,omnes,qui Filium audiunt,omni crimine liberat,ita,vt nullum ſit eis,qui fidem Chriſto datam ſeruant, & ea fide vitam dirigunt, capitis iudicium ſubeundum.

*Vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem.* Hic non admodum clare perſpicitur, eundem omnino honorem,qui Patri debetur, eſſe Filio deſerendum? Quod ſi honor idem Filio deferendus eſt,qui Patri debetur, certe liquet,Filium eſſe idem cum Patre,eadem nempe natura,numine,potentia,conſilio, probitate,ſolaq. ab illo perſonæ ratione diſtinctum. Si igitur Patri fides debetur, ſi obedientia, ſi religionis ſanctitas,ſi gratiarum actio, ſi beneficiorum recordatio, ſi animus denique illius placitis ſemper addictus, & illius nomini perpetuo mentis ardore conſecratus; idem certe cultus fidei,obedientiæ,religionis, pietatis,& ardentiſsimi ſtudii, Filio debetur. Ergo, qui Filio Diuinitatem detrahit, iuſtitiam violat, religionem polluit, facinus infandum ſuſcipit,& in Patrem ſceleſtiſsimus eſt.

*Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem,qui miſit illum.* Conuicium Filio factum, in Patris contumeliam redundat.Si enim,qui Regis maximi legatum violat, ipſum Regem grauiſsime violat,ita, vt optimo iure poſsit Regis ipſius bello premi,& opibus, atq. vita, ſpoliari:quid de illo ſtatuendū eſt, qui nō Prophetam, non angelum, non aliquem cælitum principem, ſed ipſius Dei Filium, a cælo in terras,ſalutis humanæ gratia, miſſum, iniurijs afficit, probris conſcindit, omniq. ratione contendit,vt illi peſtem, atque perniciem, machinetur. Olim,vt plerique legiſtis,(noui enim multos hic adeſſe, qui non ſunt litterarum ſanctarū ignari) Heli, ſummus ſacerdos, nimia in filios indulgentia, laxauit diſciplinam, &, cum religionem ab illis violari accepiſſet,non eam illis pœnam ſtatuit, quam meriti erant. Valuit enim apud eum plus amor ingenitus erga filios, quam numinis Diuini metus, & populi, qui, filiorum flagitijs offenſus, religionem vituperabat, periculum. Ob hanc igitur in honoribus Diuinis negligentiam,Deus illi,& liberis, & vniuerſæ multitudini,filiorum exemplo corruptæ, per Samnelem cladem horribilem denuntiat. Eum, inquit,qui me honorauerit,decoris,& honoris, ornamentis afficiam;qui vero meum numen, & gloriam,contempſerit,dedecore omni cumulabitur.Si igitur, qui ſacrificia illa priſca, quæ non ſolidam, & expreſſam, ſanctitatem, ſed ſanctitatis imaginem, continebant, parū rite peragebant, & ſacra illa flagitiis contaminabant, tantam Deo offenſionem attulerunt, vt, religionis, expiandæ gratia, neceſſe fuerit filios hoſtili ferro contrucidare, patrē miſerabiliter interire, regionem illam vaſtari,arcam fœderis in hoſtium poteſtatem peruenire; quid de illorum ſcelere ſtatuendū eſt, qui Filium Dei,vniuerſæ naturę conditorem, & noſtræ ſalutis auctorem,violauerit,afflixerit,& probris,atque maledictis, inſecutus fuerit;quibus tandē ſupplicijs excruciandi ſunt? Ijs certe,quæ uerbis explicari,& animo complecti,non poſſumus. Ea quidem, quæ cernere licet, ea certe ſunt, quæ numquam fuerunt in vllas gentes, a primordio generis humani,conſtituta. Tellus enim eorum, fuit peſtilētia, bello, uaſtitate,conſumpta; innumerabilis multitudo,uel fame contabuit,uel ferro cōciſa fuit;reliqui, opibus,& libertate,ſpoliati, in exſilium pulſi ſunt;exſules, & extorres,vagantur; omnibus odio ſunt,uexantur,contumelijs lacerantur;eorum fortunæ diripiūtur; nulla in certa ſede conſiſtunt;Regem non habent;iudicijs carent; omnium rapinis expoſiti ſunt:illos trementes, & horrentes, adſpicimus;humanis præſidijs orbati,ad Diuina,fruſtra,confugiunt. Aſsiduis enim precibus,Dei miſericordiam implorant,ſed non exaudiuntur. Illum enim iratum ſemper babebunt, quamdiu in eadem mentis cæcitate perſeuerauerint. Plus mille & quingentis annis in exſilio, innumerabilibus iniurijs oppreſsi, viuunt, cum interim nullum ſentiant in tantis angoribus alleuamentum.Et hæc quidem mala ſunt,quæ in hac vita miſeri patiuntur: quæ illis in altera ſubeunda ſunt, ex ſceleris magnitudine,conijci poteſt,fore omnium maxima. Sed video vos,fratres commemoratione eorum malorum, quæ Iudæi perpetiuntur, exhilaratos. Non recte facitis. Immo moleſtiſsimum vobis debet eſſe,homines,ſanctorū patrū genere propagatos, & olim in ſpe ſempiternæ felicitatis enutritos,ex tam alto gradu concidiſſe,vt infinitis doloribus, æuo ſempiterno, crucientur. Ne exſtinguas, inquit, eos,Domine,ne quando obliuiſcantur populi mei. Voluit Dominus proponere vobis exemplum Diuinæ ſeueritatis,vt numen illius hor-

reatis.

reatis, non vt miſeris inſultetis. Si enim illi, propter perfidiam, ex tam alta dignitate in tam diram cladem detruſi ſunt, qua ratione poterunt ad aliquam ſpem ſalutis excitari homines, qui Iudæorum perfidiam imitãtur? Si enim Deus, vt Paulus inquit, naturalibus ramis non pepercit, time ſimiliter, ne tibi, nõ ex ſanctis patribus, ſed ex alieniſsimis a Deo hominibus, orto, vitam, & dignitatẽ, eripiat, teq. ſeueriſsimo iudicio peruertat. Sed inquies, Qui ſunt illi, qui ſe ad Iudæorum imitationem conferunt? Illi, qui, vt idem Paulus inquit, Filium Dei cõculcauerint, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerint, in quo ſanctificati ſunt, & Spiritui ſancto contumeliam fecerint.

*Qui non honorificat Filium*, inquit, *non honorificat Patrem.* Quis autem eſt ille, qui Filio Dei honorem detrahit? Is, qui iuſſa illius contemnit; qui beneficiorum Diuinorum obliuiſcitur; qui fidei datæ ſacramentum polluit; qui Spiritum Chriſti, quantum poteſt, in Crucem tollit; qui fœdus cum hoſtibus illius ſceleſtiſsime percutit; qui denique, omni vitæ ratione, cum legis Diuinæ ſanctitate pugnat. Si igitur omnis, qui Deum non honorat, eſt ſempiterno dedecore cumulandus; quid illi fiet, qui bellum dirum, & nefarium, cum Dei gloria gerit? Scio, fratres, animos veſtros gloriæ cupiditate acriter inflammatos eſſe. Hanc veſtrã cupiditatem reſecari, nolo; mentis altitudinem deprimi, moleſtiſsime patiar; animũ turpiter humilem, & abiectum, vitupero. Quid igitur volo? quid votis omnibus expeto? quid a vobis enixe contendo? Hoc certe, vt ad veram gloriam vehementer adſpiretis, & populares leuitates animo maximo, & excelſo, contemnatis. Qui enim elato animo eſt, alta contuetur, ſempiterna ſpectat, vitæ ludibria deſpicit, &, vt ſempiterna tandem gloria perfruatur, elaborat: intelligit præterea, Deum eſſe gloriæ totius architectum, & ſine illius ope fieri nullo modo poſſe, vt quiſquam verã, & ſtabilem, gloriam conſequatur; & ita ſe totum ad Dei gloriam, quantum poteſt, celebrãdam, ſumma vitæ contentione, confert, vt veriſsima tandem gloria cumuletur. Dei Filium ſemper intuemini; illius numen honorate; iudicia illius pertimeſcite; & ſic tandem, & in hac vita decus eximium a Patre ſempiterno comparabitis; & in altera immortali gloria circumfluetis.

ORA-

# ORATIO XV.

*AMen, amen dico vobis, quia, qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam. & in iudiciũ non venit: ſed tranſiet a morte in vitam. Amen amẽ dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint viuent.* Tenetis memoria, quo modo Dei Filius perditorum hominum calumniam refutauerit, & quam graui oratione impietatem, quę his tẽporibus, etiam poſt tam multa ſæcula, opera Satanæ, renouari cœperit, auctoritate Diuina compreſſerit. Numen enim ſuum operibus Diuinis comprobauit, atque docuit, ſe verum Deum eſſe, eadem cum Patre, veneratione, atque religione, colendum. Sic enim operis Diuini magnitudo ſatis aperte naturam Diuinam, atque ſempiternum numen, in oculis, & adſpectu, proponit, & nullum opus clarius Diuinum numen indicat, eo, quo animus mortis vinculis artiſsime deuinctus, exſurgit, & ſolutus ingreditur, lucemq. cæleſtem reſpicit, & vita beata perfruitur; quid magis demonſtrare poterat, Chriſtum eſſe Dei filium, quam Diuinæ iuſtitiæ munus, atque beneficium, in homines flagitijs adſtrictos magnificentiſsime collatum? Ergo, ſi Chriſti numine fit, vt in auaris benignitas elucescat, in ſuperbis moderationis lumen appareat, in libidinoſis admirandum caſtimoniæ decus emineat, in iniquis cæleſtis iuſtitiæ ſplendor ſiderum claritatem longe ſuperet, atque, ne plura perſequar, vt homines, antea in terris animo, atque ratione, defixi, terras intueri deſinant, cælumq. tota mente ſuſpiciant, atque Diuina perpetuo meditentur, idq. Chriſti voce in his, qui eum audire volunt, repente perficitur; nonne plane liquet, vocem, qua tanta vitæ conuerſio facta fuit, Dei vocem eſſe. Dei namque tantum voce mortui ſuſcitantur, &, a flagitiorum taeterrimis tenebris emerſi, Diuina luce, & veriſsima vita, perfruuntur. Hãc eandem ſententiam perſequitur hoc in loco idem magiſter, & Dominus. Docet enim, eum, qui illius vocem audierit, illamq. fide ſumma complexus fuerit, hoc eſt autem iuſſis obtemperauerit, iam in hac vita eſſe mortis tyrannide liberatum; neque poſſe, quamdiu hoc in ſtatu manſerit, capitis iudicium pertimeſcere. In iudicium enim non veniet: a vera enim vita numquam deſeretur; &, omni crimine liber, cum mors corpus oppreſſerit, in vitam florentiſsimam, nullis ſæculis interituram, ingredietur, vt cum ſanctis angelis, atque adeo cum ipſius Dei Filio, æuum exigat.

*Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo.* Et hoc quidem teſtimonio quid clarius eſſe poteſt? Si enim ſolus Deus, vitæ fons perennis eſt, & in ſe vitam ſempiternam continet, non aliunde deriuatam, ſed in natura penitus inſitam, & hoc idem eſt a Patre, ex omni æternitate, Filio cõceſſam; quis tam hebes eſt, vt non cernat animo, hoc teſtimonio Chriſti Diuinitatem confirmari? Nã, ſi Filius habet vitã in ſemetipſo, quemadmodum & Pater, conſtat certe, Filiũ eſſe Deum, a Patre, ex æuo ſempiterno, progenitum, & in eadem omnino maieſtate, & imperio, conſtitutum.

*Et poteſtatem dedit ei etiam iudicium facere.* Hic Iudicium ad iudicis officiũ pertinet, quo præmium, vel pœna, cuilibet, pro meritis vitæ, tribuitur. Chriſtus enim, vt Petrus in Actis inquit, eſt conſtitutus a Deo iudex viuorum, & mortuorum.

*Quia Filius hominis eſt. Nolite mirari hoc, quia veniet hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocẽ Filij Dei, & procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.* Paullo ante de prima reſurrectione, quæ in nouitate ſpiritus, & in veriſsimæ iuſtitiæ ſplendore, conſiſtit, locutus eſt; & ideo non dixit, Omnes, qui mortui fuerint, in vitam e mortuis excitandos, ſed eos tantum, qui Filij Dei vocem audierint: vt intelligatur, multos eſſe, qui non audiunt, & ea de cauſſa mortis immanitate miſerabiliter oppreſsi relinquuntur. Hic vero, omnes, inquit, qui in monumentis ſunt, in vitam reuocandos eſſe: diſpari tamen, atque longe diſsimili, condicione. Alij ſiquidem ſuſcitabuntur, vt corpore, & animo, ſummis, atque ſempiternis, bonis, & in omni æternitate, perfruantur; alij vero, vt animo, & corpore, æuo ſempiterno, crucientur. Non mirum, inquit, vobis eſſe videatur, quod tantum imperium hominis Filio traditum, & commiſſum ſit. Nam hic idem verus homo, verus Filius Dei eſt; &, qui nunc, voce, & imperio, eos, qui vocem illius audiunt, in vitam peccatis amiſſam reſtituit, vltimo tempore omnes, qui ſepulti ſunt, in vitam, numine, & imperio ſuo reuocabit. Omnes enim, qui iacent in monumẽtis, quamuis in puluerem redacti ſint, Filij Dei vocem audient, & ita vitam corporis, Filij Dei numine, recuperabunt, vt illius continuo iudicium ſubeant. Porro autem, iudiciũ illud erit iuſtiſsimum. Nam, pro ratione operum, ſummus iudex, vel præmium, vel pœnã, conſtituet. Vbi ſunt iſti nouæ ſapientiæ doctores, qui nullum pondus in operibus ponendum eſſe conſtituunt? qui veram fidem deſerunt, & nouũ fidei genus ingenio cõminiſcuntur?

tur? qui non ſanctis actionibus, ſed ſtultiſsima confidentia, viam in cælum muniendam opinantur? qui eo impudẽtiæ progreſsi ſunt, vt tam claro Chriſti teſtimonio repugnare non dubitent? qui opus bonum, quod eſt ſanctiſsimi iudicis ſententia immortali, atque beatiſsima vita, munerandum, vt macula flagitij, atque turpitudinis, infectum, vituperant? qui flagitia, & ſcelera, neſcio quo genere fidei nouæ, & priſcis patribus inauditæ, oblitteranda ſuſcipiunt? O amentiam deteſtandam: o impudentiam ſingularem: o ſcelerum principes, qui tantam vim malorum in Remp Chriſtianam, erroribus adeo turbulentis, inuexerunt. Sed lamentari deſinamus; & eo, vnde deflexit oratio, reuertatur. Illi namque, qui tam taetra ſacinora, cum proiecta audacia, moliũtur, iudicis ſummi ſeuerisſimo iudicio peruertentur. Sequitur deinde:

*Non poſſum ego a me ipſo facere quidquam. Sicut audio, iudico: & iudicium meum iuſtum eſt. quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me.* Iam explicatum eſt hac oratione, qua Dei Filius ait, non poſſe ſe facere a ſe quidquam, non imbecillitatem, ſed expreſſam Patris ſimilitudinem, cum Diuina virtute, & potentia, coniunctam, ſignificari. Omnis enim, qui poteſt a ſe vitę conſilium promere, & Dei lege minime gubernari, iuſtitiam conſeruare nequit. Cum primum enim iudicium ſecutus fuerit, a Dei iudicio diſſentit, & ita fiet, vt iniquus repente ſit. Iudicium namque ſuum Diuinis placitis anteponit. Sancti quidem homines, quamuis ſint in pietatis, & iuſtitiæ, cultu præcellentes, poſſunt tamen otio languere, ſtudium remittere, paullatim labi, atque tandem, ſui ipſorum amore cæci, a ſummo Dei amore diſiungi. Nemo igitur eorum poteſt dicere, Non poſſum ego a me facere quidquam. Quid, quod ne angelis quidem hoc dicere licebat, antequam fuiſſent, in fidei conſeruatæ præmium, immortali gloria ſtabiliti? Natura namque mutabiles erant, & caſibus diris expoſiti. Ecce, inquit Scriptura, qui ſeruiunt ei, non ſunt ſtabiles; & in angelis ſuis reperit prauitatem. Angeli igitur, qui conciderunt, ideo conciderunt, quia, ſe ipſis nixi, per ſe ſtatum ſuum tueri voluerunt. Non licebat igitur illis dicere, Non poſſumus a nobis facere quidquam. poterant enim labi, & corruere, & in ſempiternam miſeriam præcipites exturbari, quemadmodum multi eorum exturbati ſunt. Quis igitur poterat veriſsime dicere, Non poſſum a me facere quidquam, niſi vnicus Dei Filius, qui numquam a ſinu Patris ſeiungi potuit? Itaque, dum ait, (vt iam ſuperius dictum eſt) Non poſſum a me facere quidquam, numen, atque potentiam ſuam, aperte demonſtrat. Docet enim, fieri numquam poſſe, vt a Patre ſeiungatur. Idem confirmat, id, quod ſequitur: nempe.

*Sicut audio, iudico*. Non eſt, inquit, meum, aliquid, niſi de Patris mente, & ſententia, iudicare. Illius enim vocem ſemper audio; illius iudicium ſequor; ab illius placitis numquam diſſentio. Et iudicium, inquit, meum verum, eſt. Videamus, quam rationem afferat.

*Quia*, inquit, *non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me*. Hæc eſt igitur, vt a ſummo veritatis, & ſapientiæ, magiſtro docemur exactiſsima veritatis, atque iuſtitiæ, norma. Ergo, qui voluntatis ſuæ libenter obſequitur, mendax, & iniquus eſt; qui Dei voluntatem ſuæ voluntati, ſummo ſtudio, præponit, verus eſt, & iuſtitiam ſanctiſsime colit. Duæ namque ſunt vię, quibus ingredimur. Vna eſt ſimplex, & recta, atque maxime ſalutaris. Altera porro, varia, & multiplex, & infinita, &, vt ita dicam, peſtiferis amfractibus implicata. Recta, atque ſalutaris, via, ea eſt, quæ Dei voluntate continetur. in ea enim nullus error eſt, nullæ tenebræ ſunt, nullus hoſtium metus, nullus angor, nullum ruinæ periculum. Altera autem via, quæ in voluntate noſtra conſiſtit, eſt tenebris obducta, periculis circumuallata aſsiduo metu trepida, & infinitis erroribus impedita. Illa via, cum mirabili eorum, qui eam tenent, tranquillitate, perducit ad gloriam: hæc autem, cum triſtiſsimis errantium curis, in ſummum dedecus, & cruciatum, detrudit. Itaque, voluntate Dei, eſt nobis ſumma dignitas, atque voluptas ſempiterna, conſtituta; voluntate vero noſtra, peſtis, & exitium ſempiternum, eſt nobis, rectiſsimo Dei iudicio, comparatum. In die, inquit apud Iſaiam Dominus, ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra. Non dicit, Inuenitur iniquitas veſtra, & flagitiorum veſtrorum immanitas, & turpitudo, ſed eorum tantum voluntatem, quam omni ſtudio ſequuntur, hominibus obiectat. Inſita namque voluntas noſtra, cum Diuina voluntate bellum continenter gerit. Nomine igitur noſtrę voluntatis, totam nequitiam, & Diuinæ legis odium, deſignat. Alibi vero apud Dauid inquit: Hi errant corde. Hoc eſt, a recta via, quam illis monſtro, nefarie deflectunt, vt vias ſuas ineant. Et non cognouerunt, inquit, vias meas. Voluntariæ autem errationi ſempiternum exitium minitatur. Iurat enim, fore, ſi non in viam rectam redierint, vt numquam in requiem ſempiternam ingrediantur, ita, vt ſit illis neceſſe ſempiternis tenebris damnari, qui viam Domini deſerunt, vt ſe in vias ſuas dent. Nã, quę via noſtra eſt, ſi viã Domini relinquimus, vt ipſi nobis obtemperemus? Superbia, libido, cupiditas, odiũ, inuidia, crudelitas, ambitio, perfidia, atque, ne plura conſecter, in omni facinorũ, & flagitiorum, genere perſeuerãtia. Hę peſtes ſunt, quæ animos carpunt, atq. dilacerãt, & vitã acerbiſsimam efficiunt. Merito igitur

con-

conqueruntur de ſua temeritate, & inſania, vt eſt ſcriptum in Sapientia Salomonis, Apud inferos homines perditiſsimi. Aberrauimus, inquiunt, a via veritatis, & iuſtitiæ lumen non illuxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Nimis ſero deplorant miſeri ſuam calamitatem. Tunc eos pænitet improbitatis, cum improbitatis dolor cruciatum non minuit, ſed adauget. Ad reliqua enim ſupplicia recordatio improbitatis accedit, quæ animum miſeris modis exagitat, angoreq. ſempiterno vexat, & conficit. Hoc velim, fratres cariſsimi, vt perpetuo cogitetis, & intelligatis, nullas eſſe capitaliores inſidias illis, quæ a nobis ipſis noſtræ ſaluti intentæ perpetuo ſunt. Fugite igitur, quantum poteſtis voluntatis veſtræ machinationes, & inſidias præcauete. neque enim induſtriæ vigilantia vos a periculis liberabit, neca morte vindicabit, neca ſempiternis cruciatibus abducet. Quid ergo? inquiet fortaſſe aliquis: Non erit nobis, vt vitam tueamur, elaborandum? non erit aſsidua opera familiæ veſtræ conſulendum? otium amplexabimur? inertia diffluemus? Nullo modo, fratres. Non enim mediocre flagitium eſt, vbi opera noſtra flagitatur, otio languere, & a debita induſtria ad turpem deſidiam traduci. Sed id tantum eſt, quod Diuinitus admonemur, vt numquam in noſtræ voluntatis ſtudio, ſed in Diuinæ benignitatis fiducia, vitæ præſidia collocemus; neque cupiditatem noſtram Dei ſanctionibus anteponamus. Quæcumque enim ſine Dei præſentis ope animis agitamus, molimur, efficimus, proſperos exitus minime conſequuntur. Ita igitur omnes labores ſuſcipiamus, vt numquam in laboribus ipſis, ſed in Dei benignitate, omnes opes eſſe conſtitutas, arbitremur. Ita deinde ad obediendum Deo prompti, atque parati, ſimus, vt, quoties ſtudia noſtra Dei ſanctionibus aduerſari viderimus, ſtudia noſtra deteſtemur, & libentiſsime legis Diuinæ vinculis adſtringamur. Nec enim cupiditas noſtra, ſed Dei gratia, incenſa fide comparata, nos ſaluos, atque beatos, efficiet. Imitemur igitur ſummum illum Dominum, qui, vt verus homo, mortis inſtantis formidine conturbatus, Patrem oraret, vt ſe cruciatu illo acerbiſsimo liberaret, ait tandem, Verumtamen non mea voluntas, ſed tua, fiat. Sed, ne plura de hac ſententia diſſeramus, hoc nobis omnibus ſtatuendum eſt, ſummam iuſtitiæ, religionis, & ſanctimoniæ, in hoc poſitam eſſe, vt vere, & ex animo, illam precandi formulam, quam nobis ipſe Dominus præſcripſit, ita, quoties Deum orauerimus, tota mente, & ſtudio, dicamus, Fiat voluntas tua. Multi fortaſſe in hac materia fuiſſe videbimur. Ego tamen, cum tantum ſalutis pondus in hac ſententia ſit, qua docemur, omnes noſtras actiones, non voluntate noſtra, ſed Dei voluntate, moderandas eſſe, me ſumma breuitate vſum fuiſſe, puto. Nunc vero ad ipſius Domini orationem reuertamur. Probat, iudicium ſuum eſſe veriſsimum. Quo tandem argumento? Quia non humanæ naturæ cupiditatem, ſed Dei voluntatem, intuemur. Et oſtendit præterea, voluntatem ſuam a Patris voluntate diſsidere non poſſe. Ait enim, Non eſt meum aliquid velle, quod non ſit Patris ſummi voluntate, & iudicio, comprobatum. Quod etiam, vt dictum eſt, naturæ ipſius identitatem, vt ita dicam, cum Patris natura confirmat. Non poteſt enim eſſe quidquam in Filio a Patre ſeiunctum. Vſque adeo, vt, ſi fieri poſſet, vt is aliquid a Patre ſecretum haberet, Filius Dei, & iuſtitiæ princeps, & auctor, haberi non poſſet. Id autem oſtendit oratio, quæ ſequitur. Ait enim:

*Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum.* Si, inquit, meum teſtimonium aliquid profert, quod Pater mihi non demonſtrauerit; ſi fieri poſſet, vt aliquid ſeparatim a Patre dicerem; ſi quidquam eſſet in oratione mea a Patris ſententia, & oratione, diſtinctum; tum certe teſtimonium meum, verum minime fuiſſet. Quid enim aliud eſt mendacium, quam a ſumma veritate diſsidium? Sed non ita eſt.

*Alius*, inquit, *eſt qui teſtimonium perhibet de me.* Cum dicit, Alius, non naturam, ſed perſonam, a Filij perſona diſtinguit. Patrem enim intelligit. Ait deinde:

*Et ſcio quia verum eſt teſtimonium quod perhibet de me.* No fide, inquit, qua ducuntur ſancti homines, ſed ipſius veritatis euidentia, & exactiſsima cognitione, ducor.

*Vos miſiſtis ad Ioannem: & is teſtimonium perhibuit veritati.* Inter homines nullum grauius teſtimonium Iudæis eſſe poterat Ioannis teſtimonio. Illius enim ſanctitati tantam auctoritatem tribuebant, vt, ſi is ſe Chriſtum eſſe dixiſſet, viderentur fidem verbis illius habituri. Aliter enim numquam ad illum primarios viros legauiſſent, qui ab eo quærerent, an eſſet ipſe Chriſtus. Quod ſi Ioanni, ſe Chriſtum eſſe teſtificanti, erant credituri, quamuis teſtimonium illud iure ſuſpectum eſſe potuiſſet; quæ furiæ homines ita diuexarunt, vt eidem Ioanni, non ſibi, ſed illi, in quo Diuina virtus, admirandis operibus, eminebat, teſtimonium danti, minime credendum eſſe iudicarent? Immanis inuidia, veriſsimæ virtutis odium, diſciplinę ſeuerioris offenſio, & reliqua flagitia, quæ ſimulatione fictæ religionis occultabant, eos

ita de mente deduxit, vt,prædicationis Ioannis immemores , in ipſum, quem Ioannes laudibus Diuinis extulerat, furenter irruerent.

*Ego autem non ab homine teſtimonium accipio: ſed hæc dico vt vos ſalui ſitis.* Videtur quodam modo dignitas præſtantiſsimæ auctoritatis imminui,cum ab illis,qnos longiſsimo interuallo quis ſuperat,teſtimoniũ requirit. Non erat igitur vllo modo,cur Dei Filius,hominis,quãtauis ſanctitatis excellentia præditi,teſtimonium deſideraret. Certe,ſi dignitas tãtum illius,& non hominũ ſalus,ageretur. Dei enim dignitas,nec hominum teſtimonijs amplificari,nec conuicijs obſcurari,& imminui,poteſt. hominnm tamen ſalus,exitum nullum inueniret. Nam,ſine fide ſpes ſalutis omnino præcidi tur. fieri enim non poteſt,vt Paulus ait,vt ſine fide Deo placeamus. Ad fidem autem faciendã opus eſt teſtimonio, grauitatis,& auctoritatis pleniſsimo. At imbecillitas humana,antequã vires adepta ſit,teſtimonij Diuini ſplendorem,& claritatem,ſuſtinere nequit. Merito igitur dicebat olim populus ,in Arabię vaſtitate,& ſolitudine,Moſi,Nõ loquatur nobis Dominus, ne forte moriamnr. loquere tu nobis, & audiemus. Pręterea,humana natura,rebus corporeis aſſueta,nõ poteſt mentẽ ſubito a rebus terrenis abſtrahere,vt cęleſtia cõtempletur;neque ſenſibus fidem abrogare, vt mente libera,atque ſoluta,Deum quantum in hac vita licet,intueri condiſcat. Fuit igitur neceſſe, cum homines Deum audire,& videre,non poſſent,vt vitę magiſtros haberent , quorũ diſciplinis inſtructi,ad cognitionem Diuinę potẽtię,atque probitatis,adſpirarent. Cum igitur Deus Prophetas in mundum miſit, qui genus humanũ diſciplinis cęleſtibus erudirent, non ſuę dignitati,ſed noſtrę ſaluti,proſpexit. Aliter enim,numquam bomines ad ſalutarẽ doctrinam dociles fieri potuiſſent. Ergo,cũ Ioannem,omnium Prophetarum maximũ, in mundnm miſit, tum vel maxime temporibus illis hominum ſaluti conſultum eſſe voluit, vt illius nempe prædicatione facilius Cbriſti cognitionem caperent. Hoc igitur eſt, quod ait: Non indigeo teſtimonijs homiuum. Cum igitur illorum teſtimonijs vtor, non meam dignitatem,ſed ſalutem tantum veſtram,mihi propono. Hoc,inquit, dico, vt ſalui ſitis, nempe, vt illius auctoritate, quem tanti faciebatis, ei, quem ille prædicabat,fidem haberetis.

*Ille erat lucerna ardens,& lucens. Vos autem voluiſtis ad boram exſultare in luce eius.* Non dicit ille,Sol erat,mundũ vniuerſum clariſsimo ſplẽdore colluſtrãs,ſed,Lucerna ardens, & lucẽs. Lucerna enim tantiſper vtimur, dum Sol non exoritur. Exorto autem Sole,lucernis non valde indigemus. Sic enim Petrus ait: Habemns firmiorem Propheticum ſermonem, cui bene facitis,attendentes,qnaſi lucernæ ardenti, in loco caliginoſo,donec dies eluceſcat,& Lucifer oriatur in cordibus veſtris. Prophetarum quidem ſermo,firmus,& ſtabilis, ſemper fuit, cum non humanis ſenſibus, ſed Diuini Spiritus munere,& beneficio, prolatus exſtitiſſet. Illius tamen firmitas,tum maxime,perſpecta fuit,cum Chriſtus aduenit;& omnia,quæ prædixerant illi,fuere clariſsimis euentis cõprobata. Tum igitur firmior apud homines illorum ſermo factus eſt, cnm veriſsima lnx mundi exorta fuit; vt tenebras omnes diſpelleret, lumenq. ſuum longe lateq. diffunderet. Non tamen ob id Propbetarum diſciplina contemnenda eſt,immo plutis æſtimanda,quod fidem ea magis ſtabilitam cernimus. Intelligimus enim,lumen diſciplinæ, quod hominibus porrexere, fuiſſe a vera luce, quæ illuminat omnem bominem venientem in hunc mundum, derinatum. Tunc enim admodum clare cernimus, cnm omnia, quæ de hac luce prænuntiata fuerant, aptiſsime ad numerum cecidiſſe cognoſcimus. Quo autem magis id nobis innoteſcit, eo candidior omnibus dies eluceſcit, & Lucifer in animis noſtris clarius ſplendet. Sed ad Ioannem reuertamur, quem Dominus aſſerit non Solem,ſed Lucernam,amoris Diuini facibus inflammatam & lucem multis mortalibus afferentem,exſtitiſſe. Et vos, inquit, voluiſtis ad horam exſultare in luce eius. Eorum inconſtantiam damnat, qnos intra breuiſsimum tempus mira cepit Ioannis ipſius obliuio.

*Ego babeo teſtimonium maius Ioanne.* Quod autem illius ſit,quod longe maius Ioannis teſtimonio ſit,aperit ſtatim,dicens:

*Opera enim,quæ dedit Pater vt perficiam ea ipſa opera teſtimonium perbibent de me,quia Pater miſit me: & qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me.* Opera, quæ nulla ratione poterãt, niſi virtute Diuina, fieri, certiſsimum proferunt Diuinitatis argumentum. Vnde enim ab exordio generis bumani potuit intelligi, Deum eſſe, niſi ex admirandis operibus, quæ homines oculis,atque reliquis ſenſibus, vſurpabant? Cęli,inquit Dauid,enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamẽtum. Cæli igitur claritas, & amplitudo, quę naturam vniuerſam ambitu ſuo complectitur, quæ formas innumerabiles miro concordiæ vinculo deuincit, cuius perenni cõuerſione omnia fulciuntur, ſtatumq. ſuum conſeruant,firmiſsimũ teſtimonium Deo dant potẽtię immenſæ,& probitatis infinitæ. Deũ enim videre nõ poterant homines. Ex operibus igitur illius,quę in mundi totius fabrica,& ornatu,& vtilitate,adſpiciebant,illũ agnoſcebant. Aliter enim nemo Dei cognitionem capere potuiſſet. Similiter,ex Chriſti operibus,numen illius ita notum, atque teſtatum, erat, vt nemo poſſet de veritate illius ambigere,

niſi

niſi prius ſenſum, atque mentem, amiſiſſet. Qua enim vi poterant cæci viſum, ſurdi auditum, leproſi ſanitatem, niſi Diuina, recipere? Quæ tanta virtus in vllo viro maximo, vllis vnquam temporibus, enituit, vt illius voce tantum morbi pellerentur; & dæmones, qui viribus inuictis orbem terrarum obſeſſum tenebant, fugarentur? Quis vnquam ventis imperauit, fluctus compeſcuit, & ex turbulentiſſima tempeſtate tranquilliſſimā ſerenitatem in ſuos induxit? Quis denique mortuos in vitam imperio reſtituit, atque demonſtrauit, vitam verbo tantum ſuo contineri? Ergo, cum opera tam illuſtria, tam admiranda, tam ſalutaria, nullo modo, niſi Diuina virtute, potentia, benignitate, fieri potuiſſent, ſatis conſtabat, illum, cuius voluntate, & imperio, ea omnia, temporis momento, gerebantur, Dei Filium fuiſse, a cælo in terras miſſum, vt hominibus ſalutem daret, & eos in cælum tandem perduceret. Et hæc opera illo tempore teſtimonium continebant. Præter id, etiam antiqua teſtimonia commemorat, dum ait:

*Et qui miſit me Pater, teſtimonium perhibuit de me.* Antequam, inquit, in mundum venirem, iam Pater multis in locis per Prophetas ſuos fuerat teſtificatus, me eſſe humanæ ſalutis vindicem, cæleſtiſq. Reipub. conditorem, & ſempiternæ dignitatis auctorem, & meo numine, atque ſanctitate, gentes a Dei religione diſsidentes, & exſecratione deuinctas, expiandas, & in ipſius Dei populo cenſendas. Quid exſpectatis, inquit, dum Pater ipſe, abſque vllo ſuæ mentis internuntio, vobis viam ſalutis aperiat? Hoc fieri nequaquam poteſt. Nec enim hominibus, ergaſtulo corporis incluſis, ipſius Dei vocem audire licet; nec formam, & ſpeciem, illius intueri. Non videbit, inquit ille, me homo, & viuet. & ea de cauſſa angelis internuntijs, & ſanctorum hominum diſciplinis, vſus eſt, vt, illorum opera, facilius poſſemus ad cæli conſpectum aciem mentis excitare, viamq. in gloriam ſempiternam, ipſius Domini benignitate, munire. Inquit igitur:

*Neque vocem eius vnquam audiſtis, neque ſpeciem eius vidiſtis.* Factum igitur eſt, vt a legatis, quos vobis audire, & videre, conceſſum erat, verbum illius audiretis. Multifariam namque, vt Paulus ait, multiſq. modis, olim locutus eſt per Prophetas, quibus quidem, inquit, ad breue tempus aures veſtras præbuiſtis. Sed verbum illius obliti continuo fuiſtis, legis fœdera perfregiſtis, Prophetarum monita contempſiſtis. Ait igitur:

*Et verbum eius non habetis in vobis manens.* Excidit repente ex animis veſtris, memoriamq. illius abijcitis. Non permanet igitur in vobis, ſed elabitur, & effluit, nullumq. illius veſtigium, in vita veſtra impreſſum, aliquo pietatis ſtudio perſpicitur. Hæc obliuio ſceleſtiſsima, hoc exſecrandum ingrati animi crimen, cum in odio, quod contra ſanctos olim homines exprompſiſtis, perſpicuum extitit, tum hoc maxime tempore perfidia veſtra perſpecta fuit.

*Quia*, inquit, *quem miſit ille, huic vos non creditis.* Sed dicerent, Nos vitam noſtram, ad Scripturæ ſanctæ monumenta perpendimus, & fidem noſtram ad teſtimonia Diuina libenter accommodamus; reliqua omnia, vt ſuſpecta, reijcimus. Hoc ne dicere poſſent, ait:

*Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt, quę teſtimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me vt vitam habeatis.* Poſſum ne grauius apud vos teſtimonium ſumere, quam ſanctarū Scripturarum, quibus ſic eſtis innixi, vt in illis omnē ſpem vitæ ſempiternæ habeatis? Illas igitur nec oſcitanter legatis, neque præiudicium ex errantibus opinionibus factum ad earum ſtudium conferatis, ſed eas animo puro, & cupiditate veritatis incenſo, diligenter euoluite. quis ſit earum finis, quæ mens, quę ſententia, quantum poteſtis, inquit ite: quę myſteria in verbis lateant, explorate; & ſic tandē, lumine Diuini ſpiritus illuſtrati, poteritis opibus Diuinis, quæ fide cōparantur, affluere. Ipſę enim teſtimonium perhibent de me. O clementiæ Diuinæ magnitudinem, & immenſitatem. Cum videret enim ſummus ille Dominus, & parens optimus, quā tardi, & hebetes, eſsent animi ſenſibus affixi, ad ea continenda, quæ ſunt a ſenſibus amota, & mente tantum pura conſpiciuntur, & quam indociles eſſent ad rerum Diuinarum fidem, & intelligentiam, & ſine fide Diuinæ benignitatis fieri non poſſe, vt homines vita ſempiterna fruerentur; antequam maximum omnium beneficium hominibus impertiret, ea fidei ſundamenta ab initio iecit, vt nemo, qui non prorſus inſaniret, poſſet beneficij magnitudinem in dubium reuocare. Beneficium vero quod maius eſſe poterat eo, quo Deus Filium ſuum, rerum omnium conditorem, & moderatorem, & cælitum imperatorem, expreſſam ſuæ claritatis imaginem, in ſpecie informatum, in mundum miſit, qua videri oculis, & contrectari manibus, hominum poſſet; & ſub humana forma, quam induit, nobis omnibus ſanguinem ſuum largiretur; &, qui lege, qua tenebamur, eramus pœnis ſempiternis obnoxij, a legis diritate liberati, Filii Dei, Diuinæq. naturæ conſortes, efficeremur. Qui Filio inquit Paulus, non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quo modo non cum illo omnia nobis donauit? Quid igitur hominibus in terra defixis minus credibile videri potuiſſet, quam, Dei Filium ſe hominem fieri voluiſſe, vt animos noſtros ſuo ſanguine profuſo expiaret, & mortem, & cruciatum, pateretur, vt nos ſaluos, & incolumes, redderet, & opibus Diuinis, atque ſem-

piternis, afficeret. Cum vero maximum Diuinitatis argumentum ſit, rerum futurarum prædictio, ſtatuit Deus, vt hoc tantum beneficium, & munus, quod erat tempore definito generi hominum tribuendum, multis ante ſæculis eſſet figuris adumbratum, oraculis prænuntiatum, fœderis ſanctiſsima religione conſecratum, vt omnis dubitandi occaſio tolleretur. Apud Iſaiam inſultat in commenticios deos Deus verus, atque ſempiternus, inquiens, Quæ ventura ſunt, annuntiate nobis, & dicemus, quod dij eſtis vos. Et alibi, apud eundem Prophetam, inquit, ſe multa, antequam fierent, prædixiſſe, vt, cum homines prædictionis exitum cernerent, intelligerent, omnia illa fuiſſe ſempiterno numine, atque prouidentia, gubernata. Quemadmodum apud Ioannem inquit: Hæc dixi vobis antequam fiant, vt, cum facta fuerint, credatis. Ob id igitur a ſummo Domino clementiſsime factum eſt, vt omnia, quæ in Chriſti aduentu erant, ipſius Chriſti opera, facienda, ſanctis Prophetis enuntiarentur, vt eorum ſcripta, poſteritati commendata, fidem ſancirent. Itaque neque natale illius ſolum ſilentio ſuppreſſerunt; neque pauperiem, & humilitatem, tacuerunt; neque manſuetudinem, & benignitatem, omiſerunt. Opera vero illius admiranda, quibus erat inſitum numen oſtenſurus, præmonſtrarunt. Nam, quemadmodum eſſet lumen cæcis, auditum ſurdis, languidis vires, ægrotis ſanitatem, redditurus, & multa opera Diuinæ virtutis editurus, Diuinitus explicuerunt. Quid? quod neque contumelias, quas in illum hoſtes Diuini nominis intorſerunt, neque cruciatus, atque ſupplicia, quæ erant illis perferenda, tacita ſunt ab illis prætermiſſa? Vſque eo denique progreſsi ſunt, vt etiam fel, & acetum, minime præterirent. Omnia igitur, quibus vel dedecus illi profligatiſsimi homines inurere conati ſunt, vel vitæ immortalis gloriam, ad quam, poſtquam a mortuis excitatus fuit, eum Pater ſempiternus euexit, ſenſibus Diuinis, incitati prænuntiauerunt. Teſtimoniis igitur multis euicti ſunt; ſcelus, & impudentia eorum redarguta tenetur, nec habent vllam defenſionem, qua elabi poſsint. Nec enim ei, quem tam laceſſebant, credere voluerunt; nec operibus Diuinis fidem habuerunt; neque poſtremo ipſi Deo, qui in Litteris ſanctis ſæpiſsime Filij numen teſtificatus eſt, obſecuti ſunt.

*Et non vultis venire ad me vt vitam habeatis.*

Non meam, inquit, cauſſam ago; non mea negotia procuro; nō bonis veſtris indigeo; vt vobis, atque vitæ veſtræ proſpiciam, ſummo opere contendo. Similiter in Deuteronomio idem Dominus ait: Et nunc, o Iſrael, quid Dominus Deus vult a te, niſi, vt timeas Dominum Deum tuum, & ſeruias ei, & ambules in uijs eius, & diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, vt bene ſit tibi. Non dicit, Vt mihi melius ſit, ſed, Vt bene ſit tibi. Hæc dicit in eo loco Dominus. Vnde concluditur, & quanta ſit illius, & quam immenſa, benignitas, & quam exſecranda ſit eorum pertinacia, qui beneficia Diuina aſpernantur, contemnunt, atque reiiciunt, & contra Dei bonitatem dirum, & nefarium, bellum perpetuo moliuntur. Num Deus noſtram fidem, noſtram obedientiam, noſtram caritatem, exigit, noſtram puritatem, & ſanctimoniam, requirit, vt ipſe beatior ſit, omnibuſq. ſummis bonis affluentior? Non profecto. Nec enim dignitas illius, noſtris laboribus, & officijs, augeri, & amplificari, poteſt, cum ſempiterna, & immenſa ſit; neque ſæculis infinitis interire, aut obſcurari, aut imminui, & obteri, queat. Cum igitur aliquid imperat, cum legem ſancit, cum præmiū obedientibus proponit, cum rebellibus pœnam conſtituit, omnia hæc ad ſalutem noſtram conferuntur. Nō igitur ſuam commoditatem, & emolumentum, ſed vtilitatem, atque vitam noſtram, reſpicit, cum ſanctiones ſuas, aut præmiorum amplitudine, aut pœnarum magnitudine, & atrocitate, corroborat. Ergo, cum Diuina iura contemnimus; & in legem Dei bellum aſsiduum comparamus, illi nocere non poſſumus, ſed nobis ipſi peſtem, atque perniciem, per ſummum ſcelus, inferimus. Vocat ille nos ad decus eximium; & nos, ſponte noſtra ſummam ignominiam furenter amplexamur: vocat ad ſempiternas opes; & nos ſummam inopiam libenter arripimus: vocat ad ſalutem; & nos, morbis innumerabilibus implicari, quam illius ope ſanari, malumus: poſtremo, vocat ad vitam; & nos ita mortis ſempiternæ vinculis adſtricti ſumus, vt vitam ſempiternam, immani odio perſequamur. O deteſtabilem furorem: o amentiam exſecrandam: o cæcitatem diriſsimam, quæ tantam vim in impios, & conſceleratos, homines importat. Quid autem Iudæos a fructu tantæ felicitatis abſtraxit, vt, ea felicitate neglecta, ſe in miſeriam ſempiternam, præcipites, iniecerint? Diffidentia, inquient. Non credimus, niſi, quod explorate cognoſcimus. Recte facitis. Sed quæro, qua tandem ratione poteratis arcana Diuina perſcrutari, & inſpicere? Viſu? At hoc nemini conceſſum vmquam fuit, vt, in hac vita, Dei numen, atque naturam, oculis intueretur. Auditu, aut aliquo alio ſenſu? Hoc ſimiliter fieri nequit, vt humani ſenſus formam Diuinam percipiant. Fide igitur opus erat, vt Dei intelligentiam caperetis. Summa igitur auctoritas neceſſaria fuit, vt fidem haberetis. Potuitne a vobis maior auctoritas excogitari, ea, quam Ioanni tribuendam eſſe iudicaſtis? Tempora, prophetarum oraculis prænuntiata, aduenisse, perſpexiſtis. Ioannis ortum multis miraculis celebratum eſſe, cognouiſtis;

Digitized by Google

uiſtis; vitam illins in ſolitndine actam, non ſolum ſama, & auditione, ſed etiam oculis, & auribus, accepiſtis; cæleſtem doctrinam, atque plane Diuinam, audijſtis; nec in illius natali die, nec in illius admirabili ſanctitate, necin illins doctrina, quidquã cerni potuit, quod non eſſet cæleſte, atque Diuinum, multisq. modis admirandum. Veſtro etiam teſtimonio omnibus Diuinis viris antelatus.

Tantam enim admirationem commouit vobis viri ſanctitas, vt exiſtimaretis, eſſe veriſimile, illum eſſe Chriſtum generis humani liberatorem. Cur ergo illi non credidiſtis? Cur illius teſtimonium contempſiſtis? Cur fidem illi, quem tanti faciebatis, non adiunxiſtis? Eſto. Non hominis vllius verbis, ſed Dei ſignis, & operibus, ſalutem veſtram credendam eſſe ſtatuiſtis. Cur igitur, cum ea ſigna fieri conſpexiſtis, quæ fieri nequaquam poterant, niſi Dei ipſius numine, potentia, atque probitate, non ſtatim animos veſtros inflexiſtis, & ab iſta pertinacia deſtitiſtis, vt Deo gloriam tribueretis? Sed fortaſſe dicitis: omnes veſtras rationes ex auctoritate ſanctarum litterarum eſſe ſuſpenſas. Sanctis igitur litteris fidem habete; in illarum ſtudiũ viribus totis incumbite; illarum magiſtrum vobis Spiritus ſancti numen, & conſilium, vt habeatis, elaborate; & videbitis, omnes litteras ſanctas, Chriſto, quem conuicijs indigniſsimis inſectari non deſiſtitis, numinis ſempiterni teſtimonium dare. Sed non hoc fortaſſe dicitis: ſed diſciplinæ aſperioris horrorem, & ſuppliciorum metum, vos ab illius ſtudio prorſus auertiſſe. Quaſi ille vos ad ſupplicium, non ad ſalutem; ad mortem, & non ad vitam, euocauiſſet. Ad ſalutem, ad gloriam, ad vitam, ad æternas opes, euocabat; vos vero ſalutem veſtram prodidiſtis, gloriã contempſiſtis, vitam aſpernati fuiſtis; opes ſempiternas pro nihilo duxiſtis; eaq. de cauſſa merito fuiſtis inſanabilibus morbis oppreſſi, maculis ignominiæ ſempiternę deformati, tæterrimæ mortis immanitate lacerati, & in egeſtatem ſempiternam detruſi. Sed, vt Iudæos omittamus, ad vos ſe noſtra conuertat oratio. Non ita pridem vos admonui; vt, quoties in memoriam reuocaueritis Iudæorum perfidiam, intelligatis, nõ ruinæ illorum exemplum in oculis veſtris conſtitutum eſſe, vt in illorum triſtiſsimo caſu inſolenter efferamini, ſed, vt exemplũ tam diri ſceleris extimeſcatis. Si enim illorum veſtigijs inſtiteritis, quo maiora ſunt in vos, quam in illos, collata beneficia, eo grauiora ſupplicia patiemini. Sed dicet quilibet veſtrum, Ego vt ſceleſtiſsimam gentem ſequar? ego vt perfidiam, & cæcitatem, hominum perditorum mihi imitandam putem? ego vt non tanti ſceleris exẽplum ab animo, ab oculis, ab auribus, aſperner? Oratio certe ſpecioſa eſt. Sed vereor, ne vita parum cum oratione conſentiat. Si vero vos Chriſtus ad vitam vocauerit, & vos, ſpreta Chriſti benignitate, in mortem, ſponte veſtra, rueritis, non Iudæos imitabimini? Auertat ipſe Chriſtus omen, vobisq. mentem det, vt, quoties ille vos ad ſalutem, & dignitatem, euocauerit, voci illius, tam iucundæ, atque ſalutari, minime reſiſtatis; ſed continuo acceleretis, vt imperio Domini, tamquam ſerui fideliſsimi, pareatis, & parentis optimi benignitate, tamquam filij, debita pietate præditi, perfruamini.

ORA-

# ORATIO XVI.

*Claritatem ab hominibus non accipio. Sed cognoui vos quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* A veritate quidē auertit multos mortales libido, & auaritia. ſed nihil eſt, qđ tantas vires habeat ad veritatem oppugnandam, quam gloriæ popularis ambitio. Omne ſiquidem ſtudium eorum, qui ſe claros, & illuſtres, haberi apud homines volunt, in vanitate ſumma conſumitur. Se namque libertate ſpoliant, iudiciumq. ſuū deſerunt, vt ſeruiant multitudinis amentiæ, aut principibus errores infinitos obijciant, vt ſic tandem eorum opiniones aucupentur, &, per eos, ad ſummos, vt ipſi putāt, honores euehantur. Itaque veritas compreſſa ſilet, & mendacium in vita dominatur. Principes enim, blandis adulatorū ſermonibus oblectantur, &, eorum mendacijs deleniti, ſibi quodāmodo Diuinitatem attribuunt. Adulatores, dolis innixi, ſibi præmia ingentia, de artificio ſuo fraudulentiſsimo, pollicentur; multitudo, eorum, qui rerum potiuntur, imperio, mēdacijs, atque fraudibus, obſequi, & obedire, cogitur. ita fit, vt plerumque omnis veritas obmuteſcat. interclusa porro veritate, neceſſe eſt, vt omnis vita in acerbitate ſumma verſetur. falſas enim voluptates inaniſsimo ſtudio conſectatur, quas acerbiſsimi dolores repente conſequuntur; opes fallaces nimis ſitienter inquirit, quas inexplebilis cupiditatis mendicitas ſumma contaminat: honores inaniſsimos ambit, vt veriſsimis omniū turpitudinum notis, atque ſempiternis maculis, inuratur. His igitur miſerijs circumuenti ſunt omnes, qui, vt ab huminibus honores adipiſcantur, omnia, quæ poſſunt, ingenio cōminiſcuntur. Vt autem Dominus oſtendat, ſe nullo modo poſſe mentiri, oſtendit, id, quod erat ſatis omnibus exploratum, ſe numquam ab hominibus gloriam, cuius homines auctores ſunt, expetiuiſſe. Itaque ait: Cum tam multa nō ſolum Diuinorum hominum, ſed ipſius etiam ſummi Dei, teſtimonia habeatis, & in me nullius rei, quæ me in fraudem inducere queat, veſtigiū notare poſsitis; cur tanta contentione exploratā, & cognitam, veritatem oppugnatis? Nam, cum neque libidinis vllum flagitium, neque auaritię maculam, mihi obijcere poſsitis, tum, quam ſim a popularis gloriæ cupiditate remotus, ita perſpicuum ſit, vt probatione nō indigeat: cur tam claris Dei teſtimonijs, tantæ innocentiæ tributis, fidem non habetis? Tergiuerſari non licet; cauſſas alias adducere, non eſt in re tam perſpecta conceſſum: veram enim iſtius perfidiæ cauſſam ipſe proferam. Quænam ea eſt? Dilectionem Dei non habetis in vobis. Cum igitur Diuinorum beneficiorum immemores ſitis, cū legē illius fœdiſsimis factis impugnetis, cum ſanctitatem ſummam odio ſummo perſequamini; mirum eſſe non debet, ſi Dei teſtimonijs fidem prorſus abrogatis. Nec enim poteſtis aſſentiri verbis, quibus impietas veſtra conuincitur. Odium porro veſtrum, & ſcelus nefarium, in ipſum Deum, hoc argumento planum faciam.

*Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Imperium Patris minime recuſaui; gloriam illius mihi non impudenter arrogaui: non ſum Diuinum genus ementitus: omnia, quæ gero; labores, quos perfero; ſtudia, quibus ſollicitor, ad illius nomen illuſtrandum confero; &, cum proprium bonitatis immenſæ ſit, ſalutem dare, (ſalus autem hæc, illius cognitione continetur) in hoc vehementer elaboro, vt illius nomen omnibus modis in terris innoteſcat, & ita quamplurimi fiant ſalutis, atque vitæ, ſempiternæ participes. Sic autem promptus, atque paratus, ſum, ad commiſſum mihi a Patre munus efficiendum, vt, dum hominum ſaluti conſulam, nullum ſupplicium recuſem. Quid eſt, in quo voluntatem illius offenderim? in quo in officio meo deliquerim? quod ad gloriam illius non contulerim? Quod nam eſt opus, quæ dignitas, quod inſiti numinis argumentum, quæ denique munera ſempiterna, quæ non me ab illo accepiſſe confeſſus ſim? Illum enim ſemper parentem, illum bonorum omnium auctorē, illum numinis Diuini principium, teſtificatus ſum. Omnia namque Diuinitatis ornamenta, quæ in meis operibus eluceſcunt, ab illo profluxerunt. Numquam gloriam illius præripui, nec a me prompſi aliquid, quod nō ab illo fonte perennitatis emanarit. Non igitur in nomine meo, ſed in nomine illius, veni, vt opus illius exſequerer, & ſalutem generis humani, vt in mandatis accepi, conſtituerē; & tamen non recipitis me. Quod nam igitur clarius teſtimonium inſiti in animis veſtris odij erga Diuinam mentem dare poteſtis? Hoc autem magis erit apertum, cum alium recipietis, qui venerit in nomine ſuo. Antichriſtum deſignat, qui non in nomine Domini veniet. Non enim illi Dominus virtutis teſtimonium dabit; ſed Satanas, intolerādæ ſuperbiæ vim, atque robur minime ferendum, largietur. Non igitur veniet, vt ſalutem conferat, ſed, vt perniciem inferat; non manſuetudinis, & humilitatis, exemplū proponet, ſed immanitatis, & arrogantiæ, diſciplinam tradet; non ſupplices, & abiectos, excitabit; ſed omnes, quos moderationis, atque pietatis,

ſtudioſos

ſtudioſos eſſe cognouerit, trucnlētiſsime diſperdet. Cum autem omnibus ſummis ſceleribus, atque flagitijs, coopertus exſtiterit, erit egregius virtutum omniū ſimulator, ita, vt, ſpecie ſanctitatis, in principio multos ad ſe mortales alliciat. Opibus efferetur; imperij magnitudine nimis acriter, atque vehementer, inſoleſcet; opinione ſapientiæ tumidus efferabitur. erit enim fallaciſsimis Iudæorum diſciplinis eruditus. Thalmud enim, & Cabalam, exactiſsime tenebit. ſigna quam plurima edet, non ea tamen, quæ veram ſanitatem, aut vitam, reſtiruant, ſed quæ admirationem ingentem imperitis incutiāt. Iguem enim ex ætheris regione decidere faciet, quæ ſegetes exurat; ſtatuæ loquentur; mortuorum imagines volitabunt; omnia denique ſigna dabit, quæ nou ſalutem, ſed horrorē, inijciant. Præterea, multas victorias contra ſanctos homiues obtinebit; multorum bonorum millia trucidabit; quacumqne impetum dederit, omnia ferro, flamma, vaſtitate, conficiet. Porro autem, quamuis, ſimulatione pietatis, in ſuæ ſectæ primordio, ſcelera iufinita contegat, omnes tandem artes, & machinationes, quo taudem tendant, apparebit. Aperta namque tyrauuis, crudelitate, & auaritia, conuiucetur. Simulatio namque pletatis, diuturna eſſe non poteſt; &, quo maiores peſtes animum illius exagitaucrint, eo vitia illius fortius, atque violentius, iu omnium, in quos incurſauerit, exitium erumpet. Sed, cum multa ſigna, magicis artibus, & ope diſciplinæ peſtileutis, ediderit, vnum tameu Diuinæ virtutis ſignum, in quod maxime ij, qui ſunt a Deo electi, reſpiciunt, ſimulare uon poterit. Nec enim homines continentes, & moderatos, & benignos, efficiet, aut rerum cæleſtium cupiditate, doctrinis, & exemplis, ſuis, inflammabir. Erit igitur hominum impurorum, & inſolentium, & crudelium, & impiorum, comitatu circumſæptus. Iuterim pœnis ſcelerum dies atque noctes, cruciabitur; &, in ſumma felicitatis ſpecie, grauiſsimas ſcelerum pœuas exſoluet. Nec enim tautum valet vitiorum omnium colluuies, vr facinorum conſcieutiam poſsir opprimere. Vexabit igitur illum dies atque uoctes maleficiorum recordatio; impietatis magnitudo mentem illius aſsidue torquebit; impendentium ſuppliciorum cogitatio illius animum aſsiduo pauore concutiet; illi denique ſemper occurrent furiæ, quę miſerum hominem reſpirare non ſinent; & tamen ſic, gloriæ, atque uominis ſui, ſtudio, in omne ſummum facinus, rapietur, vt numquā ab iuſtituta amentia deſiſtat. Victorijs igitur elatus, & ſucceſsibus inflatus, bellum in cælum comparabit, ſibiq. Diuinitatem attribuet: quemadmodum Paulus, ad Theſſalouicenſes ſcribens, ait. Illum namqne hominem omnium ſceleſtiſsimum, & filium perdirionis appellat, inſita temeritate, & impudentia, ſe ſupra Dei numeu extollentem, & in templo ſedem Diuiuam furenter occupantem. Valde de ſe magnifice loquetur, vt inqnit Daniel, contumelias in Deum iaciet, ſauctiſsimum illius numen conuicijs inſectabitur. In illum Zacharias grauiſsimis verbis inuehitur. Ioaunes illum in Apocalypſi immanem belluam nominat, in diſciplinis infeſtiſsimi draconis educatum. Sed, quid opus eſt verbis, cum nulla ſinr, quæ tantum ſcelus explicare poſsint? Hoc tam immane monſtrum, tam exſecrandum portentum, atque prodigium, ex Iudæis ad Iudæorum diriſsimam plagam propagandum, Iudęi cum maximo plauſu recipient; illum Chriſtum nominabunt; illum ſectabūtur; in illo ſpem omncm libertatis poueudam ſtatuent; &, qui ſalutis auctorem in Crucem ſuſtulerunt, ſalutis euerſorem complectentur, & hoſti perditiſsimo numinis ſempiterni Diuinos honores inſtituent. Quo quidem ſupplicio nullum maius, in vita, cogitatione, fingi poteſt. Nam, ſi nullum malum eſt mentis cæcitate funeſtius, & maior cæcitas non poteſt excogitari ea, qua Iudæi ſunt honores Diuinos ad monſtrum truculentiſsimū, ſumma conſenſione, delaturi; certe conſtat, quam diris pœnis ſint illi, qui in tanto errore perſeuerauerint, excruciandi, etiam autequam ex hac vita in miſeriam ſempiternam deferantur. Antichriſtus, poſt duos, & quadraginta ſummi imperij menſes, ſpiritu Chriſti funditus interibit, & illius ſectatores ſupplicijs acerrimis impietatis pœuas dabunt, ijs tantum exceptis, qui, Heliæ prædicatione cōuerſi, Chriſti, liberatoris noſtri, numē adorauerint, & dixerint, Benedictus, qui venit in nomine Domini. Sed eum, qui in nomine ſuo veuiet, exſecremur; & ad eum, qui venit in nomine Domini, inflammato ſtudio reuertamur. Sic autem orationem inſtitutam continuat:

*Quo modo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam, quæ a ſolo Deo eſt, non quæritis?* O miſeros homines, qui gloriæ uimis appetentes ſunt, in quam lubrico, & periculoſo, loco verſantur? Qui enim, deſerta veræ gloriæ via, iu viam inanis gloriæ furenter ingrediuntur, vt ex hoc loco colligimus, ſpem ſibi ipſis ſempiternæ felicitatis incidūt. Ingentis namque fidei opibus ſpoliati, labuntur, ita, vt credere, ea ratione, qua ad ſalutis fructum opus eſt credere, non poſsint. Inter vtamque gloriam hæc eſt diſtinctio. Vera gloria ea tantum eſt, quæ Dei teſtimonium conſequitur. falſa, & inanis, eſt ea, quæ populi iudicio continetur. Quam diſtet autem plerūq. populi furentis opinio a Diuina ſentētia, ferme omnes intelligunt. Sed leuitate quadam, atque furore, præcipites, & vanitatis vinculis impediti, quod ſentiunt, exſequi non poſſunr: & iccirco fit, vt vaniſsimam, & fallaciſsimam, claritatem, breuiſsimo tēporis ſpatio

circum-

circumſcriptam, veriſsimæ, atque ſempiternæ, gloriæ præferant, & hominum inanes rumuſculos iudicio Diuinæ mentis anteponãt. Vera, ſtabilis, atque ſempiterna, gloria, veræ virtutis ſtudio comparatur. Vera autem virtus, ea tantum eſt, quæ beneficio Diuino continetur. Deus enim ſolus, eſt virtutis, & honeſtatis, parẽs, dignitatis fons, & origo, totiusq. decoris, & honeſtatis, architectus. Qui igitur vera, & expreſſa, gloria frui cupit, ad Dei ſe ſtudium conferat, opus eſt; & inde petat omnia veriſsimæ laudis ornamenta, vnde vitæ initium duxit. Qui vero aliunde gloriam aucupari ſtudet, non gloriam, ſed gloriæ fallax, & inane, ſimulacrum venari, ſine vllo fructu, concupiſcit. Vt igitur nebula, radijs Solis euaneſcit; & vt ſpuma, impetu fluentis aquæ diſpellitur; ſic omnis laus, inconſideratæ multitudinis iudicio repentino comparata, interueniente veritatis luce, diſsipatur. Præterea, eſt intelligendum, tũc omnia bona ſtatum ſuum tueri, cum ad initium, vnde ſunt profecta, ſalutari conuerſione referuntur. Vt igitur ignis, ætheris ardore conſeruatur; vt aqua, nimbis, & imbribus, & vaporibus, augeſcit; vt reliqua denique corpora ſimplicia, principijs ſuis innixa, fulciuntur; diſiuncta vero, atque longiſsime ſemota, diſpereunt; ſic & dignitas, quæ a Deo permanat in animos, cum in Dei ipſius, vnde fluxit, gloriam reuocatur, ſtabilis, atque ſempiterna, eſt; cũ vero alio transfertur, ſuum continuo decus amittit, & fœda ſpecie turpitudinis inquinatur. Quid enim eſt ingrati animi crimine ſcelestius? aut quid eſſe poterit ſuperbiæ immanitate deteſtabilius. Qui igitur non in laudibus ſuis Deum, vnde eas accepit, agnoſcit, ingratiſsimus eſt; &, qui Diuinis muneribus inſoleſcit, ipſiq. ſibi gloriam, & non Deo, tribuendã putat, impietatem ſuſcipit, nullis piaculis eluẽdam. Vt igitur vera gloria ſit, verũque neceſſarium eſt, vt & a Dei benignitate proueniat, & ad illius gloriam dirigatur. Ergo, qui gloriam aliunde quærit, aut eam non ad Dei cultum, ſed ad ſuam tantum amplitudinem, referendam exiſtimat, vanus eſt, & arrogans, & in Deum ſceleratus, atque Dei ipſius inimicus. Gloriã enim Dei ad ſe trãsferre conatur. Iam vero, quam miſera ſeruitus illa ſit, quæ ſe ad opinionem, vel imperitę plebis, vel Principis inſipientis, accõmodat, nec audet ſtultiſsimis decretis aduerſari, ne in offenſionem ipſius ſummæ temeritatis incurrat, dici vix poteſt. Sancit Deus lege ſua manſuetudinem. Caue facias, inquit populus. contemneris enim: neque te virum quiſquam iudicabit. Præcipit Deus, ne ſimus iniuriarum memores, ſed erratis ignoſcamus. Non facias, inquiunt, vllo modo, ſi dignitatẽ tueri deſideras. totis viribus iniuriam perſequere; &, vt illi vitam eripias, qui te quauis contumelia læſit, cum periculo etiam vitæ, contende. leuitates populares deſpice, & veram virtutem vnice cole, ſi veris laudibus affluere cupis. Non faciam, inquit. Omnis enim dignitas ex populi iudicio pendet. Populi igitur iudicium intuebor, & me ad illius opiniones accommodabo, vt dignitate præcellam. Quid, ſi populi ſententia fuerit Diuinis decretis contraria? Quomodocumque res cadat, inquit, non poſſum a multitudinis opinione diſſentire, etiamſi ob eam cauſſam ad inferos detrudendus ſim. Hoc igitur tantum curabo, quid populus loquatur, quid ſentiat, quid iudicet, quid laudet, quid vituperet: quidquid approbauerit, quamuis ſit nefariũ ſcelus, efficiam; quidquid reprehẽderit, quãuis ſit egregium pietatis officium, numquam exſequar, vt hominum ſermones effugiam. Hæc illi dicunt, qui gloriam ab hominibus quærunt. Cum igitur plerumque in multitudine neque grauitas vlla ſit, neque cõſilium, neque firmum iudicium, ſed varijs, & errantibus, opinionibus agitetur, & multa ſint ab illis decreta, quæ cum Diuina mente, & eſſentia, pugnant; qua tandem ratione poterit is, qui ex vulgi opinione dignitatem petendam ſtatuit, vera gloria potiri? tãtum vero abeſt, vt vera gloria frui poſsit, vt in ſumma ignominia verſetur, & in dedecus ſempiternum tota mente rapiatur. Qui vero amplitudine virtutis humanæ pręcellit, & decus illud nec Deo in acceptis referendum putat, nec ad illius gloriam reuocandum exiſtimat, is certe Antichriſtum imitatur. Non enim in nomine Domini, ſed in ſuo, gloriatur. Impedit igitur hæc popularis opinio fidem, & ab illius fructu multos mortales auertit. Iudæos autẽ quamplurimos hæc amentia bonis omnibus ſpoliauit. Quamuis enim multi crederent, ea, quæ Chriſtus aſſerebat, eſſe veriſsima, ne in offenſionem aliorum inciderent, eam fidem profiteri non audebant. Arcete igitur, fratres, hãc peſtem, & fugite tantam morbi grauitatem. Si vultis dignitate præcellere, & in veriſsima laude verſari, a Deo, & nõ ab hominibus, gloriam petite; &, quid ille vobis veriſsimæ dignitatis impartierit, ad illius gloriam reuocate, ne quiſquam vos queat de ſtatu veſtro, vlla fraudis machinatione, conuellere. Dicite igitur ſemper, Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo, da gloriam. Sed reliqua perſequamur:

*Nolite putare, quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem. eſt, qui accuſat vos, Moſes, in quo vos ſperatis.* Non me, inquit, ſolum aduerſarium habebitis. nec eſt enim, cur accuſatoris officio fungar, cum ſint multi, qui ſcelus, atque perfidiam veſtram, acriter inſectentur; præcipue vero Moſes, cuius nomen in ore ſemper habetis, cuius diſciplinis gloriamini, in quo omnia vitæ præſidia collocatis, vos vrgebit, & inſectabitur, & acrimonia ſumma accuſationem contra vos inſtituet, confidentiamq.

veſtram

veſtram de omni ſtatu deijciet, perfidiamq. veſtram teſtimonijs graniſsimis euincet, & crimine capitali condemnabit. Illius enim teſtimonia negligitis, legem ab illo promulgatam conremnitis, & eidem ipſi, quem tanti facere ſimulatis, iniuriam ſacitis, ſempiterno cruciatu digniſsimam. Illi enim, quem ſcitis Dei iuſſu legem tuliſſe, fidem non habetis, omniq. vitæ ſtudio illius diſciplinæ repugnatis,

*SI enim crederetis Moſi: crederetis forſitan & mihi. de me enim ille ſcripſit.* Moſem certe conſtat primum omnium Theologorum fuiſſe; mentemq. illius in Dei filio totam defixã exſtitiſſe, ita, vt ſæpe numen illius, & opera Diuina, quæ erat facturus, quantum illius memoriæ homines capere potuiſſent, luculenter explicaret. Nam, cum mundi totius ortum, & ornatum, & ſtabilitatem, & reliqua omnia, quæ in exordio naturæ facta ſunt, verbo Domini facta fuiſſe commemorat, gloriam Filij, per quem Pater condidit, atque cõſtituit, vniuerſa, ratione ſua celebrandam ſuſcipit; &, cum Deum inducit ſerpenti minitantem, & prædicentem, fore, vt mulieris ſemẽ caput illius contereret, demonſtrat certe, eiuſdem Filij vi, atque numine, in humana natura latentis, imperium Satanę funditus euertendũ. Cum promittit, Abrahamo futurum, vt per ſemen illius gentes vniuerſæ, exſecratione, qua fuerant deuinctæ, liberentur, Diuinisq. bonis egregie cumulentur, Chriſtum generis humani liberatorem fore prænuntiat. Cum vero Iacob, appropinquante morte, Iudæ filij ſui futuras victorias extollit; cum illius principatum inter fratres egregie celebrat; cum futurum prædicit, vt nunquam ex Iudæ ſtirpe deficiat princeps, & moderator, donec veniat is, qui erat ſalutem cunctis gentibus allaturus; cum poſtremo dicit, omnium gẽtium ſpem in illius ſummi liberatoris benignitate collocandam; num obſcure futuram Chriſti virtutem, imperium, clementiam, & gentium conuerſionem, atque pietatem, prænuntiat? Imperat Deus Moſi, vt curam populi ex duriſsima ſeruitute liberandi ſuſcipiat; Moſes, cum alium liberatorem mente proſpiceret, & non tam in eam libertatem, quæ tum erat conſtituenda, quam in eam, quæ erat Chriſti opera vltimis legis temporibus afferenda, munus recuſat, & præpropera cupiditate Deum precatur, ne tempus differat, ſigna remoueat, ipſam veritatem ſignis adumbratã in oculis hominum, & adſpectu, conſtituat. Iraſcitur Deus, hoc eſt poſtulatum repudiat, & oſtendit, ſpe firmiſsima præcipiendum eſſe id, quod erat opportuno tempore conferendum. Itaque tota illa oratione id tantum agitur, vt vir Diuinus certiſsima fide futuræ ſaluris eo tempore contentus ſit, & intelligat, maximum fidei ipſius fructum ad Chriſti tẽpora reſeruari. Ardebat ſtudio vir ſanctus, inflammabatur cupiditate, erat in vertice mõtis caligine circumfuſus. Dei enim colloquio fruebatur, atque ita ſtupore defixus humanos ſenſus amiſerat, vt Diuinos aſſumeret; & tamen tanto ſtudio flagrabat, vt nec illa tanta Dei familiaritate cupiditatem contineret, quo minus longe maiora beneficia poſtularet; Dei ſpeciem minime videbat; angelum, qui Dei vice loquebatur, conſulebat; Dei gloriam cernere cupiebat; Dei gloria ipſe Filius eſt, per quem omnes Diuinitatis opes explicatæ conſpiciuntur. Reſponſum dedit illi Deus, quo illi ſpem certiſsimam tantæ felicitatis oſtendit. Ego, inquit, oſtendam omne bonum tibi. Quod enim bonũ eſſe poteſt, quod non Chriſti numen, maieſtas, imperiũ, benignitas, & gratia, complectatur? Iam vero, illud effatum, quo idem Moſes futuram prophetæ præcellentis operam, atque diſciplinam, nuntiauit, quis non videt ad Chriſti Euangelium pertinere? Ait enim, Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies, vt petijſti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata eſt, atque dixiſti, Vltra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. & ait Dominus mihi, Bene omnia ſunt locuti, prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponã verba mea in ore eius. Loqueturq. omnia, quæ præcepero illi: ſiquis aut verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exſiſtam. Quaſi dicat, Gentis imbecillitas non potuit montis fumantis incendium, neque horrificum terræ fremitum, neque fulgura, & tonitrua, neque tubæ clangorem, ſuſtinere. Non igitur rebus horrendis iterum meam illi præſentiam declarabo; ſed mentem amouebo, & homines ad me, ſignis amoris, alliciam. Prophetam in illis ſuſcitabo tui ſimilem. Vt enim tu, ad necem quæſitus, tuorũq. perfidia vexatus, & tandem in illorum principatu conſtitutus es, vt legem tuliſti, vt lenitate, & magnitudine, excellens exſtitiſti; vt te, pro omnium ſalute, exitio, ſi tibi huius tã paratæ voluntatis auctor eſſe voluiſſem, deuouiſti, vt pro omniũ ſalute te medium inter irã, meum, atque populum tibi commiſſum interponeres, numenq. meum illi propitium redderes, ſimiliter ille propheta, quem ſum excitaturus, ab exortu ſuo pericula mortis adibit, ſuorum conuicia ſuſtinebat, in ſummo principatu locabitur, ſalutarem legem gẽtibus vniuerſis imponet, manſuetudinis, & humilitatis, admirãdæ egregia documenta cõſtituet, atque tandem ſe pro omnium ſalute ad mortem offeret, & ſanguine ſuo mentes ſceleribus infectas expiabit. Alia multa ſunt apud Moſem, quæ Chriſti myſteria ſumma continent; quæ ſi vellem explicare, prius me vita defeciſſet, quam orationis exitũ inuenirem. Nam neque admirandæ virgę vim, neque nu-

bis

bis vmbram,ardorem Solis arcentem, neque ignis columnam noctis tenebris diſpellentẽ, neque tabernaculi fabricã,tabernaculi ſempiterni, in quo Dei filius ſempiternam ſibi ſedẽ ſtatuit,imaginem referentem, neque e cælo panem dimiſſum,neque aquarum perennitatem,e ſilice virga percuſſa profluẽtem,neque ſacrificiorum religionem, Chriſti pietatem, caritatem,& mentem,cupiditate communis ſalutis inflammatam,multiplici ratione præmonſtrantem,ſiluiſſem. Sed, quid pluribus verbis opus eſt? Si quis Moſis ſcripta perlegerit, & integumenta legis,quibus ſunt quãplurima arcana illius inuoluta, detraxerit, Chriſtum in ipſa lege Diuino ſplendore illuſtratum perſpiciet. Apud Dauidem, inquit ille,In capite libri ſcriptum eſt de me, hoc eſt autem, ſumma legis huc pertinet, vt meam obedientiam, & ſanctitatẽ,celebret, multisq. ſignis libertatem,quam ſum cunctis mortalibus,qui ſe ad meum nomen adiunxerint, allaturus, obſcure tamen ( ſic enim tempora flagitabant ) oſtendat. Id autem, quod ſequiquitur,non nihil obſcuritatis habet. Inquit enim:

*Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis?* Nam multo maior fides Chriſti verbis,quam Moſis libris,habenda eſt. Sed intelligendum eſt, vt philoſophi perhibent: alia ſunt ſecundum naturam cuiuslibet rei, alia ſecundum humanam rationem magis explorata,& cognita. Iccirco,qui naturam intuetur,&,abiectis ſenſibus,ab ipſarum rerũ origine diſſerendi initium ducit, a Diuinis ad humana progreditur. Contra vero, qui, ſenſibus affixus, a ſenſibus ſimilitudines trãsfert, quibus paullatim ad Diuina gradum faciat. Cum vero lex corporeis ſimilitudinibus vteretur,& imagines ex rebus,quæ ſubiectæ ſunt oculis, aſſumeret, quibus ad rerum cæleſtium cognitionem perueniret; conſequens profecto erat, vt prius gens illa fidem haberet rebus illis, quæ ſenſibus magis erant obiectæ,vt deinceps in ea, quæ erãt a ſenſibus remota,mentem intenderet; quibus tandem præceptis,rebus Diuinis adhæreſceret,& ſenſus iudicium pro nihilo putaret. Chriſtus igitur,cum Iudæos argueret,quorum ratio erat ex ſenſibus ſuſpenſa,commodiſſime argumẽtum concludit. Si Moſi, qui vobis legis myſteria terrenis ſimilitudinibus, vt & facilius caperetis,inuoluebat,credere noluiſtis, quo modo verbis meis, quæ terrena non ſapiunt, ſed cæleſtia,atque Diuina,demonſtrant, cum ſitis in terram depreſſi,credetis? Eſt eadem omnino ſententia, quæ Nicodemum increpuit. Si terrena dixi vobis, & non creditis mihi,quo modo, ſi dixero vobis cæleſtia,credetis? Videte, fratres dilectiſſimi,quantum ſalutis pondus ſit in ardente fide collocandũ. Nam abſque illa neque veræ virtutis opibus abundare, neque veræ gloriæ ornamentis affluere,vmquam poteritis; immo,pro virtute, flagitia innumerabilia,& pro gloria dedecus ſempiternum,comparabitis. A vobis enim libenter audierim,vtrum gloriam bonis omnibus præponendam exiſtimatis? an potius eam nulla æſtimatione dignam cenſetis? Si eã diuitijs, & voluptatibus, atque adeo vitæ, præferendam ducitis; eam certe iudicatis in Diuinis bonis eſſe numerandam. Intelligite igitur id, quod eſt neceſſario cõſequens, eam non ab hominibus,ſed a Deo tantum,eſſe poſtulandam. Nihil igitur magis abſurdum eſſe poterit,quam,gloriæ cauſſa,Dei numen offendere,ſanctiſſimamq. illius religionem violare. Si negligitis gloriam, eamq. præ diuitiarũ cupiditate contemnitis,vereor,ne,auaritia cæci,fidem etiam violetis,& in ſordibus turpiſſime volutemini. Vtrumque igitur malum fugite, & precibus a Deo ope ſumma cõtendite,vt fidem veſtram augeat;& ſic ad verum decus,& gloriam,adſpirabitis, & opibus ſummis,atque ſempiternis, cumulabimini.

# ORATIO XVII.

*Poſt hæc abiit Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis: & ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur.* Vt Sol omnia clariſsima luce collustrat, nec vlla regio eſt, quam nō calore ſuo foueat, atque tepefaciat, vt herbas, & plantas eliciat, omuibusq. animantibus alimenta ſuppeditet; ſic conueniebat, vt ſummus ille Sol, cuius beneficio viuimus, alimur, atque ſuſtinemur, quamdiu in hac vita in humana forma delituit, non in vno loco ſemper inſiſteret, ſed vt omnes Iudæorum regiones (in illis enim in principio erant pietatis ſemina ſpargenda) peragraret. Sic igitur eueniebat, vt, cum aut ab Auſtro ad Septemtrionem gradum ſæpe faceret, aut ab Solis occaſu ad ortū ſe conferret, vbique mentes minime contumaces ſtudio religionis incenderet, & ex animis, quæ non perpetuum cum Dei benignitate certamen ſuſciperent, fructus admirabiles exciperet. Alia etiam ratio fuit, vt a Iudæa in Galilæam ſæpe commearet. Ea vero fuit, vt inuidiæ cederet, & abſentia ſua Iudææ furorem, & acerbitatem, aliquātulum mitigaret. Exemplo igitur ſuo, docuit oēs, quibus Reip. gubernandæ ratio commiſſa eſt, vt omnes regiones, quas tuendas, atque moderandas, ſuſceperunt, quoties opus fuerit, perluſtrēt oculis, vt iniurijs oppreſſos ex potentium manibus eripiant, & ſuperbiam, & immanitatem, coerceant; & ſimul inuidiæ comprimendæ rationes excogitent, ne bonis exitium importunitate ſua moliantur. Cum ergo in Iudæa homines in ſe furenter incitatos animaduertiſſet, in Galilæam contendit, & lacum illum, quem Iordanis facit, Geneſaram, vt Plinius eſt auctor, illum nominabant, appellatur tamen lacus Tiberiadis, propter Tiberiadem ciuitatem, quæ erat prope lacum ab occaſu ſita, quam Herodes in honorem Tiberij condiderat. Eſt autem in cōſuetudine Scripturæ ſanctæ, vt omnes lacus paullo ampliores Maria nominet. Iccirco locus ille Mare Galilææ erat appellatus. illum igitur lacum tranſmiſit nauicula Dominus. Quamuis autem a turba ſecederet, fieri non potuit, vt a ſe turbam repelleret. Homines enim ſignorum admiratio commouebat, orationis ſuauitas alliciebat, & magnam interim eorum partem Spiritus Diuinus illuminabat. Quærite Deum, inquit Dauid, & illuminamini: nō poteſt enim is, qui Chriſtum quærit, tenebris obſcurari, aut in rebus afflictis ope illius deſtitui.

*Subijt ergo in montem Ieſus: & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis.* Altiora petit, vt diſcipulos ab infimis rebus ad cæleſtes eueh at, atque doceat terrena deſpicere, & perpetuo Diuina contēplari. *Erat autem proximum Paſcha, dies feſtus Iudæorū.* Inſtabat igitur iter, quo religionis gratia erāt homines Hieroſolymam petituri, & eadem etiam de cauſſa maior vndique multitudo confluebat, vt inde in Iudęam tenderet, & rebus Diuinis operam daret. Interim vero a Chriſti comitatu auelli non poterant. Tanta vero ſuauitate perfuſi erāt, dum illius opera videbant, & ſermones audiebant, vt eos cibi caperet obliuio. Sed non poſſunt fame confici illi, qui ſequuntur bonorum omnium largitorem, qui pullos etiam coruorum alit, atque ſuſtentat, & brutis animātibus pabulum quotidie ſubminiſtrat. Oculi omniū, inquit, Dauid, in te ſperant, Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno. aperis tu manum tuam, & imples oē animal benedictione.

*Cum ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum, Vnde ememus panes: vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum. Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.* Cum oculos clementiæ ad multitudinem egētem adieciſſet, aperte demonſtrauit prouidentiam, qua generi humano conſulit, & tunc vel maxime famem præſenti ſubſidio depellit, cum omnes ſpes remedij omnino ſublatæ videtur. Ea tamen de cauſſa vult ſæpenumero ſummæ neceſsitatis confeſsionem exprimere, vt intelligāt homines, in extremis malis remedium oblatum, nullo modo eſſe ad homines, ſed ad Dei tantum immenſam miſericordiam, referendū. Sic enim, vt eſt in Deuteronomio, Moſes, dum commemorat beneficia, quæ populus ille a Deo acceperat: ait. Afflixit te pænuria, & ad extremū miſertus eſt tui, vt ſcires, quod non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Hoc eſt autem, vt intelligeres non horrea maximo frumenti numero replera, ſed Dei benignitatem eſſe, quæ genus humanum poſcit. Illius autem potentia, cum immenſa ſit, non eſt vno tantum alimenti genere definita, ſed multis modis eos, qui ſalutari fide nituntꝰ, nutriri, & conſeruari. Itaque non eſſe opibus humanis, ſed verbo Diuino, confidendum. Opes enim deficiunt, & euaneſcunt, Dei autem verbum idem in omni æternitate permanet. Diuites enim ad inopiam ſummā rediguntur, vt inquit Dauid; illi vero, qui Deū quærunt, omnibus ſummis bonis egregie cumulantur. Vnde colligitur, ſummas diuitias eſſe in ſumma fide collocandas; eumq. opulētiſsimum ſemper fore, cuius fides numquā deficiet. Vigēs namque fides excitat mentē, & incendit animum, ita, vt a Deo minime diuellatur. Qui autem Deo coniunctus eſt, indigentia premi non poteſt. Huius autem fidei diſciplina ſummus magiſter diſcipulos inſtruebat, vt opibus ſummis eos expleret.

Tẽtauit igitur Philippũ, vt explorari poſſet, quantum fuiſſet in fidei ſtudio progreſſus. Tentare autem, hic, eſt examinare, non quidem, vt ipſe ſciret, quid in Philippi animo lateret, ſed vt Philippũ imbecillitatis argueret.

*Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat.* Inopia faciebat, vt hæc pecuniæ ſumma non mediocris Chriſti diſcipulo videretur. Ducenti porro denarij, viginti tantum nummos aureos, ex ijs, quibus nunc vtimur, efficiunt. Reſponſum igitur, & pauperiem indicat, & diffidentiam demonſtrat. Continet enim deſperationis indicium. Huic imbecillitati ſubſidium afferebat Andreas, niſi repente laberetur, & a ſpe, quam præſeferebat, decideret. Sequit.n.

*Dicit ei vnus ex diſcipulis eius, Andreas frater Simonis Petri, Eſt puer vnus hic qui habet quinque panes ordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos?* Prima orationis pars, fidei indicium facere videbatur. Si enim arbitraretur, fieri poſſe, vt Chriſti manibus pauci panes multiplicati, hominum multa millia ſaturarẽt, numquam quinque panum, & duorum piſcium mentionem intuliſſet. Signum igitur fidei dedit: verum, rei, quã animo verſabat, magnitudine conturbatus, lapſus repente fuit; dum ait, Sed quid ſunt inter tam multos?

*Dicit ergo Ieſus, Facite homines diſcumbere. Erat autem fenum multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri, numero quaſi quinque millia.* Vt alij Euangeliſtæ referunt, mulieres, atque pueri, in hũc numerum non includuntur. Sed mirum eſt, quam facile ij, qui in principio ad Dei diſciplinam indociles eſſe videbantur, Chriſti verbis aſſenſi ſunt. Nemo recuſauit imperium: nemo dixit, Cur diſcumbent illi, quibus nihil eſt paratum: nemo denique de futuro miraculo dubitauit: itaque parent diligentiſſime; & vniuerſa multitudo ſine recuſatione diſcumbit. Exſpectat tamen, quorſum præceptum illud, & ordo, quem diſcipuli in illorum accubitu ſeruauerunt, pertineat.

*Accepit ergo Ieſus panes: & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcipulis, diſcipuli vero diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant.* Docuit igitur, manibus ſuis, & vitam, & vitæ ſubſidium, contineri: docuit ſimiliter, gratiarum actione Dei beneficia mirabiliter amplificari: docuit poſtremo, diſcipulorum opera, & miniſterio, munera Diuina diſpenſari, vt bonorum omnium auctorem agnoſceremus, & gratias illi ſemper ageremus, ſi vellemus illius in nobis beneficentiam ſemper augeri; & honorem eximium illis, per quos eius in nos dona, & munera, cõferuntur, haberemus.

*Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis, Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant.* Fidem quidem ſemper exigit, parſimoniam tamen non repellit. Fide vult vitam noſtram gubernari, rationem tamen tuendæ rei familiaris, loco, & tempore, non intermitti. Sic fidei omnia committenda præſcribit, vt induſtriam minime condemnet. Aliter enim fides non eſſet fides, ſed inſolens, & inanis, confidentia, Diuinæq. legis impugnatio, & ignauiæ documentum. Non tentabis, inquit lex, Dominum Deum tuum. Tentant autem omnes Deum, qui, fidei obtentu, omnem curam vitæ prorſus abijciunt. Quæ opinio ſi longius progreſſa fuiſſet, nec agricola terram coleret, neque miles arma tractaret, neque imperator acies inſtrueret, neque princeps popularem amentiam coerceret, neque Reipubl. ſaluti proſpiceret. Otium, & ignauia, lege Diuina, plectitur. ſtudium vero, & induſtria, cum iuſtitia, & moderatione, laudatur. Omnibus enim, qui, laboribus in re familiari conſumptis, & non iniurijs paſſim illatis, rem tuentur, præmium vitæ beatæ proponitur. Beatus, inquit, eris; commodis omnibus abundabis. Hæc mihi in mentem venerunt, vt oſtenderem, quam commode fuerit a Domino ſeruis imperatum, vt fragmenta colligerent, ne perirent. Vult enim, vt omnia, quæ poſſunt aliquid vtilitatis afferre, ſumma diligentia conſeruentur. Præterea, eo præcepto monumenta bonitatis Diuinæ, quoad fieri poterit, diutiſſime conſeruare iubet, ne excidant animis illa, in quibus omnis noſtra ſalus, & vita, conſiſtit. Grati nãque animi, fideli, atque firma memoria, dignitas, atque vita ſempiterna, continetur. Alia poſtremo ratio fuit, vt mea fert opinio, quare duodecim illi cophini reliquijs illis tam præclari conuiuij referti ſunt. Numerus ille hominum, quos Dominus in ſolitudine pauit, deſignabat gentium alienarum multitudinem, in mundi vaſtitate, abſque vlla ſpe ſalutis, errantem, atque fame miſerabiliter intabeſcẽtem, quam idem Dominus in viam reduxit, dapibusq. ſuauiſſimis expleuit. Tanti vero beneficij reliquiæ conſeruantur, vt illis, poſtquam multitudo gentium intrauerit, Iſraelis etiam poſteritas iucundiſſime ſaturetur: quemadmodum & multi ex gentibus poſtea, Iudæorum exemplo, & ſanctimonia, reuiuiſcent. Quod vt aliquo ſigno præmonſtraretur, ex alterius conuiuij reliquijs cophini ſeptem impleti fuerunt. Hæc ſunt Chriſti liberatoris noſtri conuiuia. Nihil deeſt, & multa redundant, quæ famem egentium depellunt; & omnes, qui comedunt, mira ſuauitate perfundunt. Vt enim, cum fuit ad nuptias inuitatus, aquam in vinum conuertit; ſic credendum eſt, panes illos ordeaceos in tantam dulcedinem fuiſſe conuerſos, vt omnes dapes iucundiſſimas longiſſimo interuallo ſuperarent. O beatiſſimos illos conuiuas, quibus tanta ſuauitate frui conceſſum fuit. Quam bene autem fuerint accepti, ſtudium, quo incenſi continuo fuerunt, ſatis aperte declarauit.

*Illi ergo homines cũ vidiſſent quod Ieſus fecerat ſignum,*

*ſignum, dicebant, Quia hic eſt vere propheta, qui venturus eſt in mundum*. Prædixit, inquiunt, Moſes, Prophetam ſui ſimilem a Deo mittendum fuiſſe, qui morbis humanis mederetur, & inopiam indigentium ſubleuaret. Quis enim alius eſſe poterit, præter hunc, cuius verbo morbi ſanantur, & tot hominum millia fame propemodum confecta in vaſtiſsima ſolitudine reficiuntur? Inter ſe igitur conſulrant, quid optimum factum eſſet. Omnibus viſum eſt, eum Regē creare, cuius ope futurum confidebant, vt iugum a ſe ſeruitutis depellerent, opibusq. ſummis affluerent. Quid, ſi nolit? Omnia namque humana contemnit. Difficillimum igitur erit, ei perſuadere, vt regnare velit. In re tanta, inquiunt, non eſt, cur id in illius arbitratu relinquamus. Salus enim communis agitur. In alijs igitur rebus ſibi modeſtiæ laudem quærat: in hac autem, in qua Reip. vniuerſæ ſtatus florentiſsimus continetur, non liceat ei, cum incommodo noſtro, moderationis nomē, & gloriam, aucupari. Quis enim poterit e capitibus noſtris hoſtiles impetus inuicta virtute reprimere, niſi is, cuius robur, atque potentiam, dæmones pertimeſcunt? Quis Reipub. vulnera ſanabit, niſi is tantum, qui verbo inſanabiles morbos curat, & homines deſperatos in integram ſanitatem reſtituit? Quis a populo famis periculum propulſabit, niſi is, qui ſic pauciſsimos panes manibus ſuis in ſolitudine, & vaſtitate, multiplicat, vt ingētem hominum multitudinem facillime paſcat? Eamus igitur; & vim, quantum poſſumus, inferamus, ne is, regendi populi munus, & officium, ſibi delatum a ſe vllo modo reijciat. Sententia placet. Omnes ſe igitur accingunt, atque properant, vt illum, quantumuis inuitum, atque recuſantem, in ſolio Regio collocent, illiusq. imperio gubernentur. Nec enim dubitant, quin Iudæa vniuerſa eadem mente ſit, vt non alium Regem ceruicibus ſuis imponi patiatur. Id tamen periculum, is, quem nihil latere potuerat, facile declinauit. Sic enim ſequitur:

*Ieſus ergo cum cognouiſſet quia venturi eſſent vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus*. Sæpe fugiſſe rerum omnium Dominum in hac vita, legimus. Infans erat, cum ab Herodis immanitate fuit fuga ſubductus. Reuerſus ab Aegypto, ne in Archelai, qui regnabat in Iudęa, manus incideret, Iudæam tunc reliquit, & in Galilæam perlatus fuit. Poſtquam vero in Iudæam redijt, vt in Hieroſolymæ luce, & celebritate, ſanctiſsimæ religionis diſciplinam traderet, cum Iudæi ſæpe in illum impetum ferrent, & ſæpe etiam illi inſidias tenderent, ſæpenumero ſe ab illorum furore ſubtraxit. Nondum enim tempus ordine Diuino præfinitum aduenerat, quo erat pro generis humani ſalute ad mortem offerendus. Sed neſcio, an maiore vmquam cōtentione fugerit, quam eo tempore, quo ad Regnum, hominū incredibili conſenſione, vocabatur. In quo docuit, vix quidquam eſſe maiore ſollicitudine, & cautione, declinandum. Eſt enim Regnum infinitis curis implicitum, moleſtijs innumerabilibus afflictatum, inſidijs vndique circūſeſſum, amicorum ope, atque ſubſidio, deſtitutum. Eſt enim plerumque illis, qui Reges haberi volunt, veritas inuiſa, mendacium iucundum; & ita fit, vt adulatores, quibus nihil eſt in vita deteſtabilius, amicorum locum fraudulenter occupent, & Regem, quem ſe amare ſimulant, miſerabili ſeruitute oppreſſum teneant, ita, vt non audeant miſeri Principes, niſi de eorum ſententia, moliri. Hoſtibus igitur obſequuntur. Nulli enim ſunt hoſtes Regum capitaliores ijs, qui mendacijs Regibus mentem eripiunt, & cuſtodijs eos incluſos nimis diligenter habent, ne quoquā ſe commouere poſsint, abſque eorum, quibus ſe conſtringēdos dediderunt, auctoritate. coguntur itaque principes libidini, & auaritiæ, ſeruire, &, dum paucis ſatisfacere cupiunt, vniuerſam Rempubl. ſuorum conſilijs euertunt. Si Regnum diligenter adminiſtrauerint, &, repudiatis hominibus perditiſsimis, ad ſe bonos viros adſciuerint, & Rempubl. vniuerſam ad Dei voluntatem adminiſtrauerint; dubium non eſt, quin ſint maximum ſui laboris præmium in cælo percepturi. Sed, quam difficile id ſit, experiundo cognouimus. Quotus enim quiſque eſt tam ſapiens, vt omnes inſidias occulte latentes inſpiciat? aut tam fortis, vt eos, quibus ſe, propter ſimulationem virtutis, addixerat, fraude detecta, ferro ſeueritatis exſcindat? aut tam pius, vt numquam oculos a præſcriptione Diuinæ mentis auertat? Chriſtus quidem non ſibi timebat, ſed fuga ſua, vt nos in honorum petitione caſum, & ruinam, timeremus, admonuit. Præterea, docuit omnes, vt, qui maioribus muneribus præfecti ſunt, minora minime ſuſciperent, ne implicari tenerētur, &, dum ea, quæ minus in rem ſunt, tota mente procurant, ſtudium earum rerum, quæ maximi ponderis ſunt, omitterent, aut ſaltem ea multo negligentius adminiſtrarent. Cum igitur Regnum Chriſti non eſſet in terris fundatum, ſed in cælo ſtabilitum, vt ſuos Regni ſempiterni opibus Diuinis munificentiſsime locupletaret, par fuit, vt Regnum, a multitudine in terris oblatum, aſpernaretur, atque reſpueret. Præterea, docuit, eadem fuga ſua, quam eſſent amentes ij, qui fauore multitudinis efferuntur; qui plauſu inconſideratiſsimæ plebis inſoleſcunt; qui aliquam fidem in gloria populari ponendam eſſe conſtituunt; qui denique non intelligunt, quam cito ſtudia multitudinis immutentur, & in eos leuiſsimis de cauſſis inuehatur, quibus honores prope Diuinos

paullo ante detulerat. Cum igitur in multitudine nullum conſilium, nulla grauitas, nulla conſtantia ſit, cum non virtute, ſed virtutis inani ſpecie, moueatur; cum ea tyrannos ſibi Reges ſæpe conſtituat, & ijs, qui vera virtute præcellunt, exitium ſæpe moliatur; quid illis miſerius eſſe poteſt, qui ex aura populari dignitatem aliquam petendam arbitrantur, & in loco tam mobili, tam lubrico, tam periculoſo, tam bonis artibus infeſto, dignitatis, & amplitudinis, opes collocandas exiſtimãt? Quare, cum illis, qui veras opes intuentur, Regnum minime appetendum ſit, ne videlicet pro veritate vanitatem inaniſſimo ſtudio conſectẽtur; tum vero, cum Regnũ a multitudine defertur, eſt, tamquam monſtrum aliquod, atque prodigium, omni contentione fugiendum. Poſtremo, omnis honor, & dignitas a cælo petenda eſt. Nec enim aliunde veri decoris lumen exoritur: inde totius decoris, & dignitatis, ornamentum exſiſtit; inde honoris veriſſimi firmum, & immutabile, præſidium comparatur. Conſtat igitur, omnes, qui, relicta hac Regij honoris ſtabilitate, alia ſibi præſidia quærunt, in ſumma inanitate verſari, & periculis infinitis exponi. Ergo, cum Regnum a Deo defertur, cum in magno Reipub. diſcrimine ſapientes homines Diuinitus incitati curam Reip. ſuſcipiunt, non vt opes ſibi immanes coaceruent, ſed vt Remp. vniuerſam tueantur, eãq. neceſſarijs opibus abundantem, & virtutibus ornatam, atque florentem, efficiant; tum laudabile erit, non aſpernari Regnum, non reijcere altiſſimum honoris gradum, ſed in eo non tam de ſuis commodis, quam de Reip. ſalute, cogitare. In primis autem, omnibus, qui dignitate antecellunt, quibus videlicet rerũ maximarum curatio commiſſa eſt, id eſt ſummo ſtudio prouidendum, ne oculos vmquam a Rege ſummo deijciant, qui non ab hominibus, ſed a Deo, imperium accepit; qui non ſibi opes ingentes, ſed vniuerſo generi humano ſalutem, & immortalitatem, comparauit; qui, propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, contumelias pertulit, & vitam ſponte ſua in ſummis cruciatibus abiecit, vt nos, e mortis faucibus ereptos, ſummis gaudijs, & honoribus Diuinis, afficeret. Factus eſt, inquit Iſaias, principatus eius, ſuper humerum eius. Nam pro Regijs honoribus grauiſſimum onus ſubiuit, & pro diuitijs egeſtatem tolerauit, pro delicijs acerbiſſimis dolores excepit, pro debitis laudibus contumelijs indigniſſimis lacerari ſuſtinuit, omnibusq. modis, vt noſtræ gloriæ, & immortalitati, ſeruiret, ſummus cæli imperator, & Dominus, ſerui formam induit, vt nos, qui eramus libidinum, & flagitiorum omniũ, ſerui, in Regiæ dignitatis amplitudine collocaret. Omnes enim Reges ſunt, qui illius iuſſis obtemperant, omnesq. vitæ rationes ad illius imitationem conferunt. Omnes igitur, quos animi magnitudo cupiditate honoris, & dignitatis, incendit, quos ſtudium nominis immortalis inflammat, qui leuia, fluxa, caduca, deſpiciunt, & honoris ſummi veriſſimis opibus ornari, Regnoq. ſempiterno potiri, deſiderant, Regem noſtrũ perpetuo venerentur; illius exemplum ſibi, quantum licet, ad imitandum proponant; ab illo auxilium petãt, quo viam ab eodem præmonſtratam ſemper ineant, ne vmquam in alterutram partem declinent; vt ſic, tandem, opibus Diuinis, in cæleſti ciuitate, in ipſius Domini coniunctione, æuo ſempiterno, perfruantur.

# ORATIO XVIII.

*VT autem ſero factum eſt, deſcenderunt diſcipuli eius ad mare. Et cum adſcendiſſent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum: & tenebræ iam factæ erant: & non venerat ad eos Ieſus. Mare autem, vento magno flante, exſurgebat. Cum remigaſſent ergo quaſi ſtadia viginti quinque, aut triginta, vident Ieſum ambulantem ſuper mare, & proximum naui fieri, & timuerunt.* Timor autem fuit illis iniectus, vt ab alijs Euangeliſtis refertur, ex eo, quod opinarentur, ſe in vndis illis non Chriſtum, ſed ſpectrum, videre. Imbecillitas vero fidei homines pios, ſed nondum ſatis in ipſius pietatis ſtudio robuſtos, in eam opinionem adduxerat, vt minime crederent, aquas poſſe hominis ſolidum corpus ſuſtinere. Non intelligebant enim, natnræ conditorem naturæ legibus non alligari. Quid enim aliud eſt naturæ lex, quam Diuini verbi, omnia formantis, effectus? Cnr enim ignis ſuperam regionem capeſsit? cnr terra in infimam mundi regionem, vndique pulſa, deprimitur? cur aqua, ſi nihil obſiſtit, vnnm in locũ perpetuo labitur? cur cælum, noctes, atque dies, conuerſione incitatiſsima, contorquetur? Poterit ne ratio vlla, præter voluntatem, & rationem, Diuinæ mentis, aſsignari? Ille igitur eſt, qui legem omnium rerum formis impoſuit. Tamdiu igitur mundi machina hoc ordine, quem videmns, conſiſtet, quamdiu ipſi ſummo opifici, qni omnia creauit, atque diſpoſuit, ea ſic permanere placuerit. Quoties autem legem, quam tulit, derogari voluerit, naturæ vis immutabitur. Nam montes in mare profluent, terra in profundam altitudinem deſidebit, flumina conſiſtent, & ſoliditate mirifica firmabnntur; ignis refrigerabit; ex aquis incendium excitabitur. Tres adoleſcentes in fornacem coniectos flamma, quaſi quodam rore, lætificabat: in Aegypto antem fluuius ſata, atque fruges, exnrebat. In deſerta Arabiæ ſolitudine homines impij, quos mare nõ abſorbuit, terræ voragine demerſi ſunt. Non adſtringit vllo modo natura natnræ parentem, immo ea parentis ipſius ſummi lege deuincitnr. Hæc minime cogitabant illi, qui Dominum in medijs flnctibns incedentem nimis admirabantur. In hac tempeſtate mnlta præterit Ioannes, quæ ab alijs memoriæ mandata ſunt: quemadmodum & Ioannes multa commemorat, quæ ab alijs Diuinis Scriptoribus omiſſa fuerant. Illis enim cnra præcipua fuit, Domini ipſius vitam deſcribere; Ioanni vero præcipuum ſtudium exſtitit, Theologiæ, quo ad fieri potuit, explicandæ. Itaque in rebus Diuinis immoratur, & de ijs rebus luculentiſsime diſſerit, quæ ſunt a ſenſibus humanis remotiſſimæ, vt homines illius ſcriptis inſtructi, diſcant, a corpore ſeiungi, atque Diuina contemplari. Vt autem ad hiſtoriam reuertamur, diſcipuli quidem Capharnaum petebant, ſed nondum curſum inſtitutum confecerant, cum mare ventis inflatum eos exterruit. Viſo autem Domino in fluctibus ambulante, multo maiore formidine conturbati ſunt. Sed idem Dominus, qui metũ illis incuſſerat, omnẽ illis metũ abſterſit. Sequit. n.

*Ille aũt dicit eis, Ego ſum, nolite timere.* Abſentia Chriſti, animũ metu ſollicitat; formidine perterret, curis exagitat, multiſq. modis excruciat. Illius vero præſentia, formidines omnes depelluntur, & animus inuicto robore confirmatur. Quid enim metuat is, q̃ mente cernit, ſibi ſummum cæli rectorem præſidiũ afferre, & ſe videt eſſe angelorum acie conſtipatum? Caſtra namque ponit cęleſtis exercitus circũ eos, qui Chriſto nomina dederunt, iuſsiſq. illius obtemperant.

*Voluerunt ergo accipere eũ in nauim: & ſtatim nauis fuit ad terram, quam ibant.* In nauim quidem, vt alij Diuini viri referũt, ingreſſus eſt; ſed, antequam ingrederetur, tempeſtas ſedata eſt, non ſolum, vt illum diſcipnli facilius exciperent; ſed etiam, vt intelligi poſsit, firma etiam voluntate Chriſti intra mentem excipiendi, omnes animorum tempeſtates facillime compeſci, & ex motibus turbulentiſsimis placidiſsimam tranquillitatem exſiſtere.

*Altera die, turba quæ ſtabat trans mare, vidit quia nauicula alia non erat ibi niſi vna, & quia non introiſſet cum diſcipulis ſuis Ieſus in nauim, ſed ſoli diſcipuli eius abijſſent: aliæ vero ſuperuenerunt naues a Tiberiade iuxta locum vbi manducauerant panem, gratias agentes Domino. Cum ergo vidiſſet turba quia Ieſus non eſſet ibi, neque diſcipuli eius, adſcenderunt in nauiculas, & venerũt Capharnaum quærentes Ieſum. Et cum inueniſſent eum trans mare, dixerunt ei, Rabbi, quando huc veniſti?* Tranſmiſsionis celeritatem fuere nõ mediocriter admirati. illum in nauiginm cum diſcipulis minime ingreſſum fuiſſe cognouerant. aliud tunc, in quod ipſe ſeparatim adſcenderet, non adeſſe perſpexerant. poſtridie illius diei naues omnes, quæ a Tiberiade venerant, oculis notauerant: in nullam earum illum ingredi viderant: quo modo alia naui, quæ poſtea fortaſſe ad eundem locum perueniſſet, tranſuehi tam cito potuiſſet, ignorabant. Ad quæſita minime reſpondit Ieſus, eo quod quæſtio ad ſalutem minime pertinebat: ad rationem aduentus, quæ illos tam feſtinanter adduxerat, reſponſum continuo dat. Sequitur enim:

*Reſpondit eis Ieſus, & dixit, Amen, amen dico vobis, quæritis me non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus & ſaturati eſtis. Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitã æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater ſignauit Deus.* Antea quidem, inquit, ſignis commoti, me ſectabamini. Nunc vero iam, non tam ſignis, quam ſpe commoditatis, me, vbicumque conſtitero, omnibus veſtigijs inquirendum exiſtimatis. Vt enim beſtiæ eo facillime congregantur, vbi tellus paſtum largius, & copioſius, fundit, ita & homines ſeſe ad eorum nomen libentius adiungunt, a quibus ſibi ſperant alimẽta liberalius ſuppeditanda. Explendi namque ventris cupiditate, facinora innumerabilia ſuſcipiuntur. Eratis in magno timore, ne vos in ſolitudine fames conficeret. paucisſimis panibus accepti munificentisſime fuiſtis; famem egregie depuliſtis; non mediocrem ſuauitatem ex eo conuiuio percepiſtis. Id igitur vos impulit, vt me ſequeremini, quem experti fuiſtis in omni loco poſſe, in extrema etiam alimentorum omnium deſperatione, multitudinem innumerabilem, inopia extrema debilitatam, reficere. Quod corporis tuendi, & conſeruandi, remedia diligentisſime conquirenda putatis, non vitupero; quod eo perfugio, quod tutisſimum fore creditis, vti voluiſtis, non reprehendo. Illud tamen vobis in crimine non mediocri ponendum iudico, quod in alendo corpore ſummam curam, & ſollicitudinem, conſumatis. cum interim animi ſuſtentandi nulla cura veſtros animos attingat. Non intelligetis tandem, aliquando, quantum præſtet animus corpori, & quantis partibus ſuperet mentis dignitas corporis etiam venuſtisſimi decus, & elegantiam? Animus enim, eſt Diuinæ mentis effigies; corpus humanum, a multis brutis animantibus, robore, ſanitate, celeritate, ſenſus acumine, ſuperatur: animus, eſt natura ſempiternus; corpus autem, interiturum, innumerabilibusq. morbis obnoxium: animi ſtatus, a corpore minime pendet, immo corporis affectibus ſæpisſime maculatur; contra vero, corporis vita, animi præſentia, & ſedulitate, continetur: atque, vt nihil aliud dicam, animus refert Diuinæ maieſtatis imaginem; corpus vero, ad ſimilitudinem beſtiarum propius accedit. Quantum igitur corpori animus antecellit, tanto diligentius eſt cibus animi, quam corporis, inquirendus. Quærite igitur cibum, qui non perit. cibus enim corporis, ſpatio diurno conſumitur; at animi cibus, vitalem vim, atque ſempiternam, retinet. Sed dixiſſet aliquis. Quis nobis hunc cibum, tam ſuauem, atque tam iucundum, largietur? Ne hoc dici poſſet, ait, Quem Filius hominis dabit vobis. Idem, inquit, qui corpora veſtra in ſolitudine pauit, veſtros animos dapibus Diuinis explebit. Non tamen ignauis, non languidis, non otioſis, non imperium recuſantibus, aliquid ſuæ benignitatis impartiet, ſed illis tantum, qui imperata confecerint, & officio ſuo perfuncti fuerint. Ideo dixit, Operamini cibum, qui non perit. Fidem imperat, opera præſcribit, præmium vitæ ſempiternæ laborantibus proponit. Sed inquies, Qua tandem ratione fieri poteſt, vt, in tanta naturæ imbecillitate, & hoſtium immanium importunitate, & inſidijs, opera Diuina moliamur? Hoc ne dicere vllo pacto liceat, ait, vt cibus ille ſempiternus nullo pacto ſit humanæ naturæ, ſed ipſi Filio hominis, qui genus humanum alendum ſuſcepit, referendus. Quem, inquit, filius hominis dabit vobis. Ille conuiuium inſtruet; ille vobis dapes apponet; illi panem dabit, quo mortis ipſius impetum propulſabitis. Quod ſi vobis hoc mirum videtur, hominis nempe Filium poſſe panem largiri, qui nec ipſe ſæculis intereat, nec eos, qui eodem pane fuerint vſi, interire patiatur; intelligite, hunc hominis Filium Dei filium eſſe. Hoc enim ſignificat, cum ait, Hunc enim Pater ſignauit Deus. hoc eſt, in hoc Pater ille ſummus, atque ſempiternus, viuam, & expreſſam, & a nulla perfectione originis infinitæ deficientem, imaginem impresſit, ita, vt nihil omnino de Patre dici posſit, quod in Filio non admodum luculenter emineat. Vt igitur Pater eſt omnipotens, ita & Filius omnipotens eſt; &, quemadmodum Pater eſt vitæ fons, & principium, ita & Filius eſt vitæ fons, & principium. Ergo, quemadmodum Pater non ſolum vitam dat, ſed immortalitatem etiam cunctis, qui ad illum ſunt adiuncti, liberalisſime confert; ita & Filius cibum ſuis præbet, vitæ immortalis efficientem. Aliter enim non perfectam patris imaginem repræſentaret. Hac, igitur ſententia, demonſtrat, ſe vnicum Dei filium eſſe, eadem virtute, & potentia, præcellentem.

*Dixerunt ergo ad eum, Quid faciemus, vt operemur opera Dei?* Intelligunt, ex Chriſti verbis vitam immortalem eſſe propoſitam omnibus, qui in comparando pane, qui non perit, omne vitæ ſtudium ponunt. Quærunt igitur, quæ opera ſunt illa tam præclara, atque tam Diuina, quæ posſint homines efficere quodammodo Diuinitatis participes?

*Reſpondit Ieſus, & dixit eis, Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille.* Ex hoc loco plane liquet, Fidem, Dei opus eſſe. Nec enim ſolum nos vocat ad ſalutem; nec ſolum modis omnibus elaborat, vt ſuæ diſciplinæ fidem faciat; neque ſolum mentes noſtras ſplendore ſuæ mentis illuſtrat, vt ea cernant, quæ natura humana, per ſe, nullo modo conſequitur; ſed etiam animum eo robore confirmat, vt contra ſenſus omnes, contra humanæ rationis argumenta,

contra

contra penitus inſitas,atque vetuſtate corroboratas, opiniones,ſtrenue decertet,& de rebus omnibus,qnæ fidem oppugnanr ,clariſsimam victoriam adipiſcantur.Intelligit enim is,qui fide firmatus eſt,ſummam veritatem eſſe in verbo Dinino conſtitutam. Illud igitur ſolum intuetur;in illo tota mente defixus eſt; illi ſemper adhæreſcit;omnia,quæ cum illo pugnant,eſſe ſalſa , & inania , nequaquam dubitat. Itaque fit,vt hac fide vitam omnem moderetur. Non nego poſſe qnemnis hominem ſnperbia inflatum verbis Diuinis non aſſentiri;poſſe etiam libidine furentem præ inſita libidine iuſſa Diuina contemnere ; poſſe denique Dininum munus aſpernari. Nō cogimur enim , ſed inuitamur , ad epulas Diuinas. In manu noſtra eſt,repudiare beneficium; vel illud gratiſsima voluntate complecti. Hoc tamen dicimus in animis, qni non ſunt ex contētione,vt Pauli verbis vtamur, qui volunt acquieſcere veritati, & non credere iniquitati ; qui ſanctis operibus inſitam fidem teſtificantur,Fidem rectiſsime Dei opus appellari. Ab illa namque oēs diuinæ virtutis laudes oriuntur . Hoc,inquit, eſt opus Dei. Cum enim fieri non poſsit,vt abſque fide gratiam illius acquiratis , iam a mundi primordio huius fidei fundamenta Deus ipſe iecit, multiſq. figuris, & prodigijs , eam ſanxit , multis Prophetarum oraculis ad fidem viam muniuit , vt tandem omnem ſpem in illo poneretis,quem miſit ille . Ad eum namque omnia Prophetarum oracula referuntur .

*Dixerunt ergo ei,Quod ergo tu facis ſignum,vt videamus,& credamus tibi? quid operaris ? Patres noſtri manducauerunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt, Panem de cælo dedit eis manducare.* Signum datum,exemplo alterius ſigni,multo , vt opinabantur,amplioris extenuant. Vt credamus, inquiunt , te Filium Dei eſſe,opus eſt, vt ſigna videamus,quæ magnitudine,& vtilitate,longe multumq. ſuperent ea,quæ a Moſe fuerunt olim edita.Tu vna die hominum quinque millia pauiſti;at Moſes annis quadraginta ſupra ſexcenta hominum millia valde mirabiliter aluit . Tu hordeaceos panes non ita magnæ multitudini multiplicatos appoſuiſti ; Moſes cæleſtes dapes infinitæ propemodnm multitudini largitus eſt.Si igitur ſignis fides firmāda eſt , & illud ſignum , quod Moſes oſtendit , eſt hoc lōge mirabilius;quid impedit, quo minus auctoritatem Moſis auctoritati nominis tui anteferendam iudicemus ? Hac oratione petunt, nimis importune , ſignū Diuinitatis, multo clarius eo,quo multi,ſtupore defixi, ad Chriſtū , Iſraelis vniuerſi Regnum deferre cōcupierant.Quam multa vero in hac petitione peccauerint, difficile eſt dicere. Primū enim, pro tempore, & pro loco , & pro neceſsitatis, & penuriæ ratione, ſigna Diuinę benignitatis oſtenduntur.Ea audē de cauſſa,manna , quod roris inſtar ſingulis diebus caſtra Iſraelis operiebat,eo tempore,quo nullum erat illi populo cum hominibus illis commercium, & in regione , quæ ſeri , & fruges effundere , propter ſterilitatem , non poterat , cum primum Hebræi in terram iucundam, & fertilem , peruenere,viſum non amplius fuit.Quare?Quia tellus,in quarum poſſeſsionem miſsi fuerunt,frugibus abundabat . & miracula nun eduntur , niſi vbi opera naturæ deficiunt;vt intelligant homines,nō natura,mentis experte, ſed dei, qui naturam finxit,benignitate,hominum vitam ſuſtentari. Et iccirco neceſſe fuit, vt ingens multitudo, quæ annis quadraginta ſolitudinem,& vaſtitatem, peragrauit, rore illo iucundiſsimo veſceretur, cum eā omnes terræ fruges deficerent . In loco autem , in quo ſuæ virtutis ſignum Chriſtus dedit , non erāt niſi tantum quinque millia hominum,cū vxoribus , atque filiis, accipiendi . Præterea,hoc Chriſti ſignum eo fuit admirabilius , quia nemo poterat illud ad caſum,& naturam , reuocare . Manna vero dicere potuiſſent non eſſe nouuum,& inauditum , cum mel e cælo diffuſum in floribus , & plantis animaduertiſſent, in quo eſt vis etiam ad nutriendum mirifica . Manna vero non longe diſtabat a mellis natura,& efficientia.Miraculum igitur erat magis in multitudine,in ſeptimi diei ceſſatione, in vi,qua igne liquefieri non poterat,cum Solis radio difflueret,quam in illius forma,& natura conſtitutū.At in Chriſti miraculo quinque tantum panes viderant, eoſdemq. panes Chriſti manibus repente multiplicatos adſpexerant ; ita , vt nullo modo tanti miraculi aliam cauſſam, quam Diuinam Chriſti vim , aſsignare, nulla ratione , poſſent. Præterea , quid de hordei aſperitate,in egregiam iucunditatem conuerſa,dicemus ? Olim ab illo cibo dulciſsimo faſtidium multos abalienabat, ita , vt dicerent , non poſſe ſe diutius illius iucunditatem ferre. At ex Chriſti conuiuio ita diſceſſerunt vniuerſi, vt faterentur, ſibi numquam melius fuiſſe. Vſque eo namque exhilarati ſunt, vt repente de conuiuatore tam præclaro ad Regni faſtigium deligendo cogitarent.Præterea,in ſignis non eſt vlla contentio facienda. Quodcumque illud ſit , modo conſtet illud certiſsimum Diuinitatis argumentum continere ad fidem confirmandam,ſufficit.At,inquiunt, alia multo clariora ſigna viderunt maiores noſtri. Mirum non eſt.nec enim vis Diuina vllis finibus circumſcribitur . Fuerint , ſi ita lubet , omnium maxima : quod minime fatemur. Vt igitur illa Dei præſentiā declarabant , ita neceſſe eſt, vt hoc , licet minus admirandum,vobis eſſe videatur,dei præſentis numen clariſsime demonſtret . Cum igitur opus aliquod ad communem ſalutem effectum tale fuerit, quale ab hominibus fieri nulla vi,nullo artificio , nulla ratione,poſſet , id certo conſtat,opus Dei eſſe,nec vllo modo ad hominum laudem , ſed ad numinis diuini

glo-

gloriam,referendum. Ergo,cum opus illud, quo Chriſtus panes quinque in oculis ipſius multitudinis ita ſua vi, ſua potentia, ſua manu,multiplicauit,vt hominum quinque millia ſatiaret, parum ne perſpicue demouſtrauit, ſe eundem illum eſſe,qui in deſertis olim locis manna e cælo demiſerat? Non enim Moſes, ſed Dei Filius,innumerabilem illam multitudinē,labore fractam,& debilitatam,erexit,fame confectam cæleſti pabulo recreauit, morbis peſtiferis oppreſſam in ſanitatē reſtituit. Moſes beneficium Diuinum non ad ſuam gloriam tranſtulit. Beneficij quidem prænūtius tantum exſtitit, & ſanctiſsimæ legis adminiſter. Auctor vero,& princeps, & illius tam præclari muneris effector,ille certe fuit,qui a mūdi primordio naturam vniuerſam, quam condidit,coercet,& continet, immutabiliq. lege deuincit,mortaleq. genus alit, atque nutrit, vſque adeo,vt neque animantia minutiſsima prouidentiæ ſuæ ope deſtituat. Filius igitur Dei erat,qui manna populo largitus eſt,& nō Moſes. Sed præſtat, in Domini ipſius reſponſum totam mentem intendere. Sic enim ſequitur:

*Dixit ergo eis Ieſus, Amen amen dico vobis, non Moſes dedit vobis panem de cælo, ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei eſt qui de cælo deſcendit,& dat vitam mundo.* Non immoratur diſciplina ſummi doctoris in terris, ſed animos in cælum euehit, vt eos aſſuefaciat Diuina contueri. A ſignis igitur,ad veritatem ſignis adumbratam, auditores traducit. Non,inquit,Moſes dedit vobis manna,ſed Pater meus. Præterea,panis ille non verus panis a cælo demiſſus erat, ſed veri panis imaginem referebat. Præterea,panis ille erat breui tempore definitus,illiuſq. fructus interiit. At hic panis præſens ſemper eſt. Non enim dicit, Pater meus dedit olim patribus panem verū, ne præſentes fructu illius excluderet, ſed dat vobis panem de cælo verum. Explicat deinde magis,quis ſit Diuinus hic panis. Qui deſcēdit,inquit,de cælo,& dat vitā mundo. Manna non ex cælo,ſed ex aeris ſupera regione, quæ etiam Cęlum interdum nominatur, in terrā defluxit, nec edentibus veram vitam attulit. Hæc enim vita,quæ iunctione corporis, & animi,continetur, mors eſt potius dicēda, quam vita. Eſt enim iuris afflicta, morbis aſsiduis attrita,periculis vndique circumuenta,mortis denique ipſius acerbitate circumuallata. A vitæ namque exordio mors capitibus noſtris imminet, vitam circumplicatam tenet, vt quotidie aliquid ex illa decerpat,donec totam conficiat. Præterea,cum potiſsima noſtri pars animus ſit,& animus plerumque, eo quod ſit ergaſtulo corporis incluſus, & peſtibus,quæ ex animo in corpus redundant,infectus,vita caret: (vita enim illius eſt mentis Diuinæ coniunctio, quam a ſe flagitiis ſuis alienat) quamdiu igitur hoc diſsidium manet, tamdiu mors in animo dominatur. Nō incommode igitur quidam homines ſapientes, Corpus animi ſepulcrum nominarunt. Quamuis enim animus,natura ſit immortalis, eo quod natura illius neque ſupplici is ſempiternis extinguatur, valde tamen proprie Mori dicitur, cū a vitæ fonte diuellitur. eo porro mors animi funeſtior eſt exiſtimanda, quo animi natura præſtantior eſt, quam natura corporis, & mors animi nullo fine concluditur. Sic enim permanet, vt abſque vllo fine diriſsima mortis acerbitate crucietur. Quod ſi panis vis in reficienda,atque ſuſtentanda, hominū vita perſpicitur; & ea vita, quam panis hic peruulgatus ad breuiſsimum tempus conſeruat,vera vita non eſt;plane liquet,panē hunc, quo in hac breuiſsima vita aliquandiu ſuſtinemur, verum panem non eſſe. Verus enim panis,quo viget animus, quo ſentit, & ſapit, & Diuina luce, cum admirabili iucunditate, perſruitur, & abſque metu mortis in ſumma tranquillitate verſatur,non eſt ille,qui hominum ſudore,& induſtria,quæritur, ſed qui Diuina benignitate comparatur.

*Dixerunt ergo ad eum, Domine, ſemper da nobis panem hūc.* Antequam progrediamur vlterius, eſt animaduertendum,turbam hominum,qui Chriſtum audiebant,fuiſſe ex varia,atque diſſimili,hominum condicione conflatam. Quidam enim ideo ſe ad illum aggregabant,vt in dies mediocres fierent:alij porro verba illius obſeruabant, vt aliquam calumniæ materiā reperirent. Ex his autem,qui bona fide Chriſtum ſequebantur,alii erāt in fide magis pronecti,alij vero rudes,& imbecilli. Hoc conſtituto,intelligi poteſt,qua ratione Dominus tā eximiā Theologiæ diſciplinam illi multitudini tradiderit, cum magna pars eorum fuiſſet ad ſapientiæ Diuinæ myſteria prorſus indocilis. Aliter enim videretur minime conuenire ſummi magiſtri ſapientiæ, velle ſine vllo fructu tantum laborem ſuſcipere. Deindé, quid magis abſurdum,ſecundum multorum opinionem,fieri potuiſſet,quam,id facere,quod diſcipulis ſuis,ne facerent, vetuiſſet? Vetuerat enim, ne darent ſanctū canibus, neque margaritas porcis conculcandas proiicerent; & tamen,in tanta hominum colluuione, contra ſanctionem ſuam plane facere videtur, cum de numine ſuo diſſerit;cum,quæ vera vita ſit, diligenter expouit;cum,quis ſit verus ille panis,qui dat vitam mundo,interpretatur. Sed intelligendum eſt,omnia a Patre clementiſsimo propter electos fieri. Cum igitur in eo cōuentu multi electi fuiſſent, non erat æquum, vt bonorum fructus,propter malitiam improborum, impediretur. Bonis igitur erat egregie conſultum,& improbis nulla excuſatio relinquebatur, cum illis eſſent admixti, qui ex eiuſdem Domini oratione tam inſignem vtilitatem quotidie cupiebant. Non eſt enim,nō eſt vllo modo ferendum, vt, propter peruer-

ſum quorundam in tebus ſacratis vſum, boni fructibus, quos excipere poſſunt, ſpolientur. Nolo me impijs oſtentare; nolo me illis, qui verita tem oppugnant, offerre; nolo peruerſiſsimis hominibus myſteria Diuina committere; ſed, ſi caſus ita tulerit, vt, qui bona fide ſunt, in impiorum conuentum veniant, quamuis id robut non habeant, quod erat ab eis optimo iure poſtulandum, non ita me conturbabit impietatis ipſius adſpectus, vt non conet pto viribus illis commodare, qui bona mente ſunt, quamuis fuerint aliquando, propter imperitiam, a ſtudio pietatis auerſi. Immo tunc vel maxime opus eſt, vt in hoc ſtudium eos, qui ſanari poſſunt, adiuuãdi acrius incumbam, cum maius illis ex improborum comitatu periculum intentum perſpexero. Deſperatos quidem, & in ſcelere contumaces, ab omni bonorum cœtu ſegregatos, & indociles, ad pietatis diſciplinam minime curabo. In concione tamen, vbi multis mediocribus hominibus homines profligatiſsimi ſunt adiuncti, non eſt, cur impietatis odium me a caritate illis debita, qui ſpem nobis afferunt, condicionis multo melioris, abducat. Si hoc fecerimus, Chriſtum imitabimur. Nam & miſericordiæ bonis tribntæ nos miniſtros exhibebimus; & contta impios ſententiam conſtãtius feremus; &, quam iuſte ſit a Deo in perditos homines vindicatum, qui munera Diuina reiiciunt, iudicabimus. Hæc mihi in mentem venernnt, quæ dicerem; vt appareret, quod veriſsimum eſt, non ſine cauſſa ſapientiſsimum Magiſtrum, & Dominum, in hominum turba, de ſummis Diuinæ ſapientiæ arcanis ſermonem habuiſſe.

*Dixerunt ergo ad eum, Domine ſemper da nobis panem hunc.* Oratio hæc, non perditorum hominnm oratio eſt, ſed eorum, qui non perfecte ſapientes erant, ſed ad ſapientiam peruenire cupiebant. Quis enim verus panis eſſet, haudquaquam intelligebant, illius tamen iucunditate frui deſiderabant. Quæ autem, & quanta vis veri panis ſit, Chriſtus continuo demonſtrat:

*Dixit autem eis Ieſus, Ego ſum panis vitę: qui venit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet in æternum.* Si panis vitam fulſit, ſi debilitatas vires redintegrat, ſi robur non imminuit, ſed adauget; quis vete Panis vitæ dici poteſt, niſi is, qui noſtris animis ſempiternam vitam dat, & miris quotidie acceſsionibus eorum vires amplificat? Dei Filius, vere noſter Panis eſt, quo viuimus, alimnr, & ſuſtinemur, & inuicto robore confirmamur.

*Qui venit*, inquit, *ad me, nõ eſuriet.* Inexplicabilis eſt humanus animus. nullis diuitijs, nullis opibus, ſatiari poteſt. ſemper igitut eſurit, & in mendicitate verſatur. Quamuis enim corpus epulis exquiſitiſsimis refertũ ſit, animus tamen indigentia torquetur, ita, vt in nullis opibus, atque pręſidijs, acquieſcat. Temetitas enim, & inſania, facit, vt neque morbum, quo ptemitur, intelligat, neque medicinam, qua ſanari poſsit, adhibeat. Non enim immortalis natura interituris opibus contenta eſſe poteſt, cũ ad opes nullis ſæculis interituras fruẽdas & nata, & apta ſit. Ergo, cum animus ſit ad Diuinę mentis effigiem factus, qua tandẽ ratione poterit in totius etiam mundi principatu conquieſcere, cum naturæ quodam impetu ſemper ad infiniti, atque immenſi, boni ſtudium rapiatur, & ipſe illud, quod ardentiſſime cupit errore mentis turbulentiſsimo e terris eruere conetur? Quis igitur ſatiatur? quis in bonis, quibus fruitur, acquieſcit? quis ita opibus, quibus affluit, cõtentus eſt, vt alias opes minime requirat? Is certe, qui ſe ſtudio inflammato ad Chriſti nomen adiungit. Is enim ſolus, qui ſub illo militat, quæ vera vita ſit, prudenter intelligit, &, quibus cibis alendus ſit animus, explorate cognoſcit; &, quibus opibus mens ornanda, & excolenda ſit, cogitatione complectitut. eas igitur tantum cupit; eas ſolum ardentet expetit; earum deſiderio flagrat; & omnia, quæ deſiderat, adipiſcitur. Non enim, vitibus ſuis innixus, ad eas adſpirat; ſed, Chriſti præſidio fretus, in illis comparandis elaborat. Qur igitur in Chriſtum credit, numquam ſitiet. Numquã enim a Deo fruſtra opem implorabit, quamdiu fidei ſtudium non remiſerit. Quod ſi voluptas omnis tunc excipitur, cum id, quod nimis cupiebamus, aſſequimur; &, quo ſitis eſt ardentior, eo iucundius illam potu ſalutari reſtinguimus; quæ voluptas erit comparanda cum ea, quam ex iucunditate, atque perennitate fontis ſempiterni, capiemus, quoties nos ad illum contento ſtudio contulerimus? Adde, quod reliqua omnia, quæ nimis ſitienter appetimus, cum ſint fluxa, & inania, fallaciſsimaq. ſpecie eximiæ voluptatis illudant, vbi primum potiundi locus, & occaſio datur, euaneſcunt, & plerumque notam turpitudinis inurunt, ingentemq. materiam pænitendi relinquunt. At voluptas, quæ ex ſpiritu Chriſti percipitur, fixa, & ſtabilis eſt, nec vlla macula dedecoris inquinari poteſt, cum ornatu mirifico cæleſtis cuiuſdã pulchritudinis exculta ſit. Nulla igitut cupiditas affictabit eorum animos, qui ſe totos ad Chriſti nomen adiunxerunt. Nec enim cibis iucundiſsimis indigent, cum, Patris ſempiterni liberalitate, vnici illius Filii nuptiis ſemper accumbant; neque ſummæ voluptatis expertes eſſe poſſunt, cum Spiritus ſancti ſuauitate perfuſi perpetuo ſint, nec honores humanos ambiant, cum Diuinis ſint egregie cnmulati. Sed obſtare videtur huic ſẽtentiæ id, quod alibi ſcriptum eſt. Sic enim Sapientia loquitur: Qui comedũt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient. Sapientia autem, Dei Filius eſt. at hic dicit fore, vt, qui ad ſe aggregati fuerint, nullam vel famis, vel ſitis, moleſtiam patiantur. Quid hoc igitur

tur eſt. Dicemus, Dei Filium ſibi aduerſari? & ſententias contrarias efferre? Nullo modo. Sed animaduertendum eſt, cum ſatietatẽ plerumque faſtidium conſequatur, fieri ſæpe numero, vt pro faſtidio Satietas interdum vſurpetur. Sic autem fit, vt Satiari non ſolum deſiderium explicare, ſed etiam aliquid faſtidire, ſignificet. Cum igitur Sapientia dicit, futurum, vt, qui ſapientię dapibus veſcitur, adhuc eſuriat, &, qui ex illius fonte bibit, adhuc ſitiat, negat, vllum faſtidium ſapientiæ fore finitimum; & voluptatis veriſsimæ ſtabilitatẽ confirmat. In corporis enim cibis tamdiu in comedendo voluptatem ſentimus, quamdiu fames durat; exſtincta vero fame, comedendi voluptas exſtinguitur. Sic etiam, in bibendo, tantiſper voluptatem capimus, dum ſitis aliquo modo viget; depulſa vero ſiti, potus nullã voluptatem affert. Ne omnia vero perſequamur, intelligendum eſt, antecedentes moleſtias ſic voluptates efficere, vt, depoſitis ſatietate moleſtijs, aliæ rurſus moleſtiæ grauedinis, & iucunditatis, exſiſtant. Nulla igitur eſt in rebus humanis pura voluptas, ſed eas ſemper labores, atque moleſtiæ, præcedunt; & effuſam lætitiam dolores acerbi ſæpe contaminant. Contra vero, voluptates, quæ ex Spiritu Chriſti capiuntur, puræ, liquidę, & ſtabiles, ſunt. Nec enim eas faſtidiũ corrũpit, neque vlli timores eripiunt, neque vllũ contagiũ turpitudinis inquinat, neq. vlla rerũ perturbatio labefactat. Immo, in omni temporũ varietate, rerum etiã conuerſione, quo affluẽtius hauriuntur, eo magis amplificantur, iucundioremq. in dies vitã efficiunt. Hæc igitur tantum ſunt, quæ famem, & ſitim, omnino depellunt, & animos in trãquillitate ſumma cõſtituũt. Clamat igitur Iſaias: Omnes, inquit, ſitientes, venite ad aquas. Neminem excipit. Quis eſt enim, qui non ſitiat? qui non cupiditate ardentiſsima crucietur? qui non deſiderio flagret earum rerum, quas nimis expetendas opinatur? Quis autem in vita fuit vmquam, cuius deſiderium expleri, & cupiditas ſatiari, potuerit? Nemo prorſus. Omnes enim opes, quas oculis cernimus, minutæ, & anguſtæ, ſunt; deſiderium vero, eſt infinitum. Nam Diuinæ mentis imago, ad opes Diuinas æuo ſempiternas informata, non poteſt in opibus interituris acquieſcere. Cum igitur, erroribus turbulentis obcæcata, pro veris bonis inania conſectatur, numquam ſibi eorum copia ſatisfacit, ſed ſemper eget; &, quo magis opibus affluit, eo maiore indigentia torquetur. Itaque fit, vt, cum omnes homines ſtatum trãquillum, omnibuſq. bonis florentem, nimis appetant, omnes in ſumma miſeria, & ſollicitudine, verſentur, nullaq. pace frui poſsint. Propheta igitur maximis vocibus omnibus errorem peſtiferum detrahere cupit, cum omnes ad fructum tantæ felicitatis inuitat; & admonet, vt ſitis depellendæ falſa remedia contemnant, & ad vitæ fontem, quantum poſsint, accelerent. Sic enim futurum pollicetur, vt ſumma cupiditas expleatur, & animus ita contẽtus ſit, vt nihil aliud requirendum exiſtimet. Sed dixiſſet aliquis: Magna tu quidẽ, vir ſanctiſsime, proponis. Vſus enim nos docuit, neque ſummos Principes imperij ingentis amplitudine, neque ditiſsimos homines immanium diuitiarum magnitudine, neque philoſophos naturæ totius peruestigatione, eũ ſtatum aſſecutos fuiſſe, in quo nihil amplius deſiderarent. At nos, opibus nullis præditi, quo tandem modo poterimus ad eum ſtatum peruenire, ad quem nullæ maximorum hominũ opes adſcendere potuerunt? Ne hoc dici poſſet, inquit vir ille Diuinus, emite abſque vllo argento, & abſque vlla commutatione, vinũ, & lac, hoc eſt autẽ abſque operibus antegreſſis munera ſpiritus Diuini coemetis. Dei nãque gratia, non meritis humanis, ſed fide, ope Dei ipſius incitata, comparatur. Si vultis igitur vino cæleſti, quod animos veſtros lætificet, expleri, ſi dulciſsimo lacte nutriri cupitis, non meritis veſtris innixi, ſed Diuina clementia freti, ad bonorum omnium fontem accedite, & ſic tandem omni bonorum copia redundabitis. Sequitur deinde: Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate? Cur, inquit, omnes opes veſtras ſine vllo fructu conſumitis? cur vitam in ſtudio bonorum fruſtra conteritis, cum numquã expleri, atque ſatiari, poſsitis? Audite, audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſsitudine anima veſtra. Hæc apud Iſaiam dicit idem Dominus, qui in Ioanne nos ad eaſdẽ epulas inuitat. Nolitote igitur, fratres, tam inſignem liberalitatẽ ſummi, atque ſempiterni, Principis aſpernari. Nolitote tam propẽſam ad benigne faciendũ voluntatem ingrate contemnere. fuiſtis laboribus infinitis attriti; & tamen nullum ſolidũ fructum ex aſsiduis laboribus extuliſtis: moleſtias innumerabiles pertuliſtis: ſummam operam, & ſtudium, in res inaniſsimas contuliſtis: &, vt nihil aliud dicam, quam parum uos ea omnia iuuerint, experti fuiſtis. Nam pro ſolidis opibus indigentiam, pro requiete ſollicitudinem, pro voluptate dolorem, pro dignitate dedecus, perpeſsi fuiſtis. Ad aquas igitur properate: vitæ fontem acquirite: panis ſempiterni ſuauitatem guſtate. Chriſti benignitatem complectimini, qui veſtros animos explebit, & dulcedine ſumma perfundet, gaudioq. ſempiterno cumulabit.

ORA-

# ORATIO XIX.

*SEd dixi vobis quia & vidiſtis me, & non credidiſtis.* Nihil, quod quidem ad ſalutem generis humani pertineret, fuit a ſumma, & immenſa, bonitate aliquo modo prætermiſſum. Salus noſtra, eſt in Dei notitia conſtituta. Vt igitur Dei numen, vim, potentiam, ſapientiam, bonitatem, perciperemus, mundum condidit, amplitudine maximum, ſplendore clariſsimum, venuſtate pulcherrimum, varietate incundiſsimum, vtilitate commodiſsimum, atque maxime ſalutarē. Naturæ voces perpetuo ad aures noſtras peruениunt, dies clamant, noctes minime ſilent, fructus, & frnges, quanta ſit benignitas ſummi conditoris, annunciant; bruta etiam animantia, Domini ptouidentiam concelebrāt; atqne profitentur, ſe illius clementia ſuſtentari. fœdus, quo omnes mundi partes inter ſe mirabili ratione conſentiunt, Dei legem ſempiternam, ordinem, & rationem, & vinculū, quo omnia nexa, & alligata, & ad hominū vitam aptiſsime conſtituta ſunt, laudibus ſummis efferunt; &, quanta ſit ſummi Domini, & parentis optimi, vis, atque clementia, declaranr. Non fuit hoc ſatis. Nam, cum eſſet humana ratio flagitijs obſcurata, & ſenſus, diuturna peccandi conſuetndine, miſerabiliter oppreſsi, & nimis hebetes, atque tardi, facti fuiſſent; legem tulit, qua tenebras diſpelleret, licentiam reſrenaret, vitæ diſciplinam ſanciret, & animos iacentes erigeret, & ad cæli conſpectum excitaret, vt, Diuinis operibus inſtructi, ſummum rerum opificem & intuerentur, & amarent, & omnem operam, & ſtudium, atque adeo vitam omnem, in celebranda illius bonitate conſumerent. Sed, cum tantum ad inſirum ſcelus hominnm roboris acceſsiſſet, vt non ſolum legis ſtudium negligerent, ſed expreſſas officiorum ſanctiones irriderent, & omnia iura Diuina perfringerēt, atque proculcarent, miſit Deus viros Diuinos, ſanctiſsimæ legis interpretes, qui homines ſomno conſopitos expergefacerent, ignauos ſtimularent, flagitijs infames exterrerēt, & homines, in quibus inerat aliqua ad veram virtutem docilitas, præmijs ſempiternis allicerent, vt omni cura, ſtudio, contentione, in ſtudium pietatis incumberent, Deumq. Dominum, & Parentem, agnoſcerent, illiuſq. nnmen metuerent, & benignitatem diligerent, omneſq. rationes vitæ beatiſsimæ in illius fide, & patrocinio, collocarent. Quid eſt, inquit ille, apud Iſaiā, quod debui facere vineæ meæ, & uon feci ei? Vinea tamen egregie culta, pro ſuauibus vuis, labruſcam protulit; pro iuſtitia, innumerabiles iniurias intulit; pro caritate, hominnm crudeliſsimum odium exprōpſit; pro debito pietatis ſtudio, ſummnm in Deum ſcelus, cum proiecta audacia, concepit. Vnum reſtabat, vel ad clariſsimum ſummæ, & immenſæ, probitatis indicium, vel ad ſummæ perfidiæ, cum bonitate ſumma perpetuo decertantis, argumētum, vt ſanctiſsimus ipſe naturæ conditor, atque ſummus legislator, qui Prophetas docuit, & inſtruxit, eoſque in mundum ad homines docendos miſit, per ſe, quod natura non potnit, quod lex ad exitū minime perduxit, quod Prophetæ perficere nequiuerunt, operibus admirandis, & vi Diuinæ orationis, efficeret. Ipſe, inquam, Dei Filius, qui naturam condidit, vt naturam humanam turpiſsime prolapſam inſtauraret; qui legem tulit, vt arcana legis explicaret; qui Prophetarum opera vſus fuerat, vt eorum ſtudia comprobaret, atque longe clarius futura prædiceret; humanam formam induit; cum hominibus loquitur; myſteria Dininæ benignitatis enuntiat; præmia ſempiterna pollicetur; obſtinatis ſupplicia ſempiterna couſtituit; numenq. ſuum operibus Diuinis oſtendit, vt nemo poſſet vllo modo ſe ipſum, ignorationis excuſatione, defendere; atque, quod omnium mentium cogitationes excedit, ſe Panem cæleſtem eſſe profitetur, quo vita noſtra in perpetnum propaganda ſit. Itaque iam non paſtor, ſed pabulum; non conuiuator, ſed panis, efficitur; vt nos, Diuino cibo ſatiati, Diuinitatem conſequamur. O beatos illos, qui tam præclari conuiuij participes eſſe cupiunt, qui clementiam, & benignitatem, ſummi Domini admirantur, & amant, & inflammato ſtudio complectuntur, nempe, quibus eſt conceſſum immenſis gaudiis, atque ſempiterna gloria, potiri, & in Diuina quadam ſede collocari.

Qni igitur ſalutem ſuam produnt, qui oblatā dignitatem repudiant, qui ſummi Dei beneficia coutemnunt, & in auctorem tantæ benignitatis inuehuntur, quibns ſint cruciatibus digniſsimi, fratres, cum animis veſtris reputate, vt exemplum tanti ſceleris horreatis.

Quod ſi Dominus ipſe non ſe videndum exhibuiſſet, aliquam perfidiæ excuſationem habere forſitan potuiſſent; ſed illius opera Dinina perſpexerunt; copiam, & vbertatem, Diuinæ orationis audierunt; numen rebus admirandis apertiſsime comprobatū explorauerunr; & tamen credere noluerunt. Certamen enim ſnſcepit humanæ peruerſitatis improbitas cū Diuina probitate, ſceleriſq. duritas, atque pertinacia, cum miſericordiæ cæleſtis immenſitate; & ſic neceſſe fuit, vt, cum fideles ſatiarentur, fidei deſertores fame contabeſcerent; cū boni ſitim iucundiſsimo potu reſtingnerent, improbi ſiti funditus interirent; cum ij, qui

Chriſtum audiebāt, lætiſsimis animis Dei laudes harmonia iucundiſsima perſonarent; hoſtes Chriſti, angoris acerbiſsimi cruciatu, cōuicia, & maledicta, in cælum, cum ſalutis deſperatione, conſerrent.

*Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me non eijciam foras, quia deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem. ſed voluntatem eius qui miſit me.* Non poſſunt, inquit, homines, Deū crudelitatis inſimulare. Illius namque benignitas omnibus prompta, atque parata eſt. Nemini eſt aditus ad miſericordiam pręcluſus. Qui igitur pereunt, inſita perfidia pereunt. Voluntaria namque cæcitate oppreſsi, & flagitiorum ſuorum tenebris impediti ſunt, quo minus Diuinis iuſsis aſſentirentur. Pater enim omnes, abſque vllo generis, aut humanæ condicionis, diſcrimine, vocat. Omnes igitur, qui fidei minime repugnant, qui Diuinis vocibus aures præbent, oblatamq. lucem libentiſsime ſequuntur, ſunt a Patre meo mihi commiſsi, vt eorum ſaluti, atque dignitati, omni cura, ſtudio, labore, vigilantia, ſedulitate, proſpiciam. Omnes igitur, qui Patri debitam fidem habent, ad me veniunt. Ex his autem, qui ad me veniunt, neminem excludo. Nullum diſcrimen eſt, nulla diſtinctio, nulla certi generis ratio; nulla ſacrorum religio. fidei tantum vis, atque magnitudo, perpenditur.

*Quia deſcendi de cęlo, nō vt faciā voluntatem meā, ſed voluntatem eius qui miſit me.* Qui ſe e cælo deſcēdiſſe aſſerit, numquam cælū deſeruit. Ideo tamen ſe deſcendiſſe dicitur, quia in terris numen ſuum, actionibus numquam antea perſpectis, indicauit. Se Patris voluntatem, & nō ſuam, ſecutum fuiſſe, confitetur, eo quod numquā aliquid a Patre ſeparatim deſignare potuerit. Non poteſt enim Filius aut conſilium inire, aut opus efficere, quod non ſit Patris cōſilio decretum, ſapientia conſtitutum, numine ſtabilitum. Si enim Filius aliquid per ſe ſine reſpectu ad Patrē deſignare potuiſſet, iniquitatem ſuſcipere potuiſſet. Vt enim non ſemel a nobis dictū eſt, omne, quod non ab illo vno, totius æquitatis, & iuſtitię, fonte, profluit, eſt ab omni iuſtitiæ ratione ſegregatū. Qui igitur negat ſe vmquam voluntatē ſuā reſpexiſſe, ſed omnes ſuas actiones ad Patris voluntatem adminiſtraſſe, negat, in omnibus officijs, & actionibus ſuis aliquid reperiri potuiſſe aliqua iniquitatis contagione maculatum.

*Hæc eſt enim voluntas eius qui miſit me, Patris: vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouiſsimo die.* Summa, inquit, probitas, nullius interitum concupiſcit; mortem cuiuſquam non expetit; omnia illius conſilia ad omnium vitam diriguntur; nullam vmquam gentem præcipuam habuit, cui ita conſultum eſſe vellet, vt reliquarum ſalutem negligeret. Ideo igitur miſſus ſum, vt voluntati Patris obſequerer, & omnium ſaluti proſpicerem. Quod attinet ad Patris voluntatem, ea valde prompta, atque parata, eſt, & ſic in omnium ſalutem propenſa, vt nemini velit eſſe aditum ad vitam ſempiternam intercluſum. Reliquum igitur eſt, vt humani exitij cauſſa nullo modo ad Patrem meum, ſed ad hominū perditorum rebellionem, & perfidiam, referēda ſit. Qui enim Filium vnicum in terras miſit, vt genus humanum in cælum traduceret, & in ſedibus ſempiternis collocaret, nihil certe ſibi reliquum fecit, quod non in feliciſsimū ſtatum humani generis impenderet. Non poteſt igitur quiſquam merito Deum inclementiæ, & crudelitatis, inſimulare. Sequitur deinde:

*Hæc eſt autem voluntas Patris mei qui miſit me: & omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die.* In eadem ſententia perſtat, vt oſtendat, quanta ſit eorum cæcitas, & amentia, qui ſanari nolunt, qui lucem fugiunt, qui tenebris tęterrimis ſepeliri, & ſempiterna morte multari, quam Diuina luce frui, & vita Diuina potiri, malunt. Sed dicet fortaſſe aliquis: Si volūtes ſummi Patris ea eſt, vt illis tantum ſalus propoſita ſit, qui vident Filium, & credunt in eum; quid illis fiet, qui Filium non vident? Interibunt certe. Sed, quis eſt, qui Filium non videt, niſi is, qui fidem deſerit? Qui enim fidem ſancte colit, qui animum, Chriſti ſanctiſsimis ſacris expiatum, flagitijs nō contaminat, qui omnes vitæ rationes e cælo ſuſpenſas habet, Dei Filium videt, & audit, & illius iucundiſsima familiaritate perfruitur. Filius enim Dei, in illius animo frequenter inſidet, & illi cogitationes Diuinas inſpirat, mentemq. illius amoris Diuini facibus inflammat, & animum interdum iacentem, ſanctiſsimarum cogitationum epulis inſtaurat, multiſq. denique modis oſtendit illis, qui Deo minime repugnant. Vult igitur Pater, vt omnis, qui Dei voluntatem minime negligit, & credit in illius Filiū, ipſius Filij opera vita ſempiterna perfruatur. ſed, inſita naturæ profligatæ malitia, neque videt, nec audit, neque ſentit, &, quo magis opinione acuminis inſoleſcit, eo maiore cæcitate laborat. Vident homines corporis formam, animi decus non uident; uident inanem ſpeciem dignitatis, veræ virtutis ſpeciē minime percipiunt; terrenas opes admirantur, Diuinos theſauros ſapientiæ, humili quadam ſignificatione humilitatis incluſos, intueri nequeūt, Ad adſpectum lucis paullo clarioris hebeſcit: mentis acies, & animi vis, prorſus obtunditur: &, quo maior eſt ipſius lucis ſplendor, eo cæcitas magis horribilis, & funeſta, conſequitur. Accedit etiam inuidiæ peſtis, & flagitiorum dira caligo, quæ animos tenet, ne virtutis veriſsimæ decus admirentur; & ita fit, vt, quod laudabile, & prædicandum, eſt, intueri nolint, & id tantum, quod reprehendi poſſe ſuſpicantur, omnibus modis arripiant.

piant. Sic igitur euenit, vt, cum Ieſus viam vitæ beatiſsimæ hominibus aperiret, cum Diuinæ bonitatis opes explicatas oſtenderet, cum omuibus, qui vellent diuitijs ſempiternis affluere, opem ſuam paratam eſſe demonſtraret, illi, inſolentia tumentes, & inuidia furentes, ſanctiſsimæ ſapientiæ diſciplinam, cũ proiecta audacia, & impudentia, reiiciant. Sic enim ſequitur:

*Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixiſſet, Ego ſum panis viuus, qui de cęlo deſcẽdi: & dicebãt: Nonne hic eſt Ieſus filius Ioſeph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cęlo deſcendi?* Siccine, inquiũt, audebit homo notus, humilibus parentibus in terra obſcura prognatus, originem ſuam ad cælum reuocare? Quaſi vero nos parum patrẽ illius, nimis egentem, atque ſabrili artificio victum quæritantem, nouerimus. Quod ſi genus ſuũ ad aliquam antiquiſsimam nobilitatem nobis ignotam retuliſſet, aliqua ratione tolerandus eſſe videretur. Sed is, terrena nobilitate minime contentus, ortum ſuum ad cælum referre nititur: quaſi non fuerit in terra natus, & inter homines infimos educatus. Flagitium eſt, genus ementiri, ſed vulgare, & vſitatum. at, numen inſolenter arripere; & abiectum hominem ſe, Diuino ſatu procrearum aſſeuerare, ſceleſtiſsimũ facinus, cruciatibus ſummis expiandum. Sine me, inquit, vitã ducere non poteſtis. Ego enim ſum panis viuus: genus meũ non in terris eſt inquirendum, ſed in cælo, vnde deſcendi, vt terras inuiſerem, eaſq. cæleſti pabulo ſuſtentarem. Cur igitur illum audimus, qui tam multa portenta loquitur? cur illum non deſerimus, qui nobis, vt pueris, nullo iudicio præditis, illudit? Hæc igitur illi inter ſe clamculum muſsitabãt. quod illi occultum eſſe non potuit, qui intimas etiam hominum cogitationes explorate cognoſcit.

*Reſpondit ergo Ieſus, & dixit eis, Nolite murmurare inuicem: nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum, & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die.* Mirum non eſt, ſi meam diſciplinam negligitis, & præſidium oblatum contemnitis. Eſtis enim a Deo prorſus auerſi. At fides in meo præſidio conſtituta, Dei opus eſt, Dei munus, & beneficium, eſt. Ille enim eſt, qui mentes illuſtrat, qui animos inflectit, qui ſenſus incitat, vt velint auctorem ſalutis audire, iuſsiſq. illins obtemperare; non ita tamen, vt vim inferat, ſed vt inuitet, & alliciat. Poteſt enim quilibet, ſi velit, beneficium ſummi Patris obſtinate reiicere. Qui non reiiciunt, ſed, cum intelligant, ſe Spiritus mei Patris impelli, admonitionibus illius obſequuntur, & ita ſeſe ad ſtudium mei nominis adiungunt. Quod cum vos minime faciatis, conſtat certe, vos Patris ſpiritui nefarie reſiſtere. Ideo vos nõ traxit Pater. Trahere enim hoc, non inuictam vim, ſed ſtudium acrę, & incitatum, & cupiditate tribuẽdæ ſalutis incenſum, ſignificat. Si vultis, inquit, trahi, & in vitam æternam vltimis temporibus excitari, Diuinis iuſsis animum interne pulſantibus obedite. Dixiſſent illi, Tamen patrem non videmus, quo modo igitur imperium illius accipere, & admonitis inſtrui, poſſumus? Hoc ne dici poſſit, humanam diffidentiam Scripturæ ſanctæ teſtimonio refellit.

*Eſt ſcriptũ in Prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei.* Quia dicit, In Prophetis, eſt intelligendũ, non Iſaiam tantum, ſed alios etiã Propheras, futurum prædixiſſe, vt omnes, qui firma, & ſtabili, fide nomina dediſſent, ab ipſo Deo docerentur. Audiam, inquit Dauid, quod in me loquatur Dominus. Et alibi, Beatus, quẽ tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum. Cum igirur tam multi errores verſentur in vita; cum omnia, quæ cernimus oculis, ſint tenebris, & caligine, demerſa; cum pro veris bonis falſa furenrer arripiamus, & pro rebus ſalutaribus noxia, & peſtifera, conſectemur; cũ pro vitæ iucundirate pocula ſummæ cuiuſdam acerbitatis hauriamus; cum denique, quod eſt miſerrimum, ij, qui ſeſe ſapientiæ ſtudio dediderunt, in ſummo furore, atque dementia, ſapientiæ nomine glorientur, vt non ſe tanrum, verum & omnes ſectatores ſuos, in miſeriam ſempiternam præcipites exturbent; quid beatius eſſe poteſt, quam, ipſum Deum, ſapientia infinita præcellentem, magiſtrum veritatis habere? Hoc autem per fidem aſſequimur, vt veritas illa ſempiterna nos ſui cognitione inſtruat. Ergo, cum ſimus, natura, bonorum, acriter, atque valde vehementer, appetentes; & Pater doceat, omnia veriſsima bona, Filij ſui dilectiſsimi gratia, & benignitate, contineri; reliquum eſt, vt omnes, qui Patrem audire voluerint, & orationem illius memoria conſeruauerint, ad Chriſtũ ſe cõferant, & illi, amoris ſempiterni fœdere, copulẽtur. Et hæc eſt vis, qua Deus fideles attrahit. Quemadmodũ ſcriprum eſt, Trahe me poſt te. Nec enim vis hæc eſt in ſati neceſſitate, vt quidam ſtultiſsime ſuſpicantur, ſed in veritatis clariſsimo lumine, conſtituta.

*Omnis qui audiuit a Patre, & didicit, venit ad me.* Non ſufficit, audire Spirirus Diuini teſtimoninm, quo Pater apud animos clariſsime, quę ſint vera bona, teſtificatur; ſed ipſum teſtimonium memoriæ mandare, & ita continere, ne vnquam animis elabatur.

*Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is qui eſt a Deo: hic vidit Patrem.* Deum nemo vidit vnquã. Vnigenitus Filius Dei, qui eſt in ſinu Patris, ipſe eſt, qui myſteria ipſius Diuinitatis enunciat. Hanc eandẽ ſenteuriam ipſe ſummus veritatis magiſter aliis verbis hoc in loco pronuntiat. Cũ enim dicit, Qui eſt a Deo, perinde eſt, ac ſi diceret, Qui ſolus eſt ſecundũ naturã, ab Ipſo Deo, a tẽpore ſempiterno progenitus. Ergo, cũ Deum in vita videre nõ liceat, reſtat, vt nõ ſenſus euidentia, ſed fidei ſtabilitate, &

conſtantia, Dei notitiam capiamns. Ad fidem porro firmiſsime conſtituendam opus erat auctoritate ſumma, quã videlicet nemo ratione poſſet, vel temeritatis, vel vanitatis, inſimulare. Temeritas in eum cadere non poteſt, qui ea teſtatur, quæ vidit, & audiuit; Vanitas in illum non conuenit, qui vanitatẽ oratione perpetua conuellit. Cum igitur vnicus Dei Filius ea, quæ vidit, effatus eſt, & , quis eſſet, Diuinis operibus indicauit, reliquum erat, vt illi ſolum fidem haberemus.

*Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.* Quo modo autem vitam æternam conſequi poſsimus, magis explicat, dum ait:

*Ego ſum panis vitę. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto: & mortui ſunt. Hic eſt panis de cælo deſcendens: vt ſiquis ex ipſo manducauerit, non moriatur.* Panis quæritur ad vitam fulciendam, vt, quod quotidie mors abſumit, cibo reretur, & labentes quotidie vires panis ſubſidio reficiantur. Sed neque pane, nec vllis exquiſitis cibis, mors arceri vllo modo tandem poteſt. Quin etiam cibus ille mirificus, e cælo quotidie demiſſus, vt multitudinem innumerabilem in ſolitudine ſuſtentaret, non tantam vim habuit, vt aduentanti morti reſiſteret. Omnes enim, qui eo pane veſcebantur, in ea ſolitudine morte conſumpti ſunt. Sed dicet fortaſſe aliquis: Quaſi vero non omnes, qui Chriſto ſunt adiuncti, moriantur. omnes enim, vel cruciatibus exſtincti, vel morbis oppreſsi, vel certe vetuſtate, & ſenio, confecti ſunt, neque vltra communis vitæ ſpatiũ vitam producere potuerunt. Verum. Sed eam vitam, quam panis hic cæleſtis afferebat, numquam amiſerunt. Omnia ſiquidem ſunt finibus ſuis applicanda. Manna, non ad animi, ſed ad corporis, vitam, olim conceſſum fuit; ſed corporibus immortalitatem nõ attulerunt. Panis hic vitæ, non alendis corporibus, ſed animis in vita perpetuo conſeruandis, præſtitus fuit. Animi vero, qui eo ſuſtinentur, emori non poſſunt. Non enim a Deo, a quo vera vita ſemper emanat, vllo tempore deſeruntur. Sequitur deinde eiuſdem ſententiæ repetitio:

*Ego ſum panis viuus, qui de cęlo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Nõ moriuntur iuſti; nullum imperiũ habet mors in eos, qui a ſempiterna vita minime diuelluntur: videntur illi quidem inſipientibus mori, cum eorum corpora naturali interitu conſumũtur: ſed animi eorum tum vel maxime viribus vigent, & opibus Diuinis aucti, & amplificati ſunt, & gloria ſempiterna circumfluũt. Itaq. nullas prorſus vires habet mors in eos, quibus cibus eſt panis ille ſempiternus in terras a Patre miſſus, vt mortis imperium exſtingueret, atque deleret. Hic, inquit, verus panis eſt, e cælo delapſus, quem manna ſubobſcura imagine referebat. Verum enim Manna, qui ſalutem dat, & immortalitatẽ elargitur, ipſe Chriſtus eſt, qui non dentibus, ſed incẽſa fide, comeditur. Vt autẽ vis huius tam Diuini panis clarius eluceſcat, eundem panem carnem ſuam eſſe teſtificatur. Corpus enim illius, pro generis humani ſalute in Crucem actum, nobis vitã, & immortalitatem, cõtulit. Sanguis, pro omnium flagitiorum, & ſcelerũ, expiatione, profuſus, Deum iratum placauit, & ita propitiũ nobis effecit, vt ſitim bonorũ omnium, qua flagrabamus, exſtinxerit: omnibus enim ſummis bonis animos noſtros expleuit.

*Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, dicentes, Quo modo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducãdum?* Amẽtiſsimi ſunt omnes, qui ſenſibus omnia metiuntur, Si enim ſolus ille, ſapiens dici, & haberi, poteſt, qui vim Diuinæ mentis, quãtum in hac vita licet, intuetur, eaq. eſt ab omni terreſtri concretione ſecreta, is, qui totus eſt in terra defixus, quo modo poteſt quidquam neo dignũ, de illius ſapientia, & amplitudine, cogitare? Inde adeo fit, vt, cũ ſint ſtultiſsimi, quoties de rebus Diuinis oratio habetur, ineptiſsime reſpondeant, & in ſententias incidãt nimis abſurdas, & impias, totiuſq. mẽtis, & rationis, expertes. Litigabant, inquit, Iudæi. Cũ Litigabant, inquit, non omnes prorſus amentes fuiſſe, demonſtrat. Multi enim, cũ præclare de Chriſto ſentirent, non poterant vllo modo ſententias illius improbare, quamuis eas nõ intelligerent. Satis enim illis erat, ſtatuere, fieri nullo pacto poſſe, vt ex ore illius verbum excideret, quod nõ eſſet ſapiẽtiæ Diuinæ pleniſsimum. Maxima tamen Iudæorum pars, ſenſibus addicta, ſentẽtias Diuinas irridebat. Inde igitur contentio inter illos excitata fuit. Opinabantur enim homines perditi, Chriſtum dixiſſe, carnem ſuam, quam videbant, eſſe dilacerandam, & in fruſta diuidẽdam, & ex ea conuiuium adornandum, vt illa videlicet hoſpites ſaturati vita immortali fruerentur. Nihilominus tamen Dominus in eadem ſententia conſtanter inſiſtit, nec vllius improbitate commouetur, vt ab eiuſdem explicatione deducatur; ſuos inſtruit; alienos, ne furenter inuehantur, exterret; & dirũ exitium illis, qui fidem oppugnant, minitatur.

*Amen, amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Hic, Manducare, eſt, credere: Niſi, inquit, credideritis, vitam veſtrã in ſanctitate mei corporis pro nobis omnibus immolandi collocandam eſſe; niſi hoc fixum in animis veſtris inſederit, ſalutis veſtræ firmum præſidium, eſſe in ſanguine meo, quem ſum pro omnium ſalute, atque libertate, largiturus, conſtituendum, fœde peribitis, & taeterrimæ mortis vinculis alligati in omni ſæculorum æternitate permanebitis. Omnibus enim, qui nõ crediderint Chriſtum in carne veniſſe, vt genus humanum morte damna-

Digitized by Google

damnatum in vitam reſtitneret,eſt ſpes vitæ, atque ſalutis, prorſus inciſa.

*Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eũ in nouiſsimo die*. Spem vitæ duplicis oſtendit ijs, qui fidem colunt,& in fide permanent, & actiones ſuas ad fidei ipſius normam dirigũt. Prima,eſt animi vita, quæ Diuinæ iuſtitiæ fru ctu continetur. Hæc æterna eſt, quia non poteſt illis eripi, qui in Chriſti tutela,atque præſidio,latent,& iuſtitiæ ipſius officio,ſine intermiſsione,funguntur. Altera,eſt illa,qua corpora ſepulta, & in puluerem etiam redacta, voce, & imperio, Filij Dei in vitam reuocabuntur,vt claritate ſempiterna colluceant.

*Caro mea, vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*. Sapientiſsimus magiſter, in ſententia, quæ omnem vitam continet, ſapientiſsime commoratur; & eandem ſæpius inculcat, vt appareat, quantum ſit in ea pondus ad ſalutis ſempiternæ rationem. Si enim carnem illius non comederimus, & ſanguinem non biberimus, vita frui nullo modo poterimus. Contra vero, ſi fuerimus hoc cæleſti conuiuio refecti, omnes a nobis mortis impetus facile propulſabimus. Quare? Quia omnes, qui vocati veniunt, & debitam gratiam illi, qui eos inuitat, habent, tantiq. beneficii memoriam conſeruant, in eo, qui eſt fons vitæ, manent, & ipſa vita in eorum animis ſedem collocat, ne eos interire vmquam patiatur. Vere igitur ille cibus eſt, qui veram vitã perpetuo tuetur, & verus potus ille tantum eſt, qui mentes exhilarat, & incendit, & cum omnium curarum allenamento vires amplificat, quibus homines ſtatum Dininum facillime conſequuntur. Humana namque natura, dapibus Diuinis expleta, in Diuinam quodammodo naturam conuertitur, ita, vt omnia, quæ non ſunt Diuina,faſtidiat.

*Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe viuet propter me*. Pater, inquit, eſt, ipſa vitæ perennitas, immenſa, & infinita naturæ conſtantia, atque ſempiterna fæcunditas. Is, cum Filio, a ſempiterno tempore, hanc immenſam vim, & inexplicabilem vitæ rationem, ita communicauit, vt nihil ſibi reſeruauerit, quod non totum in Filium effuſe congereret. Sic igitur fit, vt Filij vita ſempiterna ita in Filio ſemper inſideat, vt etiam Vitæ fons appellari merito debeat; quemadmodum & ipſe Pater appellatur. Hoc tamẽ intereſt, quod omnis Diuinæ virtutis vis, & potentia, a Patre in Filium, & non a Filio in Patrem, ſemper emanarit. Ideo inquit, Ego viuo propter Patrem. Similiter, inquit, Qui manducat me, viuet propter me: a me namque vita profluit, qua omnes viuant, qui mihi fide coniuncti fuerint. Non quidem, vt ſic vitæ participes fiant, vt omnino mei ſimiles eſſe poſsint, quemadmodum ego Patri ſum vitæ ratione ſimillimus; ſed, quantum naturæ humanæ ratio patiatur; ita, vt, pro ratione fidei, vitæ etiam ratio diſpenſetur. Qui enim firmius credit, ardentius amat, vigilantius iuſſa perſequitur, liberalius accipitur, & ita ſempiternæ vitæ maiore ſuauitate perfunditur. Sed eſt etiam animaduertendum, quam apte hæc omnis ſententia ad ſacramentum Corporis, & Sanguinis Dominici transferatur. Si enim epulum eſt Diuinæ gratiæ, & ſempiterni muneris amplitudo; ſi tum comedimus, cum credimus,& ea fide Chriſto coniungimur, & ſimilitudinem illius arripimus, & genere quodam Diuinitatis illuſtramur; vbi fides excitatur vehementius? vbi maiora nobis munera conferuntur? quo in loco propius ad Deum accedimus? qua tandem ratione maius nobis robur, atque præſidium, comparamus? In myſtico enim conuiuio ipſe Dei Filius nobis comedendus apponitur, non vt nos in humanam naturam Diuinum cibum transferendum exiſtimemus, ſed vt, ipſius epuli Diuini virtute,& efficientia, Diuinæ naturæ conſortes efficiamur. Hoc igitur ſacramentum vires dilapſas inſtaurat, libidinis immanitatem comprimit, animos diſsidentes conglutinat, illata vulnera ſanat, mentes humi repentes excitat, a terreſtrium rerũ cupiditate ad inflammatum Diuinitatis ſtudium traducit, Chriſtum præſentem ſiſtit, mortiſq. illius, quæ mortem noſtram perculit, & abiecit, memoriam renouat, Cruciſque trophęum in oculis, & adſpectu, proponit. Synaxis a Græcis appellatur, aut ex eo, quod ex innumerabili hominum fideliũ multitudine vnum corpus efficiat; (Synaxis eſt enim cõiunctio, & copulatio) aut ob id, quod omnes ad Chriſti corpus adiungat, vt vnum vniuerſi caput ſemper habeamus, nec ab illo, ſine vitæ totius interitu, diſiungi vlla ratione poſsimus. Appellatur etiam Euchariſtia, quod eſt Actio gratiarum ſanctiſsima. Omnia ſiquidem Diuina munera ambitu ſuo hoc epulum Diuinum complectitur, ita, vt ſit animo gratiſsimo, prædicatione perpetua, laudibus ſummis efferendum. Eſt enim Crucis ſalutaris monumentum, fœderis Diuini ſacramentum, amoris fœdus ſempiternum, immortalitatis pignus nulla perfidia violandũ. fidem enim ſanctiſsime firmat, neque eam vacillare patitur. denique, ne plura perſequar, per hoc ſacramentum omnia in noſtros animos Diuina beneficia large, atque valde magnifice, congeruntur. Sed de ſacramenti huius ſanctitate, & multiplici illius vtilitate, plura fortaſſe alias. nunc ad intermiſſam orationem reuertamur.

*Hic eſt panis qui de cælo deſcendit*. Eleuare nitebantur Iudæi, miraculi illius magnitudinẽ, quo Chriſtus e quinque panibus quinque ho-

minum millia ſatiarat, in ſolitudine, alterius miraculi, longe, vt opinabantur, maioris, cõparatione; quo quidem videbantur illi, Moſem ipſi Chriſto præferre. Chriſtus autem eos oratione grauiſsima refutauit, docens, neque Moſem fuiſſe illius panis, quo Hebræi in deſerta ſolitudine paſti fuerant, effectorem, neque panem illum verum, atque cæleſtem, appellari debuiſſe. Verus enim panis eſt ille, qui verã vitam dat; & cæleſtis ille panis eſt exiſtimandus, qui dapibus cæleſtibus animos corroborat. Quod quidem panis ille minime faciebat. Non enim ad animos ſemper alendos, ſed ad corpora intra definitum tempus ſuſtentanda, datus fuerat. Panis autem verus, ad mentem perpetuo reficiendam, & vitam tempore ſempiterno propagandam, datus a Deo fuit.

*Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Verbum Dei non eſt alligatum. non enim hominum impiorũ malitia coercetur; non temeritate multitudinis impeditur, quo minus ea, quibus boni iuuari poſsint, efferat, &, in quibus rebus ſalus conſtituenda ſit, conſtanter annuntiet. Docuit igitur ſummus iuſtitiæ magiſter, non eſſe de pane, quo corpus tantum intra breue tempus alitur, valde laborandum, ſed panem verum, atque ſempiternum, quo animus in perpetuum vitam retinet, ſummo ſtudio, & contentione, totiſq. viribus, inquirendum. Eundemq. panem docuit eſſe non humanis meritis, aut legis antiquiſſimæ piaculis, ſed ardente fide, comparandũ. Hæc autem quo in loco diſſerebat? In ciuitate flagitijs innumerabilibus inquinata, & in conuentu hominum perditorum; vt nos doceret, in diſciplina ſalutari, & in veritatis teſtimonio non eſſe multitudinem pertimeſcendam.

*Hæc dixit in ſynagoga docens, in Capharnaum.* Bonis enim conſulebat; impios contemnebat; &, quamuis boni non omnia, quæ Diuinitus efferuntur, intelligant, ea tamen memorię mandant, vt eorum ſenſum tempore maturo percipiant. Multi tamen ſunt, qui, cum propriæ mentis anguſtijs omnia metiantur, quæ ratione minime conſequuntur, credere recuſant. Quemadmodum hoc ex loco percipitur. Sequitur enim:

*Multi ergo audientes ex diſcipulis eius dixerunt, Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Panem, inquiunt, viuum quis vmquam oculis adſpexit? cibum e cælo miſſum, qui ſempiternã vitam daret, quis vllo vmquam tempore cogitauit? Vt autem aliquis carnem ſuam comedendam inuitatis apponere queat, quis mente, & cogitatione, complectetur? Hęc quidem illi, qui parum in cæleſti doctrina profecerant, muſsitabant, vt faciunt omnes, qui Diuina ſenſibus humanis expendunt, &, quod ratio humana non conſequitur, improbandum arbitrantur. Hoc non latuit Diuinam Chriſti mentem, quæ ſenſus intimos penetrat, & omnia, quæ latent in abditis animorum receſsibus, explorate cognoſcit.

*Sciens autem Ieſus quia murmurarent de hoc diſcipuli eius, dixit eis, Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis Filiũ hominis adſcendentem, vbi erat prius?* Hoc vos, inquit, offendit, quod firmare, atque fulcire, debuiſſet? Sic eſtis rudes, & imbecilli, vt roboris inuicti fidem, & rationem, ad imbecillitatis, & diffidentiæ, occaſionem transferatis? Panem viuum vobis polliceor, vt mortem minime metuatis; & vos immortalitatis oſtenſæ mentione conturbamini? Spondeo futurum, vt omnis, qui corpus, & ſanguinem, meum guſtauerit, in me perpetuo maneat, & a me numquã deſeratur; & vos hoc tanto promiſſo, non modo non erigitis animos, verum &, turpiter offenſi, corruitis? Quid eſt autem, quod vobis ruinæ periculum intendit? Num potentiæ meæ diffiditis? At me videbitis in cælum euehi, vt gloria Diuina, quam ſemper habui, cumulatus, cunctis cælitibus imperem. Num ſuſpicamini, me corporis, & ſanguinis, mei conuiuium ſic inſtruere velle, vt vos carnibus meis, vel aſsis, vel elixis, ſatiemini, & ſanguine meo intemperâter epoto ſitim omnino depellatis? At hoc ſummæ tarditatis eſt, ſic orationem Diuinam interpretari, vt eam ad ſenſus abſurdiſsimos, & a mea diſciplina remotiſsimos, referatis. Vt hoc autem magis explicet, adiungit:

*Spiritus eſt qui viuificat: caro non prodeſt quidquam. verba quę ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.* Caro, hoc in loco, eſt ſenſus corporeus, ab vſu, & conſuetudine, carnis aſſumptus, qui Diuina peruertere, & inquinare, & deprauare, conatur. Spiritus autem, eſt ſenſus Diuinus, quo humana, quantum fieri poteſt, ad cæleſtia, atque Diuina, referuntur. A me, inquit, non didiciſtis, terram nimis intueri; ſed cælum, ſtudio nimis incitato, ſuſpicere; non humanas opes admiramini, ſed Diuinarum cupiditate vehementer incendi; non denique ſententijs abſurdis veritatis ſempiternæ ſacramenta polluere; immo res ſacroſanctas corporeis integumentis inuolutas explanare; vt myſteria Diuina, quæ ſub velamẽtis illis diu latuerunt, contemplari poſsitis. Vnde igitur iſta ingenij tarditas, & mentis ſtupor, venit? Ex fidei defectu. Sequitur enim continuo:

*Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt. ſciebat enim ab initio Ieſus, qui eſſent increduli, & quis traditurus eſſet eum. Et dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datũ a Patre meo.* Omnibus eſt oſtenſum ſummi Patris beneficium. Illi tamen, oſtenſi beneficij fructu minime potiti ſunt, qui credere noluerunt; qui ſenſus inſitæ cupiditatis ſententiæ Diuinæ prætulerunt; qui denique Diuinæ beneficentiæ munera a ſe ingratiſsime repulerunt.

runt. Non igitur eſt vllo modo immenſa benignitas in inuidiæ ſuſpicionē vocanda, ſed eorum ſcelus, qui ad extremum vitæ ſpiritum cum Diuina benignitate pugnauerunt, diris omnibus exſecrandum. Multos autem ex his, qui Chriſtum ſequebantur, fuiſſe magnitudini tanti ſceleris affines, id, quod ſequitur, indicat:

*Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro: & iam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Ieſus ad duodecim, Numquid & vos vultis abire?* Magiſter diſcipulos non ſemel examinat, vt eorum quilibet, quam multum, aut parum, ſit in diſciplina progreſſus, intelligat. Docet præterea, neminem cogi; ſed omnibus liberum eſſe, vel in officio manere, vel a fide deficere. Sed Petri reſponſum attētiſsimis animis andiamus.

*Reſpondit ergo ei Simon Petrus, Domine, ad quē ibimus? verba vitę æternæ habes. & nos credimus & cognouimus quia tu es Chriſtus Filius Dei,* Tu es, inquit, nobis in periculis ſummum præſidiū, in mærore ſolatiū, in angoribus alleuamentū, in morbis ſanitas, in fame ſaturitas, in inopia bonorū redundātia. Quis poterit orationis tuę iucunditate carere? Ea namque morbos expellis, vitam reſtituis, afflictos conſolaris, ſanos cupiditate vitæ cæleſtis inflammas: bonum nullum poteſt illis deeſſe, qui te ſequuntur: nullum malū ab eis, qui alia ſibi vitæ ſubſidia comparant. credimus, & Diuinitus illuſtrati cognoſcimus, te Chriſtum eſſe. itaque te Regem ſempiternum colimus, & libentiſsime legibus tuis ſanctiſsimis alligamur, iuſſaq. tua cum alacritate conficimus. Si labimur, in ſacerdotij tui ſanctitate omnes ſpes noſtræ puritatis cōllocatas habemus. Tu enim lauacrū inſtituis, quo ſordes omnes eluūtur; tu ſacrificium peragis, quo Patris nnmini reconciliamur, & veniam omnium flagitiorum conſequimur; tu es vnicus Filius Dei, & ſempiternæ gloriæ ſplendor, & clariſsima Patris imago. Si pulchritudinis eximium decus admiramur, in te ſummum, & ſempiternum, decoris, & boneſtatis, ſpecimen elucet, totius decoris, & pulchritudinis, cauſſas afferens. Nihil eſt enim, nec in cælo, nec in terra, pulchrum, niſi tantum id, quod lege tua dimēſum, lumine tuo colluſtratum, & a te elegantia venuſtatis excultum, fuerit. Si diuitias appetimus, cuius eſt aurum, cuius argentum, cuius omnium gemmarum fulgor, niſi tantum illius, in cuius theſauro ſunt omnes opes immortales, atque Diuinæ, reconditæ? Si voluptates exquirimus, a te ſolo omnes ſummæ voluptates hauriuntur. Tu namque ſolus cupiditatē infinitam, qua ſumus ſemper incēſi, explere, animoſq. noſtros gaudio ſempiterno cumulare, potes. Te igitur relicto, ad cuius nos præſidium conferemus? quibus opibus tui deſideriū conſolabimur? quę noſtra vita erit, ſi tutela, & patrocinio tuo orbati fuerimus? Amor igitur me tibi prorſus adſtrictā tenet. mori igitur non poſſum; a te diſiungi non poſſum; quamqnam male dixi, me mori poſſe, quā diu tibi deuinctus exſtitero. verba namque vitæ æternæ habes; paucis pariter verbis hęc omnia, quæ dixi, continentur; & alia mulra, quæ verbis explicare non poſſumus. Quis enim lucē, qua Petrus collucebat, & amorem illum, quo flagrabat, poterit explanare? Sed videte Domiui reſponſum, vt exemplum ſceleris horreatis.

*Reſpondit ei Ieſus, Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis vnus diabolus eſt? Dicebat autem de Iuda Simonis Iſcariota: hic enim erat proditurus eum, cū eſſet vnus ex duodecim.* Multi fuere Chriſti diſcipuli, qui illum aſſectabantur, & doctrinam illius audiebant: ſed inter omnes duodecim fuere reliquis omnibus antelati, ab ipſo ſummo doctore delecti, quos muneribus ſummis præficeret. In hoc tamen ſacro collegio, tam ſublimi dignitate prædito, tam Diuinis operibus admirando, innentus fuit vnus omnium mortalinm ſceleſtiſsimus, qui magiſtrū proderet, & vitæ auctori exitium moliretur, & eum, a quo tam multis ornatus fuerat beneficijs, viliſsimo pretio, hoſtibus immanibus, & importunis, addiceret. Diabolum appellat illum Dominus. Neque dicit, Diabolus erit, vt opinemur, nomen merito fuiſſe ad futurum ſcelus, quod nondum inſtitutum fuerat, reſeruandum; ſed, Diabolus eſt. Iam enim incluſum in animo ſcelus gerebat, qui cauſſam, & ſemē, in ſe ſceleris cōtinebat. Cauſſa enim fuit Auaritia, quæ continet malorum omnium ſeminarium. Nihil eſt enim tanta ſanctitate munitnm, quod auaritia non violet; nihil tanta religione ſacratum, quod non diripiat; nihil tā ſceleſtum facinus, quod non aggrediatur. Nullum nouit officium; nullam neceſsitudinē ſanctam habet; fidem paſsim venalem proponit; calumnias intendit; & fraudes perpetuo neſarie machinatur. Diabolus autem, Græcum nomen eſt, & Calumniatorem deſignat. Cnm igitur auarus, ſit calumniæ ſummus architectus, rectiſsime nomen in auaros omnes conuenit. In Iudam igitur valde cōueniebat. O fratres cariſsimi, Petri fidem imitemini; confeſsionē illius admiremur; veſtigiis illius ingrediamur; vt Chriſtnm perpetuo ſequamnr, & ſcelus Iudæ deteſtemur, vt opibus Diuinis afflnamus, & vita ſempiterna, cum immortali gloria, perfruamur.



Digitized by Google

# ORATIO XX.

CAP. VII. *Poſt hæc ambulabat Ieſus in Galilęam: non enim volebat in Iudęam ambulare: quia quęrebant eum Iudæi interficere.* Non timebat mortem, qui mortẽ, vt nobis muuus vitæ cæleſtis impertiret, vehementer expetebat. Ait enim, ſibi lauacrum eſſe propoſitum, quo erant mundi ſordes abluendæ. tum addit, Quo modo coarctor, vſque dum perficiatur? hoc eſt autem, Crucis deſiderio mirabiliter angor, neque quidquam mihi longius eſt, quã, vt vitam pro generis humani ſalute in cruciatibus ſummis abijciam, Præterea, mortem timere non poterat, qui mortis, & vitæ, imperium tenebat. Poteſtatem, inquit, habeo ponẽdi animam meam, & poteſtatem habeo iterũ ſumendi eam. At timuit aliquando. Timuit certe. Sed timuit, cũ timere voluit, vt ad reliquos cruciatus formidinis etiam angor accederet. Voluntarius tamen ille timor, quem ille potuiſſet, vbi vellet, omittere, illum impedire non poterat, ne in Iudæam, vbi commodum eſſet, libere verſaretur; ſed nondum tempus erat opportunum. Præterea, docuit nos, vitandum eſſe pericnlum, quoties ad mortem pro iuſtitiæ ſanctitate minime cogeremur. Eſt enim ſapientiſsimo Domino temeritas inuiſa, cautio vero non ingrata. Vult enim, vt abſque vllo flagitio prudentiæ legibus obſequamur, &, quod ratione prouideri poteſt, miuime ad miracula reſeruemus. Qui enim ſine cauſſa, miraculi alicuius fiducia, ſe iu vitę diſcrimen iniicit, Deum tentat: quod nou mediocre ſcelus, atque flagitium, eſt. Continet enim, in ſimulata ſpecie fidei, ſummum perfidiæ documentum. Ieſus igitur, vt vitaret inſidias, & inuidiæ furori paullulum cederet, & ſuos ad rectæ rationis moderationem iuſtrueret, ſe tantiſper iu Galilæa continuit, dum maturum tempus Iudææ rurſus perluſtraudæ veniret. Interim tamen ſtudium docendi, & admonendi, homineſq. modis omnibus ad ſtudium immortalitatis excitandi, non intermittebat.

*Erat autem in proximo dies feſtus Iudęorum. Scenopegia.* Ter in anno lege cogebantur Iudæi Hieroſolymam ſe conferre, cum hoſtijs, atque muneribus, vt vniuerſi Diuina beneficia, cum ſumma religione, atque ritu ſollemni, recolereut. Primus dies feſtus anui, primo menſe, ſub ęquinoctio veris, quarto & decimo die mẽſis, vſque ad primum & vigeſimum, quo tempore memoriam libertatis, a Deo, cum diriſſimo Pharaonis exitio, conſtitutæ, celebrabant. Alterum ſollemne ſacrum, quinquageſimo poſt Paſcha die, quem numerum a primo & vigeſimo die ducebant, non minore religione fiebat, quo legis datæ beneficium recenſebant. Tertius dies feſtus, ſeptimo menſe, frugibus iam reconditis, cum diei vnius ieiunio, deinde cum ſumma voluptatis, & lætitiæ, ſignificatione, & cum ſollemni luſtratione, & ſacro piaculari maxima cum cærimonia peracto, ab illis agebatur. Appellabatur autem hic dies Scenopegia, verbo Græco, quod ſignificat Tabernaculorum collocatio. Non licebat enim tunc Hebræis ſub tecto habitare. itaque ſub dio in tabernaculis degebant, vt memoriam temporis illius repræſentarent, quo maiores in ſolitudine peragrabant, & tabernacula ſtatuebant, ſub loco, quo nubes, quæ ab eis arcebat æſtum, conſiſtens, illos, vt conſiſterent, admonebat. Illud igitur ſacrum tempus in memoriam redigebat Spiritus Diuini ductum, & monitũ, & beneficiorum largitatem, & requietẽ omnibus attributam, ita tamen, vt intelligerent, non eſſe in terra conſiſtendum, ſed ad cælum viam perpetuo muniendam, vbi tandem frui quietis ſedibus, atque requie ſempiterna, ſumma cum gloria, licebit. Hæc tamen tria beneficia perpetuo memoria gratiſſima, atque laudatione perpetua, recolenda ſunt. Libertas enim nobis conceſſa fuit, cum, virtute ſanguinis pro nobis profuſi, fuimus erepti de poteſtate tenebrarum, & vt Regi ſempiterno ſeruiremus, & ita libertate iucundiſsima frueremur. is enim ſolus liber eſt, qui Deo ſeruit. Cum vero Spiritus ſancti muneribus illuſtramur, &, illius teſtimonio confirmati, Deum Patrem appellamus, legem tuuc accipimus, qua vitam moderemur; Regijſq. virtutibus, nobilitate noſtra digniſsimis, excolamur. Si enim ſumus Filij Dei, Diuinæ profecto virtutis lumen in nobis eluceſcat, opus eſt, ne merito degeneres exiſtimemur. Illud eſt præterea conſiderandum; non magnum beneficium fuiſſe olim in libertate Hebræis attributa, ſi lex, qua libertas erat deuincienda, data minime fuiſſet. Libertas enim ſine lege, effrenata licentia eſt. Licentia porro, in omnes flagitiorum libidines erumpit, atque tandem in animo tyrannidem uimis importunam, & truculentam, conſtituit. Quid enim miſerius eſt, quam ſeruire turpitudini, flagitio, & impuritati, & impotenti domiuatu cupiditatis iu contrarias plerumque partes diſtrahi, atque dilacerari? Si igitur Iudæi, poſt Pharaonis exitium, legem non accepiſſent, nullum ex parta libertate fructum accepiſſent, immo multo peiore condicione fuiſſeut. Longe uamque tolerabilius erat Pharaoni ſeruire, quam crudeliſsimum peccati dominatum pati. Illa namque ſeruitus, corpus fatigabat; Do-

minus

minus autem peccati,totius animi ſtatū peruertit,& illius ſeruitutis diuexatio,erat termino definita; huius autem cruciamentum, nullis finibus eſt circumſcriptum. Sic & nobis parum vtilitatis attuliſſet libertas illa, quam ſumus per ſalutare lauacrum, Chriſti benignitate, conſecuti, ſi non Spiritus Sancti legem,atque diſciplinam, acciperemus, qua libenter omnia, quæ Chriſtus inſtituit, ſanxit,atque præcepit,exſequeremur. Dies poſtremo tertiæ celebritatis non minorem religionem continebat. Significabat enim annonæ cæleſtis in animis recōditæ copiam, & vbertatem: ſignificabat quietam, & tranquillam, iuſtitiæ poſſeſsionem; ſignificabat poſtremo incenſam ſtatus diuini cupiditatē, minime in terrenis ſedibus conſiſtentem, ſed inflammato ſemper ſtudio ad cæleſtes adſpirantem. Et hæc quidem nunc de feſtorum antiqua celebritate dicta ſufficiant. Ad hiſtoriam reuertamur.

*Dixerunt autem ad eum fratres eius, Trāſi hinc, & vade in Iudæam, vt & diſcipuli tui videant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipſe in palam eſſe, ſi hæc facis, manifeſta teipſum mundo. Neque enim fratres eius credebant in eum.* Primum,qui Fratres iſti fuerint,eſt intelligendum, Deinde,oratio explicanda: vt appareat, quantum in ea fuerit cuiuſdam infidelitatis argumentum. Quod autem ad nomen attinet,intelligendum eſt,Fratres in ſanctis Litteris non ſolum eos appellari,qui eoſdem parentes habent, verum & cognatos,& propinquos. Abraham enim,Loth, filium fratris ſui, Fratrem appellabat; & Iacob,cum de iniuria,ſibi a ſocero facta, grauiter expoſtularet,hoc ad inſtitutam querimoniam adiecit: Quid inueniſti de vniuerſa ſupellectili tua apud me? profer hic coram fratribus meis,& fratribus tuis, & iudicēt inter me,& te. at Iacob nullū ibi fratrem habebat, & Laban ſimiliter nullum vmquam fratrem, quod ex ſanctis Litteris ſciamus, habuerat. Qui fratres igitur erant illi, quorum iudicio Iacob cauſſam ſuam committit? Ipſius Labani cognati,affines, & neceſſarij, quos etiā, propter ſanguinis coniunctionem,quæ illi cū Laban erat,Fratres ſuos etiam nominat. Fretus igitur bonitate cauſſæ ſuæ,non recuſat eorum iudicium, quos alias iure ſuſpectos habere potuiſſet. Ex hoc autem loco, ne plura teſtimonia conſecter,omnes propinquos, & neceſſarios,in ſanctis Litteris Fratres appellari conſtat. Fratrum nomine explicato,conſequens eſt, vt eorum orationem audiamus. Tranſi hinc. Quid hoc eſt? conuictum ſummæ iucunditatis aſpernantur; orationis Diuinæ ſuauitatem faſtidiunt; diſciplinę cęleſtis fructum repudiant; & illum, quē ſecum perpetuo retinere debuerant, vel eijciunt, vel ſaltem,ſe non moleſte laturos ipſius abſentiam, demonſtrant. Quid deinde? Vade,inquiunt, in Iudæam. Videte, quam parum ſolliciti de illius ſalute eſſent ij, qui eum in apertum vitæ periculum conijcere conabantur. Hoſtiū in illum crudele odium nouerant; inſidias ei ab perditiſsimis hoībus comparatas audierant; nihilominus tamen hortantur,& admonent,vt in Iudæam properet,& ſeſe in ſummū vitæ diſcrimen inijciat. Sed conſilij rationem,quam afferunt,videamus. Vt diſcipuli, inquiunt, tui videant opera, quæ facis; quaſi vero ipſe ſecum diſcipulos, quos erudiret,nō haberet; aut illis ipſis,qui hæc dicebant, aditus ad illius diſciplinam,qui multos in Iudæa diſcipulos reliquerat,eſſet interclusus. Quid? an de aliorum, quam de ſua ipſorum, ſalute magis erant ſolliciti? Non prorſus. Si igitur eorum iacturam, quia in Iudæa remanſerant,quod tam diu tali doctrina carerēt,moleſtiſsime ferebant, cur non ſuam potius vicem dolent, cum, vt ſe eadem doctrina priuent,modis omnibus enituntur? cum illum verbis expellunt,cum eijciunt, non aperte ſe ipſos Diuinis opibus exſpoliare cogitant, & Diuina munera animis ingratiſsimis aſpernari, demonſtrant? & non vident interim, quam turpe ſibi ſit,cum ius illud cum ſummo magiſtro cognationis, & neceſsitudinis, intercederet,illius ope carere,qua tanta hominum millia fuerant a poteſtate dæmonis infeſtiſsimi in perpetuam libertatem vindicata. Illum deinde gloriæ popularis ſtudio ſtimulare nituntur,eo quod non intelligant, ab illo omnes populares inſanias facillime contemni; nec vmquam in concionibus de ſua gloria,ſed de eorū, quos auditores habebat, ſalute cogitaſſe. Certe,inquiunt, conſtat,te non tenebras,ſed lucem,non ſolitudinem,ſed celebritatem,ſecutum fuiſſe. Cur igitur tamdiu te in latebras conijcis? cur Hieroſolymam minime petis? cur conuētum illum doctorum hominum vitandum arbitraris? cur domicilium iuris, & religionis, & ſanctimoniæ, fugiendum cenſes? Si tibi gloriam proponis,vnde maiorem tibi,& ampliorem,gloriæ ſegetem, quam ex ſummorum Principū, qui Hieroſolymis florent,approbatione comparabis? Si multorum ſaluti proſpicere cupis, vbi maior hominum multitudo locum in vnum vndique confluit? Si hæc facis,demonſtra te mundo. Quid eſt autem,quod dicit, Si hæc facis? numquid opera, quæ faciebat ipſe Dominus,erant parum perſpicua? aut obſcuritatibus inuoluta? aut aliqua ſpecie fraudis infuſcata? Non certe. Quid eſt ergo,quod aiunt, Si hæc facis? Hoc nempe, Si cupis nomen tuum non mediocri hominum prædicatione celebrari,ſi quam plurimis prodeſſe cupis,opida obſcura,& ignobilia,relinque, Hieroſolymam contende, & operibus admirandis vim tuam teſtificare, innumerabilem hominum multitudinē diſciplinis tuis inſtrue, vt ſic tandem in ſummo honoris, & amplitudinis,

dinis, gradu colloceris, & multis ſapiétiæ tuæ lumen porrigas. Ex quo quidem, nobis etiam, qui tibi coniuncti ſumus, non parum dignitatis accedet. Oratio igitur eorum ſatis oſtendebat, illos nondum eſſe firma, & ſtabili, fide roboratos, nec a ſtudio humanæ cupiditatis abſtractos. Quod etiam ipſe Ioannes aperit. Sequitur enim:

*Neque enim fratres eius credebant in eum.* Sed reſponſum Domini animis attentiſsimis audiamus:

*Dicit ergo eis Ieſus, Tempus meum nondum aduenit: tempus autem veſtrum ſemper eſt paratũ: Non poteſt mundus odiſſe vos. me autem odit: quia ego teſtimonium perbibeo de illo quod opera eius mala ſunt. Vos adſcendite ad diem feſtum hunc; ego nondum adſcendam, ad diem feſtum iſtum: quia meũ tempus nondum impletum eſt.* Vt hæc reſponſio poſsit intelligi, huius diei feſti rationem, quã breuiſsime fieri poterit, repetamus. Erat autem hæc vltima totius anni celebritas, quæ agebatur eo tempore, quo iam fruges omnes erant in horreis, & vinea ſimiliter in dolijs aſſeruata, & famis, atque ſitis, formido depulſa, & fructus omnes, ad victum, & iucunditatem, neceſſarij, cura ſumma reconditi. Opus igitur erat, vt omnes vndique Hieroſolymã conuenirent, vt, pro frugum, & fructuum aliorum copia, & redundantia, bonorum omnium largitori gratias agerent, & læti vota perſoluerent. Sic enim ſcriptum eſt in Leuitico: A quincto decimo ergo die menſis ſeptimi, quãdo congregaueritis omnes fructus terræ veſtræ, celebrabitis ferias Domini ſeptem diebus. Die primo, & die octauo, erit ſabbatũ, ideſt requies, ſumetisq. vobs die primo fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulasq. palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo veſtro. Vult igitur, vt apparet, Dominus, fructibus, & frondibus, & omnibus ſummæ lætitiæ ſignis, diem illum celebrari, & victimas immolari pro frugibus, pro vino, & oleo, pro fructibus denique omnibus, qui, illius benignitate, e terra percepti iam fuerãt. Gratam enim ſemper mentem exigit, qui grauiſsime ingrati animi crimen, & ſcelus, vlciſcitur. Hoc igitur conſtituto, videamus, quæ fruges Domini ſint, quibus fructibus oblectetur, quæ requies denique illius, atque voluptas, exſiſtat, quæ ſit oĩbus ſummæ lætitiæ ſignis aperienda. Non certe frumentum, nõ oleum, non vinum, nõ fructuum copia, quam tellus ad hominum vitam ſuſtentandam, ipſius Domini magnificentia, & benignitate, profundit. Alias multo lætiores fruges expetit; alios fructus lõge ampliores deſiderat; aliorum bonorũ affluentia ſummo opere delectatur. Quæ ſunt illæ? Fidei robur inuictum, honeſtatis decus, & elegantia, caritatis amplitudo, atque, vt vno verbo dicam, iuſtitiæ Diuina ſplendor, & dignitas, qua videlicet imago, & ſpecies, pulchritudinis Diuinæ continentur. Horum frugum ſementem ab initio fecerat; huius laboris, nimis acriter, atque vehementer, impenſi fructus colligere cupiebat; & hoc deſiderio torquebatur. ſed nondum tempus aduenerat; fides in paucis inerat; caritas erat perauguſta; pietatis decus, & lumen, in multis exſtinctum; flagitiorum ſtirpes erant altiſsimæ; illius doctrinæ maxima pars hominum, odio immani, reſiſtebat; multi ex illis, qui tandem erant ad fidem, & officium, reducendi, nutabant, & vacillabant, &, vt nihil aliud dicam, nondum erant eam maturitatem aſſecuti, qua poſſent in horreum Domini, cum laudibus Diuinis importari. Aliud igitur tempus erat exſpectandum, quo poſſet Domini ſollemne ſacrũ, cum ſanctiſsimis cærimonijs, & hymnis, & ſumma omnium gratulatione, celebrandum. Recte igitur aſſeuerat, nondum ſuum tẽpus aduenisse. Veſtrum, inquit, tempus ſemper paratum eſt. Quaſi dicat. illæ fruges, quarum deſiderio flagratis, domi recõditas habetis; at ego fruges meas exarare nondum potui. Vos igitur facite officium veſtrũ, & gratias, in illa anniuerſaria celebritate, Deo, cũ muneribus lege præſcriptis, agite; at ego vota mea in commodius aliud tempus reſeruo, cũ videlicet fructus omnes ex ſemente mea, & ex agris a me diligentiſsime cultis, excepero. Quod autem non omnes fructus tam cito percipiam, odium hominũ eſt impedimento.

*Non poteſt mundus odiſſe vos. me autem odit: quia ego teſtimonium perbibeo de illo quod opera eius mala ſunt.* Quo modo enim mundus poteſt eos odio perſequi, qui mundi legibus alligati ſunt? qui ſummo ſe ſtudio ad illius inſtituta, & mores, accommodant? qui non audẽt quidquam profiteri, niſi id tantum, quod fuerit multitudinis opinione comprobatum? quod adeo verum eſt, vt, quoties mundus aliquid præſcribit, quod ſit legi Diuinæ contrarium, illi, qui mundo, hoc eſt hominum, qui cęleſtia minime conuentur, multitudini, prorſus addicti ſunt, malint legem Diuinam contemnere, quam mundi legibus aduerſari. Cũ igitur dicit Dominus, Non poteſt mundus odiſſe vos, hoc plane dicit, Vos hanc vobis ipſi legem impoſuiſtis, vt, quoad fieri poſſet, nũquam vita veſtra a mundo, hoc eſt, a populari iudicio, & opinione, diſſentiret, ſed omnes populi nutus obſeruaret. Non igitur odit vos mundus. Nihil eſt igitur, quod ab illo metuatis. Me vero, qui ſcelera illius inſector, qui mores illius cum libertate vitupero; qui flagitia, & impuritates illius, &, quod caput eſt, ſuperbiam, & inſolentiam, & in ſummo ſcelere ſimulationem pietatis accuſo, peſsime oderunt, & crudeliſsime perſequuntur. hoc autem odium, quod etiam contagione quadã multitudinem inficit, eſt in cauſa, cur non tã vberes fructus, quam vellem, colligere ex laboribus

boribus meis poſsim. Tempus tamen veniet, quo facillime fructus vberrimos ex labore meo percipiam; & tum demum cum ſumma patris gloria conquieſcam.

*Vos adſcendite ad diem feſtum hunc. ego nondũ adſcendam ad diem feſtum iſtum: quia meum tempus nondum impletum eſt.* Odium, inquit, quod exarſit, oppugnat multorum fidem, frangit multorũ animos; princeps huius mundi nondum eiectus eſt; tyrannideq. ſua ad perniciẽ imperitæ plebis abutitur: non mediocris numerus eorum, qui ſunt ad ſalutem perducendi, eſt adhuc tyranni potentia retentus, ne in annona mea numeretur. Poſtquam tyrannum perculero, & illius ſtatum conuellero, tnnc ad me multi confluent, mihiq. nomina dabunt, & tunc tempus illud mihi optatiſſimum, quo ab omni meo ſtudio, induſtria, vigilãtia, conquieſcam, & cum fratribus meis, quos mihi non ſanguis, ſed fides, adiunget, carmina in Patris gloriam modulabor.

*Hæc cum dixiſſet, ipſe manſit in Galilæa. Vt autem adſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe adſcendit ad diem feſtum.* Eſt ſæpenumero vitanda cognationis importunæ ſocietas, & omittendus eorum comitatus, qui non de pietatis ſtudio ſibi præcipue cogitandum exiſtimant; ſed, totis viribus, in ſtudium rei familiaris vehementer angendæ incumbunt. Adſcendit quidem Chriſtus ad diem feſtum, vt legi ſatisfaceret; ſed ſine ſuorum turba: vt nos admoneret, exemplo ſuo, vt, quoties videremus a noſtris impedimenta nobis opponi, quibus ſtudium rerum Diuinarum tardent, eos omittamus, ne caro, & ſanguis aliqua ex parte ſpiritum remoretur. Non tamen ſe continuo palam in omnium oculis oſtendit, ne animos odio furentes acrius irritaret, ſed ſenſim, atque leniter, ad hominum ſenſus accederet. Ideo ſcriptum eſt:

*Non manifeſte, ſed quaſi in occulto.* Sequitur deinde:

*Iudæi ergo quærebant eum in die feſto, & dicebant, Vbi eſt ille?* Non deerant videlicet, in tãta hominnm multitudine, qui in facie illa clariſsima præcellentem grauitatem, cum admiranda venuſtate coniunctam, intueri, & acerrimam oculorum vim, & ſplendorem clariſsimum, contemplari percuperent. Non enim mediocris illa voluptas erat, quam ex adſpectu tam Dininæ formæ capiebant. Quid de eloqnentiæ magnitudine dicendum? Iucunditas enim orationis, perculſos, & abiectos, erigebat; afflictos, curis, & angoribus, liberabat; ſpem certiſsimam ſalutis, omnibus, qui fidem minime negligerẽt, afferebat. Omnibus igitur, qui in illum animis gratis intuebãtur, tantum ſuauitatis impertiebat, vt, ſui prorſus obliti, omnes ſuas ſpes in illius manſuetudine, & benignitate, collocandas ſtatuerent. Eadem oratio, ad ſeueritatem conuerſa, flagitijs infames conuincebat, occulta ſcelera redarguebat, impios exterrebat, & in explicandis animorum vulneribus exſultabat. Hanc igitur tantam vim orationis audire vehementer optabant; illum, ex quo tantos fructus aliquando ceperant, abeſſe moleſtiſsime ferebant. Accedebat autem, vt id multis magis indignum videretur, quod cum maxima ſpe illius videndi profecti fuerant. Non enim fieri poſſe putabant, vt is, qui ſollemnes dies obire ſolitus ſemper fuerat, religionem diei illius negligeret. Dum igitur illum multi videre cuperent, multi, cõtra, abſentiam illius non moleſtiſsime ferrẽt; fuit inter omnes verborum contentio nõ mediocris excitata. Sic enim ſequitur:

*Et murmur multus erat in turba de eo. quidam enim dicebant, Quia bonus eſt. Alij autem dicebant, Non, ſed ſeducit turbas.* Ii, qui ſummam illam bonitatem totius fraudis expertem, fraudis inſimulabant, ex hoſtium immanium comitatu, & ex Satanæ diſciplina prodierant. Cum tamen multorum volũtates in ſtudium illius conuerſos animaduerterẽt, multitudinis metu repreſsi, non tantum audebant, quantum eos inſitum ſcelus incitabat.

*Nemo tamen palam loquebatur de illo, propter metum Iudæorum.* Hactenus quidem commodum fuerat, vt Ieſus ſe occultaret, tantiſper, dum multi cauſſam illius tuerentur, & improbi multum de nocendi tunc cupiditate remitterent; vt nos doceret, temporum commoditates, dum id per pietatis ſtudium liceret, obſeruandas eſſe, & opus, quantumuis ſanctum, eſſe in tempus aliquando differendum, vt melius, & commodius, effici poſsit.

*Iam autem die feſto mediante, adſcendit Ieſus in templum, & docebat. Et mirabantur Iudæi, dicentes, Quo modo hic litteras ſcit, cum non didicerit?* Non enim intelligebant, quem ſapientiæ magiſtrum habuiſſet, is, qui, a ſempiterno tempore, in ſinu Patris conſtitutus, immenſæ, & infinitæ, ſapientiæ particeps, & heres, exſtitiſſet.

*Reſpondit eis Ieſus, & dixit, Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoſcet de doctrina, vtrum ex Deo ſit, an ego a me ipſo loquar.* Oratio videtur implicita, & a ſe ipſa diſsidens, atque diſcordans. Doctrinam enim, quam tradit, ſuã doctrinam eſſe, dicit; eandemq. ſuam eſſe, negat. Quid hoc eſt? Summa ſapientia ſibi contra dicit, & ſecum ipſa pugnat, &, quod paullo ante dixerat, continuo refellit? Nullo modo. Immo ſententiam ſuam conſtantiſsime, tuetur, &, quæ ſit veriſsimę, atque ſanctiſsimę diſciplinæ nota, confirmat, & diſcrimen inſigne inter veram, atque fallacem, doctrinam, quod ſequamur, apponit. Hoc iam ſuperius eſt oſtenſum, & a nobis ſæpius repetendum, eo qnod totam ſalutem contineat: Quæ vera, quę ſancta, quæ ſalutaris, diſciplina eſt? Ea profecto, quæ a perenni, atque inexhauſto,

fonte

fonte totius veritatis, & ſanctitatis, atque ſempiternæ ſalutis, emanat. Quidquid igitur aliunde fluit, non verum, ſed fallax, non verum, ſed ſceleſtum, non ſalutare, ſed peſtiferū, eſt exiſtimandum, atque modis omnibus fugiendum. Si enim, natura, veritatis appetentes ſumus, cur non mēdacium deteſtabimur? Si ſanctitatem omni veritate dignam iudicamus, cur non ſcelus exſecrandū arbitramur? Si ſalutem rebus omnibus præferendam cenſemus, cur nō peſtem, atque perniciem, ſumma contentione a capitibus noſtris arcebimus? Cum igitur conſtet, vnum tantum eſſe veritatis fontem, vnum ſanctitatis, & iuſtitiæ, principium, vnam firmiſsimæ ſalutis originem, & hæc omnia in Deo tantum conſtituta ſunt, & ab illo in omnes, qui ſunt illius placitis addicti, infinita illius benignitate, deriuantur; certe conſtat, quidquid aliunde depromitur, fallax, & impium eſſe, & noxium, atque mortiferum. Cum igitur Chriſtus ait, ſe non a ſe ipſo loqui, & doctrinam ſuam non eſſe ſuam, & ſe id tantum, quod audierat, aſſerere, &, quod viderat, teſtificari; doctrinam ſuam non eſſe negat; ſed, eam nulla contagione fraudis, aut iniquitatis, inquinatam, eſſe, confirmat. Si enim Pater ex omni æternitate illum ſibi infinita caritate, & omnium bonorum diuinorum communione, deuinxit; quo tādem modo fieri poteſt, vt aliquid proprium Patris ſit, quod non ſimiliter ad Filij proprium ius, & poſſeſsionem, pertineat? Nullo modo. Cum igitur doctrinam ſuam eſſe dicit, vere ſuam eſſe aſſerit; cum rurſus ſuam eſſe negat, eiuſdem doctrinæ veritatē, & ſanctitatem, confirmat. Hoc enim plane dicit: Non eſt aliquid in doctrina mea a Patris ſanctitate, atque veritate ſempiterna, ſeiunctum. Nihil loquor, quod ab illo non acceperim; nihil enuntio, quod ab illo ſempiterno fonte totius bonitatis nō hauſerim; nihil denique promo, quod non ſit ab illo ſapientiæ ſummæ principio deriuatum. Hæc quidem doctrina, mea eſt. Nam omnia Patris bona, mea ſunt, eo videlicet, quod Pater, omnia, a tempore ſempiterno, cum Filio communicauit. Meam non eſſe, dico, quia principium illius non arrogo, ſed omnia ad gloriā Patris, ex quo mihi cuncta bona proueniunt, referenda eſſe, confirmo. At, quo argumento probat, doctrinam, quam tradit, non hominis inuentum, ſed beneficium ſempiterni Patris, eſſe?

*Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoſcet de doctrina, vtrum ex Deo ſit, an ego a me ipſo loquar.* Qui in eam voluntatem incubuerit, vt tota mente ſanctionibus Diuinis obediat, is certe lumine Spiritus ſancti collucebit, vt facile verum cernat, &, quantum inter veriſſimam ſanctitatem, & ſimulationem ſanctitatis, interſit, explorate cognoſcat. Animaduertet præterea, quid Deus ſanciat, atque præſcribat, quid vetet, atque prohibeat. Sic autem intelliget, quid Deo cordi ſit, & quid oderit, & deteſtetur. amat puritatem; ſordes exſecratur; moderationem, & humilitatem, gratam habet; ſuperbiam, & inſolentiam, frangit; iuſtitiam Diuinis muneribus auget; tyrannidem ſeueriſsimo iudicio peruertit; hominum caritate, & clementia, eximie delectatur; odio, & crudelitate, ſupra quam dici poteſt, offenditur. Voluntas Dei, eſt ſanctitas noſtra. Eſtote, inquit ille, ſancti, quoniam ego ſanctus ſum. Porro autem, ſanctitas eſt in ſummo flagitiorum omnium odio, & in ardentiſsimo Diuinæ virtutis ſtudio, conſtituta. Maximum vero virtutis ſtudium in maximæ virtutis actionibus, & officijs, attenditur. Maxima autem virtus, eſt amor, quo toties viribus Deum amplectimur, atque, vt illius benignitatem imitemur, quantum poſſumus, enitimur, atque contendimus, vt in homines plurimum humanitatis, & miſericordiæ, conferamus. Omnes igitur, qui ſe pro Reip. ſalute ad mortem obtulerunt, & corpora ſua obiecerunt, vt Diuinæ iuſtitiæ plagas exciperent, vt eos, quos tuendos ſuſceperant, a peſte ſeducerent, merito Diuini viri ſemper habiti ſunt. Vt autem nihil aliud dicam, cum Dei voluntas hominum ſalus ſit; qui plurimum monitis, & exemplis, & vitæ ſanctitate, & precibus aſsiduis, & Diuinarum rerum ſtudio, in hominum ſalutem contulerit, hic Dei voluntatem exſequitur. Cum vero multi homines, flagitijs infames, vt hominum plauſus aucupentur, ſe in ſanctitatis formam conuertere nitantur, & religionis fabulam ſummo cum artificio peragant, auctoritatemq. ſummam aſtutiſsime conſequantur, qua multos mortales erroribus valde peſtiferis, atque turbulentis, inficiant; qua nota poterimus eos ab illis internoſcere, qui vere, & non ſimulate, religionem colunt? Ea certe, quam hic videmus appoſitam, quę Dei voluntas, Dei ſit penitus animaduerſa videamus, an ij, qui ſe nobis oſtentant, Dei voluntatem egregie ſequuntur. Si Deus nos puros, & caſtos, & ſanctos, eſſe vult, & eos videtis, qui ſe poſsim venditant, eſſe libidinis, & impuritatis, mancipia; ſi ſapientem humilem fauore ſummæ benignitatis amplectitur, & hoc hominum genus elatum, & ſupra modum confidens, eſſe perſpicitur; ſi Deus iuſtitiæ parens eſt, & ij, per religionis ſimulationem, multos mortales ſpoliant; ſi caritatem diligit, & hi, furentes odio hominum, cæde delectantur; ſi ſanctitatem vnice commendat, & multi bellum diriſsimum cunctis ſanctitatibus indixerūt; an parum conſtat, hos Dei inimicos, & ſanctiſsimæ religionis hoſtes ſempiternos, eſſe? A fructibus, inquit ipſe Dominus, eorum, cognoſcetis eos. Cum hæc ita ſint, clariſsime cerni poſſet, quam fuerint illi peſtilentes, qui cæleſti doctrinæ, tam immani pertinacia, repugna-

pugna-

pugnabant. Non enim Dei voluntatem facere volebant. Nam, ſi ad Dei voluntatem animum induxiſſent, certe vidiſſent, numquam, vllo tempore, legem puritatis, ſanctitatis, manſuetudinis, caritatis, & veriſsimæ religionis, ardentius latam, ſæpius inculcatam, fuiſſe. Adde, quod non ſolum præcepta ſummæ ſanctitatis dabat; ſed, exemplo etiã Diuinæ virtutis, eos, qui audire volebãt, acriter inflammabat. Adde, quod non ſolum verbo, & exemplo, docebat, ſed etiam animis vires inſpirabat, quibus omnia, quæ ſanxerat ille, cum facilitate, atque iucunditate, ſumma conficerent. Si igitur in Chriſti doctrina nihil erat Diuinæ voluntati contrarium, ſed omnia ad ſummam, & exactam, Diuinæ legis obſeruationem pertinebant; quid habebat improbitas ipſa, quod aliqua poſſet calumnia deformare? Firmiſsimo igitur argumento, doctrinæ ſuæ puritatem confirmat, cum probat, non ex ſe quidquam a Patre ſeiunctum protuliſſe, ſed omnia, quæ ſanxerat, de Patris ſententia ſanxiſſe. Hoc deinde confirmat, quod ſequitur:

*Qui a ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit. qui autem quærit gloriam eius qui miſit eum, hic verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt.* Qui aliquid ſentit, dicit, excogitat, quod non ſit ab illo puriſsimo fonte veritatis, atque iuſtitiæ, delibatum; qui ſuis inuentis inſoleſcit, & placita ſua Diuinis placitis anteponit, hic certe a Deo prorſus alienus eſt. Non eſt enim de gloria Diuina ſollicitus, ſed toto animo in ſtudium proprię gloriæ, atque laudis, incũbit. quod facinus eſt omnium ſceleſtiſsimũ. Quo modo? inquies. Primũ quidem; ſi propriæ naturæ ſenſibus gloriatur, cũ ex ipſis ſenſibus, cum non ſunt lege Diuina frenati, omnes libidines, atque flagitia, naſcãtur; & ipſe ſenſus, & ſtudium carnis, vt Paulus ait, ſit odium in Deum, & cum illius lege bellum continenter gerat; ſequitur, vt qui ſenſibus ſuis effertur, odio Diuini nominis efferatur. Si vero non ſenſibus extollitur, ſed, opinione virtutis erectus, incedit, ipſe ſibi virtutis decus aſſumit, ipſiusq. virtutis dignitatem in ſe collocat; quaſi ipſe ſit veriſsimæ virtutis parens, & auctor, Dei gloriam nimis impudẽter vſurpat, & non a Deo, ſed a ſeipſo, pendet, ſeq. nixus, omnia ſibi de ſua temeritate, & inſolentia, pollicetur. Quo quid vel amentius, vel impudentius, cogitari poteſt? Qui enim alium veriſsimæ virtutis auctorem, quam Deum, opinatur, eſt amentiſsimus; qui vero aliquid Diuinum in virtute latere ſuſpicatur, illiusq. tamen laudem Deo præripit, aut eam ad ſe totam transfert, eſt impudentiſsimus. Quoquo igitur modo aliquis propriam gloriam quærat, impurus, & impius, & hoſtis Diuini numinis improbiſsimus, eſt exiſtimandus. Nam, vel odio virtutis inſoleſcit; vel virtutis gloriam, quaſi ipſe virtutis ipſius auctor extiterit, impie, & impudenter, vſurpat. Intelligendum tamen eſt, nihil eſſe nobis magis proprium, quam illud, quod non ipſi ex nobis aſſumimus, ſed a Diuina benignitate comparamus. Nam nobis eripi, quamdiu in fide manſerimus, nullo modo poterit, & ex illo vberes, atque ſempiternos, fructus excipimus. Sed hoc in loco Proprium appellatur totum id, quod, ſine vllo reſpectu, ad Deum, vnde cuncta bona proueniunt, nobis arrogamus. Is igitur propriam gloriam quærere dicitur, qui ſibi, non Deo, laudem ſalutis, dignitatis, opulentiæ, victoriæ, honoris, & amplitudinis, attribuit; qui dicit, vt eſt ſcriptum in Deuteronomio, Fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præſtiterunt. Eiuſmodi ſunt omnes, qui dicunt, Manus noſtra excelſa, & non Dominus, fecit hæc omnia. Omnes igitur ſuperbi, arrogantes, & inſolentes, qui vel in rebus fallaciſsimis exſultant, vel ſpecie quadam dignitatis efferuntur, & ea, quæ ſunt Deo in acceptis referenda, ita ſibi aſſumunt, vt Deo gratiam non habeant, ſunt mentis expertes, ſunt immanes, & importuni, ſunt denique ſempiternæ gloriæ, atque benignitatis, inimici, ipſumq. Deum hoſtem ſibi acerrimum, atque ſempiternum, ex aduerſo conſtituunt. Cum autem omnes, qui ſuperbia tument, Dei inimici ſint, quid erit de Antichriſto iudicandum, quem Iudæi ſummo ſtudio colent, & aſſectabuntur, de quo pręcipue Dominus hoc in loco diſſerit? Is enim Dei imperium aſpernabitur, ſibiq. tantum confidens, inſolentiſsime per omnia genera facinorum vagabitur, & vſque eo furoris, & amentiæ, progredietur, vt ſibi Diuinitatem præripiat, & in cæli rectorem bellum impiũ, & omni crudelitate imbutum, cõparet. Quis vero gloriam Patris, a quo miſſus eſt omni labore, ſtudio, ſemper quæſiuit? qui nihil vmquã ſibi a Patre ſeparatim aſſumpſit; qui numquam Patri repugnauit, ſed omnes vitæ rationes ad Patris ſanctiſsimi voluntatem direxit; qui denique non venit in nomine ſuo, ſed in nomine Patris ſui. Vt igitur Antichriſtus erit omnium mortalium ſceleſtiſsimus, impudentiſsimus, audaciſsimus, ſummus mẽdacij, fraudis, iniquitatis, architectus; ita & Chriſtus, qui numquam oculos a Patris volũtate deiecit, eſt totius veritatis, ſanctitatis, & iuſtitiæ, princeps, & auctor, cæleſtisq. Reipubl. moderator, & humanæ ſalutis, atque dignitatis, effector. Hic igitur verax eſt; & iniuſtitia in eo non eſt. Hunc tamen Iudæi omnibus maledictis inſequuntur, vt tandem, ſpiritu erroris inflati, ſub Antichriſto pœnas ſcelerum debitas exſoluant.

*Nonne Moſes dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficerę?* Duo crimina Chriſto obiectabant Iudæi, quibus eum capitalium facinorum reum peragere conabantur. Vnum crimen erat, quod ſe



Digitized by Google

Dei filium appellaret; alterũm. quod Sabbatum violaret. His duobus criminibus alias alio modo reſpondit. Nam veritatem ſui numinis, & oiuinis teſtimonijs, & operibus Diuinis, oſtendit, & de Sabbati violati crimine purgat ſe Diuinæ legis explicatione. Hoc autem in loco, quam ſint impudentes, aperit, & ſuperbiam oratione grauiſsima comprimit. Hoc enim obtentu, de Sabbato violato conquernntur, quod indigniſsime patiantur, legem Dei aliqua ratione negligi; quaſi vero ipſi numquam legem tranſgreſsi fuiſſent; quaſi numquam illius ſanctitatem aliquo flagitio polluiſſent; quaſi denique ab illa numquam aliqua ratione deflexiſſent. Quid autem impudentius, quam, hominem impurũ, atque ſceleſtum, fictam perſonam caſtitatis, & pietatis, aſſumere? At, qui alios ſcelere cõdemnat, cum ſit ipſe ſceleſtiſsimus, fictam ſpeciem puritatis aſſumit. Quis enim pôt alium accuſare criminis alicuius, qui ſit ipſe criminibus ſceleſtiſsimis euictus? Tu, cũ, præ cupiditate tua, iura Diuina contemnas, cum innocentibus cædem moliaris, cum pudorem caſtis eripias, cum tenues homines victu ſpolies, cum in omni genere flagitiorum, & ſcelerum, cum proiecta audacia, verſeris, tantũ tibi aſſumas, vt alijs crimen violatæ legis intendas, &, quaſi innocentiſsimus ipſe ſis, ita in alijs ſeucriſsime damnaudis, qui multo leuius peccant, exſultabis? & in aliorum ſupplicio, quos tu flagitio, & turpitudine, longe ſuperas, impune bacchabere? Hæc dici potuiſſent in eos, qui ſcelerum ſuorum conſciẽtia non impediuntur, quo minus in communibus vitijs immoderate vindicandis inſoleſcant. Quid, cum ſceleſtiſsimi homines viros innocentes impietatis inſimulant? quid, cum eos, quorum virtutem ſatis laudare non poſſunt, capitali crimine condemnant? Quid igitur erit de Iudæorum ſcelere, & impudentia, iudicandum, qui, cum eſſent ſummis criminibus alligati, ſummum iuſtitiæ, & ſanctitatis, ſpecimen, & totius probitatis auctorẽ, vt maleficum, & iniuſtum, inſectabantur, & ei necem machinabantur, in cuius præſidio vita, & ſalus, omnium conſiſtit? Hoc igitur exprobrat Chriſtus Iudæis. Si legis, inquit, ſummum ſtudium profitemini, & dignã mortis cauſam eſſe parum cultæ legis iudicium; cur ipſi, qui tantam ſanctitatem in vindicanda legis negligentia ſimulatis, legem tranſgredimini? Nemo enim ex vobis legis præceptis obtemperat, immo omne vitæ veſtræ ſtudium cum lege pugnat. Ea enim præcepta, quæ totius legis vim continent, nempe iuſtitiam, caritatem, neſarie conculcatis; & interim me, qui nũquam Dei imperium detrectaui, quaſi legem tranſilierim, interficere vultis.

*Reſpondit turba, & dixit, Dæmonium habes: quis te quærit interficere? Reſpondit Ieſus, & dixit eis, Vnum opus feci: & omnes miramini. propterea Moſes dedit vobis circumciſionem: non quia ex Moſe eſt, ſed ex patribus, & in ſabbato circumciditis hominem. Si circumciſionem accipit homo in ſabbato, vt non ſoluatur lex Moſi: mihi indignamini quia totum hominem ſanum feci in ſabbato?*

Turba, ſceleris conuicta, impudentiſsime negat, quod Diuinam mentem latere non poterat. Deinde, in conuicia petulanter erumpit. Hoc enim faciunt, qui veriſsimæ rationis argumento refelluntur, vt ad obiecta, quę diluere nullo modo poſſunt, maledicta congerant, & clamoribus importunis veritatem obſcurare nitantur. Dominus vero contumeliam negligit; neque verbis, ſed operibus, oſtendit, ſe nullum vmquam cum dæmone commercium habuiſſe. Dæmonis enim eſt, perniciem afferre: at Dominus ſalutem contulit. Quid autem tam diſtat ab illata pernicie, quam perfecta ſalus, in oculis omnium mirabiliter allata? Vobis igitur, inquit, teſtimonium denuntio. Vos ipſi, hominem octo & triginta annos in grabato miſerrime decumbentem, morbis inſanabilibus oppreſsũ, atque membris omnibus captum, ſanatum repente conſpexiſtis, valentem temporis momento vidiſtis, tantiſq. viribus firmatum animaduertiſtis, vt facillime grabatum humeris ſublatum ſuſtineret, & in domum, cum onere ſuſcepto, ſe ſatis expedite reciperet. Hoc dæmones non faciunt. Non enim ſanitatem, ſed peſtem, comparant. Non miſeros ſanant, ſed euertunt. Itaque vehementer admirati fuiſtis. Sed dicitis, opus bonum vobis, & admiratione dignum, viſum fuiſſe. Itaque opus a vobis minime damnari, ſed illud potuiſſe in diem poſterum differri, ne ſabbati religio violaretur. Hæc ſumma mentis ſtupiditas eſt, legis occaſione, legis ſanctionibus aduerſari. Si enim legis finis, eſt pietas in Deum, & caritas in homines, quis eſt, qui legi repugnat? Is ne, qui munus obire negligit, quo Dei gloria magis omnibus innoteſcat? an is, qui diebus omnibus nihil intermittit, quo Dei nomen clarius illuſtretur? is, qui, ſuperſtitione impeditus, hominum neceſsitatibus ſubuenire recuſat? an is, qui nullum ſacrificium caritatis operibus anteponit? Negari non poteſt, Deum, vt ipſe clare teſtificatur, malle miſericordiam, quam legis ſacrificium. Vnde concluditur, opere nullo, quo pietas in Deum clare cernitur, & caritas in homines confirmatur, ſabbatum violari. Non dico modo, quod ſæpius dictum eſt, vos ipſos ſabbato iumenta veſtra aquatum ducere: non dico, boues e puteis, ſi forte in eos ceciderint, extrahere: vt etiam prætercam, ſacerdotes, abſque vllo crimine, ſabbato victimas immolare; numquid circumciſionem vmquam in alium diem diſtuliſtis, ne ſabbatum violaretis? Non prorſus. At circumciſionem non a Moſe, quẽ reliquis omnibus diuinis viris anteferendum

iudi-

iudicatis, acceptam retinetis, ſed ab Abraham, & reliquis ſanctis patribus, accepiſtis, quæ deinde ad legem adiuncta fuit. Et tamē, ne legis religio aliqua ratione differatur, hominem ſabbato circumciditis, eo quod arbitremini circumciſionem ad hominis circumciſi ſalutem quodammodo pertinere; in quo vituperandi non eſtis. Non enim homo propter ſabbatum conditus eſt, ſed ſabbatū propter hominem fuit inſtitutum, vt videlicet eo die poſset liberius, & attentius, de rebus Diuinis cogitare. Vnde colligitur, longe pluris hominis ſalutem, quam ſabbati religionem, faciendam eſſe. Hæc cum ita ſint; quæ tanta veſtra peruerſitas eſt, vt indignum vobis videatur, a me totum hominem ſabbato ſanatum fuiſſe? Non enim corpus illius tantum ſanaui, ſed multo mirabilius in illius animum in amiſſam ſanitatem multis viribus auctam, & amplificatam, reſtituit, ſecundum hanc ſententiam perditæ gentis maledicentiam refutauit. Deinde, totam orationem hoc epilogo concluſit. Ait enim:

*Nolite iudicare ſecundum faciem: ſed iuſtum iudicium iudicate.* Vnde colligitur, neminem, qui ſenſus in conſilium adhibet, qui hominū rumuſculos extimeſcit, qui perſonas hominum potentium nimis intuetur, qui auctoritatibus eorum, qui in Republ. principes exiſtimari volunt, refragari non audent, recte iudicare non poſſe. Omnes enim inſidiæ a ſenſibus nobis intenduntur: inde namque libidinis furor, inuidiæ fax, odij feritas, & reliquæ peſtes, quæ animum exagitant, & a vero prorſus abducunt, oriuntur. Iam vero cum ad hæc mala vel tyrannorum impotentia, vel plebis inſanæ temeritas, acceſſerit, omnis iuſtitiæ ſplendor exſtinguetur, & furor immanis in Republ. dominabitur. Diuinitus igitur Iſaias, cum de Chriſti Regno, iuſtitia fundato, & ſtabilito, loqueretur, fore prænūtiat, vt numquam is, ſecundum oculorum adſpectum, & aurium auditum, qui multi ſæpenumero errorum tenebris obruuntur, ſed ſecundum Diuini iuris æquitatem, quæ neque falli, neque fallere, vmquam potuit, ſententiam ferat. Mentem igitur a ſenſibus abducamus; & errores, qui verſantur in vita, fugiamus; totosq. nos ad Chriſti iudicium conferamus, ſi volumus veritatem amplexari, veræ gloriæ decus intueri, verisq. bonis, atque ſempiternis, potiri. Quoties auditis hominum perditorum calumniam, qua Chriſto inſidias comparabant; & intelligitis odium, quo ſummam probitatem oppugnabant, & necem crudeliſsimam vitæ auctori moliebantur; toties ſenſus veſtros extimeſcite. Omnia namque mala a ſenſibus noſtris exſiſtunt, vt in mentis noſtræ perniciem redundent. Nam, ſi mentis elatæ, & inflatæ, confidentia; ſi odij nimis acerbi truculentia; ſi inuidiæ peſtilentis immanitas, & hæc omnia, quæ ortum habent a ſenſibus, necem liberatori humani generis attulerunt; cauete, fratres, ne ſenſus veſtri ſpiritum etiam Chriſti in mentibus veſtris exſtinguant. Senſibus obſiſtite, odio repugnate, iracundiam coercete, libidinem comprimite, crucem denique veſtris cupiditatibus defigite, & Iudæorum diros exitus perhorreſcite; vt ſic tandem omnes curas, & cogitationes, veſtras ad Chriſti iudicium, & ſententiam, dirigatis, vt cum illo regnare, æuo ſempiterno, poſsitis.

# ORATIO XXI.

*DIcebant ergo quidam ex Hieroſolymis, Nonne hic eſt quem quærunt interficere? Ecce, palam loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid vere cognouerunt principes quia hic eſt Chriſtus?* Quo odio Iudæi Chriſtum perſequebantur, & quibus de cauſsis, oſtendimus; & quam deliberatum, & conſtitutum, eſſet illis, Chriſtum interficere, diximus; quid illos impedierit, quo minus cogitata perficerent, admirabantur quidam ciues Hieroſolymitani, eo quod intellexiſſent, quo odio, qua cupiditate, qua inuidia, flagrarent omnes, quibus Chriſti nomen erat inuiſum; maxime vero illi, qui ſummam auctoritatē cum non mediocri potentia coniunctam habebant. Non poterant igitur adduci, vt crederent, non eſſe illis immutatam ſine graui ratione nocendi cupiditatem. Illum, inquiunt, & oderunt, & de nece illius coniurationem habuerunt: conſilium ſapientibus non deeſt: facultate potentes minime carent: quam optabant, occaſionem oblatam perſpiciunt. Quid igitur illos tenet, ne, quod conantur, efficiant? Veriſimile quidem eſt, eos illum tandem Chriſtum confiteri, &, ea de cauſſa, manus a maleficio continere. Nam, quid aliud opinari poſſumus? Modo moleſtiſsime ferebant, quod eum in die feſto non cernerent, eo quod illius interimendi facultatem hoc tempore, quod ad cædem deſtinarāt, ſibi prorſus ereptam iudicabant. Nunc, eum in hac celebritate vident; nunc libere loquentem audiunt; nunc eorum ſenſibus, & actionibus, aduerſari conſpiciunt; & tamen in illum non inuehuntur. Id igitur credendum eſt, illos & ſignis, & argumentis, & operibus admirandis, ſententiam mutauiſſe; & eum, quem paullo ante omni ſupplicio dignum eſſe ſtatuebāt, nunc Chriſtum exiſtimare. Reliquum igitur eſt, vt nos, auctoritate Principum permoti, illum, vt verum Chriſtum, veneremur, & in illius benignitate omnes rationes vitæ conſtituamus. Sed huic rationi, quam quidā ex multitudine ſequi videbantur, alij magnū, vt putabant, argumentum contrariæ opinionis obijciunt. Sequitur enim:

*Sed hunc ſcimus vnde ſit: Chriſtus autem cum venerit, nemo ſcit vnde ſit.* Audierāt fortaſſe ab hominibus ſapientiæ opinione præſtātibus, inexplicabile fore Chriſti principium, & originē. Acceperant, aduentum illius abſque vlla communi hominum præſenſione futurum. Dicit enim Malachias, Et quis poterit cogitare diē aduentus eius? Ea igitur opinione decepti, futurū credebant, vt Chriſtus ſe repente, & inopinato, cunctis oſtenderet, & omnia humilitatis indicia remoueret, vt illius ortu prorſus ignorato, poſſet nomen illius clarius, & illuſtrius, exiſtimari, multoq. maiorem ſui admirationem commouere. At Prophetæ nec originem illius ſempiternam ſiluerant; nec eam, qua ex virgine in terris erat naſciturus, taciturnitate compreſſerant. Neque natale ſolum ſilentio prætereierant, neque natiuam humanæ naturæ imbecillitatem, quæ in illo erat perſpicienda, prætermiſerant. Vt alios enim omittamus, Micheas ſic ait: Et tu, Bethlehem, paruula quidem es in millibus Iuda. Si ad vrbis inquit, magnitudinem, & ciuium frequētiam, reſpiciamus, & te cum vrbibus alijs Iudęæ conferamus, magnam profecto appellare nō poſſumus. Si vero dignitate amplitudinem tuam æſtimandā ſtatuerimus, omnibus certe maximis vrbibus anteferemus. Rationem continuo adiungit: Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael. Neque natale tantum in terra ſolum, & ſummū in Iſraele imperium, prædicit, verum & ſempiternum numen verbis ſane luculentis explanat. Ait enim, Et egreſſus eius a diebus æternitatis. A ſempiterno, inquit, tempore, a patris ipſius ſempiterni ſinu, egredietur, vt imperium adminiſtret, & ſalutem conferat omnibus, qui in Regno illius cenſi fuerint. Vt ex hoc loco cernimus, falſum erat, quod turba commemorabat, futurum nempe, vt ortus illius nemini poſſet innoteſcere. Hunc igitur errorem Chriſtus magnis vocibus in templo detrahit. Sic enim ſequitur:

*Clamabat ergo Ieſus in templo docens, & dicēs, Et me ſcitis, & vnde ſim ſcitis: & a me ipſo non veni, ſed eſt verus qui miſit me, quem vos neſcitis. Ego ſcio eum: quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit.* Chriſti clamor oſtendit, quantum in hac ſententia pondus ad ſalutem inſit. Numquam enim clamorem, præter conſuetudinem, ediſſet, niſi cerneret, hac doctrina vitam omnium contineri. Dicitis, inquit, me vobis notum eſſe, mei vero generis principium prorſus ignotum. Falſum eſt. Fieri enim non poteſt, vt, qui me nouit, Patrem ignoret. Si igitur me ſcitis, ſimiliter & Patrem ſcitis. Huius namque ſententiæ partes reciprocæ ſunt, & ſe mutuo conſequuntur: Et me noſtis, vt dicitis. Patrem igitur noſtis. Si patrem minime noſtis, neque me quidem noſſe poteſtis. Ea igitur ratione, qua me notum habetis, & patrem notum ſimiliter habeatis, opus eſt. Quod ſi Patrem ignoratis, Filij profecto notitiam non habetis. Non enim ſum a me ipſo ortus. Ille, qui me miſit, me genuit. Illius imaginem gero; illius ſpecie informatus ſum; illius numen exprimo; illius gloriæ ſeruio; omnes cogitationes, & actiones, meæ ad illius maieſtatem, & amplitudinem, referuntur,

tur,

tur. Non poſſum igitur ab illo diſsidere, cui ſim, eiuſdem omnino naturæ ratione, virtutis immenſæ claritate, & amore ſummo, atque ſempiterno, coniunctus. Si igitur ſcitis, qui ſim, ſequitur neceſſario, vt ſimiliter ſciatis, vnde ſim.

*Sed eſt verus, qui miſit me, quem vos neſcitis.* Cum igitur ille verax ſit, & mihi teſtimoniũ iuſtitiæ, ſanctitatis, probitatis, virtutis, atque adeo numinis ſempiterni, Prophetarum oraculis, voce clariſsima, operibus admirãdis, dederit; cur illius auctoritati obſtinato animo repugnatis? & illi, qui neque mentiri, neque flecti, & immutari, poteſt, fidem non habetis? Quia illum ignoratis.

*Quem vos, inquit, neſcitis. Ego ſcio eum: quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit.* Itaque, cum illum, inquit, ignoretis, mei cognitionem aſſequi non poteſtis. Ab illo namque ortus ſum, & ille me in terras miſit, vt humanũ genus, non per viros Diuinos, vt olim, neque per angelos quidem, ſed per me ipſum, liberarem; & illis libertatem, nõ temporis exigui termino definitam, ſed ſempiternam, conſtituerem. Huius autem tanti beneficij illi ſolum participes erunt, qui fide ad nomen meum adiuncti fuerint. Hac igitur oratione, ſummus Dominus, Patris ſummi clementiam explicuit; numen ſuum illis, qui notitiã immenſæ maieſtatis capere vellent, indicanit; gloriam ſempiternam eis, qui fidem magnitudini ſempiternæ veritatis adiungerent, munificentiſſime propoſuit. Sed ijs, qui corruptis humoribus, atque peſtilentibus, prorſus infecti, & inquinati ſunt, omnia peſtifera videntur. Vt enim, qui bili grauiſsime laborant, quæcumque guſtant, quamuis ſint dulciſsima, tamquã nimis amara, reijciunt, ita homines profligatiſsimi orationis ſuauiſsimæ dulcedinem faſtidiunt, & contra ſuæ ſalutis auctores furenter inuehuntur. Quod eo acerbius contra Chriſtum faciebant, quo illius oratio Diuinior, & maiores opes Diuinæ virtutis in hominum oculis explicabat. Quod Ioannes explanat.

*Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo miſit in illum manus, quia nondum venerat hora eius.* Cum voluit, inſidias vitauit; cum voluit, impetum repreſsit; cum voluit, vires eliſit; cum voluit, apprehenſus eſt. Apprehendi autem voluit, cum tempus maturum fuit, quod erat videlicet Dei conſilio præfinitum. Horam autem ſuam id tempus appellauit, quia erat gloriæ ſuæ tempus, quo Regnum illius erat ſtabiliendum, Satanæ tyrannis euertenda, aditus in cælum hominibus aperiendus. de quo alibi copioſius diſſeremus.

*De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant, Chriſtus cum venerit, numquid plura ſigna faciet quam quæ hic facit?* Si ſignis, inquiunt, firmanda fides eſt, maiora his ſigna, quæ fieri ab hoc quotidie cernimus, excogitare non poſſumus. Cæci vident, ſurdi audiunt, claudi ſaliunt, & miram in curſu celeritatem ſuſcipiunt, mortui, in vitam, illius verbo, & imperio, reuocantur. Quid amplius, ad fidem de Chriſto venturo, quem quotidie exſpectamus, faciendam requirimus? Tempus inſtat, oracula Diuina cum illius vita conueniunt, ſanctimonia eorum, qui diſciplinis illius addicti ſunt, teſtificantur, illum eſſe ſanctitatis, atque pietatis, architectum. Quid nos igitur impedit, quo minus ei pareamus, vt tantorum bonorum participes eſſe poſsimus? Hæc, quæ de illo multi loquebantur, non mediocrem moleſtiam hoſtibus impuriſſimis exhibebant. Sequitur enim:

*Audierunt Phariſæi turbam murmurantem de illo hæc: & miſerunt Principes ſacerdotum, & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent eum.* Malum hoc, inquiunt, ſerpit in dies, & latius diſsipatur. Si igitur repreſſum minime fuerit, erumpet in vniuerſæ Reipubl. perniciem. Non eſt cunctandum, non eſt remedium vlterius differendum. Illum confeſtim in cuſtodiam tradamus, vt ſupplicio capitali luat peſtem, quam in nos quotidie machinatur. Merito certe de operibus Diuinis querebantur, qui bellum in Deum comparabant. Iuſte veram virtutem oderant, qui, ficta ſpecie ſanctitatis, ad honores veriſsimæ ſanctitati debitos adſpirabant. Non ſine ratione, ſalutis auctorẽ inſectari non deſinunt, qui toti erant in ſalutis euerſoris dominatu conſtituti. Sed videamus, quo modo miniſtri commiſſum ſibi munus obierint.

*Dixit ergo eis Ieſus, Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum: & vado ad eum, qui me miſit. Quæritis me, & non inuenietis: & vbi ego ſum, vos non poteſtis venire.* Abeunt, vt, cum celeritate, quæ fuerant eis imperata, conficiant. Non in tenebris abditum, non metu repreſſum, non a ſtudio docendi formidine deductum, ſed palam de rebus Diuinis luculentiſſime diſſerentem, inueniunt; & tamen illum attingere non audent. Quo erat hominum armatorum præſidio cinctus? Nullo. Et tamen miniſtri non ſolum hærent, & dubitant, ſed, ſtupore defixi, conſiſtunt, neque ſe ad nocendum loco mouere poſſunt. Quare? Quia non permiſit ille, in cuius poteſtate ſunt omnia, vt Satanæ ſatellites, atque miniſtri, ante tempus ordine Diuino præſtitutum id exſequerentur, quod exoptabant. Vt autem id non in perditorum hominum cupiditate, ſed in ſua voluntate, poſitum eſſe doceret, ait, Puſillo adhuc tempore inter vos ero: quo vobis minime conceſſum eſt, vt mihi noceatis. Cum igitur erit permiſſum perditis hominibus, vt, tenebrarum poteſtate freti, in me totum odium profundant, & vitam mihi crudeliter nimis erripiant? Eo certe, quo gloriæ meæ tempus appropinquauerit. Corpus tunc interiment,

animum vita priuare non poterunt; conuicia iacient, dignitatem porro meam nullis maledictis imminuent; &, quo maiorem nocendi voluntatem perditis conatibus oſtenderint, eo magis gloriam mei nominis illuſtrabunt. Virtus enim Diuina, tunc ſe maxime demonſtrat, cum hominum ſceleribus oppugnatur. Vado enim ad eum, qui me miſit. Inſtat iter, quo me ad Patrem conferam, qui me in terras miſit, vt eos, qui ſe mihi dediderunt, e tenebris ſempiternis eripiam. Illic igitur, in Diuino ſolio conſtitutus, ſempiternum imperium moderabor. Illuc igitur non adſpirabit improbitas, non penetrabit malitia. Omnes igitur fraudes, & machinationes, erunt inanes. Cum vero dicit, Vbi ego ſum, & non dicit, Vbi tunc ero, ſatis aperte docet, ſe ſemper apud Patrem fuiſſe, & ita in terris ſibi commiſſum munus adminiſtraſſe, vt cælum numquam deſereret. Sed videndum eſt, quo modo, poſt Chriſti in cælum adſcenſum, Iudæi Chriſtum quæſierint. Quærebant Chriſtum, cum in illius nomen inuadebant, cum diſcipulos illius in cuſtodiam tradebant; cum eos bonis omnibus euertebant; cum lapidibus obruebant; cum immaniſsime iugulabant; cum omnes denique conatus eo comparabant, vt Chriſti nomẽ exſtinguerent; eum profecto quærebant, non vt colerent, ſed vt interimerent. Sed nullo modo eo peruenire poterant quo is euectus fuerat. Itaque nullo modo poterãt vel Diuinã illius clemẽtiam frangere, vel maieſtatem violare, vel gloriam illius obterere. Immo, quo furentius illum perſequebantur, eo clarius gloriam ſuam amplificabat, maiorem agebat de hoſtium internecione triumphum. Orationis igitur hæc ſumma eſt; vt oſtendat, non eſſe illis tam immanis ſceleris poteſtatem, niſi quando ipſi viſum fuiſſet. Proinde, non eſſe ſibi illorum comminationes vllo modo formidandas. Poſt ſacrificium vero peractum, & ipſius in cælum adſcenſum, omnes illorum machinationes irritas, & inanes, fore. Hoc cum non intellexiſſent, miſeri, in alium ſenſum verba detorſerunt.

*Dixerunt ergo Iudæi ad ſemetipſos, Quo hic iturus eſt, quia non inueniemus eum? numquid in diſperſionem Gentium iturus eſt, & docturus Gentes? Quis eſt hic ſermo, quem dixit, Quæretis me, & non inuenietis, & vbi ego ſum, vos non poteſtis venire?* Poſtquam Iſraelis Regnum, fuit Aſſyriorum armis euerſum, decem Iſraelis tribus fuere diſpulſæ, neque ſolum in mediam, ſed in multas orbis terrarum regiones diſsipatæ. Poſtquam vero fuit a Babylonijs euerſio, & inflammatio, Hieroſolymis illata, magna Iudæorum pars fuit Babylonem non ſemel abducta. Reliquiæ deinde in Aegyptum, ſponte ſua, contra Hieremiæ ſententiam, migrauere. Cum vero per Cyrum libertas Iudæis reddita fuit, quamuis magna pars in Iudæam redietit, maxima tamen pars eorum in illis regionibus, in quibus ſedes habebant, & vineas, & hortos, conſeuerant, voluntatem ſua remanſit. Antiochi ſimiliter tempore, multi vel in exſilium pulſi ſunt, vel ſponte ſua in alias regiones immigrarunt, vbi ſe commodius habitare poſſe crediderant. Hæc tanta Hebræorum multitudo, in tam varias partes diſperſa, Diſperſio gentium nominatur, eo quod eſſet varijs gentibus admixta. Vnde & Petrus, cum ad Iudæos, qui habitabant in Aſia, ſcriberet, Diſperſionem Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ, nominat. Iudæi igitur ſic Chriſti ſententiam interpretabantur, vt exiſtimarent, illum, vel Iudæorum metu, vel offenſione, velle ſe in oras longinquas conferre, vt tuto vitam inter Iudæos, qui illic haberent domicilia, degeret. Sed hoc leuius ferendum erat. Abeat, dixiſſent illi, quouis gentium, modo ne gentes erudiat. Gentes enim incircumciſas, fieri Diuinæ diſciplinæ participes, illis ſcelus nefarium, & exſecrandum, videbatur. Ibit, inquiunt, in gentium diſperſionem; &, poſtquã illic fuerit, non ſatis habebit, Iudæos ſuis diſciplinis inſtruere, ſed etiam gentes ad ſe alliciet, vt eas, quod non licet, inſtituat. Hanc cogitationis inanitatem minime reſponſione dignam arbitratus eſt: in quo nos docuit, non eſſe omnes orationum vanitates valde refellendos, vel quia minimum momentum obtinent, & ideo magis contemnendæ, quam refutandæ ſunt; vel quia per ſe vacillant, & claudicant, & intra breuiſsimum tempus clariſsima luce veritatis obruuntur, & mendacium aperte conuincitur. Alia etiam ratio poteſt aſsignari, quare opinionẽ illam minime ex Iudæorum animis euellerit. Quænam ea eſt? inquies. Non diſperſionis ſalutem negligebat, neque gentes aditu ſempiternæ gloriæ prohibebat. Et ideo, quamuis per ſe gentes vniuerſas non docuiſſet, eas tamen per diſcipulos ſuos cæleſtibus diſciplinis inſtruxit. Quemadmodum, vt in Iſaia legimus, a Patre prædictum fuerat. Dedi te, inquit, in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Non poterat igitur dicere, Diſperſionem minimi facio, gentes incircumciſas minime curo. Sed, quæ ſequuntur, attentiſsimis animis audiamus.

*In nouiſsimo autem die magno feſtiuitatis ſtabat Ieſus, & clamabat, dicens, Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. nondum enim erat Spiritus datus: quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Sollemne illud ſacrum, ad octauum vſque diem extendebatur. Sic enim ſcriptum eſt in Leuitico: Dies quoque octauus erit celeberrimus, atque ſanctiſsimus. Dies autem hic,

erat

erat tertius atque vigeſimus menſis ſeptimi. Sollemnitas enim huius celebritatis quincto decimo die inchoabat. Ab illo autem, ſeptem dies numerabantur. Poſtremo, dies octauus feſtam illam celebritatem terminabat. Vltimus igitur feſtæ illius celebritatis dies erat tertius & vigeſimus menſis. Sed ad maiora veniamus. Stabat, inquit, Ieſus. Cum, Stabat, inquit, magnum certe innuit ſententiæ Diuinæ ſacramentum, cum docet, Ieſum, vt illud enunciaret, ſe erexiſſe, & erectum conſtitiſſe, vt ab omnibus audiretur. Et clamabat, dicens, Chriſti clamor non temere fundebatur. Non ſine grauiſsima cauſſa edi poterat. Paullo ante illum in templo clamaſſe, percepimus. Quorſum? Vt fidem excitaret, & ſe patrem in cæleſtibus ſedibus habere teſtificaretur, vt Theologiæ veriſsimæ diſciplinam traderet, ſine qua vita frui non poſſumus. Si enim vita, Dei notitia continetur, & Deum is nouit, qui Filium nouit Patri, amore ſempiterno, coniunctum, ratio cogebat, vt humani generis liberator, cum animis eam fidem inſerere vellet, quæ ſalutis initiū continebat, maximis vocibus hominum mentes excitaret. Similiter, hoc in loco, clamorem ingentem ſuſtulit, vt fidei fructum omnibus explicaret, & oſtenderet, fore, vt illi ſolū, veris, & ſempiternis, opibus affluerent, qui fide firmiſsima omnes actiones vitæ dirigerēt. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Samaritanæ dixerat, futurum, vt, qui biberet ex aqua, quam ſe daturum receperat, numquam ſitiret; ſed aqua repente fieret fons, aquæ ſalientis in vitam æternam. Similiter, hoc in loco, eandem aquam cunctis, abſque diſcrimine, pollicetur. Si quis, inquit ille, ſitit. Nullam diſtinctionem ponit. Siue Iudæus ille ſit, ſiue Græcus, ſiue Scytha, ſiue ex quacumque alia orbis terratum regione ad me venerit, cupiditatis ſitim facillime reſtinguet. Sic enim explebitur veriſsimis bonis animus, vt non ſit eis vlterius aliquid valde deſiderandum. Qui enim veris opibus affluit, inanes facillime contemnit. Vt enim, qui domi auri ingentes acernos reconditos habet, non eſt de luteis vaſis valde ſollicitus, ita, qui gerit animum cæleſtibus opibus opulentum, non terreſtrium cupiditate nimis incenditur. Ita igitur in bonis, quibus fruitur, acquieſcit, vt omnia, quæ nimis expetenda videntur in terris, animo nimis alto, & excelſo, deſpiciat. Si igitur ſiti flagras, ſi ſemper eges, ſi nullæ ſunt opes, quibus ſatiari queas, ſi quietus eſſe non potes, ad Chriſtum propera, & tum demum expleberis, & animi tranquilliſsima pace perfrueris. Quo modo autem ad Chriſtum venire poſsimus, ipſe nos docet. Sic enim inquit: Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Per fidem igitur ad Chriſtum accedimus. Sed, in quo loco docet Scriptura, futurum, vt, qui in Chriſtum crediderint, flumina aquæ viuæ intra pectus habeant, ita, vt non ſint illis aquæ ad ſitim ſedandam e longinquo hauriendæ, eſt animaduertendum. Primum, conſtat, in illa Arabiæ ſolitudine, Solibus ardentiſsimis exuſta, Hebræos fuiſſe intoleranda ſiti vehementiſſime cruciatos, quæ eos adegit, vt Moſem iurgijs, atque maledictis, inſectarentur. Moſes igitur, cum, Dei iuſſu, in Monte Horeb virga ſilicem percuſsiſſet, continuo largiſsimi latices emanarunt, qui non ſolum ſitim omnibus depulerunt, verum amœniſsimam viriditatem ex terræ illius vaſtitate elicuerunt, quæ non ingratam ſpeciem oculis exhiberent. Alibi, cum populus ſimili ſiti cruciaretur, in Moſem furenter inuadunt, ſanctiſsimumq. virum conuicijs onerant, quod ex Aegypto eduxiſſet, vt in deſerta terra ſiti conficeret. Ibi Moſes petram aliam bis virga percuſsit. ingens aquæ vis e petra continuo profluxit. hanc Dei tam inſignem clementiam Dauid grandi carmine non ſemel celebrandam ſuſcipit. Inquit enim, Interrupit petram in eremo, & adaquauit eos tamquam in abyſſo multa, & eduxit aquam de petra, & deduxit tamquā flumina aquas. Et alibi, Diripit, inquit, petram, & fluxerunt aquæ, & abierunt in ſicco flumina. Hæc omnia Paulus ad ſenſum Diuinum referenda docet. Sic enim, ad Corinthios ſcribens, ait: Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt, neque cibus ille, neque potus, erat ſpiritalis, ſed tam cibus ille quam potus, cibum, & potum, quem Spiritus ſanctus nobis elargitur, deſignabat. Conſuetudo eſt enim ſanctæ Scripturæ, rerum Diuinarum nomina, figuris, quæ res ipſas Diuinas adumbrant, imponere. Quod multo clarius id, quod continuo ſequitur, oſtendit. Ait enim, Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra. Petra autem erat Chriſtus. At illæ petræ ſpiritales non erant: neque populū conſequebantur, cum loco non mouerentur: neque denique in illos nomen Chriſti conueniebat; ſed Chriſti vim, atque pietatem, adumbrabant. Ille namque, vt vidimus, eſt ille panis cæleſtis, qui ſuis vitam ſempiternam contulit: Ille eſt illa petra, virga Diuinæ iuſtitiæ, pro peccatis noſtris, in Cruce percuſſa, ex qua potum ſuauiſsimum hauſimus, & ſitim, qua cruciabamur, exſtinximus. Hæc Eccleſiam ſuam conſequitur, ne vmquam eam ſiti grauiſsima conflictari patiatur. Paucis deinde interiectis, ait: Hæc autem omnia in figura contingebant illis. Scripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum deuenerunt.

Ex his Pauli verbis plane colligitur, omnia illa munera,quæ Hebræis conceſſa ſunt eo tempore,quo fuere e Pharaonis crudeliſsimo dominatu liberati,ſigna fuiſſe eorum,quæ nunc, Chriſti benignitate,percipimus.Quid Iſaias? quam luculenter ea omnia ad Chriſti tēpora multis ante ſæculis ſignificanda, prænūtiat? Lætabitur,inquit,deſerta,& inuia, & exſultabit ſolitudo horribili vaſtitate conſumpta. Eam enim neque perennes aquæ Diuini Spiritus irrigabant, nec imbres cæleſtes fecundam efficiebāt; ſterile ſolum, atque peruſtū, nihil ex ſe proferebat,quo poſſet aliqua iucūditate permulceri. pro iuſtitiæ plantis, tyrannidis, & immanitatis, aſperitas omnes terras operiebat; pro decoris, & honeſtatis, fructibus, libidinum ſilua omnes ſpecies dignitatis interimebat; pro religionis veriſsimæ ſanctitate,diriſsima ſuperſtitio cunctorū mortalium animos occupabat.Nulla erat in terris Dei notitia; nullum pietatis ſtudium; nulla officij rectiſsimi diſciplina; omnia erāt ferarum,atque ſerpentium, luſtris infeſta; cū ſubito Diuini Spiritus fontes emanarunt; flumina labi cœperunt; ardores exſtincti ſunt; lætiſsimæ iuſtitiæ fruges, & virtutum omniū odores fragrantiſsimi, mirifica iucunditate omnia perfuderunt. Ait deinde: Germinans germinabit, & exſultabit lætabunda, & laudans gloria Libani data eſt ei decor Carmeli, & Saron. Montes erant amęniſsimi,& arborum proceritate,& plantarum iucundiſsima varietate,cultiſsimi,cum quibus Eccleſię decus,& gloriam,comparat. Nec enim alijs verbis tam illuſtris ſpecies explicari commode poterat. Ne autem Iudæi,animis in terras demerſi, hæc omnia ad terrenas opes traducere conarentur,adiungit,Ipſi viderunt,ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri. Vnde colligi poterat, illam tam mirabilem vitæ conuerſionem, & tantam fructuum abundantiam, ex notitia Diuini numinis, quod antea gentes ignorabant, exſtitiſſe. Tum excitat Chriſti diſcipulos,vt omnes,qui ſpem ſempiternæ ſalutis abiecerant, ſpe firma corroborent, & voluptatem cunctis annuntient. Inquit enim: Confirmate manus diſſolutas, & genua debilia roborate. Dicite puſillanimis,Robur aſſumite; nolite timere. Cur ita tandem minime, in tantis vitæ periculis, metuendū eſt? Quia Deus ipſe,qui Prophetas,& Angelos,olim ſuis in auxilium mittebat,iam non hoc munus miniſtris ſuis delegabit; ipſe per ſe huius mundi Principem de ſolio detrudet, veſtramq. libertatem conſtituet.Ecce,inquit,Deus veſter vltionem adducet retributionis, Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos. Quibus autem ſignis poterimus Dei ipſius aduentum explorate cognoſcere? Tunc,inquit,aperientur oculi cæcorum, & aures verborum patebunt. Tunc ſaliet, vt ceruus claudus,& aperta erit lingua mutorū.

Sed rationem tam Diuinorum operū videamus. Quia (inquit) ſciſſæ ſunt in deſerto aquę, & torrentes in ſolitudine, & quæ erat arida, erit in ſtagnum, & ſitiens in fonte aquarum. Ades dum, Iudæe, & mecum huius oraculi Diuini ſententiam recognoſce. Quid ais? quid animo tecum meditaris? numquid aliquid in Diuinis litteris abſonum, & minime cohærens, inueniri poſſe,confidis? Negabis certe. Quid igitur minus conuenit, quā pro cauſſa ſtupendi miraculi aliquid maxime ab effectu diſiunctum afferri? Iſaias non de rebus præteritis, ſed de futuris, ediſſerit; & ea, quæ fuerant, præteritis ſignis expreſſa prænuntiat. Dicit igitur, fore, vt cæcis adſpectus, ſurdis auditus,claudis expeditus inceſſus, atque adeo curſus, redderetur. Quam cauſſam apponit vir Diuinus? Eorum quidem iudicio,qui ſani ſunt,& fide vitam inſtituunt, maxime congruentem. Dicimus enim, per Aquas illas,de quibus Propheta loquitur, intelligi Spiritus ſancti munera,& Diuinorum bonorum affluentiam. Si Iudæus fore confidit, vt iterum in tellure deſerta aquæ e ſilice percuſſæ repente profluant, & eam cauſſam eſſe confirmet,quare cæci continuo videant, ſurdi audiant, claudi, quocumque velint, libere curſitent,cauſſam certe nimis alienam, & abſurdam, & Iudaico ſtupore digniſsimā, referent. Illos igitur, vt digni ſunt, omittentes, in Diuini viri ſententiam aciem mētis intendamus. Cum enim Prophetæ fuerint, & optimi Diuinæ legis interpretes, & excellentes Euangelij prænuntij, & Diuinitus inſpirati, omnia bona, quæ erant per Chriſtum nobis afferenda, prædixerant: tū, Iſaias, mirum eſt, quantum in Chriſto prædicando inter omnes Prophetas excellat. Sic igitur ad præterita beneficia reſpectans, ea commemorat, vt non tam in illis, quam in rebus ſacroſanctis, atque Diuinis, quæ per illa portendebantur,totam mentem, atque rationem, defigat. Non dubium igitur eſſe poteſt, quin præcipue hoc in loco, & in eo, cum ſitientes, ad aquas inuitat, per Aquas, munera Diuini ſpiritus intelligat. His explicatis, ad Chriſti ſententiam reuertamur. Qui credit, inquit, in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de vētre eius fluent aquæ viuæ. Quærebamus, vbi hoc Scriptura prædixiſſet. Cum vero nonnulli Dauidis loci a nobis adducti fuiſſent, qui, cum aquas olim e rupe proſilientes carmine celebraret, in has aquas, de quibus loquimur, totam mentem inflammato ſtudio referebat, tum vero Iſaiam multo clarius id ſignificare dicimus, cum fore prædixit, vt in deſerto loco aquæ ſcinderentur. Cum ſcinderentur, dixit, reſpexit ad virgam Moſes, qua percuſsit, vt petram, in Eccleſiæ fundamento, ad ædificij ſtabilitatem, poſitam, & Dei iudicio percuſſam, deſignaret. Quid autem tam vaſtum,

& in-

Digitized by Google

& incultum,poteſt excogitari, quam animus Diuina gratia deſtitutus? Nihil enim ex ſe, niſi flagitiorum ſpinas, atque ſentes,effundit. Quid igitur mirabilius, quam, cernere hunc animum, in quo dracones domicilia collocarant,ita repente conuerſum, vt cogitationes ſanctas nutriat, vt fructus ſaluberrimos efferat, vt numquam fronde careat; cum ſit prope Diuini ſpiritus fluenta conſitus, &, ab eodem ſpiritu ductus,omnia, quæ cogitat, quæ molitur,& efficit,proſperos euētus conſequātur? Vt autem Chriſtus huius gratiæ perennitatem exaggeret, non aquam tantum perennem nominat, ſed flumina: quemadmodum, cum Samaritanæ dixit,futurum,vt fides,incēſa,& incitata,efficeret in eo, qui crederet fontem aquæ ſalientem in vitam æternam. Vt autem, quā firma huius aquæ poſſeſsio eſſet, intra pectus eam ponit. Flumina,inquit,de vētre eius fluent aquæ viuæ. Per Ventrē in ſanctis Litteris ſæpe numero intimus animi ſenſus exprimitur. Qui igitur intra ipſius animi receſſus perennem fontem, vnde flumina foras emanent,habuerit,non timebit,ne fluminum curſus alio deriuetur,ita, vt ipſe in ſicco deſtituatur. Semper igitur vireſcet, ſemper, cum opportunum fuerit,fructus vberrimos effundet, vt non ſolum ipſe beatus ſit, ſed multos etiam ſuæ felicitatis participes efficiat.

*Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. nondum enim erat ſpiritus datus: quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Quod Aquæ Spiritus ſancti gratiam deſignent,ſatis perſpicuum eſt. Quod autem neget Ioannes,eo tempore,quo Chriſtus hæc in templo prędicabat, Spiritus ſancti munera nemini conceſſa fuiſſe,mirum videri fortaſſe poterit illis, qui non fuerint in Ioannis diſciplina valde verſati. Dicent enim, Quis igitur Prophetas edocuit? quis ſanctitatis effector exſtitit? quis hominibus cæleſtes cogitationes inſpirauit? quis denique homines virtute præcellētes,Deo,amoris ſempiterni fœdere,coniunxerit? Sed animaduertendū eſt,apud Ioannem, & alios Diuinos viros, multa eſſe,comparatione quadā, intelligenda: veluti, cum hominem fortem, Imbecillum appellamus, cum ad alium longe fortiorem reſpicimus; aut alium lāguentem, Sanum eſſe dicimus;alterius cōtentione, quē morbo longe grauiore depreſſum cernimus. Spiritu quidem fuerunt olim inflati, & incitati,ſancti Dei homines. Aliter enim numquam ea facinora feciſſent, quæ vehementer admiramur. Spiritus tamen olim non fuit tanta copia,& largitate,profuſus,& gratiæ diuinæ flumina foras erumperent, vt terras flagitiorū innumerabiliū ardoribus exuſtas irrigarent, & fecundas efficerent. At, poſtquam Ieſus in Crucem actus fuit; poſtquā ſacerdotij ſui munus ſanctiſsimum obiuit; poſtquam in cęlū penetrauit,& ſanguinis ſui pro nobis effuſi meritum in conſpectum Patris intulit; tum ſpiritum nobis impetrauit, quo non ſolum ij, qui erāt ſanctorum patrum ſtirpe propagati, ſed ex omnibus nationibus, quæ erant a ſanctiſsimis ſacris abhorrentes,& erroribus turbulētiſsimis excæcatæ,innumerabiles homines in libertatem vindicati,& luce clariſsima circūfuſi,verum cernerent,& in cælum, inflammata fide,cōſcenderent. Hic igitur ſpiritus,quo erant animi multo ardentius inflammandi, & omnes nationes in ſtudium admirabile Diuinitatis incitandæ,nondum aduenerat.quia nondum Ieſus opus gloriæ ſuæ,quod Cruce,& Crucis meritis, & ſanctitate, continebatur, abſoluerat.

*Ex illa ergo turba cū audiſſent hos ſermones eius, dicebant. Hic eſt vere Propheta. Alij dicebant, Hic eſt Chriſtus. Quidam autem dicebant, Numquid a Galilæa venit Chriſtus? Nonne Scriptura dicit, quia ex ſemine Dauid,& de Bethlehē caſtello vbi erat Dauid,venit Chriſtus.* Iam ſuperius docuimus,multitudinem illam fuiſſe ex vario genere hominum conflatam. Quidam enim erant in Chriſti ſtudium, quamuis non perfecta omnino fide,propenſi;alij vero erant odio nimis efferati,illiuſq. doctrinis grauiter infenſi;alii poſtremo ancipites erant,animiſq. diſtracti,diuerſe trahebantur,vt aliquando illum honoribus ſummis digniſsimum iudicarent, aliquando rurſus non bene de illo ſentirent.

*Diſſenſio itaque facta eſt in turba propter eum.* Neceſſe profecto erat, cum tam multiplices, & inter ſe diſsimiles, ſententiæ eſſent, vt diſſenſio excitaretur.

*Quidam autem ex ipſis volebant apprehendere eum;ſed nemo miſit ſuper eum manus.* Nocendi voluntas non deerat.facultas oblata videbatur. Principum imperium vrgebat. Cur igitur impietatis ſatellites non obierunt munus, quod illis fuerat a Principibus ſingulari ſtudio commiſſum? Quia tunc non placuit illi,qui omniū temporum momenta perpendit, vt efficerēt id, quod erat in aliud tempus multo commodius reſeruandum.

*Venerunt ergo miniſtri ad Pontifices & Phariſæos. Et dixerunt eis illi, Quare non adduxiſtis illū? Reſponderunt miniſtri, Numquam ſic locutus eſt homo,ſicut hic homo loquitur.* Quam ingratus fuerit miniſtrorum reditus illis, qui voluptatem ingentem ſe percepturos eſſe confidebant,cū crudelitatem ſuam in eum, quē peſsime oderant,exercitam ſatiarent,dici non poteſt. Itaque neceſſe erat,cum a ſpe, qua tunc tenebantur,deciderent, vt animi angore ſummo cruciarentur. Sed reſponſum videamus. Nō enim dicunt, Erat multis hominum millibus ſtipatus:non dicunt, Fuga ſe proripuit, & in latebras abdidit,quas explorare nequiuimus:ſed, quid dicunt? Numquam ſic locutus eſt homo. O diuinam eloquentiæ vim,quæ non modo iacentes erigebat, omnem ex afflictis animis mæſtitiam depellebat, mentes humanas ſtudio gloriæ immortalis inflammabat; verum

& ho-

& hoſtium miniſtros ita coercebat, vt non auderent illum attingere, quem vt apprehenderenr, miſsi fuerant. Itaque neque Principnm offenſionem verentur; nec infamiam, aut formidinis, aut negligentiæ, timent: propoſira ſibi præmia pro nihilo putant; atque fatentur, ſe non armis, ſed verbis, fuiſſe prohibitos, ne, quod fuerant inſsi, perficerent.

*Reſponderunt ergo eis Phariſai, Numquid & vos ſeducti eſtis? Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſais? ſed turba hac qua non nouit legem, maledicti ſunt.* Auctoritate pugnant. Credibile enim non erat, vt, ſi is, qui tantum dicendo poterat, vt populorum fluctus, & procellas, cum vellet, comprimeret, & multorum ad ſe voluntates alliceret, & ab odio, & immanitate, ad bonitatem traducerer, vere Chriſtus eſſet, id Principes tam ſancti, tam religioſi, tam egregie ſacris diſciplinis eruditi, non intelligerent. Quaſi vero non in eornm animis inuidia potiſsimum verſaretur, qui in alto gradu locati ſunt, & non eos acrius odium veræ virtutis excæcaret, qui, virtntis ſimulatione, ad honores ſummos enituntur. Nihil eſt enim verę dignitati, quam ſimnlatio dignitatis, inf:ſtius. Non nouit, inquiunt, turba legem. At ipſi, qui legis ſe ſcientiam tenere iactabant, quā longe a cognitione illius abhorrerent, operibus turpiſsimis, & ſceleſtiſsimis, indicabant. Maledicti, inquiunt, ſunr. orationem conuicio concludunt; (quod eſt eorum proprium, qui malā cauſſam tuentue) &, quod argumentis probare nequeunt, iurgijs, & maledictis, obtinere nituntur. Sed, quare exſecrabiles, & deteſtandi, ab impuriſsimis hominibus appellantur? Quia veriſsimis ſententiis aſſentiuntur? quia Deo repugnare nolunt? quia Diuina beneficia minime repudiāt? quia generis humani liberatorē non immani odio perſequuntur? O exſecrationem nimis omnibus ſanis hominibus expetendam. Vtinam ſic perditis hominibus, qui Chriſti ſanctam Eccleſiam oppugnant, deteſtabiles, & exſecrandi, videamur. Quid enim magis optandum nobis eſt, quam, eis minime placere, qui ſumma contentione Diuinis placitis aduerſantur? Sed occurrit maledictis impiorum hominum vir ſanctus. Sequitur enim:

*Dixit Nicodemus ad eos, Ille qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipſis.* Erat enim religione Phariſæus, ſed moribus, & ſententia, longe ab illis, qui religionem ementiebantur, diſsidebat. Sed, quid dicit?

*Numquid lex noſtra iudicat hominem: niſi prius audierit ab ipſo, & cognouerit quid faciat?* Indicta cauſſa iudicare, ſumma iniquitas eſt. Tunc enim, non ius, & æquitas, ſed inconſiderata temeritas, & præceps ambitio, & iracundiæ furor, in iudicio dominatur. Nicodemus igitur inre collegas hortatur, & admonet, vt prius Ieſum audiant, quam cōtra illum ſenrentiam dicant. Sed fruſtra ab illis ius poſtulatur, qui animum gerunt immani odio iuſtitiæ, & ſanctitatis, occupatum. Non audit veritatem mēdacium; non admittit ęquitatem iniuria; non cedit ambitio moderationi; nō dat locum cupiditas iuſtitiæ; non crudelitas humanitati; denique, cum omnia ſunt in animis a ſceleribus obſeſsa, omnes iuſtitiæ defenſiones repellnntur.

*Reſponderunt, & dixerunt ei, Numquid & tu Galilęus es?* Vt hinc colligi poteſt, Galilęi nomen, vt probrum, obijciebatur illis, qui Chriſtum libenter audiebant, eo quod Chriſtum in Galilæa natum opinarentur.

*Scrutare, & vide quia a Galilęa Propheta non ſurgit.* Hoc vno argumento maxime nitebantur, quod Scriptura Chriſtum non in Galilęa, ſed in terra Iuda, naſciturum prædixiſſet. In hoc vno igitur, vt in firmiſsimo cauſſæ præſidio, commorantur. Quid? Erat difficillimum, quo in loco Chriſtus ortus eſſet, inquirere? Non certe. Fuerat enim ortus illius, Magorū aduentu, Herodis perturbatione, & ſcribarum conſultatione, innocentium cæde, celebratus. Cur igitur id non diligenter inquiruni? Quia metuunt, ne palam fiat id, quod nō paucis erat valde notū, Chriſtum in Bethlemitica ciuitate natum fuiſſe; & ita ſubtraheretur calumniæ, qua maxime nitebantur, materia. Nec enim improbi, vt veritatem perueſtigent, ſed, vt calumnientur, inquirnnt. Cum igitur verentur, ne veritas eluceſcat, quam oppugnandam ſuſcipiunt, ſtudinm inquiſitionis omittnnt. Hi igitur, poſtquam aliud, quo progrederentur, minime reperirent, diſceſſernnt.

*Et reuerſi ſunt vnuſquiſque in domum ſuam.* Dimiſſum fuit tunc concilium, ſed ſcelus minime diſſolutum fuit; &, cum facultas nocendi illis erepta fuiſſet, voluntas immani odio confirmata in eōdem ſtatu permanſit. Quam periculoſum autem ſit inueteratum crimen, vbi ad ſummum peruenit, ex hoc certe loco poteſt eſſe perſpicuum. Altiores enim radices agit, quam vt euelli, vel ratione, vel bonitate, vel auctoritate, poſsint. Indnit enim, qui ſcelus inſtitutum, temporis diuturnitate, atque pertinacia, cumulat, formam illius Principis tenebrarum, qnem ſequitur. Illi enim ſe totū tradit, qnem numquam rebellionis, atque perfidiæ, ſuſceptæ pænituit; qni numquam immutari, & ad aliquam benigne faciendi voluntatem inflecti, potuit; cuius omnes actiones, & cogitationes, & omnes conatus, ad hominum peſtem, atque perniciem, conferuntur. Ne igitur homines perditiſsimi ab eo, cui ſe penitus addixere, deficiant, ita in ſceleribus obſtinati, & obfirmati ſunt, vt nec argumento conuicti, neque ſignis admirandis obſtupefacti, nec auctoritate Diuina redargnti, a ſuſcepta ſemel ſententia deſiſtanr. Putant enim, dignitatem ſuam erroris confeſsione prorſus amittēdam. Itaque malunt, erroris turbulentiſsimi

vinculis

vinculis adſtringi,quam ,veritatis cognitione in libertatem vindicari. Erroris enim ſuſcepti defenſione,ſore confidir, vr a ſuis honoretur;mutarione vero ſentẽtię, dedecus apud ſuos ſe continuo ſubiturum putar. Dum igitur inane dedecus extimeſcit,veriſsimum dedecus ſuſcipir,nullis ſæculis eluendum.Superbia enim in illius auimo dominatur;quæ quidem ita miſerum adſtrictum tenet,vt facilius patiatur ſe ruiuis omnibus opprimi,quam ab errore deduci.Quod quidem in hæreticis euenire ſæpe conſpicimus.Argumentis conuicti, vociferantur ; auctoritatibus obruti , clamores ednnt;&,quo magis illi remedia ſalutaria fuerint adhibita, eo furentius contumelias intorquebunt . Quare ? Quia ſuperbia ducuntur, quæ ſententiæ temere ſuſceptæ mutationem pati non poteſt.Itaque Phariſæorum veſtigiis inſiſtunt,& ſuperbiæ principem , & auctorem,omni ſtudio ſequũtur. Quocirca vos, fratres,per Chriſti clementiam moneo,& per illius ſanguinem obteſtor, vt ram dirum ſceleris exemplum,vt facitis,perpetuo deteſtemini.Sed,cum ſuperbia,peccandi diuturna conſuetudine roboretur,(hebeſcit enim mens, & obdureſcit animus , irrepit pietatis obliuio, vnde contemptus exoritur ) omnis veſtra ſalus in eo poſita eſt;primum quidem,vt nõ pecceris;deinde,ſi lapſi feceritis, confeſtim excitemini,& a Chriſto veniam poſtulatis,qui nõ ſolum vobis ignoſcet, ſi fueritis ad illum tota mente conuerſi, ſed etiam veſtrum robur amplificabit,ne rurſus miſerrime concidatis.

---

*Vidi,& legi librum iſtum Reuerendiſs.D.Hieronymi Oſorij,Epiſcopi Siluenſis ,continentem viginti & vnam orationes in Euangelium B. Ioannis; & in eo deprehendi pietatem cum elegantia coniunctam,& doctrinam ſanam , & ad fidelium eruditionem vtilem. Quapropter ,ſaluo ſapientum iudicio, poterit imprimi. In quorum fidem nomen meum ſubſcripſi. Romæ,die 25.menſis Maij , anni 1592.*

*Fr. Bernardinus de Agorreta.*

Fr. Bartholomæus de Miranda. S. P. M.

*P. Antonius Viceſg.*

CARMEN

# EIVSDEM AVCTORIS IN DIEM NATALEM

## DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

*SVmme Pater, cælum æterno qui lumine comples,*
*Pollentiq. manu vertis, qui frugibus almam*
*Tellurem, arboribuſque, & læto gramine veſtis,*
*Et dulcem præbes cunctis animantibus eſcam,*
*Humanumq. genus cæleſti nectare paſcis,*
*Inſeris atque aſtris; quis tandem carmine grates*
*Munére pro tanto poterit perſoluere dignas?*
*Cum humanas mentes premeret nox atra tenebris,*
*Morſq. ruens triſti terras inuolueret vmbra,*
*Tu tandem, miſeros homines miſeratus, ab alto*
*Miſiſti in terras lucem, qua cuncta ſerenas,*
*Cælitibuſq. immenſa, æternaq. gaudia confers.*
*Poſtquam igitur tætras tenebras, letumq. fugaſti,*
*Summa tenet mentes hominum, atque æterna voluptas,*
*Qui tantam lucem adſpiciunt, qui numen adorant*
*Rite tuum, atque tuis aris pia thura reponunt.*
*Vt læti agricolæ magnis in meſſibus omnes*
*Deponunt curas animis, & carmina dicunt:*
*Vt miles victor, poſtquam ſpoliauerit hoſtem,*
*Exſultat, lætus præda, partoq. triumpho;*
*Sic nos conſequimur cæleſtia munera læti:*
*Sic canimus læti, & ſpolium celebramus opimum,*
*Quod dux armipotens abiecto diripis hoſti.*
*Tu namq. immanis fregiſti ſceptra tyranni,*
*Qui genus humanum imperijs oppreſſit iniquis,*
*Impoſuitq. iugum noſtris ceruicibus; atque*
*Peccati, mortiſq. furorem ferre coegit.*
*Vt quondam populos ſtrauiſti Marte feroces,*
*Quos non vis hominum abſumpſit, ſed numine tantum*
*Conciſi cecidere tuo, duxq. inclytus armis,*
*Non armis, ſed lampadibus, cantuq. tubarum*
*Hoſtiles acies contriuit, funera paſſim*
*Edens; & numerum ingentem ſub tartara miſit:*
*Sic tu bellipotens, clara nunc luce corruſcans,*
*Doctrinæ ſonitu cæleſtis, conficis hoſtem,*
*Et clarum ducis deuicta morte triumphum.*
*Martis nam ſæui fremitum, dirumq. tumultum,*
*Horrificam cædem, & imbutas ſanguine veſtes,*
*Vis tua conſumpſit telis, & vindice flamma.*
*Hæc puer exoriens nobis, puer inclytus alto*
*Demiſſus cælo, confecit prœlia nobis.*
*Salue, magne puer, clariſſima Patris imago,*
*Quem genuit nobis Regem ſanctiſſima Virgo:*
*Tu imperium fulcis humeris; tu ſidera tollis;*
*Te ſummum Regem colimus ſtellantis Olympi.*
*Et tua carminibus celebramus ſacra frequentes.*
*Namque tuum canimus ſanctum, & mirabile numen.*
*Conſcius æternæ mentis, magniq. miniſter*
*Conſilij, ſummus Deus ipſe, Deiq. propago*
*Fortis, & omnipotens, inuicto robore gentes*
*Proteris inuiſas, inuiſaq. tartara terres.*
*Tu princeps generis ſancti, tu prolis origo*
*Aeternæ, interpres tu noſtræ pacis, & auctor*
*Pacis, quam numquam deleuerit vlla vetuſtas.*
*Namque tuo æternum ſanxiſti ſanguine fœdus;*
*Quod tandem impuri deleuit crimina mundi,*
*Et cælum in terris miro deuinxit amore,*
*Et nobis claras ſedes reſerauit Olympi.*
*Numine tu patrio Regnum tutaris auitum;*
*Dauidis ſolium confirmas; iuraq. ſanctis*
*Das populis; ſummoq. regis moderamine cælum.*
*Adſis, o cæli decus, o clariſſime, noſtras*
*Rex animas ſerua, nos & defende periclis,*
*Atque arce procul æterni contagia leti.*
*Vt tibi puro animo votum immortale ſacremus,*
*Noſq. tuo ſemper præſenti numine ſerues.*

*Spiritus*

*Spiritus in nobis ſanctum tuus excitet ignem,*
*Qui ſceleris priſci penitus vestigia flammis*
*Exurat, cæli & nobis incendat amorem.*
*Nos ſi circumſtent diſcrimina Martis anheli,*
*Si venti terras ingenti turbine perflent,*
*Si mare turbatum fluctus ad ſidera tollat,*
*Si cælum horribili ſuperintonet omne fragore,*
*Tuq. benigno nos vultu reſpexeris; omnes*



*Intrepidi motus hinc deſpiciemus; & alta*
*Mente poli ſedes ſpectabimus vndique tuti;*
*Inque tuas laudes carmen modulabimur aptum.*
*Templa tuas referent ſacro tum carmine laudes;*
*Silua Diuinas referent tum carmine laudes;*
*Et pulſus ſacris reſonabit cantibus æther.*

FINIS.

# Regeſtum.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll.





ROMAE.
Ex Typographia Bartholomæi Bonfadini.
M D XCII.

Digitized by Google

# INDEX
# IN HIERONYMI OSORII
# LVSITANI
# EPISCOPI SILVENSIS
# OPERA

***In quo illud animaduertendum,***

***Per Numerum { Primum, Tomum / Secundum, Paginam / Tertium, Lineas } ſignificari.***

### A


Aron quare tiaram capite geſtabat. tom. 4. fol. 415. n.40

Abba eſt nomen Syrum, & quid ſignificet. t. 2. f. 739. n. 40

Abdala a Rege Armuzienſi ad Alburquecium legatus mittuur 1. 812. 20

Abdearus Rhemanus patruo uitam eripuit. 1. 771. 10. ab Haliaduce occiditur. 772. 10

Abedella Goenſis claſſis prçfectus a Luſitanis uincitur. 761. 40

Abedella proditionis falſo inſimulatur. 1. 1000 20 ſecuri percutitur. 1001. 10

Abedel quibirius Xeriſij patruelis a Petro Barriga prœlio occiditur. 1. 990. 30

Abrahamus eſt Chriſtianorum gentilis. 1. 82. 40. Reges uicit. 106. 30. Illius filij qui ſiot & dicantur. 2. 126. 50. & 245 10. & 762. 10. quare pater omnium fidelium dicatur. 689. 60. & 692. 30. Illius filios Deus quomodo efficiat. 692. 60. Illius fides, & laudes. 243. 20. & 685. 50. & 693. 20. & ſequentibus. Illius gloria eſt ad Deum referenda. 638. 60. quæ quidem ex fide originem duxit. 694. 10. Illius nominis ſignificatio. 245. 50 Illius cum Deo icti fœderis explicatio. ibid. 60. Illius ſemen quo pacto ſit ut ſtellæ cæli propagatum. 372. 10. quare appelletur & Chriſtus & Propheta. 3. 413. 30. Ante circumciſionem fuit iuſtus. 2. 689. 10. Illi promiſſio a Deo facta qualis exſtiterit. 690. 50. Illius uirtus quanta fuerit. 3. 970. 60

Abrahemus Saracenus coniurationem Armuzieoſium Albuquercio aperit. 1. 519. 30

Abrahemus Zacatorenſis Regis filius arcis Zacatoræ præfectus. 1. 785. 30. Eius uirtus militaris. 786. 10

Academicorum de Bono opinio 1. 43. 40. Illorum diſciplinæ laus. 334. 40

Acem Regis Armuzienſis nomine Albuquercium ſalutat. 981. 20

Achaz Rex Iudæorum quare ſignum, ut Iſaias hortabatura, Deo non popoſcit. 4. 33. 20

Achilles fuit uirtutis militaris a Poetis expreſſa effigies. 1. 13. 40. fuit furioſus. 158. 50. quare fortis non ſit dicendus. 58. 50

Achilles Bocchius, uir ſingulari doctrina. 1. 119. 60

Achor quid ſignificet. 4. 306. 50

Acotes Aethiopi Saracenus cum Gnaia amicitiam firmat. 1. 754. 20. Et cum centum hominibus ſubſidio occurrit. 60. Zoſalenſi regno prçficitur. 755. 20

Actiones probæ ſuot neceſſariæ ad ſalutem. 3. 41. 10. Illæ dum ſuot præclaræ quare lætitiam afferant. 790. 10

Actionis Diuinæ duplex eſt genus. 2. 545. 60

Actionis principium io homine quod ſit. 2. 210. 60

Acum princeps Dabidenſis capitur. 1. 921. 10

Acus ſiue pyxidis nautæ deſcriptio. 1. 602. 10


a Adaman-

Digitized by Google

Adamantes ingentis magnitudinis,& ponderis in Narſinga reperiuntur. 1.749.20
Adami ſpecies & ornatus,cum primom fuit a Deo conditus.1. 55. 60. & 235. 4. fuit Sacerdos ,& Propheta. 39. 60. Ei quare Deus præcepit,ne guſtaret fructum arboris ſcientiæ boni & mali.60. 20.Eius peccatum quod fuit.1,6.30. Poſt peccatum in quæ mala incurrit. ibidem . Inter illum & Chriſtum humani etiam generis principem quod diſcrimen extiterit.2.365.30. & 702 30. Quibus in rebus Chriſtum expreſſerit.702.10. Fuit in gratiam Dei poſt peccatum reſtitutus.3. 970.30.Illius peccatum. 4.332.60
Addrimon quid ſignificet . 4.486.40
Adena urbs Arabiæ munitiſſima.1.915.10.& 941. 10.eam Luſitani oppugnant 443.20. & 945. 10. A Soleimano & Mirhocem,Sultani Aegypti ducibus,oppugnatur. 1023. 30. Illius facta Luſitanis deditio quare fuerit repudiata. 1026. 20. Quam fuerit hæc repudiatio Luſitanis incommoda. 1029.30
Admonentium uoces qui audire nolit , quare in mortem ruit. 787.10
Admonitio quo pacto differt a concione. 3. 737. 20.Non eſt deſperatis adhibenda.737. 40.Ea ſapienti quare ſit adhibenda . 738.20
Adoleſcentis ingenui quod ſit officium. 1. 37. 20
Adonai nomen Dei nec antiqui patres,neque Moſes exploratum habuerunt, nunc autem quomodo ſit exploratum. 2.875.10
Adoptio filiorum Dei eſt duplex. 2.742. 50
Adoratio in ſpiritu & ueritate , quæ ſit. 4. 447. 40
Adulationis uis quanta ſit.2.108.20.Illius initium. 1. 292. 50. Ea quo pacto differat a doctrina . 3. 652 10.Ea omnia mala continet. 4.337.50
Adulatores quam ſint pernicioſi.2.6. 10. Illorum duplex genus.1.302.10. Illorum feritas ſimilitudinibus explicatur 300.10. & 301. Illorum natura deſcribitur.302.20. & 304.306. uſque ad 309.Et 3.268.40. Illorum in amicitia inter ſe fides fragilis 1.311.40.Illorum ars.313. 50. Eloquentia qualis.516.30.Qui ſunt Regibus grati, qua ratione amorem erga Regem oſtendunt . 319.20.& 321.20. Illorum ſtudium in eo maxime urget,ut uiros excellẽtes oratione deformẽt litteras , & religionem apud Regem damnent. 321.40
Adulterę apud Braſilienſes ſupplicium 1.639.60.Illius conſuetudo quam ſit pernicioſa . 3. 688.40. & 689.10.& 718.40. & 60. Illius mores deſcribuntur.ibidem . Illius adſpectus periculum parit.718.50.Audacia,leuitas,& oratio.712.40.& 715.10
Adulteræ nomine Synagoga Iudæorum & hæreticorum cœtus ſignificantur. 3.919.10
Adulterij crimen quantum ſit , & quam pernicioſum. 3. 87. 50. quanto ſit furto grauius . 719. 20
Aecatherina uirgo Alexandriæ nata quare omnia, quæ uulgus amat, contempſit.4.512.10.Maxentio Diuinum iudium comminatur.523.30.Oratores & philoſophos ad Chriſti fidem adducit. 527.10.Maxentij uxorem,& Porphyrionem ducem cum ducentis militibus ad Chriſti nomen adiungit.531.20.Illius ad Chriſtum oratio.535 Interitus,& Corporis, Angelorum opera,tumulus. 536.10
Aegeſimba. 1.753.10.& 972.50
Aegyptij Phrygibus antiquitate cedunt. 1. 17.20. Illorum plagæ a Deo inflictæ. 3.338.40 & 414. 60. Duplici mæſtitia poſt Iſraelis populi a ſe diſceſſum conficiebantur 982.30. Quare diuerſis illis ſunt pœnis affecti.982.60.& 986.40.& 990. Tribus diebus & noctibus fuerunt tenebris oppreſſi.990.30. Tyrannice Hebræos oppreſſerũt. 4. 220. 60. Hebræas litteras poſtea admirabili Dei prouidentia didicerunt. 77.10. Illorum ad Chriſtum conuerſio. ibidem.40
Aegyptus fuit propter Hebræos afflicta. 1.15.10
Aemulatio quæ ſit ſalutaris 1.202.50
Aemulatio ex amore orta quam perpeſſu difficilis. 3.885.30.
Aemulatio Dei,Gentes in Hebræorum locum ſubſtituit. 2.792.10
Aeneas quare Veneris familiaris a poetis fingatur. 1.182.60
Aenigma quid ſit . 3.333.60
Aer quare moueri oporteat. 3.407.40
Aetatis maturitas quæ ſit . 3.751.20. Ea in amore Diuino conſiſtit. 448.30
Aeternitas duplex a Platone ponitur. 2. 542.40
Aethiopiæ magna pars fuit Ioannis Regis ſtudio a Luſitanis perluſtrata . 1.587.20.& 969 20. Ea eſt duplex. 756.10
Aethiopia ſupra Aegyptum quæ ſit.1. 643. 40. Illius Imperatoris ad Emmanuelem Regem Luſitanum legatio . 918.50.Altera ad eundem legatio. 969.10
Aethiopiæ ſupra Aegyptum imperij deſcriptio. 1. 972.20.Gentis mores,religio,& ritus.973.20.& ſequentibus.& 1068.40.Illius Regis arrogantia & affectata Diuinitas.973. 10. Olim eũ Regem creabant,qui reliquos proceritate anteiret.369. 10.Supra flumina,quæ in Nilum influunt,habitabant. 4.72.50
Aethiopum arma quæ.1.598.10. Eorum cum Luſitanis pugna . ibidem . Eorum lingua & mores ſunt inter ſe diuerſi . 756.30
Africanus ſuperior de patria cõquerens reprehenditur.
Africani de hebdomadibus ſententia. 2. 492. 30
Agaciamenſis portus. 1.1110.40
Agamemnoni quare canis facies obijciebatur 3. 571.20
Agendi cum Deo ratio non parum conſiſtit in muneribus dandis. 3.808.30
Agere quid ſit. 3.881.60
Aglauros ob patriæ libertatem ſponte emurosſe præcipitauit: cui Athenis fuit templum dedicatum. 1.308.10
Agnatio Diuina in quibus rebus conſiſtat. 2.340. 10
Agri nomine in Euangelio animus ſignificatur. 4. 517.30
Agricultura eſt utiliſſima. 3.890. 50. & 891.10.Illius laudes . 1 482.30 Illi quantum olim fuerit tributum. 483.60. In certa diſciplina conſiſtit. 4.114.40
Agur quis fuerit a Salomone in ſcenam adductus. 3.905.50. Huius nominis , quæ ſit notio. 906. 30
Aguz fluuius. 1.991.10
Aguz oppidum. 1.926.30
Albanus Dux. 1.1030.60
Alcaſſar Sagoerius Ciuitas Mauritaniæ. 1.906. 30
Alcibiades. 1.158.60. Non fuit gloriam conſecutus. 221.60
Alcithia Pauſaniæ mater gloriæ cupida. 1.169. 60
Alcoumenſis Dynaſta. 1. 933. 10. & 961. 40
Alexan-

Alexander furioſus exſtitit. 1.158.60.& 222.20. Vt Deum quare ſe coli imperauit. 305.50. Illius erga uictos benignitas. 4.434 20. Ex Ariſtotelis diſciplina tantus uir euaſit. 1.382.20. Sibi Paridis cytharam oblatam reijcit. 387.60

Alexander Piſaurenſis Veneius ad Emmanuelem legatus. 1.1117.60

Alexandri Sexti ſummi Pontificis mors. 1.679.20. Ad illum Regis Emmanuelis legatio.

Alexius Meneſius Goç a Siqueira relictus, ut Indiam gubernaret. 1.1067.60. Cochimum ab eodem Siqueira cum imperio miſſus. 1.1092.50. De eodem Meneſio. 1096.10.& 1030.10.& 1041.40.& 1043.50.& 1081.30

Alfonſus Albuquercius cum Claſſe in Indiam mittitur. 1.658.50. Illius in Indiam aduentus. 688.20. uitæ diſcrimen ſingulari animi fortitudine propellit. 689.30. In Luſitaniam reditus 692.30 uitæ periculum adit. 786.40. Victoriã de Claſſe Armuzienſis Regis conſequitur. 810.40. Arcem Armuzij cœpit ædificare. 814.40. Vrbem Armuzium oppugnat. 820.60. In perfidos acerbe nimis animaduertit. 821.10.& 824.50. Armuzium obſidione ſoluit. 822.50. Cum Almeida contentio. 836.20. Moderatio ſingularis & patientia. 839.10. Ad Calecutium grauiter uulneratur. 841.30. Goam petit. 854.10. Eam capit. 856.20. Zabaimi conatus, quibus Goam oppugnabat, qua ratione ſuſtinuit. 858.10.& 860.20. Illius magnanimitas. Goam cogitur deſerere. 862.10. Goam iterum capit. 871.50. Illius cum Almeida collatio. 876.10. Auream Cherſoneſum oi capit. 890.10. Malacæ arcem extruit. 895.50. Ciuitatem magiſtratibus creatis in ordinem redigit. 908.50. Naufragium. 910.40. In Dei benignitate fiducia ſingularis ibidem. 40. Beneſtarium arcem ui capit. 916.30. In Arabicum ſinum Claſſe penetrat. 919.20. In Arabes expeditio. 941.10. Cum Claſſe Armuzium contendit. 681.20. Legatus Iſmaelis Perſarum Imperatoris ad eum uenit. 985.50. Inuidorum calumniis apud Regem ſuum male audit. 998.60. In morbum incidit, quo lente confectus obiit. 1003.10. Eius mores. 1004.60

Alfonſus Chiaignus adoleſcens ſtrenuus, a Patecatiro occiditur. 1.911 30

Alfonſi Congenſis Regis laudes. 1.1008.30

Alfonſus Regis Congenſis filius ob Chriſti fidem relegatur. 1.683.20. In Regia dignitate collocatur. 684.10. Illius ſingularis pietas. 685.10. Henricum filium in Luſitaniam mittit. 928.20. Illius ad ſummum Pontificem legatio. 932.10

Alfonſus Primus Luſitaniæ Rex. 1.967.20. Eius pietas, & uirtus. 109.20.& 451.50.& 466.30. Eius ſepulcrum fuit ab Emmanuele Rege multos poſt annos magnifice extructum. 658.10

Alfonſus Emmanuelis filius a Leone X. in Cardinalium Collegiũ cooptatus. 1.837.40.& 1006.40

Alfonſus nothus Iacobi fratris Regis Emmanuelis filius, magiſter equitum creatur. 1.628.30. Illius obitus. 694.40

Alfonſus Ioannis Regis Secundi Portugalliæ filius ex equo proiectus obiit. 1.568.50

Alfonſus Lupius Coſta Malacenſi arci præficitur. 1.1043.50. De eodem. 1046.60

Alfonſus Paiua iuſſu Ioannis Secundi mercatoris habitu Aegyptum peregrat. 1.969.60

Alfonſus Perſona. 1.864.10. Patecatiri munitionem oppugnat. 912.40

Alfonſus Quinctus Luſitaniæ Rex. 1.967.30

Algaballum Caſtellum captum. 1.991.50

Algarbienſium nautarum laus. 1.1011.60

Algarbienſes ad arma ſunt propenſi. 1.1183.50

Algelum caſtellum. 1.991.60

Allimainon Maurus, Dux inſignis. 1.1060.60

Almandarinus in Africa bello fugatur. 1.920.20

Almedina Mauritaniæ oppidum. 1.879.50. Almedinenſe bellum. 922.10. a Luſitanis capitur. 951.50

Almeimamus Almedinæ præfectus. 1.957.10 & 960.10

Almerinum Luſitaniæ opidum. 1.954.50

Aloyſius Priolus. 1.1156.20

Altaris ænei, & aurei myſterium explicatur. 3.353 20

Aluarus Ataidius. 1.1013.40

Aluarus Coſta Legatus ad Carolum Quinctum ab Emmanuele mittitur. 1.1050.10. De eodem. 1052.40

Aluarus Lupius ad Congenſem Regem cum claſſe mittitur. 1.929.30

Aluari Marreiri egregium facinus. 1.944.40

Aluari Nonij infauſta temeritas. 1.1115.30

Aluarus Norogna Azamoris præfectus, eiuſque res geſtæ. 1.921.50.& 923.10.& 1047.60.& 1058.10.& 1060.30.& 1061.& 1188.50

Aluor Algarbi opidum, quod portus Hannibalis fuiſſe creditur. 1.568.20

Amagor Caſtellum. 1.991.10. Eiuſdem oppugnatio. 30

Amatoris flagitioſi mores. 2.321.10

Amazones quo tempore poterant nubere. 1.27.50

Ambitio eſt furor. 1.157.40. Ei qui ſunt dediti, quibus ſint moribus imbuti. 1.293.10. Eius uis quanta ſit. 1.253.20. Quos homines maxime incendat. 254.10. Magnam uim habet ad ueritatem oppugnandam. 4.735.20

Amboinum Inſula. 1.914.20

Ambulare in ſacris litteris quid ſignificet. 2.729.40

Amentia quid ſit. 2.644.60

Amicus quare fratri anteponitur. 3.810.60

Amicus quare ſibi ſit, qui ſe ipſum odit. 4.162.10

Amici dedecus, qui, ut riſum captet, peruulgat, eſt furioſus. 3.756.20

Amici ſecretum qua fide ſit ſeruandum. 3.756.30

Amicorum offenſiones plerũque ex aliquo intempeſtiue dicto oriuntur. 3.872.20. Illorum obiurgatio eſt iucunda 872.50. Eſt debitum amico officium 836.20. Oratio eſt ægrotanti animo remedium ſalutare. 886.50. Amici non ſolum noſtri, ſed etiam parentum quare non ſint umquã deſerendi. 3.886.60. Amici ueri quales ſint. 3.888.40.& 889.30

Amicorum quare ſit rarũ illud præſtans officium. 3.889.40.

Amicis Dei omnia ſeruiunt. 4.309.60

Amicis Principes parent. 1.440.40

Amicitia Dei nihil clarius, aut utilius. 1.381.10

Amicitia quare ſit neceſſaria. 1.29.10. eius uis maxima eſt apud Chriſtianos. 87.40

Amicorum, qui in ærumnis amicos deſerunt, natura explicatur ſimilitudine. 3.31.20

Amicitia ab iniuſtis coli non poteſt. 2.333.20. Ea a iuſtis ſolum colitur. 50. Illius laudes. 334.10. Vera amicitia unde originem ducat. 335.10. Ea ut ſeruetur, eſt aliquid de iure noſtro remittendum. 3 808.50

Amicitiæ leges pauci rite ſeruare poſſunt. 3.821.

60.& 824.10.Illios ſanctitas ioter quoi Seruari poſſit.823.20. Quo modo ſit cooſeruanda. 2. 827.30.Ea ſimulata quantom periculum creei. 3.755.30. Vera amicitia eſt rariſſima.3.789.30
Amicitia Quiloenſis Regis cum Luſitanis. 1.644 60
Amor quid ſit.1.412.10.Illius. dum inſanit, quanta ſit uis. 411.50. & 310.20
Amor quo pacto differat ab eo, qui uulgo amor appellatur. 1.320.20
Amor quare otium excludit. 1.335.10
Amor eſt cupidiſſimus. 3.926.20
Amor Chriſtiaous ſummas uires habet.1.103.50. fuit ardeotior,quam ſit amor aliorum hominũ. 2.608.50
Amor cuiuſque rei, illius æſtimatione contineatur. 3.701.30
Amor Dei erga iuſtos eſt maior, quam ſit illorum erga Deum. 2.335.40
Amor Dei in homioes quibus argumeotis indicetur.2.797.20. & ſequeotibus
Amor Dei,dum ipſe punit,iodicatur. 3.644.40
Amor Dei animos altos,& confidentes efficit. 4. 580.50
Amor Deum ad quæ perduxit. 3.358.60
Amor Diuinus eſt ſolicitus, & in timore uerſatur. 2.618.30
Amor Diuinos quæ operatur. 3.448.10.& 40
Amor occultus quo pacto ſit prorſus inutilis. 3. 886.20
Amor æterni patris in filium eſt infinitus. 4.715. 60
Amor iure oaturali patriæ debetur. 4.689.50.& 1.364 50
Amor piorum in Eccleſia Chriſti unde oriatur. 2. 587.30.
Amor proprius,dum nimius eſt,primarius eſt adulator.1.404.60.Quam ſit pernicioſus.2.683.20. & 1.303.30.& 3.594.20.& 789.20.
Amor proprius, ut eſt malorum omnium fundamentum,ita,ſi modus in eo ſeruetur,firmat animi ſtatum. 3.920.50
Amor proprios, ſi rationis imperio oon coerceatur, eſt maxime pernicioſus. 4.159.10.& 160. 30,ne autem nocere poſſit,eſt opportunum remedium,in Dei pulchritudinem intueri. 4.161. 60
Amor quo pacto Spiritum ſanctum ſignificet. 2. 532.60
Amor Cochimenſis Regis erga Luſitanos.1.686 40
Amoris uis ſiogularis in muliere Sarracena.1.631. 10
Amor Hotę Maurę in uirum ſuum 1.1015.40
Amoris Diuini ſemina ſuot in oaturam ſparſa. 2. 28.60
Amoris Diuini uis, & laudes. 2.607.50.
Amoris intelligentia ſapientiam gignit. 2.272.50
Amoris nomen quare fuerit Libidini impoſitum. 1.310.50
Amoris ueti ſtudiũ io honeſtate conſummitur. 2. 609. 10
Amore quid ſit dignom 4.161.30
Amphionis caotus quid ſignificet. 1.11. 10
Amri Regnum Iſraelis per ſcelus occupat. 4 660. 50
Anathema quid ſit.4.502.30.Et quotuplex.2.757. 20
Anaxagoras mentem efficientem induxit. 2. 570. 50.Materiæ omnia fere tribuit. 571.[illegible]
Anaxarchus. 1.93.10 & 409.20
Anchediua inſola.1.624.30.& 679. 10. In ea arx a Luſitanis ſtruitur. 744. 20. Ab eiſdem diruitur. 761. 60
Ancoſtamus Zabaimi Idalcami Dux. 1..1032. 60. & 1034. 30
Andradiorum fratrum uirtus egregia. 1.866. 40. Ab hoſte Zabaimo laudibus efferuntur.867.10. & 872. 20
Andreas Apoſtolus Petrum fratrem ad Chriſtum adduxit. 4.594.20
Andreas Dorea. 1. 1011.20
Angeli ante mundum creantur. 1.54. 30. Ipſorum ruina. 40. Gloriæ cupiditate corruere. 160. 20. Deum noo omnino comprehendunt. 2. 609. 50. Eorum natura. 3.113. 60. Illorum lapſus.2.444. 20. Sunt bonorum cuſtodes, & malorum tortores.3.338.60. Angelorum nomine aliquando principes ſignificantur.3.389.30.Sunt noſtræ ſalutis adminiſtri. 3.405.20
Angeli oon omnes eadem dignitate præditi ſunt. 4.398.40. & 404.40
Angeli hoiuinum curam gerunt.4.412.50.In ſacris litteris auctoritatem repręſentant.413.20. Sunt Iſaiæ puritatis adminiſtri. 414.20
Angeli quare ceciderunt. 4.723.50
Angelorum opera bella admioiſtraotur.4.397.50
Angelis myſterium Chriſti non omnioo fuit cognitum. 2. 876.40 Quo pacto erga Deum ſe gerant.4.28.40. Eorum natura quare non ſit hominibus manifeſta.60. Eorum in Dei laudibus celebrandis cooſenſus.29.10. Beatiſſime uiuunt.4. 554. 30
Anima qua ratione apud Paolum differt a ſpiritu. 3.839. 60
Animalia bruta quare ſint hominibus oaturali iure ſubiecta.1.256. 10. Illorum quorundã ſollertia. 3.922.30
Aoimus eſt imago Dei. 4.622.10
Animus hominis eſt cælo præſtantior. 3.502.30
Animus humanus nullis opibus expleri poteſt. 4. 668. 50
Aoimus ioſolenter elatus uerba plerumque cæleſtis diſciplinæ repudiat. 4.603.20
Animus magis ad diſciplinas,quam tempus,requiritur. 1.450.30
Animus magnus,ſi non ſit temperatus, quare eſt Reipublicæ pernicoiſus. 1. 254.40
Animus mioutus deſcribitur. 4.559.60. & 636. 30
Animus non prius creatur,quam corpus ſit abſolutum. 4.578.10
Animus pius Regnum cæleſte nominatur. 4. 315. 50
Animus quo modo oouam formam aſſumat. 4. 637. 10
Aoimus quo pacto io periculum incurrat. 1. 115. 40
Animi affectiones,ſuot ut feræ coercēdæ. 3.904. 20.Si non coerceantur,ſuot immaniſsimæ. 914. 10. & 30
Animi angor in corpus etiam redundat. 3. 782. 60
Animi arcana, multa indicant. 1.190.50
Animi candor facile in ſe Diuinæ lucis claritatem recipit. 4.671.40
Animi commotiones non ſemper ſunt rationi contrariæ. 1.50.20
Aoimi coniunctio cum corpore quanta ſit.3.565. 20
Animi dignitas quæ ſit. 2. 272.40
Animi magnitudo ſimul & moderatio eſt neceſſaria.

ſaria. 1. 296. 60. Qua ratione illæ comparentur. 297. 20
Animi motns oratione declarantur. 4. 577. 30
Animi præparatio a Deo,& a nobis quomodo pendeat. 3. 793. 20
Animi ſtatus qui ſit optimus. 1. 50. 20
Animi ſtatus rectus Diuino munere continetur. 1. 553. 30
Animi ſtatus quibus ſit opibus moniendus. 2. 802. 60
Animi uocabuli uariæ ſignificationes. 3. 564. 40
Animum præparare quis dicatur. 3. 426. 60
Animi, dum teneri ſunt, omni ſtudio coli debent. 1. 372. 30
Animi quomodo capiantur. 3. 760. 60
Animorum ægritudinum remedium ſingulare. 3. 9. 10
Animorum conſenſio eſt ſortitudinis, & iucunditatis ſundamentum. a. 858. 50
Animorum cultus duplex eſt. 1. 185. 60
Animorum immortalitas oſtenditur. a 465. 10
Animis ineſt quid Diuinum. 1. 53. 40
Annæ Samuelis matris in fecunditas,& partus portendebat Eccleſiam gentium. 3. 443. 30
Annus ante Iulium Cæſarem quomodo deſinie-batur. 2. 493. 50. Illius initium apud Indos. 1. 617. 10
Antichriſtus oon in nomine Domini, ſed in nomioe ſuo oeniet. 4. 736. 60
Antichriſtus ſigna edet, quæ non ſalutem, ſed terrorem iniiciant. 4. 737. 20
Antichriſtus poſt duos & quadraginta ſummi imperij menſes funditus interibit. 4. 738. 40
Antichriſti potentia, fallacia,& ruina. 3. 923. 50. & 924. 10. Erit periurus. 4. 430. 50. Qua ratione progredietur. 431. 10. & 60. & 478. 30. & 479. 10
Antichriſti tyrannis crudelitate,& auaritia conuincetur. 4. 737. 30
Antichiſtum quis imitetur. 4. 740. 40
Antigooi dictum de iuſtitiæ obſeruatione. 1. 154. 40
Antiochus Aotichriſtum porteodebat. 3. 341. 50
Antiquitatis ois quanta ſit. 1. 17. 10. Ea eſt pertractanda ad rerum maximarum ſcientiam conſequendam. 3. 34. 60
Antonius Auguſtinus Hiſpaous in Anglia legatus. 2. 43. 30.
Antonij Abrei animi magnitudo. 1. 894. 10. Malucas inſulas ut exploret, mittitur. 909. 10
Antonius Brittius in Malucas nauigat. 1. 1110. 40
Aotonius Campenſis nauem roſtratam expugnat. 1. 882. 30
Antonius Correa ad Peguenſe Regnom proficiſcitur. 1. 1077. 20. Victoriam conſequitur. 1099. 30
Antonius Couarruinas. 1. 1154. 10
Antonij Coutigni, qui Saracenus fuerat, facinus egregium. 1. 1074. 40
Antonius Emmanueli filius naſcitur. 1. 1017. 30
Antonius Fonſeca Metioam Campeoſem inflámat. 1. 1085. 50
Antonius Grimaldus piſcator Maurus ioſigni uirtute repellit. 1. 1076. 50
Antonij Leitani facious barbarum. 1. 1058. 20
Antonius Ludouici Principis filius. 1. 1126. 10
Antonij Maſcategnæ mors. 1. 1047. 50
Antonius Miranda Azeuedios legatus mittitur ad Sioarum regem. 1. 896. 60. Inde reuertitur. 914. 10
Antonius Norogna Vibis Goenſis præfectus. 1. 856. 40. Illius uirtus. 86a. 30. & 865. 50. Prœliũ nauale committit,& hoſtes fugat. 886. 10. Sagitta crus transfigitur. ibidem. 30. mors. ibidem. 60. cum claſſe 200. nauium ab Emmanuele in Mauritaniam miſſus. 1. 995. 40
Antonij Pacagnæ uirtus. 1. 1077. 40. & 1079. 40
Antonius Paciecus. 1. 1037. 60. & 1043. 50
Antonius Pinarius Lilienſis Epiſcopus. 1. 1138. 40
Antonius Pintus. 1. 1163. 60
Antonij Salæ mors. 1. 750. 60
Antonij Saldagnæ aquatio nuncupata, & caſus, quo ad eam primus peruenit. 1. 692. 60. & 693. 20. & 724. 10. de eadem. 1030. 30. & 1043. 50. & 1046. 60. & 1052. 40. & 1067. 60
Antonius Souſa legatus ad Narſinguæ Regem ab Albuquercio miſſus. 1. 980. 10
Antonij Veræ fortitudo. 1. 1079. 40
Apoſtoli Chriſti quales fuerunt. 2. 511. 20
Eorum nomen quid ſignificet. 633. 30 Eorũ, & diſcipulorũ Chriſti uictoria. 4. 483. 10. Eos qui necarunt, quæ fuerint conſecuti. 3. 813. 60. Clariorem Dei notitiam, quam prophetæ tradiderunt. 2. 790. 50 Eorum de Chriſto ootitia omnium patrum antiquorum cognitionem ſuperauit. a. 875. 30. & 876. 30. Ea qualis fuerit ante aduentum Spiritus ſancti. 875. 50. Eorum ſodaliciũ. 4. 165. 30. Quam admiranda ratione gentes uera religione formarint. 209. 60. Quare fuerunt inſtar nubium, & columbarum. 261. 20. Eorum uirtus, & opera. a64. 60. Eorum dignitas maior fuit quam Prophetarum. 4. 686. 30
Appetitio rerum maximarum eſt illarum ioitium, & ſundamentum. 3. 969. 20
Appetitus quare nobis ſit innatus. 1. 48. 20
Appetitus hominis qualis ſit. 52. 60
Apum natura,& artificium. a. 591. 30
Aquæ calidæ ſaluberrimæ in Luſitania. 1. 568. 20
Aquæ in ſanguinem uerſæ quid ſignificent. 2. 251. 20
Aquæ e petra percuſſa fluentes quid ſignificabant. 2. 257. 20. & 4. 489. 60. & 802. 30
Aquæ io ſanctis litteris quid ſignificent. a. 487. 40. & 4. 666. 30. & 4. 804. 10
